




1
1
7
386
















A

XXIV

PITS de

Reb. Angli



IOANNIS PITSEI

ANGLI, S. THEOLOGIAE DOCTORIS, LIVERDVNI IN LOTHARINGIA, DECANI,

RELATIONVM HISTORICARVM

de Rebus Anglicis

TOMVS PRIMVS

Quatuor Partes complectens, quorum Elenchum pagina sequens indicat.





PARISIIS,

Apud ROLINVM THIERRY, & SEBASTIANVM CRAMOISY, via Iacobæa.

M. DC. XIX.

Cum Priuilegio Regis Christianissimi.

Elenchus quatuor partium in hoc Tomo contentarum.

Prima Prolegomena quædam continet de laudibus Historiæ, & Antiquitate Ecclesiæ Britanniæ, de Academijs, tam antiquis Britonum, quàm recentioribus Anglorum.

Secunda continet Catalogum Scriptorum cùm Britannorum, tum maximè Anglorum; obseruato, quam accuratè fieri potest, Antiquitatis ordine per annos à Christi Natiuitate.

Tertia est quorundam Scriptorum Appendix, ordine alphabetico per Centurias, adiecto Indice quorundam operum ab Anglis scriptorum, sed incognitis Auctorum nominibus.

Quarta pars constat quindecim Indicibus alphabeticis, & est quasi quædam Epitome rerum memorabilium huius Tomi.



ADMODVM REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, D. PHILIPPO CAVERELLIO, celeberrimi Cœnobij Vedastini apud Atrebates Præsuli dignissimo.



RÆCLARÈ *admodum (Amplissime Præsul) dictum est à Daniele Propheta:* Qui docti fuerint fulgebunt, quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Quid enim tam consentaneum rationi, quàm, vt excellenti rerum diuinarum & humanarum cognitione præditi versentur in clara Christianorum memoria? Qui verò prætereà nationes integras ad Deum Opt. Max. sanctè colendum, atque inter*

Dan. 12. 3.

se iustitiam probè custodiendam instituunt, hi, vt à summo rerum Moderatore amplissima in cælo præmia possunt expectare: sic & ijdem sunt dignissimi, qui ab hominibus benè natis, benéque institutis amentur, honorentur, colantur, & tanquam lucidissima sidera suspiciantur. Et quidem cùm nos Sapiens diuinitùs illustratus iubeat, laudare viros gloriosos, parentes nostros in generatione sua; *dabit mihi Reuerendiss. D. vestra hanc spero veniam, quò maiorum nostrorum, quorum libro hoc recensentur opera, quantum præsenti instituto conueniat, laudes hìc breuiter delibem.*

Eccles. 43. 1.

Antiquissimi Britanni, Insulæ nostræ censentur velut Aborigines. Horum Rex Lucius, *omnium Regum primus, fidem Christianam est amplexus; eandémque publicè cum regno suo toto est professus. A quo tempore Britanni floruerunt, non solùm sanctitate, verùm etiam doctrina. Sedibus tamen proprijs ab Anglo-Saxonibus depulsi, sua quoque secum deportârunt monumenta litteraria: nec primis Angliæ Scriptoribus (eos adhuc auersati tanquam iniustos possessores) communicare voluerunt. Quò fit vt minus multos ex illis Scriptores referre valeamus. Nam præter* Gildam *cognomento sapientem, (cuius etiam paucissima supersunt scripta) vllo qui claruerit nomine, alium referre possumus neminem. Ad Anglos igitur transeamus. Quis autem dicendo consequi valeat, quan-*

tum Gens Anglorum sanctissimo ac doctissimo Bedæ suo debeat? qui cùm ad summum ferè omnium scientiarum fastigium peruenisset, gentiles suos, ad instar fulgentissimæ stellæ, omni planè melioris doctrinæ splendore collustrauit. Hos, liberales & ingenuas artes edocebat: illos, dulci rerum præteritarum memoria, virorúmque Illustrium exemplis capiebat, atque ad omne humanitatis & pietatis officium rapiebat. Sacras verò Scripturas nunquam non explicabat, aut doctissimis commentarijs, aut sanctissimis concionibus. Celeberrimi postea præceptoris discipulus nobilissimus extitit Albinus *siue* Alcuinus, *nostri Hemisphærij stella altera splendidissima. Hunc* Carolus Magnus, *post* Constantinum Magnum (*quem Religioni Christianæ per totum orbem propagandæ ex nostra Deus elegit Insula*) *Imperator vnus omnium religiosissimus, atque eruditissimus, euocatum in delicijs habuit. Ab illo quippe hausit altissimarum rerum scientiam, sanctissimarum etiam amorem: operâ quóque vsus est eiusdem ad reparandam & restituendam disciplinam Ecclesiasticam, toto iam fermè Imperio collapsam. Inter alia porrò egregia raræ eruditionis suæ documenta, diuinam Scripturam vniuersam, exscribentium vitio non leuiter deformatam, ex vetustioribus & verioribus fontibus (erat enim, vt &* Beda *eiusdem præceptor, Trium Linguarum peritissimus) exquisitissimè emendauit. Auctorque*

Imperatori fuit, vt ad vberiorem bonæ omnis litteraturæ sementem faciendam, vnam Parisijs *in* Gallia, Papiæ *in* Italia *alteram construeret Academiam.*

Poteram hic commemorare sanctos, Bonifacium, Vvillebrordum, *& alios Ordinis Diui Benedicti viros religiosissimos, qui paulò anteà fidem, & Religionem Christianam totâ ferè* Germaniâ *plantauerant, sed cursum meum retardari nolo. Venerabilem* Bedam *&* Alcuinum *imitati ex nostris quàm plurimi alij, totum vetus perdoctè, & nouum illustrarunt Testamentum. Inter cæteros hi Principes effulsere,* Stephanus Langtonus *præcellenti sua doctrina & virtute promeritus, primò fieri Academiæ Parisiensis Cancellarius; deindè in Curia Romana Cardinalis; ac demùm Archiepiscopus Cantuariensis* : Robertusque Capito, *Episcopus Lincolniensis, qui linguas Græcam & Hebræam, omnéque genus litterarum percalluit. Ad Scholasticam Theologiam quod attinet, aureum illud opus Magistri Sententiarum explicarunt, Summasue Scholasticas, aliaue opera condiderunt plus quàm ducenti Angli, viri subtilissimi, simul & doctissimi. Inter hos familiam ducit* Alexander Halensis, *Diuorum* Thomæ *&* Bonauenturæ, *(qui eodem post genere scribendi claruerunt) præceptor dignissimus. Ad illum proximè accessit Doctor subtilis,* Ioannes, *cognomento qui-*

dem, Scotus, *natione verò* Anglus. Ioannes Baconus, Richardus *de* Media Villa, Guilhelmus Occam; Robertus Holcot; Gualterus Burleus. *Quorum plurimi insuper Aristotelis opera, quæ Dialecticam & Philosophiam (sacræ Scientiæ pedissequas) spectant, ornarunt & pereruditè exposuerunt. At neque in Mathematicis vel Astronomicis disciplinis fuerunt Nostrates peregrini. Imò cæteris omnibus palmam in hoc genere præripuisse videtur noster* Ioannes de Sacro-Bosco; *quem alij omnes tanquam ducem in illa militia sequūtur. Nec minus peritus, si non nimis curiosus*, Rogerus *extitit* Baconus: *in Astronomicis, & Chymicis scientijs vsque ad miraculum penè eruditus. Verùm ad Theologos reuertamur. Nemo nobis existimet vnquam defuisse fortissimos pugiles atque vigilantissimos, qui Christi Ecclesiæ causam contra omnes oblatrantium hæreticorum errores, ita vt par erat, defenderent. Prodeat primus in medium S.* Vvilfridus, *Archiepiscopus Eboracensis, cui legationem pro tota Britannia & Hibernia obeunti, in Synodo Romana propter zelum, doctrinam, atque prudentiam, locus fuit à summo Pontifice concessus maximè honorabilis. Hic statum Paschatis tempus, ab vniuersali Ecclesia obseruatum, aduersus* Quartadecimanos, *coram Rege Osvvino non modò propugnauit, verùm etiam euicit. Pari felicitate atque successu depugnarunt,*

contra Berengarium Lanfrancus; *contra Græcos*, Anſelmus, *Archiepiſcopi Cantuarienſes, quamquam hi duo, ſummis in Anglia perfuncti honoribus, nati ſunt extra Angliam. Sed quid de* Thoma *dicemus Vualdenſi, illuſtriſsimo Christi Atheleta, viro eruditione & pietate inſigni; qui Vvicleffum, & in illo poſteriores ferè omnes hæreticos expugnauit? Aduerſus autem Lutherum, Zuinglium, Caluinum, & eorumdem aſſeclas, doctiſſimè patrum memoria, ſcripſerunt;* Ioannes Fisherus *Epiſcopus Roffenſis, &* Thomas Morus, *magnus regni Cancellarius; par martyrum præclariſsimum: noſtra verò ætate, illuſtriſsimus Cardinalis* Alanus: *Doctores*, Hardingus, Sanderus, Stapletonus, Alanus Copus, *ſiue aliàs* Nicolaus Harpesfildius, *cum multis alijs. Nobiles noſtros Hiſtoricos*, Malmesburienſem, Hungtinthonum, Houedenum, Matthæum Pariſium *cum multis alijs feſtinus prætereo, vt ad illos aliquando perueniam, qui licet nullo certo in genere ſcientiarum elaborarint, doctis tamen omnibus non parum opis attulerunt. Magnum ſiquidem ſtudium, magnam operam & diligentiam in eo poſuerunt, vt perueſtigarent, & in vnum quaſi corpus colligerent, qui ex noſtris ſcripſerunt de quopiam ſubiecto nobiliori; illud ſimul annotantes, quo titulo quodque opus inſigniretur, & vbinam gentium reperiretur. Qua ex re iſtud ſunt aſſecuti, vt*

ſitienter

ſitienter admodum expetentibus exquiſitam ſcientiarum intelligentiam, digito, vt ſic dixerim, intento, quoſdam quaſi fontes commonſtrarint, vbi ſitim ſuam explerent ardentiſsimam. Sed & illis quoque interim pergratum fecerunt, quibus, licet res abſtruſiſsimas habere penitùs comprehenſas, aut negocia, aut vires denegarint, cupiunt tamen viros doctos cognoſcere, déque ſcriptis eorumdem diſſerere. Horum in numero ſunt reponendi, Boſtonus Burienſis, Rouſſus Vvarvvicenſis, & præ cæteris Ioannes Lelandus iunior. Qui nulli labori, nulliſve parcentes ſumptibus, totam penè Angliam peragrarunt, quò Academiarum & Monaſteriorum Bibliothecas ſcrutarentur. Illuſtres illinc Angliæ Scriptores, & ſingula eorum opera eruerent, inque Catalogum referrent. Quod non infœliciter præſtiterunt. Verùm neſcio qui tandem infernus nobis euomuit Apoſtatam quendam nomine Balæum (vt Idoli Bal miniſtrum facilè dignoſcas) qui maiorum noſtrorum gloriam impuro calamo obſcurare, ac clarum illorum nomen adniſus eſt fœda labe conſpergere. Nec contentus in ſuos prædeceſſores adeò ſeſe exhibere ingratum; exarſit quoque in ſummos Pontifices, & in viros omnium religioſiſsimos, contumelioſiſsima quæque ſcriptis ſuis inferciens, quibus inficiantur malè cauti legentium animi. Quocirca noſtrarum ſtellarum honorem, & ſplendorem antiquum vindicaturus, vt queant in

perpetuas lucere æternitates; tum etiam studioso-rum vtilitati, & cum pietate profectui consultu-rus, Ioannes Pitseus, *sacræ Theologiæ Doctor, vir in primis honorandus, inque Gentis nostræ historijs versatissimus, operæ fore precium iudicauit, si Ca-talogum illustrium Angliæ Scriptorum, cum proba-tissimis quibusque historicis, & chronicis religioso-rum diligenter collatum, denuò ad incudem reuo-caret; quæ Lelandus omiserat ex alijs suppleret; qui post mortem illius his 70. ferè annis scripserunt, ad-ijceret. Sic enim futurum, vt harum rerum curio-si, Scriptorum seriem haberent & incontamina-tam, & multò pleniorem, quamque sine periculo euoluerent. Cæterùm rerum necessariarum penu-ria, communi exulum malo conflictatum (quo de non rarò queritur in hoc opere) mors rapuit, prius-quam opus ipsum prælo committeret. Quoniam ve-rò ante obitum aliquot annos nostro adscriptus fue-rat numero (quod litteræ eius statim subijciendæ declarant) quodque opus videretur necessarium, libro* Balæi *pestilentissimo è manibus Catholicorum excutiendo, in lucem vt prodiret, curauimus: id præsertim agente, nosque ad hoc ipsum adiuuante Domino Arthuro Pitseo Collega item nostro, & Au-thori, tam sanguine, quàm pietate, & doctrina coniunctissimo. Relegimus itaque diligenter; & vbi oportunum hoc videbatur (quod sanè perrarò accidit) vltimam manum addimus. Porrò autem*

cùm de viro quopiam illustri, cuius nomine ornaretur, cuiusque patrocinio muniretur, cogitaremus; occurrit statim Reuerendissima vestra Dominatio, cui dudum nos istud deberemus, cuique opus hoc optimè conueniebat. Agit enim de viris doctis, atque religiosis, quorum plurimi fuerunt Ordinis S. Benedicti: vt ad eum propterea Benedictinum deferri debuerit, qui in bonarum litterarum scholis, atque in omnibus religiosæ disciplinæ exercitijs à puero fuerit educatus. Sanè verò te propter tuam pietatem eximiam, & propter singularem eruditionem, cum summa prudentia coniunctam, ad S. Vedasti Atrebatensis clarissimam amplissimamque Abbatiam, & Religiosorum suffragia, & Serenissimi Archiducis Alberti calculus subuexit. Quin etiam in eo te gradu consistere ægre passus est, ad aliam te nobilissimam atque eminentissimam dignitatem inuitabat, & modò non cogebat supremus hic, sanctissimus atque prudentissimus totius Belgiæ princeps. Sæcularia tamen negotia sæcularibus relinquenda censebas, qui Ecclesiasticis iam diu probè militaueras, idque consultissimè. Nam optimam partem elegisti, quæ nunquam auferetur à te. Dignus certè præsul cœnobio Vedastino, quod magnos assolet parere viros, & ad alios etiam regendos donare; fœlix item Monasterium quòd talem ac tantum habet (diuque in Domino habeat) Cœnobiarcham; qui quauis vti maluit excusatione,

quam gregem tuum bonus paſtor deſerere: mundi honores, voluptates, atque diuitias diuinis laudibus in choro decantatis poſt habere: doctis denique religioſorum diſputationibus, & ſpiritualibus præeſſe exercitijs, quam in Principum palatijs primatum tenere. Rectè id quidem. Etenim in cœnobio, quam in aula, in ſolitudine quam in hominum frequentia, pacatius ſanctiúſque viuitur. Et Deo Opt. Max. in tanti Præſulis loco bene deſeruire, verè in terris eſt regnare. Sui ſunt honores, ſuæ diuitiæ, ſua rerum omnium abundantia Vedaſtino Abbati Ampliſsimo. Sed quod laudandum eſt maximè, eſt tibi animus in primis, qui illis omnibus, ſiquis vnquam, vtatur optimè. Teſtis pauperum quotidiana cura; menſa ſemper honeſtis omnibus expoſita: teſtes Sacella nitidiſsimè compta; Eccleſia pulcherrimè exornata; loca Monaſterij pleráque omnia vel recèns extructa, vel reconcinnata, & elegantiùs quàm vnquam antè reſtaurata. Nec enim, quod iam nimio frequens amat fieri, fructus Abbatiæ colligis, ædificia negligis: verum ideo potiùs fructus non negligis, quò Monaſterium conſerues, amplifices, atque perpolias. Non tu in equis, & curribus, ſæculive pompa pecunias expendis; ſed in pijs operibus, ſemperque manſuris. Quale tu Collegium, quàm ſplendidum templum, atque magnificum Patribus extruxiſti Ieſuitis in ciuitate Attrebatenſi, quò iuuentutem litteris humanioribus, bonis pariter moribus & pie-

tate imbuant! Quid dicam de Monasterio Gregoriano, opere plane regio, tua vnius effusa liberalitate, Duaci à fundamentis exædificato? Eâ amplitudine, eaque altitudine, in quadrum constructum cernitur, templo pulcherrimo latus vnum claudente, vt cum superbissimis totius Belgiæ Collegijs contendere videatur. Hic tu alumnis tuis Benedictinis, in florenti illa Academia sedem Musis accommodatam esse voluisti. Hìc quoque, quod tuam illustret magnificentiam atque pietatem, locum plurimis Anglo-Benedictinis, pro fide exulantibus; quo habeant vbi in optimis litteris, & religiosa disciplina exilij sui tempus collocent. At meritò ingratus videri possem, si tuum tacerem Atrebatense collegium Parisijs, haud multos ante annos totum à te reædificatum; vbi nostrorum sacerdotum aliquot, patria ob fidem eandem, Catholicam, Apostolicam, Romanam extorres, ita quiescere voluisti, vt legendo, conferendo, atque scribendo, Christi Ecclesiæ causam contra sectarios, quantum in nobis situm est, defenderemus. Vbi cùm tuo singulari beneficio, aliquot iam manserimus annos, æquum certè videtur, fructum ex tuis hospitibus aliquem tandem perciperes. Et maiorem quidem nullum, nec gratiorem fortassis vllum reddere possemus, quam libri, melioris notæ, nomini vestro inscriptionem, nempè Præsuli, qui prædecessorum suorum monumenta restaurauerit, maiorum nostrorum reparatam famam, conser-

uatam memoriam. Accipiat igitur obſecramus Amplitudo veſtra in grati animi ſignificationem, munuſculum hoc à longo iam tempore debitum: certoque ſibi perſuadeat, inter cæteros, quos habet plurimos, ſibique maximè deuinctos, exiſtere nullos, qui Reuerendiſsimæ D. V. maiorem honorem, aut meliorem cum præſentis, tum futuræ vitæ ſtatum exoptent, quam qui ſedemus hic Pariſiјs, in veſtro Atrebatenſe Collegio Sacerdotes Angli. Inter quos ego, cui noſtri hoc opus reuiſendi & edendi prouinciam demandarunt, ero ſemper

Ampliſsimæ & Reuerendiſ. Dominationis veſtræ

Seruus humillimus & obſequentiſſimus

GVILIELMVS BISHOPVS.

EX DVABVS REVERENDI *Domini Pitsei litteris excerpta.*

Admodum Reuerendo Domino D. Guilielmo Bishopo S. Theologiæ Doctori in Collegio Atrebatensi, Parisijs.



VLTA certè me hactenus impediuerunt, magno meo dolore, ne Lutetiam ad vos inuisendos venirem. Desidero enim vos videre, non ob mutuam consolationem solummodò; sed vt de Religione Catholica in Anglia promouenda vnà conferamus. Sed profectò admiror noua impedimenta quæ mihi de illo itinere cogitanti ex insperato occurrunt, adeo vt de illo iam dubitare incipiam. Interea vos rogo vt me precum vestrarum deuotarum participem faciatis, & si me in re aliqua vestro dignum cœtu iudicatis, illam mihi gratiam præstate obsecro, vt in Collegarum vestrorum Album me cooptetis. Et quamuis loco à vobis sim longè dissitus, amore tamen & labore ero coniunctissimus, & præclaris vestris occupationibus quantum in me situm fuerit, semper adero. Liuerduni 23. Septembris anno 1615.

Vester, IOANNES PITSEVS.

Postquam verò illi de admissione sua significatum fuerat, hæc rescripsit.



VMMAS vobis refero gratias de honore illo quem mihi exhibuistis quando me in Collegarum vestrorum numerum admisistis: me illo indignum fuisse agnosco, nec enim satis idoneus sum qui vobiscum in sacro illo opere laborem; eò quod senectutem & eius comitem imbecillitatem, in me irrepere sentiam. Aspiret Deus inceptis vestris vtilissimis, ad sui nominis gloriam, ad Ecclesiæ suæ vtilitatem, & ad hostium suorum confusionem. Liuerduni 6. Februarij 1616.

Vester, IOANNES PITSEVS.

16

APPROBATIO.

NOs infra scripti Sacræ Theologiæ Facultatis Parisiensis Doctores testamur librum inscriptum, DE ILLVSTRIBVS ANGLIÆ SCRIPTORIBVS A VIRO VENERABILI D. IOANNE PITSEO ANGLO SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORE CONCINNATVM, nihil cõtinere, aut Fidei Catholicæ, aut bonis moribus contrarium; sed multa de multis, quæ ad eandem Fidem & pietatem conseruandam, atque augendam non parum conferunt. Quapropter in lucem publicam exire posse arbitramur magna cum legentium vtilitate.

GVILIELMVS BISHOPVS. I. MVLOT.

SVMMA PRIVILEGII.

LVDOVICI XIII. Franciæ & Nauarræ Regis Christianissimi diplomate cautum est, ne quis in suo regno, alijsue locis suæ ditioni subiectis, intra proximos annos sex à die impressionis perfectæ prima inchoandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouismodo ac ratione curet librum, qui inscribitur, De Illustribus Angliæ Scriptoribus à viro Venerabili D. Ioanne Pitseo Anglo sacræ Theologiæ Doctore concinnatum, præter ROLINVM THEODERICVM & SEBASTIANVM CRAMOISY Bibliopolas Parisienses, aut illos quibus ipsi concesserint, sub pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Lutetiæ Parisiorum 13. Nouembris 1618.

De Mandato Regis.

RENOVARD.



PROOEMIVM.



QVANTAS vires habeat amor ille naturalis, qui vnicuique erga patriam, parentes, & amicos insitus est, nemo non experitur. Nam neque sæculorum retrò actorum senio, neque locorum vel maxima distantia, neque personarum diuturna absentia, neque negotiorum quantacumque varietate impediri potest aut diminui. Hoc si numquam in libris legissem, si ab alijs asseueratum numquam audiuissem, crederem tamen, quoniam in me ita esse semper expertus sum, & ex me alios metiri soleo, maximè in ijs quæ natura impressit cuique. Homines enim ab humanis affectibus alieni esse non possumus. Hinc est quod licet propter præsentis temporis iniquitatem, maiorem vitæ meæ partem in exteris regionibus exul egerim, non possim tamen obliuisci patriæ in qua natus sum, parentum & maiorum à quibus procreatus sum, & eorum omnium quorum rerum gestarum gloria semper futura est omni posteritati virtutis calcar & incitamentum. Itaque ad hoc, quicquid id operis est, quod molior, me quidem (non diffiteor) non nihil allexit ipsius historiæ naturalis quædam iucunditas, inuitauit etiam multiplex vtilitas, quæ accedente amore, quem dixi, patriæ, effecerunt, vt in hoc negotio, ingentes sustinuerim patienter labores, & penè infinitas deuorauerim molestias, *Studio fallente laborem*. Nam amor patriæ fecit vt voluerem historias, historiarum iucunditas, & coniuncta vtilitas me sedulum reddiderunt, sedulitas effecit vt sine sensu laboris laborarem. *Nam non sentitur sedulitate labor*. Itaque benè mecum actum existimabam, quod explerem amorem patriæ honesto, iucundo, vtili exercitio, nullo penè laboris sensu. Tandem mirabar factum esse, quod vix vnquam sperabam fieri posse.

Porrò magnam in historijs tum legendis, tum scribendis percipi voluptatem, vel ex eo manifestum euadit, quòd historia ferè nihil aliud sit quàm rerum ante se gestarum narratio. Omnis autem præteritorum vsque adeò iucunda est recordatio, vt etiam meminisse dulce sit, quod fuit durum pati. Itaque præteritorum cognoscendi desiderium homini naturaliter insitum, expletur quodammodo historia, quæ posteris antiquitatem sola repræsentat, & hoc pacto quadam intima voluptate animum perfundit. Adde quod ex historiæ singulis vtilitatibus singulæ percipiantur voluptates. Inter cæteras autem vtilitates historiæ sunt veritatis inuestigatio, monimentorum antiquitatis conseruatio, exemplorum bonorum, vt imiteris, malorum vt declines, narratio; denique

omnium eorum, quæ ad vitam ſecundùm exactam virtutis normam rectè inſtituendam conducunt documenta & incitamenta.

Ex hiſtorijs acquiritur illa magna prudentiæ virtus, quam Ariſtoteles libro ſexto Ethicorum capite quinto definit, habitum cum vera ratione coniunctum ad agendum idoneum, & in ijs occupatum, quæ homini bona ſunt vel mala.

Sanctus Auguſtinus libro primo de libero arbitrio dicit, prudentiam eſſe appetendarum vel fugiendarum ſcientiam. Marcus Tullius Cicero in primo libro officiorum eum ſolum prudentem aſſerit, qui conſequentia cernit, principia & cauſas rerum videt, earúmque progreſſus & quaſi acceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, & rebus præſentibus adjungit atque annectit futuras. Quæ omnia maximè quadrant hiſtoriarum peritis. Hiſtoria namque nullis circumſcribitur locorum terminis, nullius ætatis concluditur cancellis, nullis rerum arctatur anguſtijs, nullis perſonarum aſtringitur finibus. Sed per omnia vagatur, & omnium gentium, omnium ætatum res geſtas ob oculos tanquam in ſpeculo contemplandas proponit. Hæc ſuis præceptis & exemplis quæ expetenda, quæ fugienda ſunt docet, bonorum præmia, malorum pænas paſſim oſtendit. Hæc adminiſtrandæ reipublicæ normam demonſtrat. Hæc conſecrandæ militaris diſciplinæ viam & modum tradit. Hæc malorum ſeu priuatorum ſeu publicorum cauſas explicat. Hæc prudentium, ducum atque magiſtratuum in concilianda ſubditorum beneuolentia induſtriam, in ſedandis tumultibus ſolertiam, in hoſte profligando ſtratagemata, in dirigendis negotijs prouida conſilia, rerum etiam ipſarum euentus ita ad viuum exprimit, vt ne Apelles quidem effigiem aliquam viuaciùs in tabella depinxerit. Hæc te docet vt periculum facias ex alieno malo, & in tuto diſcas quod tibi ſit ex vſu ad tuum bonum. Vnde Diodorus Siculus in hiſtoriæ ſuæ procœmio, ex eo nos hiſtoriographis plurimum debere affirmat, quòd oſtendunt citra periculum legentibus, præteritorum exemplis, quid nobis appetendum ſit, quidve fugiendum. Et poſt pauca: *Cognitio verò ex aliorum tum ſecundis tum aduerſis rebus percepta, doctrinam habet omnium periculorum expertem.* Et infrà: *Pulcrum eſt enim ex aliorum erratis in melius inſtituere vitam noſtram, & non quid egerint alij quærere, ſed quid optimè actum ſit, nobis proponere ad imitandum. Etenim ſeniorum conſilia, quos longa ætas prudentiores effecit, magis laudantur à cunctis iunioribus. At hos tantò antecellit hiſtoria, quantò plura exempla rerum complectitur diuturnitas temporis, quàm ætas hominis. Itaque ad vitæ inſtitutionem vtiliſsima hiſtoria cenſenda eſt, tum iunioribus, quos lectio diuerſarum rerum antiquioribus æquat prudentia: tum verò ætate maturis, quibus diuturna vita rerum experimenta ſubminiſtrauit. Adde quòd priuatos viros imperio dignos effecit, imperatores ob immortalem gloriam ad præclara facinora impellit, milites propter laudem, quæ mortuos ſequitur, promptiores efficit ad pericula pro patria ſubeunda, improbos timore infamiæ à malis facinoribus deterret.* Hæc ille & alia multa ibidem de laudibus hiſtoriæ ſcribit.

Tullius eos omnes pueros cenſere videtur, qui non norunt hiſtorias. *Nihil*, inquit, *earum rerum ſcire, quæ antequam naſcereris, factæ ſunt, hoc eſt ſemper eſſe puerum*. Alluſit forſan, more tamen ſuo ſubticendo auctorem, ad illud Platonis in Timæo, vbi quendam Ægyptium introducit conquerentem Græcos veteres nulla antiquitatum cognitione excultos, nullam præteritarum rerum memoriam conſeruare ſolitos. Sic inquiens: ὦ Σόλων Ἕλληνες ἀεὶ παῖδες ἐστὲ, γέρων δὲ Ἕλλην οὐκ ἔστιν. Et hæc opinor antiquorum Græcorum negligentia in cauſa fuit quòd poſteriores Græci vani & glorioſi, ne nullas antiquitates habuiſſe viderentur, excogitarunt commenta, fabulas, nugas, *Et quicquid Græcia mendax audet in hiſtoria.* Et hinc Plinius ſcribit primùm apud Græcos nugari deſijſſe Diodorum Siculum, qui, vt ipſe de ſe teſtatur in hiſtoriæ proœmio, triginta annos in hiſtoria ſua compilanda poſuit.

Itaque maiorum noſtrorum res geſtas, mores, exempla, conſilia, fortunas ſimul in hiſtoria, quaſi vno intuitu contemplari licet, illudque exiguo temporis momento legendo conſequi conceditur, vt non modò non ſemper manere, ſed etiam ab orbis exordio vixiſſe, & ipſis præteritis tum rebus, tum ſæculis ſemper interfuiſſe quodammodo videaris. Vt enim pueri propter imbecillitatem iudicij bonum à malo diſcernere non poſſunt, nec quid fugiendum, quid petendum ſit intelligunt: ſic qui antiquiora ſeſe non cognoſcunt, nec quid in præſentibus faciendum ſit, colligunt ex præteritis, nec ſatis perſpiciunt quid conſequetur in futuris, nec facilè quid priuatæ familiæ, quid publicis negotijs conducibile ſit intelligunt.

Ariſtoteles Rhetoricorum capite quinto auctor fuit Alexandro magno diſcipulo ſuo, vt aſſiduo labore res geſtas antiquorum peruolueret, annales maiorum diſcuteret, exempla meliora colligeret, quoniam acta præterita dant certa documenta quomodo agendum ſit in præſentibus, & quid conſultandum, quid proſpiciendum de futuris. Nec parui fecit hoc præceptoris ſui conſilium Alexander, nam præter hiſtoricos quos quotidiè voluere conſueuerat, ferunt eum ne dormientem quidem pati ſolitum vt Ilias Homeri à ſe ſepararetur. Scribit etiam Plutarchus in Alexandro, quod cum victor in Aſiam eo vſque progreſſus eſſet, vt libros amplius non inueniret, non contentus Homeri Iliade, ex Græcia ſibi afferri curauit hiſtorias Philiſti, & alios quoſdam libros, potiſſimùm hiſtoricos.

Iulius Cæſar ferè quotidianus erat in hiſtorijs legendis & ſcribendis. Tantaque elegantia ſcripſit, teſte Plutarcho in eius vita, vt nemo poſterorum ad ampliandas eius hiſtorias auſus ſit manum admouere.

Brutus vir cordatiſſimus ſemper hiſtoriam Polibij triuiſſe dicitur, atque in ipſo ardore belli ciuilis, & in ipſis Pompeij caſtris inſtante iam pugna Pharſalica, eandem hiſtoriam in epitomen contraxit.

Lucullum rei militaris ignarum, Tullio teſte, lectio hiſtoriarum effecit magnum Imperatorem. Nam cum ad Mithridaticum bellum mitte-

rerũ à Senatu, lectione potissimùm historiarum tantus & talis euasit, vt Mithridates fateretur se ducem eo maiorem non legisse. Basilius Græcorum Imperator in libello ad filium Leonem futurum principem, quem libellum Latinè legi, sic commendat historiam: Historias veteres percurrere ne pigeat; ibi enim reperies sine labore, quæ alij cum labore collegerunt. Atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia; vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea conuersiones, huius mundi instabilitatem, & imperiorum præcipites casus: & vt verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia; quorum illa fugies, ne in diuinæ iustitiæ manus incidas; Hæc amplectêris, vt præmijs, quæ ea comitantur, potiaris. Denique Diodorus Siculus in præfato procemio, *Omnium*, inquit, *rerum quibus fœlicitas hominis paratur, laudem præcipuam causámque historiæ tribui decet. Est enim custos eorum quæ cum virtute acta sunt, testem se malefactis, beneficámque erga omne genus hominum præbens*. Et paulò pôst: *Virtutis facinora sunt immortalia, cum historiæ beneficium accessit*. Et pôst pauca: *Etenim cætera monimenta ad paruum tempus perdurant, varijs casibus disturbata: historiæ virtus per vniuersum orbem diffusa, ipsum, quod cætera consumit, tempus, custodem sui habet*. Hæc ille.

Sed dicet aliquis, quid ad Ecclesiasticum, quid ad Theologum attinet de historijs agere? Respondeat hic S. Augustinus in sua doctrina Christiana capite vicesimo octauo: *Quicquid de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur historia, plurimùm nos adiuuat ad sanctos libros intelligendos. Etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur: nam & per Olympiadas, & per Consulum nomina, multa sæpè quæruntur à nobis. Et ignorantia Consulatus quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coëgit errare*. Et infrà: *Ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Euangelio, liquidiùs certiúsque colligitur*. Item paulò pôst: *De vtilitate historiæ, vt omittam Græcos, quantam noster Ambrosius quæstionem soluit, calumniantibus Platonis lectoribus & dilectoribus: qui dicere ausi sunt, omnes Domini nostri Iesu Christi sententias, quas mirari & prædicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse, quoniam longè ante humanum aduentum Domini, Platonem fuisse negari non potest: nonne memoratus Episcopus considerata historia gentium, cum Platonem reperisset Hieremiæ Prophetæ temporibus profectum fuisse in Ægyptum, vbi tunc ille Propheta erat, probabilius esse ostendit, quod Plato potiùs nostris litteris per Hieremiam fuerit imbutus?* Hæc D. Augustinus. Et per se notum est scripturas sacras plurima de Gentilium regnis & rebus gestis permista passim habere, quæ Theologus sine historiarum præsidio dilucidè explicare nequaquam valebit. Denique Ecclesiasticæ historiæ notitia maximè conuenit Theologo. Quod ea quæ de laudibus historiæ scribuntur satis declarant. Nam cum Cicero in Oratore hoc elogium historiæ tribuat, quod sit *testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, & vetustatis nuncia*: non video quid indecori committat Theologus, si historias tractet. Quarum dignitas tot & tan-

tis titulis commendatur.

Plinius in epiſtolis ſuis ab hiſtoria tanquàm peſtem arcet omnem oſtentationem; ſimplicem rerum narrationem cum fide & veritate coniunctam mirè commendat. Fidem enim & veritatem, non modò tanquàm decus & ornamentum, ſed etiam tanquam animam quodammodò & vitam hiſtoriæ ponit.

Tullius libro ſecundo de Oratore, hiſtorico leges iſtas ſeruandas eſſe ſcribit; videlicet *ne quid falſi ſcribere audeat, ne quid veri non audeat, ne quam in ſcribendo ſuſpicionem gratiæ, ne quam ſimultatis oſtendat.* Quid quæſo hac modeſtia grauius? quid his legibus ſanctius? quid hac ſynceritate candidius? quid hac tota dignitate ſublimius? Itaque cognoſcere res geſtas maiorum, & veterum exemplorum notitiam illam habere, quæ non niſi ex hiſtorijs colligitur, decorum, laudabile, iucundum, & perutile eſt.

Ego verò hoc opus, hoc onus tanquam ex officio & quadam obligatione mihi ſuſcipiendum exiſtimaui, ne viderer in Deum & Eccleſiam impius; in patriam, maiores, amicos, & benefactores ingratus. Nam vbi ſe offert occaſio, Deum & Eccleſiam non honorare, intolerabilis eſt impietatis. Eos etiam à quibus beneficia varia acceperis, non colere, non minoris eſt ingratitudinis. Ego igitur vt vtramque maculam à me remoueam, ea ſaltem qua poſſum animi teſtificatione, purgabo me. Et ad Dei gloriam, Eccleſiæ ſplendorem, & patriæ honorem, eruam è tenebris, quanta poſſum fide & diligentia Doctorum inſulæ noſtræ ſcripta, ſeriem etiam Epiſcoporum totius gentis contexam, & venerandam eorum antiquitatem, temporis diuturnitate nonnihil obfuſcatam, ab obſcuritate, quantum in me erit, vindicabo. Apoſtolicos etiam Anglicæ nationis viros cum gentibus quas conuerterunt, & alijs eorum præclaris geſtis in luce ponam, & ob oculos eorum, qui intueri volunt, conſtituam. Regum denique nomina & res geſtas, ſi vita comes fuerit, commemorabo. Et hi ſunt de quibus agere decreui. Hi ſunt quos parentum, patronorum, magiſtrorum loco ſemper habui, ſemper habendos eſſe iudicaui. Doctores, Præſules, Reges, corporum & animarum noſtrarum parentes, paſtores, rectores. Quod ſi lapſus in indaganda veritate, maximè circa annorum & temporum computum, nonnumquam aberrauero à veritate, id mihi vitio vertere non debet candidus lector, ſed potiùs excuſare, quam accuſare, vel errorem aggrauare. Nam errare humanum eſt, & ſi nihil in lucem prodiret, niſi quod exactum, perfectum, & omnibus ſuis numeris abſolutum eſſet, prodiret certè omninò nihil. Adde quod meis erroribus ignoſci facilè poſſit & debeat, quod nec de rebus noſtris cum noſtratibus conferendi ſit mihi frequens oportunitas, quia cum externis exul viuo, nec priuatas & domeſticas Epiſcopatuum, Eccleſiarum, Academiarum, vrbium hiſtorias conſulere mihi permittitur, qui patriam meam iam à triginta & ampliùs annis, ne ad triginta quidem dies vidi. Nec denique ſunt mihi ij

libri quos cupio & præstò esse oporteret, vt nihil dicam de defectu aliorum adiumentorum, quæ ad scripta mea examinanda, & perpolienda essent necessaria, vel certè perutilia. Sed has omnes difficultates, *vicit amor patriæ ratione valentior omni.*

Nec improperet mihi quisquam me parum aut nihil præstitisse, aliena tantum coaceruasse, vix aliquid de meo adiecisse. Nam certè magno labore quæ sparsim apud diuersos auctores habentur, simul collegi & in ordinem redegi, vt quilibet ex lectione vtilitatem, quam superiùs posui multiplicem, multò faciliùs percipere possit. Quid enim? an tibi parum vtilitatis in eo situm esse videtur, vt attentè legamus, accuratè perpendamus, & diligenter imitemur, vel alios ad imitandum prouocemus industriam, labores, vigilias Doctorum & Apostolicorum virorum, qui omnes ingenij sui neruos, per maximam vitæ suæ partem intenderunt, vt Dei verbum explicarent, populum docerent, gentiles conuerterent, errores refellerent, veritatem tuerentur, Ecclesiam Catholicam Christi sponsam integram, illæsam, inuiolatam ab hæreticis & hæresibus defenderent & custodirent? an res exigui tibi videtur momenti, contemplari patientiam, humilitatem, temperantiam, castitatem, curam, sollicitudinem, eleemosynas, liberalitatem sanctissimorum Præsulum? fortitudinem, iustitiam, prudentiam maximorum Regum?

Nam si Doctores & Apostolicos viros, siue Brytonum antiquissimos, siue Anglorum recentiores consideremus, subministrauit insula nostra Ecclesiæ Dei plurimos cum maximis Europæ viris meritò conferendos, quosdam etiam suis sæculis alijs nationibus anteferendos. Nam post illatum Brytanniæ lætum Euangelij nuncium per Apostolos aut Discipulos Christi, tanto zelo, tam insigni diligentia progressi sunt primatiuæ Brytonum Ecclesiæ Doctores, vt ante annum Christi nati 180. Lucius Brytanniæ Rex ex suis quosdam Romam ad Eleutherium Papam miserit, petens vt ad fidem Christi recipiendam posset admitti, & sacris Christianis sibi liceret imbui. Non multo igitur post tempore, accepto optato responso, Christo nomen dedit, & vniuersum regnum suum, omnium sub cælo primum, Christianum fecerit. Floruitque immaculata Brytonum fides vsque ad annum Christi nati circiter 350. Posteà Maximus tyrannus inuasit regnum, & Pelagius apostata Monachus conatus est corrumpere fidem. Brytones Pelagium in exilium eiecerunt, eiusque doctrinæ inter alios restiterunt Restitutus Archiepiscopus Londinensis, & Kebius Corinius Episcopus Mannensis. Qui quoniam in Brytannia res turbatæ fuerunt, in Galliam ad sanctum Hilarium Pictauiensem Episcopum, & deinde ad Concilium Arelatense secundum super his & alijs fidei negotijs sese contulerunt. Quamuis Kebium in eo Concilio nominatum non inuenio. Sopita autem vtcumque hæresi Pelagiana, plures Brytonum Doctores zelo fidei pleni cæperunt vicinos conuertere. Sanctus enim Ninianus, quem Beda Nynam vocat, primus extitit circa annum Domini 400.

Australium Scotorum & Pictorum Apostolus. Nec multo post tempore sub auspicijs Cælestini Papæ primi sanctus Patricius etiam Bryto Christum primus annunciauit Septentrionalibus Scotis & Hibernis. Posteà Brytonum fidem contaminauit error Quartadecimanorum maximè circa celebrationem Paschalis, quæ labes ab Hibernis & Scotis ad Brytones etiam peruenit, vt ex historia Bedæ libro secundo capite decimo nono, & libro tertio capite quarto colligi potest. Error autem iste mansit inter Brytones vsque ad conuersionem Anglorum, & numquam plenè refutatus est & conuictus, nisi ab Egberto doctissimo Monacho Anglo, & à Vvilfrido etiam Anglo & Archiepiscopo Eboracensi in solemni disputatione habita contra Colmannum Scotum, vt auctor est Beda libro tertio historiæ capite quarto & vicesimo quinto.

Nunc igitur ad Anglos veniamus, qui in Brytanniam Pagani venerunt post annum Christi nati 400, Christiani fieri cœperunt circa annum Domini 600, & circa annum 700, insignibus Doctoribus floruerunt. Adeò vt illa ætate facilè nationes omnes superauerint Angli eruditione, pietate, religione, zelo. Cum itaque abolito penitus Paganismo, sublatisque omnibus erroribus, fides Christiana, omnisque solida doctrina inter eos mirè vigeret, cogitare cæperunt de vicinis adiuuandis, & imprimis de vastissimis Germaniæ prouincijs ab idololatria ad Christum Deum verum conuertendis. Hunc igitur in finem missi sunt in illas regiones Angli multi doctissimi perinde ac sanctissimi, qui spatio centum circiter annorũ totam ferè Germaniam conuerterunt, Monasteria plurima fundauerunt, Episcopales cathedras erexerunt, iubentibus summis Pontificibus, ipsi primi Archiepiscopi & Episcopi in suis nouis cathedris sederunt, Maguntiæ S. Bonifacius; Vltratraiecti S. Vvillibrordus; Eichstadij S. Vvinibaldus; Herbipoli S. Burchardus; & alij in alijs ciuitatibus. Ex illis autem Apostolicis viris multi in hac causa à Paganis occisi martyrij palmam acceperunt.

Intereà noster Alcuinus missus in Galliam ad Cæsarem Carolum Magnum, factus est eius deliciosus præceptor, & auctor discipulo fuit, vt Academias erigeret, in Gallia Parisiensem, in Italia Ticinensem, seu Pauiensem ad Ticinum flumen. Vt quodammodò dicere possimus *quæ regio in terris nostri non plena laboris?* Sed nimia materiæ copia, nimium me coëgit excurrere. Vnum tamen adiungam, quod in Theologia Scholastica seu disceptiua nationibus omnibus nostrates palmam præripuerint. Nam plures habuimus Doctores Anglos qui commentarios in Petrum Lumbardum ediderunt, quàm reliqua Europa producere possit. Ita vt Alexander Minutianus in Epistola quadam scripserit, ex Anglia primùm, deinde ex Parisijs subtiliorem omnem tum Philosophiam, tum etiam Theologiam manasse.

Sed iam de nostris Episcopis agamus & de omni disciplina Ecclesiastica quæ nullibi fuit accuratiùs ordinata, nullibi seueriùs obseruata, quàm in Anglia nostra. Legi penè semper cum admiratione veterum

Episcoporũ nostrorũ, imò & multorum recentiorũ ante ruinã & exterminiũ Religionis Catholicæ, stupendam humilitatem, patientiam, temperantiam, castitatem, sollicitudinẽ pastoralem, eleemosynas, liberalitatem, in docendo labores, in remunerandis virtutibus largitatem, in castigandis vitijs seueritatem, in omnibus grauitatem, constantiam, auctoritatem, pietatem denique & sanctitatem. Fuerunt vtique solliciti custodes & obseruatores illius depositi, quod primus Anglorum Apostolus sanctus Augustinus ex mandato S. Gregorij Papæ primi, apud eos reliquerat. Nam cum idem Augustinus præfato Gregorio scriberet in hæc verba: *Cùm vna sit fides, sunt Ecclesiarum diuersæ consuetudines, & altera consuetudo Missarum in sancta Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum tenetur. Responsio Gregorij Papæ. Nouit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua sememinit nutritam. Sed mihi placet siue in Romana, siue in Galliarum, seu in qualibet Ecclesia aliquid inuenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc ad fidem noua est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesijs colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesijs, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.* Sic Beda libro primo historiæ capite vicesimo octauo.

De regibus nostris nec nihil dicam nec omnia. Prima & vltima regum series, hoc est Brytonum & Normannorum fuit quidem religiosa, sed magis bellicosa. Quæ interiecta in medio tanquam virtus constitit, fuit Anglorum. Quorum siue Heptarchiam spectes post susceptam Christi fidem, siue Monarchiam, plures reges sanctos dedit quàm aliud quodcumque Europæ regnum. Quibus etiam nec in bellis defuit fortitudo militaris, nec in administranda republica prudentia ciuilis. Nam licet eorum aliqui à Danis, Noruegis, & alijs barbaris, grauiter aliquando fuerint vexati, alij tamen insignibus partis victorijs, de barbaris illis fœliciter triumpharunt. Vnus certè rex Edgarus (ille qui lupos ex insula fecit exterminari) reges Scotiæ, Noruegiæ, & alios tributarios habuit & vassallos. Et quodam tempore ad ostendandam vel ostentandã regalem in ipsos reges potentiam remigantibus solis regibus, ipse in puppi, tanquam in throno sedens, clauum tenuit, & per Deuam fluuium solemni pompa, nauigio regali delatus est.

Similibus laudibus Brytonum reges fraudare non debeo. Rex enim Cassibilannus cum suis Brytonibus Iulium Cæsarem cum exercitu Romano fugauit, tanta Romanorum facta strage, vt ipse Cæsar ægrè manus eorum effugerit, & in Galliam, vndè venerat, profligatus redierit. De quo sic scribit Lucanus: *Territa quæsitis ostendit terga Brytannis.* Acta sunt hæc anno circiter quinquagesimo ante Christum natum. Post trecentos autem annos Brytones coactis magnis copijs in Galliam irruperunt, eamque Galliæ partem, quæ vsque hodie ab eorum posteris incolitur, & ab ijs Brytannia minor vocatur, bellica virtute

tute occupauerunt, nec à Gallis vnquàm expelli potuerunt.

Reges denique Angli, qui ex Normannica stirpe venerunt, quid non fecerunt in Hibernia, Scotia, Gallia? certè suam Angliam semper tuiti sunt incolumem, Hiberniam, Scotiam, Galliam permensi victorijs penetrauerunt. Vnus Eduardus tertius Angliæ rex nouies, terrestri prælio, semel nauali cum Gallis congressus semper victoriam, nunquam victus, reportauit. Denique regem Galliæ Ioannem cum Gallia, & regem Scotiæ Dauidem cum Scotia captiuos simul tenuit. Atque hæc fuit Angliæ nostræ antiqua gloria, vetus splendor, prisca maiestas. Quæ declinare cæpit ortis ciuilibus dissidijs, inter familias Eboracensem & Lancastrensem, quibus in exitiale bellum erumpentibus, cecidit res Anglicana. Nam Henricus sextus Londini coronatus in Anglia, Parisijs etiam in Gallia, postquam annis triginta & octo regnasset, de regno cum Eboracensi familia decertare debuit, & anno Domini 1461. apud Touton commisso & amisso prælio regnum etiam amisit. Filius etiam eius Eduardus, in Teuxberiensi prælio trucidatus est. Victor Eduardus quartus viginti tres annos regnauit, & mortuus est relictis duobus filijs paruulis, cōstituitque Richardum fratrem pupillorum tutorem, & regni protectorem, qui se vtrorumque præstitit proditorem: Nā nepotes crudeliter è medio tolli curauit, & regnū per scelus inuasit. Tum Henricus Lancastrensis familiæ strenuus princeps in eum insurrexit, & ineunte tertio regni sui anno cum eo prælium commisit, in quo Richardus cecidit, & Henricus successit. Qui post viginti tres annos moriens Henricum octauum, mortuo primogenito filio Arthuro, habuit hæredem, qui fidem perdidit, & in generatione vnà deletum est nomen eius, & regnum ad lineam Scoticam transiuit. Quæ progenies, quæ nunc quasi noua recenter incepit, quid dabit, tempus docebit, posteritas videbit.

Prædictis freti ciuilibus turbis insurrexerunt in Anglos Hiberni, excusserunt iugum Scoti, & Galli duce muliercula, Anglos partim non resistentes vicerunt, partim absentes suis finibus expulerunt & exclu-serunt. Ecce quid loquor? & quid non loquor? quàm liberè, quàm ingenuè fateor, quæ tum ad laudem, tum ad vituperium gentis meæ faciunt, vt verax inueniar? hæc est enim historiæ lex, vt ne quid falsi scribere audeas, nequid veri non audeas. Ne quam in scribendo suspicionem gratiæ, ne quam simultatis ostendas. Certo sciat lector quòd in gratiam patriæ libenter silerem has deplorandas regum strages, sed non silent alij, resque ipsæ à me extorquent veritatem. Lex enim historiæ prohibet in scribendo gratiam, & exigit simplicem rerum, vti gestæ sunt, narrationem. Importunus ille qui perhibetur in Euangelio nocte intempesta intempestiuè petijsse tres panes, propter improbitatem exauditus, amicum compulit, vt quotquot peteret, daret. Simile mihi contingere videtur in editione historiarum nostræ gentis, quas in lucem Deo propitio, emittere constitui. Nam ex aliquot tomis, quos

hoc circiter decennio meditatus sum, hunc, quem sanè non primum edere decreueram, quidam amici importunè petunt, vt primum edam, & penè incessanter vrgent, vt hos tres panes, videlicet de Academijs, de illustribus Angliæ Scriptoribus catalogum, & de ijsdem appendicem, quasi media nocte, in tenebras dicam? an in lucem? emittam. Quos profectò nondum coctos *dum torrere paro flammis, & frangere saxo*, quasi per ὕστερον πρότερον fœtus obortiuos extrudere debeo, ne videar amicorum petitionibus non facere satis.

Excusant etiam importunitatem, dictitantes se optima cum ratione agere. Imprimis si nunc morte præueniar, omnia mea scripta mecum moritura. Vix inueniri qui legere valeat, nec forsan qui prolem posthumam emittere volet.

Præterea hoc opere, inquit quidam, morioni laruam detraham, morionem intelligit Ioannem Balæum Anglum apostatam Monachum, in scriptis spurcum & scurrilem, qui hoc argumentum tractauit dicam? an fœdauit?

Persuadent mihi denique nonnulli, perdifficile fore, illa, quæ in opere meo imperfecta esse conqueror, à me meo marte perfici posse, dum in priuato musæo latitant, *Membranis intus positis.* Sese, si semel prodierint, manus adiutrices porrecturos, & multa adijcienda inuestigaturos, quæ secundam editionem reddant multò locupletiorem.

Itaque rogantibus & persuadentibus amicis, facio, quod alioquin facere erubescerem, conscius mihi tam mutili operis. Non exiguam quidem huius lucubrationis partem ex alijs auctoribus, quos plurimos peruolui, desumpsi. Præsertim ex Ioanne Lelando nostrate, qui multa diligenter hoc in genere indagauit, & suo sæculo cum accuratioribus quibusque antiquarijs de palma contendere meritò potuit. Ex cuius tamen operibus pauca Latinè, plura Anglicè vidi & perlegi. Hunc plerumque in pluribus imitatus sum, & tanquā viæ meæ ducem elegi.

Sed non tam presse vestigia quæque secutus,
Quin sit in inuentis plusvè minusvè meis.

Nam aliquando compendio quædam colligo, quæ ille fusiùs dilatat. Econtra nonnumquam dilato, quæ ille compendiosè perstrinxit. Subterfugerant etiam illum multa, quæ ego inuestigando inueni. Et quod maximum est, eo mortuo iam ante annos circiter sexaginta, multa interciderant digna posteritatis memoria, quæ ego à tenebris & vmbra mortis suscitaui, & huius lucis vsura donaui.

Decerpsi etiam non pauca ex Ioanne Trithemio de illustribus scriptoribus ordinis S. Benedicti, item ex Arnoldo Vion, & ex Bibliotheca Sixti Senensis. Theodorus etiam Petreius scriptores nonnullos ordinis Carthusiani mihi suppeditauit. Accepi etiam ex Iosepho Pamphilo de doctis viris ordinis S. Augustini scriptores aliquos, ex Petro Lucio Carmelitanos, ex Antonio Senensi Dominicanos, ex Leandro Alberto Bononiensi & ex Henrico Vvillotto Franciscanos, denique

ex Petro Ribadeneira ſcriptores nonnullos Societatis Ieſu, ex eiuſmodi etiam alijs plurimis ſcriptoribus, quæ ad rem meam pertinent, delibaui,& huic operi meo inſerui. Similes etiam plures auctores, vbi reperero, perlegam. Nunc autem amicorum importunis petitionibus potius ſatisfaciendum, quàm editionem hanc vlteriùs differendam iudicaui.

DE ANTIQVITATE ECCLESIÆ BRYTANNICÆ.

Quandò & quibus Doctoribus Brytanni primùm Chriſti fidem didicerint?

SANCTVS Propheta Iſaias ſub finem ſuæ Prophetiæ in perſona Chriſti, vt videtur, loquens,hæc habet verba: *Et mittam ex ijs qui ſaluati fuerint, ad gentes in mari, in Affricam & Lidiam tenentes ſagittam: in Italiam & Græciam,ad inſulas longè, & ad eos qui non audierunt de me.* Hæc ſanè impleta videntur, quando Apoſtoli poſt Aſcenſionem Chriſti, accepto Hieroſolymis Spiritu ſancta, iuxta mandatum Domini Matthæi capite vltimo, euntes docebant omnes gentes, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Cum Apoſtolis etiam in idem opus Euangelij proficiſcebantur Diſcipuli Chriſti. Quis autem in Brytanniam noſtram miſſus, prima Chriſtianæ fidei fundamenta iecerit, mihi ſemper dubium fuit, & etiamnum eſt.

Ipſum S. Petrum Apoſtolorum principem principia fidei Brytannos docuiſſe, ſunt qui exiſtimant. Et ſaltem aliquando in inſula fuiſſe, & ibi Chriſtum prædicaſſe, teſtis eſt Simeon Metaphraſtes in vita S. Petri penultimo die Iunij: conſentit Baronius annalium tomo primo ad annum Chriſti quinquageſimum octauum.

Dorotheus Epiſcopus Tyri, vel quiſquis ille fuit, qui Synopſim Apoſtolorum ſcripſit, Simonem Zelotem occiſum & ſepultum in Brytannia refert, & Ariſtobulum S. Petri diſcipulum, cuius mentionem facit S. Paulus in Epiſtola ad Romanos capite vltimo, Brytannorum Epiſcopum fuiſſe teſtatur.

Theodoretus libro nono de curandis Græcorum affectionibus ſcribit D. Paulum, poſtquàm Romæ vinculis liberatus eſſet, Brytanniam prædicandi diuini verbi cauſa luſtraſſe. Eiuſdem eſt ſententiæ Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus in ſermone de natali Apoſtolorum. Idem etiam aſtruunt Venantij Fortunati verſus in libro ſecundo, in hæc verba:

Transijt Oceanum, vel qua facit insula portum,
Quasque Brytannus habet terras, quasque vltima Thule.

Denique ipse D. Paulus in Epistola secunda ad Timotheum capite quarto, tanquam Doctor Gentium, non veretur dicere, *Vt per me prædicatio impleatur, & audiant omnes Gentes.* Est etiam verisimillimũ, quòd Claudia nobilissima fæmina in Brytannia nata, in Italia maritata, & circa illa tempora Christiana facta, Romæ denique existens D. Paulo familiaris, & frequenter in Brytanniam mittens; occasionem Apostolo dedisse potuerit, vt ipse vsque in Brytanniã perrexerit. Quòd autẽ hæc Claudia fuerit Apostolo notissima, ex eo manifestum est, quòd ipse in calce secundæ ad Timotheum Epistolæ sic scribat: *Salutant te Eubulus & Pudens, & Linus, & Claudia, & omnes fratres.* Fratres autem tum vocabant omnes Christianos. Atque hæc omnia vel omnino vera, vel saltem valdè mihi videtur probabilia. Verùm quod ex prædictis aliquis omniũ primus fuerit insulæ nostræ Apostolus, certò non ausim affirmare. Imò sententiam his omnibus anteferendã existimo illam, quàm Polydorus Vergilius libro secundo Anglicanæ historiæ refert ex alijs, & imprimis ex Gilda antiquissimo historico Brytanno: quòd videlicet S. Iosephus ille quem S. Matthæus Euangelista ab Arimathæa ciuitate oriundum memorat, qui & Christum Dominum sepeliuit, primus fuerit, vel inter primos præcipuus, qui apud Brytannos Euangelij semen spargere cæperit. Is enim ex Palæstina S. Mariam Magdalenam comitatus venit in Galliam cum Philippo Apostolo, & alijs quibusdam discipulis. Vbi postquam Christum strenuè prædicassent, multosque sacris Christianis inchoassent, Philippus Iosephum prædictum cum duodecem selectis discipulis in Brytanniam à Gallia modico freto discretam destinauit anno Domini plus minus sexagesimo. Iosephus autem cum alijs, qui illi adiuncti fuerant, profectus, & se ad opus Euangelicum fortiter accinxit, & socios exhortationibus animauit. Aruiragus tum sub Romanis Brytanniæ Rex ad Christum quidem, vt aliqui volunt, minimè fuit eorum prædicatione conuersus. Sed vti erat vrbanus, intuitu modestiæ, mansuetudinis, aliarumque virtutum, quas in viris Dei deprehenderat, benignè illos excepit, libertatem prædicandi concessit, locumque ad commorandum petentibus donauit. Locus is erat horridus & incultus, spinis & dumis intrinsecùs obsitus, stagnis & paludibus extrinsecùs circumdatus. Ab incolis tum vocabatur *Insuuitrim*, item Glasconia, eratque in solitudine Aualoniæ, id est, Brytannicè insula pomorum, & distat ab oppido Vvellio seu fontibus, mille circiter passus 6. Hunc inquam locum concessit S. Iosepho Rex Aruiragus. Cuius exemplum secuti duo alij reguli singulis S. Iosephi socijs singulas, quas vocant, hidas terræ possidendas ibidem dederunt. vnde & adhuc locum duodecem hidarum nomen obtinere ferunt. In illa igitur insula monitu diuino Iosephus & socij Ecclesiam omnium in Brytannia primam Christo posuerunt, & Christiano ritu sacra peregerunt,

atque ibi ad reliquos vitæ dies Euangelium propagantes permanserunt. Et Iosephum quidem anno post Christū natum septuagesimo sexto ibi mortuum & sepultū tradunt. Reliquos similiter ibi suis temporibus defunctos. Post quorū obitus ferunt locum desertū & templum ad centū circiter annos desolatum, & penè derelictū fuisse. Stetisse tamen, & tandem Lucij regis tempore à Christianis denuò frequentatum, pristinum accepisse, vel potiùs auxisse splendorem. Ex quibus colligo S. Iosephum fuisse primum insulæ Brytannicæ Apostolum, ad quam sententiam tenendam me multum inducit prisca rei memoria, perpetuis traditionibus vsque ad apostasiam gentis nostræ semper diligenter conseruata.

Nam imprimis non dubito quin S. Iosephus, & socij dum essent in Britannia rerum suarum certiores vbique fecerint Christianos maximè Romæ, vbi proculdubiò ex primis & præcipuis semper aliqui residebant. Atque ita inter Christianos cōseruata est harum rerum memoria: vnde tradūt historici quod legati Eleutherij Papæ, Faganus & Deruianus Româ, venientes in Brytanniam post conuersū ad fidem cum omni suo populo regem Lucium, sollicitè quæsierint omnia illa. S. Iosephi & sociorum monimenta, de quibus, vel ex aliorum relatione audierant, vel ex epistolis & alijs antiquis scriptis legerant, nihil ex ijs, quæ ad Christianam rem spectabant in Brytannia, vetustius reputantes. Cum autem locum habitationis & templum S. Iosephi inuenissent, illic nouem annis mansisse perhibentur, vt accuratissimè omnes ibi antiquitates scrutarentur, & quicquid notatu dignum reperirent, scriptis mandarent, & fidelissimè posteritati traderent. Nec minor, conuersis ad Christi fidem Anglis, adhibita est in hoc negotio diligentia. Nam licet multi intercessissent anni, magnæque bellorum confusiones; & Angli Brytonibus expulsis paganismum in longè maiorem insulæ partem introduxissent, denique ad annos ferè centum fidem Christianam in omnibus suis ditionibus penitùs aboleuissent: tamen veniente in insulam S. Augustino, & Anglos paulatim conuertente, diligentissimè quæsitus, & tandem inuentus est præfatus locus, & ad perpetuam rei memoriam ædificatum est ibi successu temporis monasterium ordinis S. Benedicti, quod nominatum est Glasconiense, omniū quod vnquam vidit Anglia splendidissimum, opulentissimum, & viris doctrina atque sanctitate claris refertissimum. Quod stetit & floruit vsque ad abominationem desolationis in Angliam inductam per regem Hēricum octauū. Quinam autem fuerint S. Iosephi in hoc apud Brytones opere coadiutores & socij, nominatim numquam legi, & ex coniecturis tenuiter fundatis neminem nominare præsumam. Quo itaque tempore, quo primo prædicatore vel Doctore Brytanni Christi verbum audierint, hæc dicta sufficiant. Videamus iam quo tempore, quibus auctoribus tota insula fidem Christianam susceperit.

Quo tempore, quo modo tota insula Brytannica Christianam fidem susceperit?

QVidam igniculi prædicationis S. Iosephi adhuc post annos centũ ab eius obitu in Brytannia remãserunt. Nam anno post Christum natum 179. perueniente ad regnum Brytanniæ Lucio Pio, floruerunt ibi Doctores illustres Eluanus Aualonius, & Meduinus Belgius Brytanni. Qui perspecta singulari Lucij regis pietate, modestia, mansuetudine, tentauerunt eum paulatim ad Christi fidem perducere. Vnum hic obiter notandum, meo iudicio hallucinari, qui putant Lucium à Druidum superstitionibus ad Christi religionem transijsse. Idque ex illa occasione, quod tum primùm Romani Druidum sectam abolerent. Constat enim diu ante Lucium natum, Druidum cultum fuisse sublatum, imperante Cæsare Augusto, eiusque successore Tiberio. Quod alibi, scilicet in Druide satis manifestè probaui. Et sanè præter opinionis contrariæ falsitatem; non caret absurditate quod adijcitur, Lucium videlicet ex naturali quodam pietatis affectu, ad fidem Christi recurrisse, ne sublata Druidum secta, nullam inueniret professionem, in qua suam pietatem exercere posset. Nobis satis sit scire Lucium ex idololatra factũ esse Christianum. Nam à præfatis Doctoribus instructus in fide, & ad quem religionis fontem recurrẽdum esset, edoctus, eosdem suos Doctores Romam ad Eleutheriũ Papam destinauit oratores, vt auctoritate Apostolica & ipse, & omnis eius populus ad sacra Christiana possent admitti. Eleutherius summo cum gaudio postulatis acquieuit, dictosque regis legatos benignè tractatos, & liberaliter remuneratos, cum humanissimis ad regem literis remisit. Et Eluanum quidem, vt scribunt aliqui, consecrauit Episcopum. Meduinum autem constituit Brytonum Doctorem, illis etiam adiũxit itineris Brytannici comites ex Romano clero duos, Phaganum & Deruianum, viros pietate & doctrina insignes. His itaque in Brytanniã venientibus, & omnia ex Eleutherij Papæ præscripto disponentibus Lucius Rex ab illis sacro baptismate initiatus est, cuius exemplum non multo post tempore principes & proceres regni, & tandem omnis populus secuti, fidem Christi susceperunt. Acta sunt hæc circa annum Christi 180. sub Imperatoribus Marco Antonino Vero, & Aurelio Commodo fratre.

Brytonum itaque regnum omnium sub cœlo regnorum primum, factum est Christianum, totaque insula nostra ante omnes alias gentes, quod inter alios notauit Sabellicus, Christianã fidem integrè suscepit, & auctoritate publica liberè professa est. Denique regnũ Lucium Pium, Imperatorum Constantinum magnum (excepto forsitan duorum Philipporum, patris scilicet & filij septennio, omnium primos Christianos & auctoritate regali & imperiali Christianam fidem promulgantes no-

ſtros fuiſſe, & in noſtra Brytannia procreatos, natos, educatos optimo iure in Domino, tamquam de magna benedictionis prærogatiua, ſanctè gloriari poſſumus, & ad gloriam Dei debemus.

Atque huic Antiquitati Chriſtianæ Religionis in patria noſtra nemo hæreticorum, quod ſciam, contradicit. Antiquorum etiam Eccleſiæ Doctorum ſuffragantur non pauci, maximè Tertullianus & Origenes, qui temporibus Apoſtolorũ fuerunt vicini. Nam circa annum Chriſti ducenteſimum floruerunt. Tertullianus in libro contra Iudæos ſic ſcribit. *In quem alium vniuerſæ gentes crediderũt niſi in Chriſtum, qui iam venit? cui enim & aliæ gentes, Parthi Medi,&c. vt iam Getulorum varietates, Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, Galliarum diuerſæ nationes, & Brytannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto verò ſubdita.* Intelligit vtique Brytanniam totam Chriſto prius, quàm Romano Imperio ſubditam, & ante prædicationi Euangelicæ quàm Romanorum armis fuiſſe peruiam. Nam licet, vt ſuprà dictum eſt, Iulius Cæſar pluſquàm quinquaginta annis ante Chriſtum natum Brytanniam ingreſſus fuerit, alijque poſt eum Imperatores Romani fines ſuos ibi paulatim dilatauerint, inſula tamen tota iugum Romanorum numquàm ſuſcepit vſque ad poſtremos Seueri Afri annos, qui toto regno in Romanorum poteſtatem redacto, breui poſt tempore ibidem apud Eboracum mortuus & ſepultus eſt anno poſt Chriſtum natum, 216. At verò Tertullianus iam anteà ſcripſerat librum ſuum contra Iudæos, & aliquo certè tempore antequàm hæc ſcripſit, totam Brytanniam conuerſam fuiſſe oportuit.

His etiam aſtipulatur Origenes in caput quartum Ezechielis, aſſerens Brytanniam iam tum in religionem Chriſtianam conſenſiſſe. S. Athanaſius qui ſequente poſt hos ætate floruit, in apologia ſecunda contra Arianos loquens de Sardico Concilio, & de Epiſcopis qui eò conuenerant, ſic habet: *In magno Sardico Concilio noſtram innocentiam plures quàm trecenti Epiſcopi ſuis calculis comprobarunt: qui ex multis prouincijs Aegypti, Libiæ, Pentapoleos, &c. Hiſpaniarum, Galliarum, Brytanniarum eò ſe ad Concilium contulerant.* Item apud Nicephorum Calixtum in Eccleſiaſtica hiſtoria libro decimo capite quadrageſimo ſecundo extat eiuſdem Athanaſij epiſtola ad Iouinianum Imperatorem, in qua ſic ſcribit: *Illud ſcito, Chriſtianiſſime Auguſte, à ſæculo hanc prædicatam eſſe fidem, & hanc ipſam profeſſos eſſe, qui Niceæ conuenere Patres, ac etiamnum ſuffragijs ſuis eam comprobare omnes quæ paſſim ſunt Eccleſias, in Hiſpania, in Brytãnia, & Gallia, & Germania. Omnium enim earum quas recenſuimus, comperta nobis eſt ſententia, quod ab eis epiſtolas habeamus.*

Habemus præterea in primo tomo Conciliorum Concilium Arelatenſe ſecundum circa annum Domini 320. ſub Syluestro Papa primo, & Imperatore Conſtantino magno celebratum, cui interfuit, eiuſque decretis ſubſcripſit Reſtitutus Epiſcopus vel Archiepiſcopus Londinenſis.

Denique S. Ioannes Chryſoſtomus, qui proxima poſt Athanaſiũ æta-

te floruit, in operum suorum tomo quinto homelia seu demonstratione aduersus Gentiles, quòd Christus sit Deus, scribit suo iam tempore fuisse in Brytannia altaria Christo & Christianis sacris erecta. Verba in ea translatione quam legi sic habent: *Nam & Brytannicæ insulæ extra hoc mare sitæ, & quæ in ipso Oceano sunt, virtutem verbi senserunt (sunt enim etiam illic fundatæ Ecclesiæ, & erecta altaria)* Hæc ille.

Ex his omnibus manifestum euadit, saltem ab anno Christi ducentesimo totam Brytanniam Christum agnouisse, & non modò fidem Christianam ibi fuisse receptam, verumetiam Ecclesiam stabilitam omnibusque suis ordinibus distinctam, & ab Episcopis alijsque ministris Ecclesiasticis rectè administratam, canonicè gubernatam, ita vt eius splendor omnibus penè nationibus innotuerit.

Quanto tempore, quam magna cura & sollicitudine Brytanni, & post illos Angli fidem Christi sub Lucio Rege acceptam, integram conseruauerint.

Brytanni, vt nonnulli scribunt, non multo tempore post susceptam Christi fidem, quasdam acceperunt errorum maculas, existimo leues, quia quales fuerint, hactenùs inuenire non potui. Post annos autem à prima conuersione circiter quinquaginta, ceperunt Scotorum erroribus infici, quos plenè tandē imbiberunt multi. Alioquin protegente diuina gratia, & cooperante religiosissimorum Præsulum & Doctorum sanctitate, eruditione, prudentia, cura, & sollicitudine sine aliqua hæresi, vel alia graui molestia, fidem Christi sanctè susceptam, centum & triginta plus minùs annis, integram & inuiolatam tranquillè pacificéque conseruarunt, vsque ad illam Diocletiani decennem cum omni truculentia persecutionem, in qua protomartyr insulæ nostræ S. Albanus pro Christo moriendo, & nobilem victoriam in terris, & æternam gloriam in cœlis consecutus est. Passi sunt etiam in eadem persecutione Aaron & Iulius vrbis legionum ciues, & alij plurimi. Sed sublato Diocletiano, pax reddita est Ecclesijs Brytannicis, vsque ad Constantinum magnum, cuius tempore circa annum salutis 320. hæresis Ariana exorta est. Quæ post sedecem circiter annos Constantino præsente, in Nicæna synodo planè plenéque detecta & damnata, nihilominus perfidiæ suæ veneno, non totum solum orbem, verum etiam Brytanniam extra orbem quodammodo positam infecit, & multorum illic animas errore pestilente fœdauit. Qua labe vix abstersa, imperante Arcadio Theodosij filio cum Honorio fratre, circa annū Domini quadringentesimum, Pelagius Bryto in Oriente hæresim suam contra auxilium diuinæ gratiæ disseminare cæpit, ascito sibi in partem nequitiæ, & consortium perfidiæ Iuliano de Campania, qui cùm Episcopatum ambiuisset,

ſet, repulſam paſſus, pati non potuit dedecus, & quia gratiam hominum ad præſulatum obtinendum conſequi non valuit, contra gratiam diuinam hæreſim promouendo, vindicare ſe voluit.

Porrò poſt quadraginta plus minus annos, non diù ante aduentum Saxonum in Britanniam, hæc hæreſis inſulam inuaſit, illata per Agricolam Seueriani Epiſcopi Pelagiani filium. Quæ peſtis eo latius ſerpſit, fidemque Britannorum eò fœdiùs adulterauit, quo ea tempeſtate poſt peſtem & famem Imperatores Romani domeſticis & externis bellis, nimiumque crebris armatorũ delectibus, inſulam ità viris denudauerant, vt vix ibi quiſquam relictus fuerit, qui vel armis valuerit, vel concilio. Nemo qui vel auitam fidem pro dignitate defendere, vel nouiter pullulantem errorem argumentis refutare, vel reipublicæ maieſtatem contra barbarorum incurſiones militari virtute tueri potuit. Cogente igitur extrema neceſſitate, ad tuendos patriæ fines, aduocati ſunt (vt ſuo loco fuſiùs habetur) è Saxonia veteri milites pagani; & ad hæreſim expugnandam, fidemque Catholicam propugnandam, mandante & ordinante Romano Pontifice, accerſiti ex Gallia Doctores. Nam Britanni communi conſenſu Pelagianum dogma nec ſuſcipere voluerunt, nec tamen ſine alieno auxilio refutare valuerunt. Et interim ex plebe multi ſeducti peſtilentem doctrinam admiſerunt. Galli maturè facta ſuper hoc negotio deliberatione, elegerunt Apoſtolicos viros Germanum Altiſidorenſem, & Lupum Trecenſem Epiſcopum, quos miſerunt in Britanniam, vt Religionem Catholicam ibi periclitantem in integrum reſtituerent, & hæreſim præfatam iam plus quàm incipientem extirparent, exterminarent, extinguerent. Inſulam igitur ingreſſi, vitæ ſanctitate, ſingulari doctrina, & miraculorum operatione catholicæ fidei veritatem mirificè illuſtrarunt, hæreſis vanitatem confuderunt, populum partim vacillantem, partim iam ſeductum ad fidem orthodoxam reduxerunt, & in eadem corroborauerunt; denique hæreſim illam ex inſula exterminarunt.

Poſtquam autem extincta fuit in Britannia peſtis iſta, Saxones quidem pagani multo maiorem inſulæ partem aliquandiù ſine fide Chriſti tenuerunt; ſed pauci alioquin errores fuerunt, Scotorum maximè, de quibus mox dicemus, at hæreſis planè nulla, vel illic orta, vel aliunde inuecta vnquam fuit, vſque ad Hẽrici ſecundi tempora. Tota igitur inſula ſingulari Dei beneficio, & bonorum Paſtorum, Præſulum, atque Doctorum vigilantia, & durante Britonum, & ſuccedente Anglorum imperio, *Per ſeptingentos, ter ſeptem circiter annos*, ab omni eiuſmodi labe prorſus fuit immunis.

Regnante autem Henrico ſecundo circa annum Domini 1160. ex Gaſconia (ſcribunt alij ex Germania) venerunt in Angliam viri circiter triginta, multa docentes contra Sacramenta, Baptiſmi, Euchariſtiæ, & Matrimonij. Qui vnam tantũmodò ſeduxerunt in vniuerſa Anglia muliercculam, quæ etiam ad meliorem mentem poſteà reuerſa eſt. Et ſedu-

ctores illi virgis cœsi, cauterio frontibus impresso, regno expulsi sunt. Sed post quadriennium ex Gallia venerũt in Angliam Vvaldenses, quos alij vocabant Publicanos, seu Pauperes de Lugduno. Et isti contra summum Pontificem, & Ecclesiam Romanam miras sparserunt calumnias, absurdos prædicabant errores. Sed & hi capti, Oxonium ad examen ducti, & præsente rege, regnique proceribus, & penè omnibus Episcopis, hæreseos conuicti, condemnati, cauterio frontibus inusti, & scholis explosi, & regni finibus expulsi fuerunt.

Posteà verò diuersa hæresum monstra pacem tum Ecclesiæ, tum reipublicæ in Anglia miserè perturbarunt, quorum caput existit Ioannes Vviclefus, homo malignus, circa annũ Domini 1379. tempore Eduardi regis tertij, huius viperæ praua genimina, sub exordio regni Henrici V. primò contra Catholicam fidem, deindè ipso die natalis Christi contra suum regem coniurarunt. Sed statim auctoritate publica, & religionis & regni censentur hostes. Et propter coniurationem in regem suspendio, propter perfidiam in Deum incendio digni iudicantur, tum Hussitæ, Lolhardi, Lutherani, Caluinitæ, Anabaptistæ, Puritani & similes mundi pestes, & Ecclesiæ hostes suis quique temporibus, suis quique erroribus tunicam Christi inconsutilem lacerare, & suis sectis secare conati sunt. Donec tandem anno Domini 1534. qui fuit Regis Henrici octaui vicesimus quintus, patefacto omnibus hæresibus aditu, fides auita, antiqua, vera, sincera, Catholica, Apostolica, Romana ex tota insula vel exterminata est, vel certè taliter oppressa, vt vix aliquos, citra vitæ discrimen, habuerit apertos professores. Et licet post aliquot annos sub Maria Henrici filia, & Philippo rege Hispano, quasi postliminio reuersa religio restaurari cœperit: denuò tamen sub Elizabetha regina recidiuũ passa est exterminium. Ex quo infausto tempore, quicquid vbiuis gentiũ spumæ erroris ex vniuerso hæresum nunc æstuantium Oceano conflatur, illuc importatur, illic fouetur & nutritur; imò augetur & multiplicatur. Exulat igitur Catholicæ religionis omne liberum exercitium, & sub immani persecutione oppressa ingemiscit Ecclesia Christi in Anglia, ingemiscetque forsan in dies grauius, quoad vsque dignabitur Deus oculis misericordiæ suæ gentem afflictam respicere, & dexteram suam ad auxilium ferendum extendere. Sed iam vndè digressi sumus, ad Britannos nostros reuertamur.

De erroribus Scotorum & Britonum.

ERrores Scotorum, qui & tandem facti sunt Britonũ, fuerunt circa ceremonias Baptismi, circa maiorem clericalem tonsurã, & maximè circa celebrationem Paschatis. Nam cæteræ ceremoniæ differẽtes, pro diuersis diuersarum Ecclesiarum consuetudinibus tolerari non difficulter potuerunt. In his autem tribus grauiter errauerunt Britones, à vi-

cinis Hibernis & Scotis abducti ab illa fidei Catholicæ sinceritate, quam olim ab Eleutherio Papa tota insula acceperat. Super his S. Augustinus Apostolus noster, cōuersis magna ex parte Anglis, Concilium semel atque iterum cōuocauit, cui interfuerunt septem Britonum Episcopi, & Doctores plures. Et post varios vltrò citróque habitos sermones infensis animis & infectis rebus Britones discesserunt, & S. Augustino parere penitus recusarunt, nec vt erroribus depositis, ad sinceram Ecclesiæ Romanæ fidem, à qua deflexerant, redirent, vlla ratione tunc adduci poterant. Atque hinc quidam ex hæreticis nostris Anglis, pro suo candore, dum se simplices veritatis cultores fingūt, simplices in fraudem inducunt, & in odiū maximè Sedis Apostolicæ in suis libris vulgò, persuadere velle videntur, non fuisse eamdem fidem, quam regnante Lucio Britonum rege, prædicantibus Phagano & Deruiano immisit in Britanniam Papa Eleutherius; & eam, quam misso Augustino cum socijs monachis, introduxit posteà sub Anglorum heptarchia sanctissimus Papa Gregorius magnus. Sed sine dubio fuit, & est, semperque erit eadem fides & religio Eleutherij & Gregorij, imo Christi & Ecclesiæ omniumque rectè credentium. Quem autem errorem tenuerint Britones & Scoti circa baptismum, fateor me nescire, clericalem tonsuram arbitror habuisse cum quibusdam Græcis quadratam, & non cum Romanis rotundam. Grauissimus autem illorum error erat in celebratione Paschatis. Fuerunt enim Quartadecimani (sic enim vocabantur, quia cum Iudæis quarta decima luna primi mensis, hoc est Martij, Pascha semper celebrabant) quo tamen errore Britones nec omninò omnes, nec plenè, nec longo tempore aliqui, infecti fuerunt, si veracissimo Bedæ credamus: is enim libro secundo historiæ gentis Anglorum capite decimo nono sic loquitur ex epistolis Pontificum Romanorum scriptis ad Scotos errantes, & alios seducētes in celebratione Paschatis; *Et nuperrimè temporibus illis hanc apud eos hæresim exortam, & non totam eorū gentem, sed quosdam ex ijs hac fuisse implicatos.* Idem etiam Beda libro tertio capite quarto expressis verbis asserit Hibernos & Scotos non cum Iudæis vnquā præcise decima quarta luna Pascha celebrasse. Sic enim sub finem capitis quarti loquitur. *Quem tamen* (Pascha diem) *& anteà* (id est antequàm per Anglos correcti sunt) *non semper luna quarta decima cum Iudæis, vt quidam rebantur, sed in die quidem Dominica, alia tamen quàm decebat hebdomada, celebrabant. Sciebant enim (vt Christiani) Resurrectionem Dominicam, quæ prima Sabbathi facta est, prima Sabbathi esse celebrandam. Sed vt Barbari & rustici, quandò eadem prima Sabbathi, ea quæ nunc Dominica dies cognominatur, veniret, minime didicerāt. Verùm quia gratia charitatis feruere non omiserant & huius quoque notitiam rei ad perfectum percipere meruerunt.* Hæc Beda.

Operæprecium autem erit hic initū capitis decimi noni libri secundi historiæ Bedæ ad verbum proferre: *Misit idem Papa Honorius litteras etiam genti Scotorum, quos in obseruatione sancti Paschatis errare compererat, iuxta*

quod supra docuimus, solerter exhortans, nè paucitatem suam in extremis terræ finibus constitutam, sapientiorem antiquis, siuè modernis, quæ per orbem terræ erant, Christi Ecclesijs æstimarent, neuè contra Paschales computos & decreta synodalium totius orbis Pontificum, aliud Pascha celebrarent. Sed & Ioannes (Papa quartus) *qui & successori eiusdem Honorij Seuerino successit, cum adhuc esset electus. in Pontificatum, pro eodem errore corrigendo litteras cu magna auctoritate atque eruditione plenas direxit, euidenter astruens, quia Dominicam Paschæ diem à quinta decima luna vsque ad vicesimam primam lunam (quod in Nicæna synodo probatum est) oporteret inquiri.* Et hæc (excepta aliqua parte Asiæ) semper fuit Ecclesiæ Catholicæ per vniuersũ orbem de celebratione Paschatis vnanimis sententia, constans doctrina, praxis inuiolata. Contrarius error vel hæresis erat Pascha decima quarta luna cum Iudæis celebrare, nullo habito Dominicæ diei respectu. Et hanc hæresim, iuxta Bedam libro tertio capite quarto, nullus Hibernorum, Scotorum, aut Britonum vnquam tenebat. Nam semper die Dominica Pascha celebrabant, sed non qua Dominica oportebat. Inquirebant enim suum Pascha à decima quarta luna vsque ad vicesimam lunam: & ita participabant cum errore Quartadecimanorum quidam Hiberni & Scoti, & aliqui Britones ab ijs seducti.

Porrò constat errorem Quartadecimanorum in Europa initium habuisse à Blasto, & vt aliqui volunt, à Florino, qui Blasto primus adhæsit. Fueruntque ambo Presbyteri Romani. Incepit autem hæc pestis circa annum Domini 180. qua tempestate Britones fidem Christi, vt dictum est, acceperunt. Cùm autem Romæ detecta esset dictorum Presbyterorum nequitia, nempè quòd Valentinianam hæresim amplecterentur, aliasque tenerent opiniones Catholicæ fidei repugnantes, & Blastus ritum Iudaïcum celebrandi Pascatis introducere moliretur: Eleutherius Papa vtrumque suo gradu priuauit, & Anathemate percussit. Atque huius erroris initiũ in Europa sic habuisse, colligi potest ex Philastrio, Epiphannio, Augustino, Theodoreto, Ioanne Damasceno, & alijs. Contra Blastum etiam super hac re scripsit epistolam S. Irenæus Episcopus Lugdunensis. Et Tertullianus in calce libri de præscriptionibus contra hæreticos satis manifestè nostram hanc astruit sententiam, his verbis: *Est præterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter vult Iudaïsmum introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse nisi secundùm legem Moysi decima quarta mensis. Quis autem nesciat, quoniam Euangelica gratia euacuatur, si ad legem Christum redigit?* Quomodo autem hic error Britanniam inuaserit, nondum inuenio. Probabilis tamen mihi coniectura est, ipsum Blastum, eiusque succcessores in inuidiam Eleutherij Papæ, omni conatu egisse, vt populum quem ille conuerti fecerat, peruerterent, Euangelij progressum impedirent, & zizania tritico superseminarent.

Quoniam autem Britones tum erga sedem Apostolicam optimè affectos pestilente suo veneno inficere non poterant, Scotos saltem & Hibernos infecisse videntur, vt successu tẽporis Britones propter vicinum

malum aliquid etiam mali contraherent, vti tandem factum est. Et Britonum fidem hanc Catholicam ab Eleutherio Papa olim introductam, & erroribus Scotorum posteà contaminatam, non integram inuenit S. Augustinus à Gregorio Papa magno ad Anglos paganos conuertendos in insulam missus. Angli autem initio conuersionis suæ, quoniam ex suis adhuc nullos, ex Romanis Monachis non multos habebant Doctores, & religionis ac bonarum litterarum essent auidissimi, sese Scotis Monachis doctissimis in disciplinam tradiderunt. (Nam propter nimis hostile odium inter Britones & Anglos nullum fuit commercium.) Angli igitur inter Scotos educati, simul cum scientia litterarum, inscij fidem erroribus contaminatam imbiberunt. Sed moniti non difficulter ad viam veritatis reuersi sunt. Et in his Vvilfridus, postquàm à Scotorum erroribus reuocatus, Romæ Romanam fidem, omnesque ritus Ecclesiasticos accuratè didicisset, redijt in Britanniam, & Scotos ad disputationem prouocauit, eorum errores conuicit, præcipuumque Scotorum Doctorem Colmannum mirè confusum dimisit. Ex quo tempore nulli vnquam amplius Angli illos Scotorum errores admiserunt, & posteà Britones ab Anglis paulatim inducti & persuasi successu temporis iisdem erroribus penitus valedixerunt.

Porrò occasione horum errorũ Angli cauentes ne in posterum isti vel similes insulam inuaderent, fidei syncerìtatem contaminarent, Ecclesiæ suæ splendorem aliqua macula obfuscarent: constituerunt qui accuratè docerent Ecclesiæ Romanæ ritus, computum Ecclesiasticum, omnesque Catholicas ceremonias. Nec quenquam permiserunt in sortem Domini vel clerum admitti; qui in horum aliquo deprehenderetur ignarus. Atque ita factum est, vt errores illi qui magnam aliquando insulæ partem turbauerant, iam ab annis penè mille nullum ibi rursus vestigium posuerint. Et propter hos potissimùm errores verisimile est miseros Britones diuinam in se iram prouocasse, Deumque eos diu multumque peste, fame, & bello afflixisse, varijsque calamitatibus (de quibus lamentabili sanè stylo flebiliter scribit Gildas eorum historicus) castigasse. Tandem cùm his flagellis non emendarentur in melius, à Romanis Imperatoribus oppressi & exhausti, à Scotis & Pictis miserè vexati, imò barbarè vastati, ab Anglis & Saxonibus longo bello fatigati, paulatim regno spoliati, & vltra montes abacti, in Anglorum potestatem omninò venerunt. Atque ita propter vitiatam sinceritatem fidei, potestatem penitùs amiserunt imperij. Et tum demùm ab Anglis partim edocti, partim coacti, errores illos, quibus priùs tam pertinaciter adhæserant, penitùs deposuerunt.

PROOEMIVM HVIVS OPERIS.

HOMO ille deſcendens ab Hieruſalem in Ierico, incidit in latrones, qui & diſpoliatus eſt, & impoſitis plagis, ſemiuiuus relictus; Adam fuiſſe mihi ſemper viſus eſt, vel potius in eo natura humana. Is enim ab Hieruſalem deſcendit in Ierico, quando tanquàm ſtultus vt luna mutatus, poſtpoſita diuinæ voluntatis contemplatione, ſuum ſecutus eſt ſenſum. Incidit in latrones, quando irretitus eſt dæmonum laqueis. Spoliatus eſt, quando originali iuſtitia, & alijs, quæ habebat ſupra naturam donis, nudatus eſt. Plagis impoſitis ſemiuiuus relictus eſt, quando ipſa naturalia, corruptionis inflictis vulneribus, læſa ſunt, & debilitata.

De reparatione huius lapſus ſeu ruinæ, in ijs quæ ſupra naturam ſunt, in hac vita deſperata res eſt. In ijs autem quæ naturalia ſunt, quia vulneramur tantum, non occidimur, & ſemimortui, non penitus mortui ſumus; de reparando damno ſemper laboratum fuit, laboratur ſemper, maximè à viris doctis & illuſtribus ſcriptoribus, quorum memoria in benedictione erit, & vt apud Danielem Prophetam capite duodecimo dicitur, *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti; & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Porrò naturalia, in quibus præcipuè vulneramur, ſunt duæ principales animæ noſtræ potentiæ, intellectus ſcilicet, & voluntas. Nam intellectus qui in ſua prima creatione perfectam habuit omnium naturalium rerum ſcientiam, nunc vitiatus & obſcuratus, ignorantia craſſa, & mira cæcitate laborat. Voluntas etiam quæ in ſua prima origine, quadam inſita rectitudine Deo in omnibus erat conformis; nunc per malitiam corrupta, deprauata, peruerſa, & ab omni bono auerſa, quaſi naturali pondere, ad malum vehementer procliuis eſt. Hinc plerumque fit, vt vel ex mentis cæcitate, quæ facienda ſunt minimè videamus; vel ex voluntatis deprauata peruerſitate, quæ facienda cognoſcimus, minimè faciamus. Quæ mala quoniam omninò nec tolerare poſſumus, nec tollere valemus, ijs mederi quantum licet, & fas eſt, debemus. Nulla autem medendi ratio melior in rerum natura poteſt inueniri, quàm eruditio, doctrina, ſcientia, ordo, & diſciplina. His enim illuſtratur & exornatur intellectus, his noſtræ voluntatis inclinationes corruptæ & deprauatæ corriguntur, emendantur, & aliqua ſaltem ex parte in gyrum rationis flectuntur. Vt enim terra propter peccatum hominis maledicta, ſi inculta relinquatur, nihil præter ſpinas, vepres, aut alias inutiles herbas profert; ſi autem benè colatur, bonos fructus producit: ſic hominis ingenium, quia corruptum eſt & deprauatum, ſi ſibi relinquatur, omnibus vitiorum ſordibus inquinatur, & in omnem nequitiam præceps fertur; ſi autem bonis ſcientijs excolatur, ſi prauæ inclinatio-

nes optimis diſciplinis corrigantur, ſi denique à perito Doctore totus homo inſtituatur & formetur; fieri non poteſt, quin ſe ad bonam frugem recipiat, & aliquos ſaltem producat virtutum fructus.

Illud aliquando tempus fuiſſe ferunt, quo homines belluarum more in montibus & ſyluis vagabantur, ſocietatis & ciuilis vitæ prorſus ignari. Sed tandem duce Philoſophia, inuentæ ſunt leges, introductæ diſciplinæ, & homines ad vrbes ædificandas, & vrbanam ſocialemque vitam agendã traducti ſunt. Quod vtrum ita planè fuerit necnè, non diſputabo. Certè quicquid ſit, homines, quo magis ignari ſunt, & à bonis litteris ac diſciplinis magis alieni, eò propinquius ad agreſtem & belluinam vitam accedunt. Nam niſi illas animi potentias quibus à belluis diſtinguimur, liberalibus ſcientijs excolamus, omnis earum virtus perit, & brutis animantibus ſimiles, imò in multis deteriores euadimus. Nam vt de agilitate corporum, velocitate curſuum, & membrorum tum mole, tum robore, quibus nos ſuperant pleræque belluæ, nihil dicam; certè animorum noſtrorum motus tam vehementes ſunt, vt, niſi humaniore cultu molliantur, & flectantur, vel diſciplina tanquàm fræno cohibeantur; equis indomitis ferociores, vrſis & leonibus crudeliores, lupis rapaciores, tygribus truculentiores euadamus. Conſtat enim frequentius ab hominibus homines læſos, vulneratos, occiſos, quàm ab equis equos, ab vrſis vrſos, à leonibus leones, à lupis lupos, à tigribus tygres.

Et in his vix aliquid remedij præter ingenij culturam, qua molleſcunt mores, & homo ad humanitatem traducitur. Vnde qui multa ineptè finxit, hoc ſaltem vnum verè dixit, & qui multa malè, hoc vnum ſaltem benè ſcripſit Ouidius, ſcilicet

Ingenuas didiciſſe fideliter artes,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Vt altiora non petamus, Græci qui ſapientiam quærebant, & ingenia ſua mirum in modum omni bonarum diſciplinarum genere excolebant, reliquas omnes gentes præ ſe barbaras reputabant. Romani ab ijs paulatim bonas artes accipientes, ſimul etiam humanitatem, morumque ſuauitatem imbiberunt. Quicquid tandem poſt vitiatam hominis naturam, & inuectam orbi terrarum vitæ corruptelam, correctum, emendatum, virtuti conforme, rectæque rationi conſonum inuentum eſt, vel quoquo modo in melius reſtitutum eſt; illud omne ſecundùm Deum, bonis artibus, litterarum ſtudijs & liberalibus diſciplinis acceptum referre omninò debemus.

Vnde non ſolum Philoſophi veteres eos magno ſemper in precio habuerunt, à quibus ſuam Philoſophiam didicerant, vt Socrates Xenophontem, Democritus Pythagoram, Ariſtoteles Platonem: verum etiam præcipui quique Reges & Imperatores, quibus Deus cum Imperij maieſtate, plerumque ſapientiæ, magnanimitatis, aliarumque virtutum dona largiùs impertiuit; ſemper doctrinæ doctorúmque ho-

minum maximi fautores extiterunt, eosque præsertim à quibus eruditi & instructi fuerant, mirè coluerunt, & in delicijs semper habere consueuerunt. Testis Alexander ille magnus, qui summo amore suum Aristotelem prosecutus est. Testis Trajanus Imperator, qui suum moderatorem Plutarchum tanquam alterum se dilexit. Testes Gratianus & Valentinianus etiam Imperatores, qui suum Ausonium eximijs honoribus affecerunt. Et inter Christianos certè Carolus Magnus Imperator non minoris fecit Alcuinum nostrum, suum deliciosum (vti dicere cõsueuerat) præceptoré. Denique testes plures mundi Monarchæ, qui viros eruditione claros, tanquam virtutum imagines, & regnorum suorum columnas, pluris fecerunt, quàm opes quascumque terrenas.

Hinc ingentibus regum impensis erectæ scholæ, hinc ædificatæ bonarum litterarum altrices Academiæ, hinc fundatæ insignes religiosorum domus, in quibus artes bonæ cum monastica disciplina incredibile sumpserunt incrementum, hinc omnes docendi discendique excogitatæ viæ. Externa exempla commemorare superfluum esset, vbi abuñdant domestica.

Certè in Britannia nostra longo ante tempore quàm Anglia vocari cæpit, floruerunt viri docti, & qui ad Latinæ linguæ non solum aliqualem scientiam, sed etiam ad exactam eloquentiam aspirarunt. Nam vt omittam antiquissimas Druidarum scientias, quas à Britannis Gallos accepisse, scribit in commentarijs Iulius Cæsar, quasque adeò in Britannia floruisse testatur Plinius historiæ naturalis libro tricesimo, vt dedisse Persis videri possit: asserit sanè de Britannis Tacitus in vita Iulij Agricolæ & alibi, quod tempore Vaspasiani, atque etiam Domitiani, circa annum Christi nati septuagesimum, nobilium & principum filij liberalibus artibus in Britannia optimè instruerentur, solebantque Romani *ingenia Britannorum studijs Gallorum anteferre*, & quòd Britanni iam inter se viros in lingua Latina eloquentes habuerint.

Cùm autem post centum circiter annos sub Rege Lucio lucem Euangelij tota insula suscepisset, tum fundata Monasteria, tum erectæ Academiæ, imò in ipsis Monasterijs saltem insignioribus, non tantum regularis obseruabatur disciplina, sed etiam artes liberales, imò omnes scientiæ accuratè docebantur, omniaque studiorum genera in ijs mirificè florebant. Quod ex venerabili Beda facile est colligere. Hoc enim regibus nostris antiquis, viris pijs & prudentibus curæ fuit, vt opportunis regnorum suorum locis religionem & doctrinam sollicitè sub eodem tecto nutrirent.

In plerisque etiam Monasterijs alicui religioso ac docto viro incumbebat ex mandato Regis, & Abbatis præscripto cura historias conscribendi, maximè sui temporis & nostræ gentis. Hinc venerabilis Beda in epilogo historiæ gentis Anglorum, quam Regi Ceolulfo dedicauit, de se testatur, quod inter quotidianam disciplinæ regularis obseruantiam, & cantandi in Ecclesia curam, semper aliquid aut didicerit, aut docuerit,

rit, aut scripserit. Opera egregia quæ post se reliquit, de quibus suo loco agemus, abundè fidem faciunt.

Sed quoniam omnes bonarum litterarum amatores, nec vitam Monasticam amplecti, nec à Monachis erudiri libenter voluerunt, non defuerunt etiam Academiæ benè fundatæ. Imprimis enim ante Christi natiuitatem, cum Brito in insulam venerunt Philosophi Græci, qui non multo post tempore scholas publicas aperuerunt, & Græcas litteras atque Philosophiam docere cæperunt circa annum mundi 2860, à quibus, vt infra dicetur, Oxoniensis Academia suam traxit originem.

Scribit Ioannes Lelandus in vita Regis Alfredi magni, quòd non procul Oxonio, antequàm ibi poneretur Gymnasium, & florente adhuc Britannici regni gloria, duæ fuerunt scholæ eloquentia & eruditione pollentes. Harum vna Græcolada à Græcis (vt ego conijcio) Philosophis, à linguæ Græcæ professione putat Lelandus: altera Latinolada à Latinæ linguæ promulgatione, dicebatur. Ego verò puto hos fuisse illos Doctores tum Græcos, tum Latinos, qui in insulam cum ipso Brito venerunt, vel eum paulò pòst secuti sunt, & ea loca non tam à docendis illis linguis, quàm à magistris Græcis & Latinis nomina accepisse, Et hinc bonas litteras in insula suam primam originem accepisse.

Posteà Bladudus princeps adhuc adolescens, Athenas studiorum causa se contulit, & inde reuersus secum multos insignes Philosophos reduxit, qui & regni solio sublimatus, ijs apud Stanfordiam scholas publicas erexit circa annum mundi 1080, sic ex Merlino Caledonio Ioannes Hardingus chronicorum libro primo capite vicesimo quinto.

Tandem longo post tempore Rex Carodocus euocauit è solitudine Tathaium eremitam, virum sanctum perindè ac doctum, erexitque apud antiquam Comitatus Monimetensis vrbem Caier Ventam, seu ventam Hilurum scholas publicas & Academiam, cui dictus Tathaius primus præfuit.

Sed longè celebriores fuerunt antiquitus tres in insula nostra Academiæ. Videlicet illa vrbis Legionum, Caierleolensis, & Banchorensis. In quibus non solum Monachi, sed etiam Doctores sæculares bonas litteras profitebantur. Et certè de vrbe legionum scribit Galfredus Monimetensis, quòd circa annum Domini 530, regnante pio simul & magnanimo Arthuro, ibi fuerit Gymnasium ducentorum Philosophorum, qui omnes artes liberales exactè callebant, & alios aduentantes docebant.

Banchorensem autem Academiam à Lucio Rege primo Christiano circa annum Domini 160, fundatam, post trecentos & quinquaginta plus minus annos, Congellus Banchorensis primus Abbas in Monasterium omninò mutauit.

Ioannes à Bosco in libro, quem superioribus hisce annis collegit ex antiquis M, M, SS. Bibliothecæ Floriacensis, vbi agit de Gilda Sapiente, testatur ibi scriptum inueniri, quòd dictus Gildas in Academia,

quæ vocabatur Irem, Philosophicis primùm, deindè Theologicis studijs operam dederit. Quod certè debuit necessariò fuisse circa annum Domini 560, sed ego de hac Academia apud nostros historicos hactenùs nihil prorsus inuenio.

Quoniam igitur de doctis insulæ nostræ viris catalogum texere institui, non abs re fore iudicaui, tractatum præmittere de Academijs nostræ gentis, ex quibus, tanquam ex equo Troiano, isti strenui Musarum cultores, & Mineruæ milites, vt pacifici bellatores prodierunt.

Porrò hac nobis infœlici ætate in vniuersa Anglia, iam expulsis Monachis, & euersis Monasterijs, deletisque quos supra nominauimus, Academijs; duas tantum agnoscimus; Oxomensem scilicet & Cantabrigiensem. Et quoniam Oxoniensis, in qua aliquando studui, & dignitate, & studiosorum numero, & doctorum hominum copia, vt de antiquitate hic nihil dicam, Cantabrigiam, meo iudicio, semper præcessit; de Oxoniensi, primo, de Cantabrigiensi, secundo loco agam.

Quinam de Academijs Angliæ scripserint?

INTER alios de Academijs Angliæ scripserunt hi sequentes, videlicet Ioannes Rossus Vvarvvicensis circa annum Domini 1490.

Ioannes Lelandus iunior circa annum Domini 1550.

Item Ioannes Caius circa idem tempus scripsit opus de antiquitate Cantabrigiensis Academiæ. Sed nullam horum operum vidi.

Iacobus Middendorpius Cathedralis Ecclesiæ Coloniæ Canonicus scripsit primùm vno, deinde editione secunda duobus voluminibus de omnibus totius Europæ Academijs. Item de plerisque alijs extra Europam. Libros eius habeo super hac materia, eosque legi. Et Coloniæ aliquando cum homine familiare colloquium habui anno Domini 1608.

Denique hoc nostro tempore de Oxoniensi Academia scripsit Latinè Nicolaus Fizherbertus nobilis Anglus, qui adhuc hoc anno Domini 1612, Romæ viuit. Librum eius habeo, & perlegi.

DE CIVITATIS NOMINE, *Antiquitate, fitu.*

CAPVT I.

OXONIA vel Oxonium vulgò Anglofaxonicè Oxenford vel Oxford à Vadoboum, Ioanni Lelando Ifidis vadum vulgò Oufeford. A bello fitu, Bellofita. Ab Oleno Caleno, Calena antiquitùs nominata, vt ex Ptolomæo & Plinio colligere eft. Calenam tamen in itinere prouinciarum vocat Antoninus, & eius fequaces. Ioannes Stoüs ex Ioanne Roffo vult vrbem ab Ebranco Britonum rege fundatam & appellatam Caier Menuir. Hæc de nomine, ex quibus etiam colligitur antiquitas. Nam fi quod vult Ioannes Stoüs ex Roffo, vrbs ab Ebranco fundata eft, certe oportet cæpiffe circa annum mundi 2950, nam tum Ebrancus regnauit. Alijs eft opinio vrbem non fuiffe inceptam nifi poft annum à falutifera natiuitate Chrifti feptuagefimum, regnante apud Britannos Aruirago. Tum veniffe in Britanniam vatem quendam hetrufcum nomine Olenum Calenum, de quo lege Plinium libro hiftoriæ naturalis vicefimo octauo, & hunc vatem prima vrbis fundamenta pofuiffe, imò totam ftructuram perfeciffe, & à fuo nomine Calenam vocaffe. Quo vocabulo innotuiffe dicitur, vfque ad Anglofaxonum in Britanniam ingreffum. Pofteà vulgò Oxenford, Latinè Oxoniam indigitatam plerique volunt, vt dictum eft.

Occupat vrbs Angliæ penè Meditullium, in amæniffima planitie pofita. Eam alluunt amnes pifcofi duo, *Ifis ab occafu, Cheruellus folis ab ortu.* In aquis Cheruelli ferunt pelles omnis fere delicatioris generis ita macerari ad conficiendam alutam albam, vt nullibi candidior, mollior, delicatior inueniatur. Vrbem præterlapfus Cheruellus, ad Auftrum varijs aquarum diuortijs multas facit infulas amnicas. Et paulò pòft abforptus Ifi, aquam communicat, nomen amittit. *Nomen enim magno perdit in amne minor.* Nec Ifis multa metitur milliaria, cum Thamam fluuium ingreditur. Et propter æqualitatem neutro alteri cedente, confociatis in vnum tum aquis, tum nominibus, Tamifis deinceps vocatur fluuius, qui cum primis Europæ fluminibus de palma, nec iniuria, contendere poffit.

Vrbs fatis ampla, nec fanè inelegans, oblonga, & magis ab Oriente in Occidentem porrecta, quàm ab Auftro in Aquilonem. Ab Oriente, Occidente, & Aquilone fatis ampla habet fuburbia, ab Auftro planè nulla. Nam ex illa parte ciuitatem fimul & comitatum claudit Ifis, & à Comitatu Bercherienfi difterminat. Suburbia perindè ac ipfa vrbs, multis ornantur ftudioforum Collegijs. De quibus infrà. Caftrum, quod in Occidentali fuburbio ruinofum nunc confpicitur, pofuit tempore Guilhelmi primi Robertus Oilgi nobilis Normannus.

Quem cinxiſſe ferunt Saxoſis mœnibus vrbem. Cuius ex fratre nepos etiam Robertus Ouſeney Monaſterium ampliſſimum Canonicis regularibus S. Auguſtini iuxta in inſula amnica fundauit. Plures tum in vrbe, tum in ſuburbijs, tum Monachorum, tum Sanctimonialium domus religioſæ olim fuerunt, quæ iam omnes vnà cum religione perierunt.

Extra vrbem ab Auſtro & Zephiro ſyluoſos colles, nec multum editos, nec ab vrbe longè diſſitos conſpicias, qui vel tempeſtatum furorem frangunt, aut diminuunt, vel autem peſtilentem prohibent & excludunt. Partim ad Orientem, ſed maximè ad Aquilonem latè patet planities ad deambulationes iucunda, ad fruges & paſcua opima. Vt nihil deſit, quod vel ad victus neceſſitatem, vel ad corporis exercitationem, vel honeſtam animorum oblectationem deſideres. Cælum ſalubre, ſolum fertile, fluuij piſcoſi, colles ſyluoſi, ſaltus vmbroſi, tota regio pratis, paſcuis, pecore, frugibus abundat, & ad omne genus tum aucupij, tum venationis aptiſſima eſt. Hinc in vrbe rari morbi, multi ſenes. Nam qui ex alijs inſulæ partibus huc rei litterariæ cauſa veniunt, & hic ſedem figunt, ſeneſcunt in ſtudijs, & plerumque non ante multam moriuntur ætatem. Comitatus à ciuitate nomen habet. Comitum titulo gaudet hic antiquiſſima Verorum familia.

De Antiquitate Academiæ Oxonienſis.

CAPVT II.

QVOD ad Antiquitatem Academiæ attinet, Oxonienſes & vrbem & Academiam Saturno (vt ita dicam) ferè faciunt coæuam. Dicunt enim in ſuis hiſtorijs haberi, quod inter Academias Latinas nulla planè ſit vetuſtior. Feruntque ab eo ferè tempore incepiſſe, quo cum Trojanis, Duce Brito, Græci quidam Philoſophi in hanc inſulam venerunt. Nam licèt ipſi Oxonienſes fateantur illos Græcos in agro Vviltunenſi ad ripam Tamiſis oppidulum ædificaſſe (quod ab ijs vſque hodie Græelade nuncupatur) & ibi ſcholas primùm aperuiſſe, bonas litteras, & artes liberales docuiſſe: non longo tamen poſt tempore ſcholas illas ſimul cum ſuis Doctoribus migraſſe Oxonium volunt, & ibi floruiſſe quidem Academiam diù, poſteà tamen intercidiſſe, & varias habuiſſe mutationes. Donec tãdem circa annum à natiuitate Chriſti 873. vel ſecundùm alios 883, Alfredus vel Aluredus Rex denuò locum muſis conſecrauit. Is enim hortante Neoto ordinis S. Benedicti ſanctiſſimo ſimul & doctiſſimo Monacho, publicam Academiam inſtituit dicam? an reſtituit? & bonarum artium Profeſſoribus honeſtiſſima ſtipendia conſtituit, erectis tribus Collegijs, Grammaticis vno, Philoſophis altero, Theologis tertio. Lelandus tamen in vita Regis Alfredi nonnihil ab hac ſententia diſcrepat.

Porrò poſt annos non adeò multos, primùm Dani milites, deinde Rex ipſe Haraldus cognomento Leuipes, ita in ciuitatem ferro flamma-

que ſæuierunt, vt vſque ad regem Guilhelmum primum & Normannorum aduentum quaſi deſolata manſerit. Sed tum ſaltem refloreſcere cepit. Nam circa annum Domini 1070. cõſtat Ingulphum doctiſſimum Monachum ibi floruiſſe. Item Stephani Regis tempore licet alioquin calamitoſo, ſtudia quaſi de nouo reuixerunt, & paulatim ad priſtinum florem venerunt, induſtria maximè Roberti Polenij, qui multos tum diſcipulos & Auditores, tum etiã Magiſtros & Profeſſores eò vocauit, ibi aluit, ipſe denique docuit, nullique pepercit labori vel ſumptui, vt rem litterariam ibi penè collapſam reſtitueret. Poſteà non mediocriter pium hoc opus promouit Rex Henricus ſecũdus, & poſt eũ filius eius Richardus in eadem ciuitate natus. Atque ita Polenij conatus felicem ſortitus eſt effectum. Sed quoniã de antiquitate multa obiter dicentur in ſequẽtibus, quæ penè omnia ſpectant ad dignitatem, ideò hæc pauca de Antiquitate hic dicta ſufficiant.

De huius Academiæ dignitate.

CAPVT III.

QVICQVID ſit de huius Academiæ antiquitate, certè dignitate cum primis totius Europæ Academijs conferri optimo iure aliquando potuit. Nam vt omittam ea quæ in ſuis priuatis hiſtorijs habere dicuntur Oxonienſes, quod nempè inter latinas Vniuerſitates ſit antiquiſſima, ſcientiarũ pluralitate generaliſſima, veritatis Catholicæ profeſſione firmiſſima, & priuilegiorum multiplicitate præſtantiſſima. Mathæus Paris ſcribit ſuo tempore ad annum Domini 1257. Vniuerſitatem Oxoniẽſem Scholam ſecundã fuiſſe Eccleſiæ, imò Eccleſiæ fundamentũ; quoniam dignitas à multis capitibus ſumi poteſt, non erit abs re per ſingula diſcurrere, vt quæ intendimus, magis clara reddantur & perſpicua. Dignitatis autem tituli in præſenti materia ſunt, firmitas & conſtantia in fide Catholica; Copia Doctorum hominum qui ibi aliquando floruerunt; Amplitudo priuilegiorum à ſummis Pontificibus & Regibus conceſſorum; Multitudo ſtudioſorum; Numerus & magnificentia Collegiorum; Diſciplina Collegiata; Ratio ſtudiorum benè ordinata, Politia Academica. Et his ſimilia de quibus ſigillatim agere, operæprecium iudicaui.

De conſtantia huius Academiæ in profeßione Fidei Catholicæ.

CAPVT IIII.

QVANTVM præteritis floruerit in hac Academia Catholica Fides, imprimis ex ſcriptoribus ſequentis Catalogi manifeſtè apparebit ex quibus plerique ſanam fidem, & ſacram Chriſti doctrinam ſuis

ſcriptis mirificè illuſtrarunt. Alij veritatem Euangelicam ab hæreticis oppugnatam neruoſè defenderunt, & pernitioſos errores inuincibili veritatis virtute, & argumentorum infracto robore conuicerunt, profligauerunt, exploſerunt.

Præterea teſtes ſunt hiſtoriæ noſtræ in hac Academia multas hæreſes damnatas fuiſſe, numquam autem ibi admiſſam vel permiſſam vllam, vſque ad annum Domini plus minus 1534. qui fuit regni Hẽrici Octaui circiter viceſimus quintus. Tum enim miſer ille Rex res nouas machinatus, partim ſua libidine, partim nequiſſimorum hominum conſilio ſeductus, contra omne ius & fas, legitimam ſuam vxorem, & ſimul Christi ſponſam Eccleſiam repudiare decreuit. Cum autem ab hac Academia ſuæ ſententiæ ſubſcribi peteret, vnanimi totius Senatus Academici cõſenſu eius libidini conſtanter reſtitum eſt. Sed Rex impatiens repulſæ, alios minis & terroribus, alios blanditijs & honorum ſpe, alios oblatis pecunijs in ſuam ſententiam tentauit perducere. Sed fruſtrà. Rex itaque primarios quoſque fecit ex Academia expelli, in quorum locum ſurrogauit leues quoſdam, quos ſciebat, & omni vento Doctrinæ circumferri velle, & hos non difficulter ſibi in omnibus conſenſuros nequaquam dubitabat. Nec erat cur dubitaret. Hanc declinationem rerum videntes doctiſſimi quique & probatiſſimi viri, Academia relicta, vel ad ſua remearunt, vel exteras nationes petierunt, vt ſe melioribus temporibus reſeruarent. Sciebant enim quod, ſi contra religionem Catholicam in gratiam Regis aliquid non committerent, regiam; ſi committerent, diuinam offenderent maieſtatem. Atque hac ratione paulatim hæreſis, tanquàm nocturnus latro, florentiſſimam hanc Academiam primùm inuaſit. Tot autem præclari viri per illud tempus & annis proximè ſubſequentibus illam Vniuerſitatem reliquerunt, vt omnẽ ſolidam doctrinam, grauitatem, diſciplinam, fidem, pietatem, omnemque penitùs virtutem exportaſſe ſecum videantur. Nam conſtat illam Academiam ab eo tempore vſque modò, hoc eſt à ſeptuaginta & amplius annis, tot viros pietate & eruditione inſignes non protuliſſe; quot tunc vnico amiſit ſeptennio. Certè *niſi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt qui ædificant eam.* Oxonij cognoui meo tempore, & ex quo indè diſceſſi auditione non ſemel accepi, multos ibi operam litteris dediſſe magnæ ſpei iuuenes, multa præclara floruiſſe ingenia; ſed deficiente religione, fide, pietate, diſciplina, defecit etiam Doctrina. Spes omnis illuſa. Nulla ſecuta maturitas. Fructus nullus. Nulla meſſis. Nam euanuerunt omnes, & euaneſcunt quotidiè in ſtulticias & in inſanias falſas, malè diſpenſatis, quæ acceperant talentis, egena muliercula pauperiores, nè denariolum quidem habent, quem, non dico in Domini, ſed nec in ſuum gazophilatium immittere poſſunt. Hæc igitur Academia ſemper adeò fuit fidei Catholicæ addicta & tam obediens Eccleſiæ Romanæ filia, tam zeloſa doctrinæ Apoſtolicæ propugnatrix, vt ex quo hanc fidem deſeruit, ſibi diſſimilis facta, à ſe de-

generaſſe videatur, omni ſolida doctrina deſtituta, & Academię quidem adhuc nomen retinens, rem, dignitatem, virtutem omnem planè amiſit.

Quantum autem auxerit huius Academiæ dignitatem doctiſſimorum hominum infinita propemodum multitudo, ex ſequentibus catalogo & appendice facilè legenti patebit. Nam in copia Doctorum paucæ Europæ Vniuerſitates cum hac noſtra antiquitùs conferri potuerunt, vix ei vel vna præferri.

De Priuilegijs huius Academiæ.

CAPVT V.

NVNC ad Priuilegia veniamus, in quibus non mediocris dignitatis Academiæ pars conſiſtit. Hæc autem qualia fuerint non eſt facile dicere, niſi ijs qui vel Cācellariam Angliæ publicam, vel huius Academiæ domeſticam inſpicere, & Archiuū conſulere poſſunt. Magna certè fuiſſe non dubito. Reges Angliæ Henricus ſecundus, & filius eius Richardus primus, qui natus eſt Oxonij circa annū Domini 1160, & quod excurrit, huic Academiæ magna priuilegia conceſſiſſe, eamque mirificè florentem effeciſſe, & reliquiſſe dicuntur. Et regnante Ioanne Richardi fratre & ſucceſſore circa annū Domini 1209. tria ſtudioſorum millia ibi cenſebantur. Qui omnes ad vnū propter intolerabiles à ciuibus illatas iniurias, & violatas aut imminutas immunitates, partim Redingam partim Cātabrigiam conceſſerunt. Sed paulo poſt cōpoſitis rebus, omnes reuerſi ſunt, & Academia ſplendidiùs quàm vnquā priùs refloruit.

Nam regnante Henrico tertio circa annum Chriſti 1220. antiqua priuilegia reſtituta & confirmata fuerunt, noua etiam addita antiquis ampliora. Quæcunque inſuper à ſummis Pontificibus conceſſa fuerant, Regis accedente conſenſu approbata, & auctoritate confirmante ſtabilita fuerunt. Sub quo etiam Rege, vt infra dicetur, multa Collegia magnifica cæpta ſunt ædificari.

Poſteà tamen vna nubecula hunc Phæbū tam clarè muſis radiantem nonnihil obſcurauit. Nam circa annum ſalutis 1276. Oxonienſes ſtudioſi propter enormes iniurias in Ottonem ſummi Pontificis legatum in tumultu irrogatas, ſacris interdicti fuerunt. Sed paulò poſt res omnis ita compoſita eſt, vt reconciliati priuilegijs antiquis gauiſi fuerint. Mirè deinceps floruit Academia ad centum circiter annos, donec ſub Eduardo tertio circa annum reparationis humanæ 1365. alia inter ipſos ſtudioſos exorta eſt tempeſtas. Nam Auſtrales & Septentrionales ſtudijs partium inter ſeſe diuiſi, adeò tumultuabantur, vt vtrāque factionem eadem ciuitas capere non poſſet. Septentrionales tandem cedere coacti, & vi eiecti, Stanfordiam migrarunt, tanquàm ibi Bladudi peruetuſtam Academiam renouaturi. Sed poſt paucos annos ita compoſitum eſt totum negotium, vt omnes iterum reuocati fuerint Oxonium, lege lata, vt nullus deinceps Oxonienſis liberales artes vllo vn-

quàm tempore Stanfordiæ profiteri præſumeret.

Iam quod ad ſummos Pontifices attinet, ſaltem illud certo conſtat, hanc Academiam à Martino Papa ſecundo, circa annum Domini 883. approbatam, confirmatam, & debitis priuilegijs auctam fuiſſe. Certum eſt etiam regnante Edvvardo primo ante annũ Chriſti 1276. huius vniuerſitatis priuilegia à ſede Apoſtolica conceſſa, ſuum adhuc vigorem retinuiſſe. Scribit denique Radulphus Reningtonus, quod circa idem tempus, de ſtudio Cantabrigienſi facta ſit Vniuerſitas, ſicut, inquit, eſt Oxonium per curiam Romanam. Quod teſtimonium ſtudij, Cantabrigienſis in Vniuerſitatem commutati, mihi vehementer ſuſpectam reddit illam nimis ambitioſam Academiæ Cantabrigienſis antiquitatem.

Quicquid ſit, in eo certè, gloriari ſuo iure potuit aliquando Oxonia ſupra pleraſque alias Academias, quod à Clemente Papa quinto in Concilio Viennenſi circa annum ſalutis reparatæ 1310. ex quatuor præcipuis Vniuerſitatibus huius Vniuerſi, in quibus præter alias omnes ſcientias, linguæ Hebræa, Arabica, & Chaldæa doceri debebãt, hæc vna pro vniuerſa Anglia, Scotia, Hibernia, & Vvallia electa fuerit & conſtituta. Sicuti Pariſienſis Vniuerſitas pro Gallijs. Salamantica pro Hiſpanijs. Et Bononienſis pro tota Italia, vt habetur libro quinto Clementinarum titulo primo, qui eſt de Magiſtris. Quo etiam ferè tempore, videlicet anno Domini plus minus 1320. in Concilio iuxta Londinum apud Lambethã habito, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi Gualtero Reinaldo decretum fuit, vt vniuerſus per Angliam Clerus pro ſalario prælectorum linguæ potiſſimum Hebreæ in Academia Oxonienſi, quartam partem cuiúſque libræ prouentuum Eccleſiaſticorum ſolueret.

De numero ſtudioſorum.

CAPVT VI.

DE NVMERO ſtudioſorum in Academijs nihil certi ſtatui poteſt, cum in continuo ſemper quodammodò ſint motu, & inſtar maris quaſi perpetuum habeãt fluxum & refluxum, alijs abeũtibus, alijs aduenientibus. Quia tamen in hac Academia plus quàm mille alumni in Collegijs nutriebantur gratis, & nullus locus vacare debebat, nec ſolebat, nec facilè poterat ad vnum vel alterum menſem, conſequens eſt, ſaltem plus quàm mille ſcholares ibi ſemper inueniri: etiam ſi illud cõtingeret, quod numquàm contigiſſe, imò vix contingere poſſe exiſtimo, nullum ibi litteris operam dare, præter eos qui alicuius Collegij expenſis alerentur. Nam plerúmque longè maior fuit numerus eorum qui ſuis ſumptibus ibi ſtudiorum cauſa degebant, quàm eorum qui gratis alebantur. Vndè, vt ex hiſtorijs noſtris conſtat, numerus ſtudioſorum ibi rarò fuit infra ter mille. Et circa annum Domini 1300. ſub Edvvardo Rege primo, ſi Armachano credimus, triginta millia ſtudioſorum Oxonij cenſebantur.

De

De numero & magnificentia Collegiorum.

CAPVT VII.

SEQVITVR nunc vt de Collegijs agamus, quæ ſunt numero ſedecem. Quorum aliqua certè magnificis exurgunt ſtructuris. Sed pleráque magis antiquitatē redolent, quàm habitandi commoditatem præbent, præbent tamen antiquo more vtcumque bonam. Ampliſſimos ſanè habent plerumque reditus, & certos ſtudioſorum numeros alebant honeſtè, imò honorificè, vnumquemque ſecundum cuiuſque in Academia gradum & dignitatem. O quàm ſapienter, quàm prouidè poſteritati proſpexerūt maiores noſtri! Imò, ſi ita loqui liceat, quàm cōſuluerunt quodammodò æternitati! quomodò enim credibile eſt, ibi aliquando defuturos ſtudioſos, qui virtuti & bonis litteris operam ſint daturi, Collegiorum honorem defenſuri: vbi ad victum, cultum, omnémque ſtudiorum rationem omnia gratis & honorificè pro cuiuſque ſtatu ſuppeditabantur? Sed horum Collegiorum fundatores quantumuis pij, boni, ſancti viri, ſpiritum tamen prophetiæ non habebant, vt hanc rerum miſeram conuerſionem, quæ noſtra ætate contigit, præuiderent, Religionis Catholicæ exterminium quod nunc eſt præſcirent. O quàm non intentio illorum erat, inimicos Dei & Eccleſiæ Catholicæ in ſuis Collegijs alere! Ante Alfredum regem de fundatis Oxonij Collegijs nullam apud hiſtoricos inuenio mentionē. Ille autem poſtquam circa annum ſalutis 883, hanc Academiam partim domeſticis bellis, partim externorum incurſionibus & barbarorum rapinis penè deletam, è ruderibus excitaſſet, & Muſis denuò reſtituiſſet; tria erexit Collegia, Grammaticis vnum; alterum Philoſophis; tertium Theologis. Quæ poſteà bellis vaſtata interciderunt. Ex quibus tamen vnum adhuc exiſtere ferunt reſtauratum circa annum ſalutis 1081, ſub Guilhelmo Rege primo à Guilhelmo Archidiacono Dunelmenſi. Sed ego potiùs aſſentior Ioanni Stoo, qui ex libro quodam de actis Epiſcoporum Dunelmenſium aſſerit hoc Collegium præfato quidem anno reſtauratum à Guilhelmo, non Archidiacono, ſed Epiſcopo Dunelmenſi: porrò quidam Guilhelmus Archidiaconus Dunelmenſis, longo poſt tempore idem Collegium nouis ædificijs reparauit. Quod poſteà Collegium Vniuerſitatis vocatum eſt.

Regnante in Anglia Eduardo primo circa annum Chriſti 1263, Ioannes Balleolus Scotorum Rex, dum exul ageret in Anglia, Collegium in ſuburbio Septentrionali poſuit, & à ſuo nomine Balliolenſe vocauit. Item ſub eodem Rege Eduardo primo circa annum gratiæ 1276, Gualterus Mertonus Epiſcopus Roffenſis, Collegium quod in Comitatu Surreienſi fundauerat, Oxonium tranſtulit, & Mertōnenſe nominauit. Cuius Collegij patronus, & cum ampliſſima iuriſdictione ſummus viſitator ſolebat ſemper eſſe Archiepiſcopus Cantuarienſis.

Sub Angliæ Rege Eduardo ſecundo circa annũ ſalutis 1320. Gualterus Stapletonus Epiſcopus Exonieñſis Exonienſe Collegiũ fundauit, in quo ego penè puer prima rudiméta Grammatices inchoaui. Aulam quoque, quam vocant, Ceruinam, idem ædificauit. Collegium iſtud, noſtra ferè memoria circa annum Domini 1566, auxit Guilhelmus Petrius Eques auratus, & Regij Conſilij Secretarius, beneficium educationis, quam ibi iuuenis acceperat, hac animi grati teſtificatione proſecutus.

Exemplum Stapletoni eodem tempore ſecutus eſt, ſiue Rex ipſe, ſiue, quod magis crediderim, Regis eleemoſynarius Adamus Brionus, qui circa annum Domini 1323, Collegium Orialenſe, & Aulam quam dicunt S. Mariæ extruxit. In hoc Collegio ſtuduit aliquando, & huic Aulæ poſteà præfuit tanquam Rector Guilhelmus Alanus, qui ſucceſſu temporis factus eſt S. R. E. Preſbyter Cardinalis.

Sub Rege Eduardo tertio circa annum Chriſti 1353, Simon Iſlepus Archiepiſcopus Cantuarienſis Cantuarienſe Collegium ædificauit, quod Rex Henricus octauus Eccleſiæ Chriſti vniri fecit. Paulo etiam poſt regnante eodem Eduardo tertio Philippa Regina eiuſdem Regis coniux Collegium Reginæ ſeu Reginale poſuit. Quod tamen opus Ioannes Stoüs tribuit Roberto Englishfeldo Reginæ Philippæ ſacellano.

Circa annum Chriſti 1370, vel vt habet Polydorus Virgilius libro decimo nono, anno Domini 1366. Guilhelmus Vviccamus Epiſcopus Vvintonieñſis, cuius memoria ſemper erit in benedictione, duo inſignia Collegia fecit, alterũ Vvintoniæ litteris humanioribus, alterum Oxoniæ maioribus ſtudijs, ità vt ex illo in hoc optimi quique & doctiſſimi iuuenes ſingulis annis eligerentur & promouerentur. Vtrumque ampliſſimis poſſeſſionibus dotauit, & beatiſſimæ Mariæ virgini Dei genitrici conſecrauit, nouum tamen vtrumque nominauit. Ego in horum altero ferè ad ſeptennium litteras humaniores, in altero ferè ad biennium Philoſophiam didici. Sed ne venenum hæreſis, & animæ peſtem cum ſtudijs imbiberem, ſuaſu & conſilio Henrici Alvuay Sacerdotis, circa annum ætatis meæ viceſimum ſecundum, qui fuit Chriſti 1580, Collegium, Academiam, patriam, & parentes reliqui, vt quaſi nudus Chriſtum quærerem, & eius Eccleſiæ membrum fierem. *Quæſiui & inueni quem diligit anima mea.* Porrò in quolibet horum Vviccamicorum Collegiorum honeſtè imò honoratè alebantur ſaltem centum perſonæ, quæ omnes ſtudia litterarum, & magna ex parte ſtatum Eccleſiaſticum, ex inſtitutione fundatoris amplecti tenebantur. Nec vltra certos dies locus vllus vacare debebat, nec ſtudioſorum numerus diminui. In Vintonienſi omnes ſtudioſi litteras humaniores diſcentes, pueri vocabantur, nec quiſquam ex ijs ampliùs ibi morari poterat, quàm ad annum ætatis viceſimum completum. Pueri fuerunt numero ſeptuaginta, quibus acceſſerũt etiam minores pueri chorales ſedecem, qui Muſicè cantare, Miſſis miniſtrare, & oportunis etiam horis Scholam frequentare debebant. Sacerdotes erant quindecim, qui quotidiè canonicas horas

cantare, & Miſſas celebrare ſolebant. Ex his quatuor erant Capellani, decem Canonici, quos Magiſtros ſeu Capitulares vocabant, qui cum Decano negotia Collegij tractabant. Duo tantum erant ſcholæ Magiſtri, quorum primus honoratis & amplis ſtipendijs conducebatur, alter honeſtis & mediocribus. Qui ſecundùm antiquam ſimplicitatem ex charitate magna nimis laborioſam agebant vitam. Decanus, quem Cuſtodem, ſeu Guardianum vocabant, his omnibus præſidebat. Cuius & honorifica & opulenta fuit conditio. Erátque ſemper vir grauis & magnæ auctoritatis, & ſacræ Theologiæ, vel iuris vtriuſque Doctor. Et hi omnes in eodem communi refectorio, quiſque ſuo loco & ordine, miniſtrantibus partim Collegij famulis, partim pueris choralibus, cibos ſimul ſumere debebant. Idem prorſus numerus, modus, & ordo, paucis exceptis in Oxonienſi Collegio, qui in Vintonienſi: niſi quod in hoc pueri, maxima, ex parte, in illo omnes viri præter chorales, nutriebãtur. Vnde & in Oxonienſi Collegio longè maiores fuerunt redditus, quia ſtudioſorum quiſque ſecundum gradum & dignitatem ali debebat. Atque hæc duo Collegia virtuti & bonarum litterarum ſtudijs, vnus Epiſcopus Vintonienſis fundauit, ampliſſimis poſſeſſionibus dotauit, auro, argento, gemmis, lapidibus precioſis multis, veſtimẽtis & vaſis ſacris omníſque generis ornamẽtis Eccleſiaſticis penè ad miraculũ ſplendidis ditauit. Sed hæc iam hæreſis conſumpſit, decoxit, abliguriuit. De hoc Oxonienſi Viccami Collegio ſic inter alia ſcribit Polydorus Virgilius libro hiſtoriæ Anglicæ decimo nono: *Indè velut ex equo Troiano, viri omni tempore virtute excellentes prodeunt.*

Sed vnde digreſſi ſumus reuertamur. Regnante eodem Evvardo tertio circa annum Domini 1370, Thomas de Hattefeldo Epiſcopus Dunelmenſis octo monachis Dunelmenſibus, & ſeptem clericis, ad arbitrium Prioris Dunelmenſis ponendis Collegium ſtruxit, quod Dunelmenſe vocauit. Sed poſteà monachis expulſis Collegiũ ad ruinam iam tẽdens, ſub Rege Henrico octauo à Thoma Popo ordinis Equeſtris viro reſtauratum & redditibus ditatũ, moto nomine, Sanctiſſimæ Trinitatis Collegium vocari cœpit. Regnante autem Henrico quinto circa annum Domini 1410, Richardus Flemingus Epiſcopus Lincolnienſis Lincolnienſe Collegium conſtruxit. Quod ſub Richardo tertio auctum eſt à Thoma Rotheramo Epiſcopo etiam Lincolnienſi circa annũ Domini 1479, vt eſt auctor Ioannes Stoüs.

Interim, vt videtur, ordinis S. Benedicti monachi collatis pecunijs, Glauceſtrenſe Collegium erexerunt, vt ibi ex ſingulis, quæ contribuerant, monaſterijs, aliqui in ſtudijs ali poſſent. Alij tamen ſcribunt hoc Collegium monachis poſitum fuiſſe à quodam viro nobiliſſimo Ioanne Giffordo. Quod eiectis monachis ſuppreſſum eſt ab Henrico Rege octauo, & poſteà regnantibus in Anglia Philippo & Maria, vnitum Collegio S. Ioannis Baptiſtæ, vt mox dicetur.

Regnante Henrico ſexto, circa annum gratiæ 1437, Henricus Ehi-

chileius Archiepiſcopus Cantuarienſis Oxonij duo Collegia fundare cœpit, quorum alterum, quod omnium animarum vocauit, mortuorum memoriæ; alterum D. Bernardo conſecrauit. Horum priori Prioratus quatuor donauit Rex Henricus ſextus. Videlicet Alberbery in Comitatu Salopienſi. Rumney in Cantia. Languenith, in Southruallia, & Vvodon Pinchney in Comitatu Northamptonienſi. Vnde & meritò dictus Rex huius Collegij fundator reputatur. Sed Collegium D. Bernardi paulatim concidit, cuius loco noſtra ferè memoria circa annum Domini 1557, Thomas Vitus Eques reparauit Collegium S. Ioanni Baptiſtæ dedicatum, aſſignatis, ad alendos ſcholares, ſexcentis Anglicanæ monetæ libris annuis: illius porrò Collegij, quod omniũ animarum vocant, protector & ordinarius viſitator fuit ſemper Archiepiſcopus pro tempore Cantuarienſis.

Anno verbi incarnati plus minus 1460, Guilhelmus Vvainfletus Epiſcopus Vvintonienſis magnificum ſtructura, & ſitu peramænum Collegium S. Mariæ Magdalenæ poſuit, extra portam vrbis Orientalem. Cui etiam annexa eſt ſchola Grammatica.

Regnante etiam Henrico ſeptimo, circa annum Domini 1516, Guilhelmus Smithus ſeu Smithæus Epiſcopus Lincolnienſis Collegium quod vocant Ænei Naſi cõſtruxit, & poſſeſſionibus ditauit. Quo etiam ferè tempore Richardus Foxius Vvintoniẽſis Epiſcopus nitidum illud Corporis Chriſti Collegium ædificauit, optimiſque legibus ſtabiliuit. Cui, vt ferunt, in annis redditibus donauit libras Anglicanas quadringentas, & vnam, octo ſolidos, & duos denarios. Quæ ſumma, ſecundum aliarum nationum computum, in vniuerſum complet coronatos currentes mille, trecentos, & 36. In huius Collegij laudibus valdè profuſus eſt Eraſmus Roterodamus, cum tamen ſit vel ex omnibus minimum, vel certè ex minimis vnum. Sed perplacuit illi Bibliotheca, & ſtudium linguarum, quod ibi aliquandò floruit, & ex mente fundatoris ſemper florere deberet. De qua re Ioannes Vitus vltimus Epiſcopus Vvintonienſis ſic non ineleganter ſcribit in libro Diacoſio martyrion pro ſanctiſſima Euchariſtia.

Eſt locus Oxonij, licet appellare trilingue
Muſæum, à Chriſti corpore nomen habet.

Regnante in Anglia Henrico octauo circa annum gratiæ 1540, cum fides & religio Catholica in Anglia plus quàm nutaret, imò planè ruinã minaretur, Thomas Vvolſæus Cardinalis & Archiepiſcopus Eboracenſis loco monaſterij S. Friſvvidæ vel Fridiſvvidæ, quod iam penè deſtructum fuerat, ſuperbum & nimis ambitioſum Collegium inchoauit, quod Rex poſteà Collegium Eccleſiæ Chriſti vocari voluit. Opus adhuc valdè imperfectum remanet, non vltima manus impoſita eſt, niſi tantum culinæ & refectorio. Interim tamen tum nomen tum redditus Collegij Cantuarienſis abſorpſit.

Noſtra denique memoria anno videlicet ſalutis 1572, regnante

apud Anglos Elizabetha, quidam Hugo Pricius Iuris vtriuſque Doctor, ſenex Collegij fundamenta poſuit, eo loco quo anteà fuerat Aula dicta Alba, ſuúmque Collegium ſanctiſſimo nomini Ieſu ſeruatoris dedicauit. In cuius operis inchoatione illud non iniucundum contigit: quod quam primùm portam erexiſſet, in eius ſuperliminari, quaſi ædificium ad tantillam altitudinem eleuatum, iam planè fuiſſet abſolutum, hos duos verſus inſculpi fecit:

Struxit Hugo Pricius tibi clara palatia Ieſu,
Vt Doctor legum pectora docta daret.

Quos verſus quidam acutè redarguendo, non infacetè & appoſitè reſpondit vt ſequitur.

Non dum ſtruxit Hugo, vix fundamenta locauit,
Det Deus vt poßit dicere, ſtruxit Hugo.

Horum Collegiorum vnumquodque ſecundum numerum ſtudioſorum, quos ex inſtituto fundatoris alere debebat, congruas aſſignatas habebat poſſeſſiones. Quælibet etiam domus ſuos habebat hortos priuatos deambulationibus pomeridianis commodos, & Bibliothecas ad quotidianos ſtudioſorum vſus.

His Collegijs, Aulas, quas vocant, adiungas octo, in quibus nobilium, aut diuitum filij ſuis ſeſe expenſis ad ſtudia nutriebant. Quamuis & pleraque Collegia, extra eos, quos habebant alumnos, etiam eiuſmodi conuictores recipere poſſent, ac ſolerent magno nonnumquam numero. Iſtæ autem Aulæ à ſingulis Collegijs ſingulæ dependebant, eorum ſeruantes ordinem, regulam, & ſtatuta, niſi quod in Aulis laxior quam in Collegijs plerumque fuerit diſciplina. Quoniam ibi ſoli fuerunt, qui ſuis ſumptibus viuebant, ſuo etiã arbitrio viuere cupiebãt, & maiorem libertatem ſibi arripere geſtiebant, vti iuuentus ad licentiam naturaliter eſt procliuior. Nullum tamen Vniuerſitatis, aut Collegij ſtatutum impunè violare antiquitùs permittebantur.

Aulæ autem fuerunt iſtæ: Ceruina, Albornenſis, Latæ portæ, S. Mariæ, S. Edmundi, S. Mariæ Magdalenæ, Glauceſtrenſis, & Nouum Hoſpitium. Vt autem Academia iuuenibus optimæ ſpei ſemper abundaret, nec vnquam cogeretur crudos & rudes erudiendos ſuſcipere, ad Collegia ſaltem maiora ferè non admittebantur niſi ſelecta ex publicis aliarum ciuitatum ſcholis ingenia, in quibus antiquitus accuratè, ſi vſpiam alibi, litteræ docebantur humaniores, & lingua Græca: vt ad Academiam tranſlati, iam Poëtæ & Oratores inuenirentur omnibus ſuis numeris abſoluti, & tam maturi, vt Logicam, Philoſophiam, ſcientias Mathematicas, omneſque liberales diſciplinas cum fructu audire, cum voluptate diſcere, & de quacumque re propoſita breui tempore diſertè & cum laude diſcurrere poſſent.

Inſigniores autem per Angliam ſcholæ Grammaticæ olim erant Vvintonienſis, Eboracenſis, Londinenſes, Cantuarienſis, Dunelmenſis, Etonenſis, Saleſberienſis, & his ſimiles aliæ plurimæ. Ex quibus

prodire ſolebant annuatim, partim ad Oxonienſem, partim ad Cantabrigienſem Academias adoleſcentes omni humanioris litteraturæ genere inſtructiſſimi, & ad altiores diſciplinas capeſſendas aptiſſimi. Quãuis & in ipſis Academijs ab ipſa pueritia plurimi fuerint educati, & in Grammatica atque etiam Rhetorica tum publicè, tum priuatim optimè inſtituti, qui & ipſi ad altiora ſtudia ſuis temporibus promoti, parem cum alijs non raro fecerunt fructum.

De Scholis & Bibliothecis publicis.

CAPVT VIII.

SCHOLAS publicas, excepta ſchola Theologica, viliores habuit Oxonia, quàm tam inſignem Academiam deceret. Cuius rei forſan ea fuit ratio, quod præter lectiones publicas, quodlibet Collegium domi intra priuatos parietes, ſuos lectores, ſuáſque lectiones ſemper habere conſueuerat. Meo ſanè tempore numquàm vidi publicè legi, niſi ſolum pro forma, perfunctoriè, ſine vllo ordine, ſine magiſtrorum honore, ſine diſcipulorum fructu vel vtilitate, omnibus hinc indè ex vna in aliam ſcholam pro arbitratu vagantibus, & diſſolutè diſcurrentibus.

Scholam Theologicam perelegantem ſanè & magnificam ex lapide quadrato conſtrui fecit Hunfredus Glauceſtriæ Dux circa annum Domini 1447, de cuius ſcholæ laudibus Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti habetur Epiſtola M S. ad Thomam Kempum. In huius ſcholæ ſuperiore contignatione ſplendidam ad Academiæ publicum vſum bibliothecam inſtituit idem Dux, conquiſitis magno precio ex Italia & alijs exteris regionibus ſelectiſſimis quibuſque libris, & aduerſarijs antiquiſſimis. Aliam longo ante tempore, Richardus Angeruillus Epiſcopus Dunelmenſis cognomento Philobiblos, coëmptis plurimis optimis libris inſtruxerat. Sed hoc calamitoſo ſæculo, & Anglis maximè exitioſo, hæretici nouitatis ſemper ſtudioſi, has bibliothecas antiquitatis teſtes, nouitatis hoſtes, pietatis & religionis iudices, veritatis vindices ferre non potuerunt, & ne fraudes, mendacia, nouæque doctrinæ ſuæ portenta magis detegerentur, acriùs redarguerentur, libros illos omnes (ô irreparabile rei litterariæ diſpendium) vel flammis tradiderunt, vel, vt alias perirent, diſſipauerunt.

De Diſciplina Collegiata.

CAPVT IX.

COLLEGIATAM Diſciplinam antiquitus optimam fuiſſe ſæpè audiui, meo tempore numquàm vidi. Nam hæreſis iam omnem ordinem peruerterat, & eam, quæ nunc eſt, confuſionem introduxerat. In Collegijs omnibus olim per totum annum ſurgebatur mane hora

poſt mediam noctem quinta. Et poſt mediam circiter horam omnes in Eccleſia conueniebant (quodlibet enim Collegium intra priuatos parietes ſuum habebat templum) diei primitias Deo offerentes, & in matutinis meditantes in eo. In pleriſque Collegijs tum canebant matutinas preces beatæ Mariæ virginis, quod etiam meo tempore ſingulis diebus obſeruatum vtrumque fuit Vvintoniæ. Abſolutis precibus, primùm Collegij priuatas, deinde Academiæ publicas adibant & excipiebant lectiones. Nam præter regios & publicos omnium ſcientiarum, Græcæ etiam & Hebraicæ linguæ Profeſſores; domeſticos in quolibet Collegio prælectores habebant, qui Logicam, Philoſophiam omnem, & Græcas litteras quotidiè docebant, & declamationibus oratorijs, quæ ſemel ſaltem in hebdomada habebantur, præeſſe ſolebant.

Omnes ſimul in publico Collegij refectorio cibos, vt ſupra dictum eſt, ſumebant, vbi dum comedebatur, extra ſacram lectionem, altum erat ſilentium, vt, ex veteri inſtituto, dum corpus paſceretur, anima quoque reficeretur. Sumpta refectione, pro ratione temporis, tantillum ambulabatur, vel alia breuiuſcula recreatio ſumebatur. Poſteà ſcholaſticis exercitijs aut lectionibus attendebatur.

Cum ſingula Collegia altis muris cincta, vel ipſis ſuis ædificijs vndique fuerint clauſa, moris ſemper erat, portas eadem hora in omnibus Collegijs manè aperire, & veſpere claudere. Claudebantur autem hyeme veſpere hora poſt meridiem octaua, æſtate, nona: dato priùs magnæ campanæ ſigno, ne quis ſe non audiuiſſe, vel illa voce publica monitum non fuiſſe cauſari poſſet. Portæ autem ſemel clauſæ, in gratiam cuiuſquam priuati hominis vel negotij numquàm aperiri conſueuerant, ante horam matutinam, poſt mediam noctem, quintam. Si quis de nocte poſt finitum dictæ campanæ ſignum, extra ſuum Collegium deprehẽdebatur, in carcerem ſtatim conijciebatur, certa pecuniæ ſumma mulctabatur, vel nonnumquam etiam exigentibus cauſis, aliquid grauius in eum ſtatuebatur. Antiquitus etiam ſtrictiſſimè fuit obſeruatum, vt, exceptis graduatis, nemo animi, vel etiam negotij cuiuſquam cauſa à Collegio ſuo ſine ſuperioris petita & obtenta licentia, ſocio etiam aſſignato, egredi poſſet. Ingredi ciuium domos, prandium aut cœnam apud eos ſumere, non niſi maxima vrgente cauſa, & quaſi ex ſpeciali indulto, cuiquam licuit. Popinas autem intrare, in hoſpitijs publicis conuiuari, vel in ædibus alicuius ciuis pernoctare, piaculum erat. Nam in his ſi quis deliquiſſet, ex Academia, niſi magna aliqua ratio ſubfuiſſet, cum dedecore eijciebatur.

Præter Doctores, qui plerumque omnes, vel in ſcholis publicis profitebantur, vel priuatis Collegijs, vel publicis Academiæ officijs aut negotijs præficiebantur; tres fuerunt ſtudioſorum ordines. Nam omnes vel artium liberalium & Philoſophiæ Magiſtri, vel Baccalaurei, vel denique diſcipuli cenſebantur. Qui inter ſe, ad vitandam confuſionem, tam ordinatè diſponebantur, vt quiſque memor ſui ſtatus & conditio-

nis, ſuam accuratè conſeruaret grauitatem, ſuique gradus modeſtè tueretur honorem. Vnde nec facilè, niſi cum ſuæ conditionis hominibus in publico familiariter quiſquam verſabatur. Hinc in magiſtris multa grauitas, magna auctoritas. In Baccalaureis etiam vtraque moderata & mediocris, cum nec ſe temerè magiſtris admiſcerent, nec tamen ad diſcipulos ſe communiter abijcerent. Hinc denique in diſcipulis humilitas, modeſtia, taciturnitas, obedientia, reuerentia, & maiorum omnium mira obſeruantia. Diſcebant enim libenter obtemperare, vt mererentur ſuo tempore, loco, & ordine quodammodò imperare.

Denique in noſtris Academijs antiquitus ſemper tanta fuit ad omnia virtutum & bonarum litterarum ſtudia animorum contentio & alacritas, vt ſecundùm Deum ſoli inde prodeuntes viri docti & pij, ſuis virtutibus & eruditione ſingulari, florentiſſimum in Anglia Eccleſiæ ſtatum ad annos penè trecentos effecerint & conſeruauerint. Imò poſtquàm iam religio fideſque Catholica vacillare inciperet, harum ſcholarum Doctores magna induſtria, ne corrueret, quaſi ſuppoſitis humeris, aliquandiu ſuffulſerunt. Hoc enim teſtantur eruditiſſimæ diſputationes & aliæ litterariæ concertationes, in ipſa plerumque Academia Oxonienſi, contra Lolhardos ſeu Vvicleffitas, Lutheranos, & farinæ ſimilis impios homines. Idem etiam ſatis teſtantur, qui adhuc extant libri ſuper his controuerſijs, à noſtris Doctoribus eruditiſſimè conſcripti.

De ratione ſtudiorum.

Capvt X.

QVOD ad ſtudiorum rationem attinet, ſcholares ſeu diſcipuli Logicam & Philoſophiam diſcentes, in quolibet Collegio primum ferè biennium domi intra priuatos parietes conſumebant, ſui cum ſuis ingenij periculum facientes, deinde in arenam ad publica deſcendebant cum externis certamina. In quibus diſputandi & reſpondendi publicis exercitationibus, poſtquàm aliud poſuiſſent biennium, & aliquod laude dignum ingenij doctrinæque ſpecimen edidiſſent, approbati primùm à ſui Collegij Magiſtris, deinde à ſingulis, quorum intererat, ſuppliciter & priuatim petita, & à ſufficiente numero obtenta, quam vocant, gratia, communi omnium ſimul congregatorum ſuffragio artium Baccalaurei renunciabantur. Ita omnia fieri ſolebant lento paſſu, deliberato conſilio, maturo iudicio, & iactis ſolidis in omni gradu doctrinæ fundamentis. Nam ſimul cum hoc Philoſophiæ ſtudio, ſtudebant etiam orationis elegantiæ, ne eos multa ſcire, & nihil ornatè copioſéque eloqui poſſe contingeret. Græcarum etiam litterarum ſcientiam adiungebant, tum ad Ariſtotelem ex natiuo ſermone rectè intelligendũ, tum maximè poſteà propter ſacras ſcripturas, & Græcos Doctores,

Doctores, omneque Theologiæ genus accuratiùs percipiendum.

Hebræam etiam linguam tum attingebant, poſteà Theologi facti exactiùs diſcere ſolebant. Moris etiam erat primo quadriennio Geometriam, Arithmeticam, Aſtronomiam, & omnes ſcientias Mathematicas, ſi vellent, accuratè diſcere, ſin minùs, ſaltem deguſtare. Nec periculum in tanta mora. Nam nihil ſuis aut parentum, aut amicorum priuatis ſumptibus, ſed omnia Collegiorum, ex mente fundatorum, publicis fiebant expenſis. Nec tempus cuiquam præſcribebatur, vltra quod in ſuo Collegio viuere non poſſet. Nam niſi ſua culpa fieret, vt expelleretur, liberum cuique fuit ad vitæ dies permanere, & pro ratione gradus, præter victum, augebatur ſemper ſtipendium, vt pro ſtatu vitam honorificè ſuſtentare poſſet.

Baccalaurei, vt ſupra dictum eſt, renunciati, per totam proximè ſequentem Quadrageſimam diſtributis vicibus, theſes ex tota Logica & Philoſophia diſputandas proponere ſolebant, eaſque in ſcholis publicis, habitu & inſignibus ſui gradus induti, ex cathedra Magiſtrali, contra quoſcumque oppugnatores, nullo moderatore vel auxiliatore defendere debebant. Ibi videre erat iuuenilium ingeniorum mirum acumen, laborem, induſtriam, ſubtilitatem in diſtinguendo, eloquentiam in explicando, dexteritatem in appoſitè reſpondendo, iudicium in nodos & difficultates argumentorum diſſoluendo. Eò veterani Magiſtri, eò nonnumquàm ipſi Doctores diſputatum veniebant. Defendentes autem, benè, vt eſſe ſolebant, præparati, quò magis probabantur, agitabantur, vrgebantur, eò magis lætabantur & gloriabantur, ſuumque & Collegij ſui nomen, honorem, dignitatem defendiſſe ſeſe meritò exiſtimabant. Si quis autem in hac palæſtra ſe minùs laudabiliter geſſiſſet, is & ſibi dedecus, & ſocijs ruborem incutiebat, ipſique Collegio ſuo non mediocrem inurebat maculam, quam etiam noxam non ferebat impunè.

His autem ritè peractis, aliud adhuc triennium in Baccalaureatu ſtrenuè peragere debebant, qui ad magiſterium in artibus aſpirabant. Nam priuatas & domeſticas declamationes habere oportebat non raras. Sæpè etiam ſub magiſtro moderatore defendendæ ex vniuerſa Philoſophia theſes. Sæpè priuatim, ſæpè publicè diſputandum. Aliquod Ariſtotelis volumen in ſcholis publicis, licet breuiter & curſim explicandum. Ad quodlibeticas, quas vocabant, diſputationes ſemel ſaltem & iterum deſcendendum. In Auguſtinianis ad D. Virginem concertationibus horis pomeridianis nonnumquàm diſſerendum. In quibus omnibus, & ſimilibus exercitijs, ſi ſuum triennium à ſuſcepto Baccalaureatu, laudabiliter exegiſſent, ad gradum Magiſterialem ordine & ritu conſuetis, in *Actu* ſolemni euehebantur. Quem *Actum* (Comitia vocant Cantabrigienſes) quia multi ſplendoris eſſe conſueuerat & maieſtatis, hic paucis conabor explicare.

De Eccleſia Vniuerſitatis & Actu ſolemni, in quibus gradus conferebantur.

Capvt XI.

ECclesia Vniuerſitatis, quæ D. Virgini Mariæ ſacra erat, olim ſplendidè fuit incepta à quodam Fitziames Doctore Oxonienſi, qui poſteà fuit Epiſcopus Londinenſis. Hic enim in hunc finem multa coaceruata pecunia pulcram ferè ex quadrato lapide fieri curauit ſtructuram, multis pinnaculis per circuitum affabre ornatum, qui decor vna nocturna tempeſtate penè omnis deformatus eſt.

In hac Eccleſia ſolemnis Actus quotannis celebrari ſolebat ipſis Idibus Iulij. Ibi namque erecto aliquot ante diebus ampliſſimo theatro, adhibitis debitis ceremonijs, ſolemniſſimè creabātur artium Magiſtri plurimi, & in qualibet trium facultatum Doctores aliqui. Celebritas hæc antiquitùs tanta fuit, vt ad eam ex omnibus Angliæ partibus in maximo numero cònfluerent omnis penè ſtatus & conditionis homines. Et quantumuis magnus eſſet apparatus, biduo tamen res tota conficiebatur. Antiquitùs ſanè dum ibi eſſet in flore religio, fides, & melior eruditio, in hoc *Actu* inueniebantur omnes eloquentiæ nerui, omnes elegantiæ flores, omne Philoſophiæ acumen, omnis ſolidioris Theologiæ perfectio, & copioſa quædam omnium optimarum ſcientiarum fiebat hic quaſi Meſſis autumnalis, ex frugibus & fructibus illius tum cultiſſimi agri Academici maturiſſimis. Orationes planè Ciceronianæ. Concertationes in omni ſcientiarum genere doctiſſimæ. Diſputationes acutiſſimæ. Quicquid enim eſſe poterat in re oratoria exquiſitiſſimum, huc apportabatur. Quicquid in ſcientijs Philoſophicis ad ingeniorum exercitationem ſubtile & acutum, hic neruosè diſcutiebatur. Quicquid in re medica magis ad praxim vtile, vel ad ſpeculationem iucundum, hic proponebatur & agitabatur. Quicquid in iuriſprudentia magis ponderoſum, & reipublicæ conducibile, huc afferebatur, hic efferebatur. Quicquid in ſacra Theologia magis appoſitum ad Chriſti fidem explicandam, roborandam, amplificandam, vel magis idoneum ad hæreſes refutandas, ad errores refellendos, repellendos, exterminandos, huc tanquàm ad cæleſtem theſaurum congerebatur, hic quaſi ſacra quædam mercatura vænum, imò gratis expandebatur & exponebatur.

Ibi videre erat Baccalaureos vltima ſua palma donatos ſimul nonnumquàm ducentos. Promoueri Magiſtros ſuprà ſæpius quàm infra centum. Doctores in tribus facultatibus communiter plus minùs viginti. Et hos omnes viros ætate maturos, moribus graues, conſilio prudentes, doctrina ſolidos, fide, pietate, religione inſignes, ſuo denique per omnia gradu & honore dignos, & qui ad maxima quæque in republica obeünda munia reperiebantur idonei. Nec latuit hoc vnquam

prudentiſſimos quoſque & cordatiſſimos Angliæ Reges, qui ex iſtis ſemper eligere ſolebant, quorum opera tum domi, tum foris vterentur. Alios enim præficiebant Eccleſijs, alios adhibebant in conſilijs, alios promouebant ad magiſtratus, alios denique ad potentiſſimos mundi Monarchas deſtinabant oratores. Vti manifeſtiùs apparebit ex ijs, quæ fuſiùs infrà dicentur.

Sed iam vt Actum noſtrum concludamus, ſanè ſiue apparatus ſpectares magnitudinem, nihil in eo genere potuit eſſe ſplendidius; ſiue actus dignitatem, nihil ſolemnius, ſiue conuentus frequentiam, nihil celebrius; ſiue varietatem exercitarionum, nihil delectabilius: ſiue rei oratoriæ neruos & elegantiam, nihil copioſius, nihil ornatius: ſiue diſputationum acumen & ſubtilitatem, nihil accuratius: ſiue denique rem totam ſimul animo complecterevis, inueniſſes profectò, quod in hoc genere vix habuiſſet orbis Chriſtianus quicquam vel ad ſpeciem pulcrius, vel ad elegantiam ornatius, vel ad maieſtatem ſplendidius, magnificentius, regalius. Et hæc de ratione ſtudiorum dicta ſufficiant. Iam ad magiſtratus, & politiam Academicam veniamus.

De Magiſtratibus & Academiæ politia.

CAPVT XII.

MAGISTRATVS Academici multi fuerunt. Omnium autem præcipuus & ſupremus erat Cancellarius, qui ſemper ex primis regni proceribus ſumebatur, vel ex regio Senatu, vel certè ex præcipua nobilitate. Qui propter eminentem apud omnes auctoritatem, & apud ipſum Regem gratiam, Academiam faciliùs protegere poſſet, eiuſque honorem, priuilegia, maieſtatem tueri & conſeruare valeret. Secundus erat Procancellarius, qui vices Cancellarij ſemper præſens agebat, Oxonienſes Commiſſarium vocare conſueuerunt. Huius electio ſemper ad Scholares ſeu cætum Academicum ſpectabat, confirmatio tamen ad ordinarium, Epiſcopum videlicet Lincolnienſem. Sed circa annum Domini 1350, Clemens Papa ſextus abrogauit hoc Epiſcopi priuilegium, & Academiæ ſoli tum electionem, tum confirmationem omnemque approbationem ſui Cancellarij in perpetuum conceſſit vt ſuis locis fuſiùs habetur: videlicet in Simone Iſlepo & Guilhelmo Vvittteleſe Cantuarienſibus Archiepiſcopis, & in Ioanne Sinvvallo Epiſcopo Lincolnienſi, qui primus omnium hoc priuilegio priuatus fuit.

Anno autem Domini 1354, vt ſcribit Thomas Vvalſingamus, ciues Oxonienſes, congregato ex locis vicinis exercitu, in ſcholares inſurrexerunt, eoſque vrbe expulerunt, quibuſdam occiſis, multis vulneratis, omnium bonis direptioni expoſitis. Quæ lis non multo poſt tempore ita compoſita eſt, vt deinceps in perpetuum tota ciuitas Vniuerſitatis Cancellario ſubijceretur, vti factum eſt. Hic ſemper Oxonij reſidebat,

præſidebat, & communiter ex ijs Doctoribus eligebatur, qui Collegium aliquod regebant. Is mira ab omnibus obſeruantia colebatur. Nam ius habebat & iuriſdictionem non ſolum in ſcholas & ſcholares, ſed etiam in ciuitatem & ciues, & omnium vtriuſque corporis membrorum quaſi caput, in quoſlibet delinquentes animaduertendi poteſtatem habebat. Prætor Vrbanus (Maiorem Angli vocamus) quotannis ipſo ſuæ creationis die, inſtituto maiorum, Procancellarium accedebat, eius agnoſcebat poteſtatem, ſe ſuóſque Academiæ iuriſdictioni ſubijci, medio iuramento profitebatur. Procancellarius itaque pro ſua auctoritate, & iure poterat, & ſæpè ſolebat, vel per ſe, vel per alios, non ſolum ſtudioſorum habitacula, ſed & ciuium domos, quoties exigebat ratio, viſitare, delinquentes illinc extrahere, carceribus mancipare, vel alias pro qualitate delicti punire.

In illius etiam poteſtate ſitum erat, quoties expedire videbatur, Congregationes & Conuocationes cogere, & in ijs præſidere. Sex Academiæ Bidelli nutum illius maximè ſpectabant, illius mandata exequebantur, ſempérque eum in publicum prodeuntem apertis capitibus præcedebant, ſuáſque claues & faſces præferebant.

Proximum inter publicos Academiæ Magiſtratus dignitatis locum obtinebant Procuratores duo, qui ex Magiſtris artium ad hoc munus eligebantur, & erant paris inter ſe poteſtatis. Hi ſtipati, ſi opus eſſet, militibus, de die, nonnumquàm etiam de nocte platæas obibant, ædes, vbi ijs viſum erat, ſcrutabantur. Et tum Academicos, tum ciues in officio continebant, delinquentes caſtigabant, diligentiſſimè in meretrices inquirebant, quas, ſi deprehendiſſent, publico dedecore affectas, ex vrbe cum infamia eijci faciebant.

Horum etiam munus erat, principes viros, vel principum legatos hoſpitio ſuſcipere, & communi Senatus Academici nomine, publicóque ſumptu honorificè tractare. Item Academiæ negotia in Aula regia ſollicitare, dirigere, perficere. Vnde plerúmque dum hæc publica obibant munia, ſua etiam priuata non negligebant negotia, imò propria nonnumquam egregiè promouebant commoda. Nam his occaſionibus inſinuabant ſe apud Senatum Regium, principum virorum conciliabant gratiam, ipſius aliquando Regis ſingularem acquirebant fauorem. Nam experientia compertũ eſt, multos ratione huius officij, ita foro vſos, vt nõ ſolũ res Academiæ fœliciter perfecerint, ſed ſuas etiam egregiè promouerint, & ex hoc initio ad magnos honores peruenerint.

Poſt Procuratores ordine ſequebatur Orator Academiæ, cuius erat legatos, & alias illuſtres perſonas illuc aduentantes oratione publica excipere, & litterarum quæ Academiæ nomine mittebantur vel accipiebantur, curam habere, & vbi opus erat, ex Senatus præſcripto reſpondere. Hic accedebant Magiſtri ſcholarum, qui publicis præfuerant diſputationibus, futiles rixas prohibebãt, & ne quid inſolenter fieret, vel procaciter diceretur, curam habebant. Horum etiam erat diligenter

proſpicere, nequis ſine veſte, quam vocăt, ſcholaſtica, habitu, & inſignibus ſuo gradui congruentibus ſcholas publicas adire præſumeret. Nemini enim prorſus ſtudioſorum in Collegio, ciuitate, vel ſcholis ſine veſte talari cŏparere vllo tempore permiſſum erat, excepta ſola profectionis & itineris cauſa. Scholas autem frequĕtare ſine toga ſcholaſtica, quadrato pileo ſeu bireta, & inſignibus vel ornamentis ſui gradus, nemini in alicuius Collegij ſocietatem recepto, vlla ratione licuit, quod etiam meo tempore vtcumque obſeruatum vidi.

Conſtituebantur etiam alij duo, alter à Procancellario, à Procuratoribus alter, quos fori vel mercati clericos appellabant. Horum erat munus ſcrutari nequid in publico mercato, nundinis, & mercatorum priuatis officinis fraudis fieret, maximè in ijs quæ pondere & menſura proſtabant venalia, ſpectabătque ad victum aut veſtitum. Horum officium, vti & Procuratorum, anno terminato terminabatur. Rectores vel Præſides Collegiorum fuerunt perpetui, hoc eſt, ad vitam, niſi vel officium ſponte deponerent, vel ſua culpa ab eo deponerentur. Reliqua officia nullum certum habebant terminum, ſed ab eorum nutu, quorum intererat, & penes quos erat electio, pendebant. Bidellorum ſex ſuperius facta eſt mentio. Fuerunt hi quidam honorarij iuſtitiæ miniſtri. Quorum tres primi, qui aureas præferebant clauas, ſingulari regum Angliæ beneficio, in nobilium ordinem coaptati, illis honorū titulis & priuilegijs, quibus alij vulgares nobiles, gaudebant. Tres autem poſteriores, qui & argenteas geſtabant clauas, inferioris fuerunt ordinis, priuilegij minoris. Honeſtis viuebant ſtipendijs, & ab ijs, qui ad gradus promouebătur, non contĕnenda accipiebant iura. Hi Baccalaureos & Magiſtros creandos euocabant, & educebant, creatos ſolemniter reducebant. Quoties publicus Vniuerſitatis conuentus habendus erat, ſingula circuibant Collegia, quantumuis diſſita, & præmonebant quibus perſonis, quo loco, quo ſigno, quo tempore foret conueniendum. Procancellarium in publicum prodeuntem, maximè ad ſcholas vel Eccleſiam, omnes ſuas clauas præferentes conducebant & reducebant. In Eccleſia vel ſchola exiſtentes, Doctores ab ingreſſu portæ eorum aliquis, vel aliquandò plures excipiebant, & ad locum ſuum honorificè deducebant.

De Curijs Academicis.

CAPVT XIII.

HVIVS Academiæ Curiæ fuerunt duæ. Quarum inferior dicebatur Congregatio. Maior vel ſuperior, Conuocatio. Ad Congregationem mane ad campanæ pulſum conuenire ſolebant omnes Magiſtri Regentes, id eſt, iuniores, qui eo anno promoti fuerūt ad Magiſterium. Illis enim potiſſimùm toto illo anno regĕdi munus incumbere ſolebat. In illa curia leuiora negotia tractabătur, vt in ijs primùm exercitati gradatim aſcĕdentes, maioribus apti redderĕtur. Ibi de mulctădis ciuibus,

si in platæis nunditié, inter sese & cum scholaribus pacē & concordiam, in suis domibus bonum ordinem & disciplinam neglexisse, & non conseruasse deprehenderentur. Ibi de minoribus scholaribus fiebat scrutinium, de vita, de moribus, de assiduitate vel negligentia in scholis frequentandis, de profectu in litteris & pietate, de præmijs conferendis, vel de pænis, si opus esset, irrogandis agebatur. Et quod ad gradus suscipiendos attinet, non satis erat in Academia statum tempus exegisse, consuetis exercitationibus functum fuisse, sed ita se in omnibus habuisse oportebat, ad altiorem gradum consequendum, vt Magistrorum suffragia petens, inueniret competentem eorum numerum, quorum aliqui se scire, alij se credere sanctè affirmarent, eum qui petebat, dignum fuisse gradu quem petebat. Nam alioquin promoueri nequaquàm poterat.

Altera Curia maior vel superior, Conuocatio dicebatur. Nam ad eam conuocabantur Academiæ Doctores & Magistri omnes, tum pulsata campana, tum etiam annunciantibus Bedellis, quorum aliquis in atrio cuiusque Collegij conceptis verbis, alta voce sic clamabat; *Ad conuocationem omnes Doctores, Magistri Regentes, & non Regentes, post pulsū paruæ campanæ, hora est: per fidem, per fidem.*

In hoc Conuentu semper præsens & præsidens esse debebat Procancellarius, aut interueniente graui impedimento, in eius absentia aliquis eius locū tenens. Ibi tractabantur omnia maioris ponderis & momenti negotia. Legationes audiebantur, litteræ concernentes Academiam legebantur, fiebantque deliberationes & resolutiones super responsis. Ibi officia & beneficia conferebantur, dona distribuebantur. Ibi Procuratores singulis annis eligebantur.

Et hæc quidem de hac Academia partim vidi, partim in libris legi, partim à viris fide dignis audiui. Alia quæ verisimilibus medijs mihi non constant, vel omninò sunt incognita; silentio malim præterire, quàm sine sufficiente fundamento, ex coniecturis colligere, & incerta pro certis scripto mandare.

Oxoniensis Academiæ statuta antiqua dicuntur adhuc conseruari M.M.S.S. in Archiuis. Vtinā & obseruarentur in ipsa praxi & in factis!

De Academia Cantabrigiensi.

CANTABRIGIAM numquam vidi, nec de ea multa legi, pauca tamen maximè apud Stoüm & Middendorpium reperi. Ioannes Lelandus vocat Grātam Giruiorum, Anglicè Granbrige, Latinè Grantæ pontem dixeris. Modò Cambrige, quasi Camipontem vocamus. Nam fluuio Granta seu Camo ciuitas ferè media diuiditur, & à ponte quo coniungitur, tum nomen, tum originem accepit. Olim enim in vicinia stetit ciuitas Grancestria, id est, Grantæ castrum. Quem locum, postquàm pons constructus erat, ciues paulatim deseruerunt, & pontis commoditate freti, ex vtraque fluminis parte domos ædificauerunt, & ibi sedes fixerunt. Et hinc vetus ruinam, noua ciuitas, habuit exordium.

Grantæ aliquandò fuisse castrum satis amplum ruinæ docent. Quod ferunt ædificatũ regnante Guilhelmo primo. Vrbs hæc Oxoniæ, sicut in alijs, ita etiam in aëris salubritate cedere debet. Nam ex omni ferè parte paludibus obsessa, parcè sanioris auræ spiramen admittit.

Cantabrigienses huius Academiæ vetustatem, plus quàm par est, extollunt, voluntque à Cantabro quodam Hispaniæ Rege, ciuitatis, vt putant, fundatore, anno ante Christum hominem factum 375. exordium sumpsisse. Alij attribuunt huius Academiæ originem Sigiberto vel Seberto Orientalium Anglorum Regi. Sed is anno Domini 630, scholam ibi grammaticam tãtummodò posuit: Cantabrigienses dicunt posuisse Academiam. Et probant ex rescripto Honorij Papæ primi, quem illic aliquandò studuisse ferunt. Illud rescriptum post annos circiter quinquaginta confirmatum aiunt à Sergio Papa primo. Et tandem circa annum gratiæ 1420. à Martino Papa quinto, & non multo post tempore ab eius successore Eugenio quarto. Citant constitutionem quandam Regis Arthuri, qua suam sententiam astruunt. Imò non dubitant affirmare Lucium Pium primum in mundo Regem Christianum circa annum gratiæ 180. priuilegia huic Vniuersitati concessisse. Scribit tamen, vt suprà notatũ est, siue Radulphus siue Robertus vocetur, Remingtonus, non ante annum Christi 1277, sub Eduardo Rege primo, ex schola Cantabrigiensi factam esse sedis Apostolicæ auctoritate Vniuersitatem, ad imitationem Academiæ Oxoniensis. Et minimè dubito quin hanc astruat sententiam Ioannes Rossus Historicus Vvarvvicensis, alumnus Oxoniensis, qui anno salutis 1491, diem suum obijt. Scripsit enim contra historiolam Cantabrigiensem. Opus tamen eius nõ vidi. In appendice quidem ad Ingulphum legimus regnãte Henrico primo circa annum Domini 1120. Ioffridum Abbatem Croilandiæ ex Manerio suo de Cotenham iuxta Cantabrigiam, misisse Gislebertum Doctorem insignem, & alios eruditos Monachos qui Cantabrigiæ in horreo Rhetoricam, Philosophiam, & sacras litteras docerẽt. Verum tunc temporis ibi Academiam fuisse approbatam vel institutam aliqua auctoritate publica, nec ibi scribitur, nec probabile videtur, maximè cum ne schola quidem, in qua legi commodè posset, adhuc illic existeret. Itaque verisimilius est id quod suprà dixi, nempè sub Rege Eduardo primo hanc Academiam incepisse. Quo etiam regnante, vel paulo ante ab Hugone Blashamo tum Priore, posteà Episcopo Eliensi, primum ibi Collegium, quod S. Petri domum vocant, ædificari ceptum est. Cùm autem idem Hugo ad Episcopatum Eliensem euectus fuisset, totum ædificium illud consummauit, & possessionibus amplissimis dotauit anno Domini 1284, posteà regnante Eduardo secundo Robertus Lirlingus adiecit Collegio quamdam domum quæ vocabatur Monasterium fratrum de sacco, seu de pœnitentia Iesu Christi. Item Richerus de Aileshamo, & Ioannes de Felminghamo aliam domum eidem Collegio donauerũt. Sic habet Ioannes Stoüs. Huius porrò Collegij protector, inspector, visitator esse so-

lebat Episcopus Eliensis, & illa sede vacante, Archiepiscopus Cantuariensis.

Collegium S. Michaëlis regnante Eduardo secundo circa annum Domini 1324, constructum fuit ab Herueo vel Heruico de Stanton qui fuit aliquando Cancellarius Cameræ Scaccariæ, Canonicus item Eboracensis & Vvellensis. Facta est autem hæc fundatio pro studiosis & capellanis, & concedente Rege vnita sunt huic Collegio quædam bona Ecclesiæ S. Michaëlis, & successu temporis collatæ sunt aliæ possessiones satis amplæ. Tandem anno Domini 1546, Henricus octauus Angliæ Rex, in loco vbi Rex Eduardus tertius suum Collegium regale inchoauerat, ex tribus Collegijs, videlicet ex Collegio S Michaëlis, ex Collegio regali, & hospitio Physico, simul vnitis vnum conflauit Collegium. Quod quoniam ex tribus compactum fuit in vnum, sanctissimæ Trinitatis Collegium vocauit. Quod lautis possessionibus auxit Henrici filia Regina Maria. Quæ & circa annum salutis 1557, illic ædificari fecit sacellum ad miraculum splendidum.

Collegium Vniuersitatis à Cancellario & Magistris Academiæ fundatum fuit anno gratiæ 1326, sub Rege Eduardo secundo. Nam illo anno Richardus Badevv Cancellarius consentientibus alijs Vniuersitatis Magistris, ex duabus domibus ad eos spectantibus Collegium hoc conflarunt. Et anno Domini 1346, Rex Eduardus tertius concessit amortizationem terrarum quas emerent pro fundatione dicti Collegij ad valorem quadraginta librarum annuorum redituum. Successu temporis Gualterus Tacstedus & Badevv omnia simul resignarunt circa annum Domini 1347. Elizabethæ de Burgo Comitissæ Clarensi, quæ sola fundatrix reputata, vniuersum opus Aulam Clarensem vocauit.

Collegium Regale inceptum est ab Eduardo Rege secundo, qui priuatis suis expensis aluit ibi triginta duos scholares, qui suas pensiones acceperunt aliquandò à ciuitate Cantabrigiensi, aliquandò à Priore & Conuentu S. Neoti, aliquãdò ex Camera Scaccaria. Tandem Eduardus Rex tertius in honorẽ D. Virginis Mariæ & omnium sanctorũ Magistro & triginta duobus scholaribus studiũ fundauit, & Aulam Regalem vocari voluit. Fundum, quem huic Aulæ suæ donauit maxima ex parte emit à Roberto Croylando. Stetit autem hæc fundatio vsque ad Angliæ Regem Henricum octauum. Nam, vt dictum est, eo iubente eius Collegium Sanctissimæ Trinitatis hoc cum alijs duobus Collegijs absorpsit, anno Domini 1546.

Anno Domini 1347, Maria de Valentia Comitissa Pembrochiensis concedente Rege Eduardo tertio vni Magistro vel præsidi & triginta scholaribus Aulam Pembrochianam fundauit, assignatis ad eorum stipendium & alimentum centum libris annuis. Domum autem vocari voluit Aulam de Valentia Mariæ.

Collegium Corporis Christi & beatæ Mariæ Virginis, quod nunc S. Benedicti vocatur, ædificauit Societas fratrum Corporis Christi sub Rege

Rege Eduardo tertio circa annum Domini 1350, ad instantiam Henrici Ducis Lancastriæ, qui fuit ex illa societate. Et huic Collegio, Rege sic volente, vnita sunt quædam bona Ecclesiæ S. Benedicti, quæ iuxta Collegium sita erat. Huius Collegij statuta cōfirmasse fertur Thomas Lislus Episcopus Eliensis anno Domini 1345.

Aula Sanctissimæ Trinitatis erat antiquitùs hospitium studiosorum, quod ab Eduardo Rege tertio obtinuit Ioannes Crandensis Prior Eliensis pro suis Monachis, vt ibi studere possent. Et Richardus Lingus Cancellarius Vniuersitatis, Archibaldus de Norvvico, Gualterus Eluedemus, & Simon Rethinghalus, quilibet, vnam domū donauit ad augmentum. Anno autem Domini 1354, Robertus Strattonus, Ioannes Trumchius, Gualterus Bactonus, Gualterus de Aldebye, & Petrus de Bitterings adiecerunt vnam domum, & septem terræ portiunculas. Idem etiam Gualterus Bactonus, Petrus Betterings, & Thomas Vvalsinghamus domum adhuc aliam addiderunt. Guilhelmus autem Bateman Episcopus Norvvicensis dirutis illis domibus pulcram structuram in formam Collegij excitauit, & sanctissimæ Trinitati consecrauit, datisque latis fundis amplisque possessionibus, Collegium fundauit. Quod posteà multi benefactores sua liberalitate auxerunt.

Aula Gonuili cæpta est ædificari ab Edmundo Gonuilo Presbytero & Pastore apud Terington in Norfolcia sub Eduardo Rege tertio anno Domini 1348; hūc enim in finem à Rege licentiam obtinuit erigendi Collegium pro Magistro & viginti scholaribus, qui Logicæ & Philosophicis scientijs studerent. Coëmptis igitur ad hoc tribus domibus, & horto, Collegium eo loco posuit. Post annos autem quatuor adiunctæ sunt aliæ duæ domus, vna ex dono Cancellarij & Magistrorum Vniuersitatis, altera ex dono Magistri hospitalis S. Ioannis in ciuitate Cantabrigiensi. Porrò Gonuilus moriens, ad consummandum opus iam benè inceptum magnam pecuniæ summam reliquit, curámque omnem rei perficiendæ commisit Guilhelmo Batemano Episcopo Norvvicensi, qui ædificium perfici, & possessiones donari fecit, & recentiores aliqui vocant Aulam S. Trinitatis de Norvvico. Aulam Gonuili vocari voluit, Quæ Aula posteà vnita est Collegio Ioannis Caij, nomenque ab vtróque fundatore accipiens Collegium Gonuili & Caij posteà vocatū est.

Collegium quod domus Dei vocatum fuit, exordium fundationis sumpsit à Guilhelmo Binghamo Pastore S. Ioannis Londini. Hic enim empto loco ad hoc oportuno acceptáque ab Henrico Rege sexto licentia, circa annum Domini 1480, domum hanc fundauit viginti quinque studiosis maximè Grāmaticis, & Præposito, adhibitis ad statuta facienda Guilhelmo Vvinbello, Guilhelmo Millingtono, & Guilhelmo Gullo Theologiæ, necnon Ioanne Tilneio iuris vtriúsque Doctoribus. Sed non multo post tempore Rex cupiens ædificare Collegium beatæ Mariæ semper Virgini & S. Nicolao, petijt à Guilhelmo Binghamo hunc locum sibi resignari. Binghamus Regis desiderio satisfecit. Et Rex re-

gale opus in honorẽ beatæ Mariæ Virginis & S. Nicolai fecit inchoari, ibique rectorem cum scholaribus posuit. Sed posteà titulo mutato ex Rectore Præpositum fecit. Rex Eduardus quartus huic Collegio redditus subtraxit, posteà tamen reddidit ad valorem annuum quingentarum Marcarum. Deinde Reges Henrici partim septimus partim octauus sacellũ splendidissimum, quod Henricus sextus inchoauerat, ad exitum perduxerunt. Tandem Margarita Richemundiæ & Darbiæ Comitissa hoc Collegium Collegio Christi adiunxit, vt infrà dicetur.

Collegium S. Margaritæ & S. Bernardi, vulgò Collegium Reginæ dictum, inchoatum fuit à Margarita Regina Henrici sexti Regis coniuge, assignatis annuis reditibus centum librarum. Posteà Andræas Duckettus Pastor S. Botulphi Cantabrigiæ, & Principalis hospitij S. Bernardi, emit dictum hospitium & Collegio donauit. Et partim suis pecunijs, partim aliundè emendicatis, totum Collegium fundauit, & eiusdem primus præses constitutus est. Fundatio tamen omninò tribuitur Regi Hẽrico sexto, vt apparet ex eius charta data tertio die Decembris anno Domini 1447: vltimam tamen manuum imposuit, & omnes planè defectus compleuit Elizabetha Regina Eduardi Regis quarti coniux anno Domini 1465.

Aulam S. Catharinæ in Honorem Virginis matris, & S. Catharinæ Virginis & Martyris sub Rege Eduardo quarto circa annum Domini 1475, fundauit Robertus Vvodlarcus sacræ Theologiæ Doctor, Vniuersitatis Cancellarius, & Regij Collegij Præpositus, obtinuitque à Rege amortizationem quadraginta Marcarum annuarum & studiosorum ibi sustentationem. Quos reditus alij posteà benefactores auxerũt.

Collegium Iesu erectum est sub Rege Henrico septimo circa annum Domini 1497, à Ioanne Alcocco Episcopo Eliensi, qui ad honorem sanctissimæ Trinitatis, & beatæ Mariæ Virginis, S. etiam Ioannis Euangelistæ, & S. Radegundæ Virginis, hoc opus erexit pro vno Magistro, sex socijs, & quibusdam scholaribus. Erat autem priùs Monasterium Sanctimonialium ordinis S. Radegundæ, sed iam penè desolatum. Porrò reditus huius Collegij successu temporis aucti fuerũt à Roberto Read Equite, & ab Elesono, Roistono, & Fullero Doctoribus. Collegium Christi, de quo suprà, circa annum Domini 1505, sexaginta studiosis fundauit Margarita Richemundiæ & Darbiæ Comitissa, quæ & mater erat Regis Henrici septimi. Fecit hoc Collegium ex illa quam vocauerunt aliquando domum Dei, vt suprà dictum est.

Collegium S. Ioannis antiquitus erat hospitale Canonicorum regularium fundatum à Nigello secundo Episcopo Eliensi regnante Henrico primo circa annum Domini 1130, anno autem Domini 1280, regnante Eduardo primo Hugo Balshamus Episcopus Eliensis, impetrata Regis licentia, sæculares scholares Religiosis adiunxit. Successu temporis rebus non succedentibus præfata Comitissa Margarita concedente nepote suo Henrico octauo, hoc Collegium sub nomine & pa-

tronicio S. Ioannis Euangelistæ fundare constituit, sed morte præuenta manum vltimam non adiecit. Maximas tamen pecuniarum summas in hunc finem testamento reliquit, & executores suæ vltimæ voluntatis cōstituit Richardum Foxium Episcopum Vvintoniensem, & Ioannem Fisherum Episcopum Roffensem, qui auctores illi fuerant, vt hoc pium opus susciperet, Istis etiam alios magnos viros adiunxit, tum Ecclesiasticos, tum seculares, qui & ædificia construi, & competentes reditus attribui ad Magistrū & quinquaginta scholares nutriendos curauerunt, & anno tandem Christi 1509, omnia consummata & absoluta fuerunt.

Collegium S. Mariæ Magdalenæ fuit olim hospitium diuersorum Monachorum qui ex varijs cœnobijs studiorū causa Cātabrigiam mittebantur. Vnde & Monachorum seu Monachale Collegium aliquādo dicebatur. Posteà anno Domini 1519, Eduardus Buckinghamiæ Dux ædificia loci ruinosa restaurauit, fuítque in causa quod deinceps Buckinghamiæ Collegium vocaretur. Sed Dux opus imperfectū reliquit. Admouerunt igitur manus ad rem perficiendam Prior Eliensis, & Abbates Ramesiensis & Vvaldensis. Vndè & Monachi ibi semper studuerunt, vsque ad Monasteriorum exterminiū sub Henrico Rege octauo. Tandem Thomas Audlæus Baro Vvaldensis & Angliæ summus Cancellarius circa annum Domini 1542, Collegium hoc restaurauit, & S. Mariæ Magdalenæ consecrauit.

Collegium Emanuelis erexit Gualterus Mildmaius Eques Cancellarius & Vicethesaurarius Cameræ Scaccariæ, & à consilijs Elizabethæ Reginæ circa annum Domini 1584, ædificium autem huius Collegij fuit olim Monasterium Fratrum Prædicatorum ordinis S. Dominici.

De Scholis Cantabrigiensibus.

SCHOLÆ Cantabrigienses vtcúnque pulcræ dicūtur, nec multum antiquæ. Stant illæ quadrata structura, nec eodem tempore omnes, nec ab ijsdem fundatoribus ædificatæ. Latus illud quod Occidentem solem spectat, & schola primùm Iuris Canonici, posteà Philosophiæ consueuit vocari, Vniuersitatis expensis, maxima saltem ex parte constructum fuit circa annum Domini 1136, Pars Septentrionalis, quę inferius scholam Theologicam, superius sacellum habere dicitur, etiam ab Vniuersitate cœpta est ædificari, sed anno Domini 1400, operi finis impositus est ab executoribus Guilhelmi Thorpi Equitis aurati, qui fuit etiam summus Angliæ Iusticiarius.

Pars Meridionalis quæ habet infra scholam artium, & suprà Bibliothecam, Vniuersitatis etiam opus est, ex ruinis veterum scholarum. Denique porta & hinc indè ambulacra cum Bibliotheca noua, & omne illud quod Orientem spectat, contribuente nonnihil Vniuersitate, anno 1470, cœpta sunt construi: quibus omnibus anno Domini 1476, Thomas Rotheramus Archiepiscopus Eboracensis vltimam manum imposuit. Ego etiam huic Tractatui de Academijs Bri-

tannicis hic finem imponam, & cum versibus nostri Ioannis Lelandi concludam.

Olim Granta fuit titulis vrbs inclyta multis,
Vicino à fluuij nomine, nomen habens,
Saxones hanc belli deturbauere procellis,
Sed noua pro veteri non procul inde sita est.
Quam fœlix Monachus Sigeberti iussa secutus,
Artibus illustrem reddidit atque scholis.
Hæc ego perquirens gentis monimenta Britannæ,
Asserui in laudem Granta diserta, tuam.

Quinam de illustribus Angliæ Scriptoribus scripserunt?

FINITO iam de Academijs Angliæ Tractatu, tempus est vt ad illustres etiam gentis Scriptores properemus. Et primùm quidem operæprecium iudicaui præmittere, & paucis ostendere, quinam antehac istud argumentum tractarunt. Non desunt qui scribant Venerabilem Bedam antiquũ nostræ nationis Doctorem super hac materia scripsisse, quod & suprà insinuaui, vbi dixi Honorium Augustodunensem opus Bedæ de Scriptoribus Ecclesiæ ab interitu vindicasse. Sed illas Bedæ lucubrationes numquam vidi, nec mihi satis constat de quibus Ecclesiæ Scriptoribus ille scripserit, de Anglisnè solis, an etiam de quibusuis alijs. Apud quosdam ex Historicis nostris inuenio doctum quẽdam Anglum, ordinis S. Benedicti Monachum Buriensem, Bostonum eum appellant, discussis penè omnibus Angliæ Bibliothecis scriptores gentis nostræ plurimos collegisse, & egregium eorum Catalogum confecisse, satis appositè copioséque materiam hanc circa annum Domini 1400, tractasse. Sed nec hoc opus vnquàm vidi, nec vbi iam inueniatur inuenio.

Centum vt opinor, & ampliùs post Bostonum annis, ferunt eruditum quendam Monachum Anglum sacri Carthusiensis ordinis in conuentu Lincolniensi, tempore, ni fallor, Henrici Regis octaui, incepisse quidem Catalogum Doctorum Angliæ, sed morte præuentum opus ad vmbilicum non deduxisse. Nec dubito quin per illorũ temporum malitiam, illa quæ exarauit, perierint. Scripsit autem non multo post tempore de hac ipsa materia, & quidem satis accuratè Ioannes Lelandus, vir eruditus, & elegans, omníque laude dignissimus, nisi nouissima hominis fuissent peiora prioribus. Lelandi Catalogum paulò pòst longiorem fecit, imò suis fœcibus infecit Ioannes Bal, seu Balæus, de quo quid sentiam, mox dicam.

Ego tandem omnium postremus, & Scriptorum minimus hanc eamdem de illustribus gentis Anglicanæ scriptoribus materiam tractandam suscepi, Lelandum maximè secutus, quem tam diligenter scrutatus sum, vt in eius saltem quæ vidi & legi scriptis, vix aliquid notatu dignum me effugerit. Adieci etiam ex varijs auctoribus non pauca, ex multis Bibliothecis plura. Adiunxi denique recentes auctores ad nu-

merum non modicum, & in ijs multos mihi familiariter olim, imò nunc etiam notos, quorum ante me vix quiſquam vel leuem fecit mentionem. Quamuis igitur hoc meum opus ſuas habeat imperfectiones, non diffido tamen quin omnium abſolutiſſimum futurum ſit, quæ vnquàm hactenùs in hoc genere lucem viderunt. Quod ipſa res ſatis per ſe loquitur, cum nihil in aliorum catalogis de his rebus & perſonis habeatur, quod in meo non inueniatur accuratius, & multa in meo ponantur, quæ nuſquam apud alios inueniantur.

Nota de Ioanne Balæo.

IDOLVM apud ſimpliciores Anglos Ioannes Bal, qui ſe Latinè Balæum cognominat, fuit hæreticus Anglus, ab ordine Carmelitarum apoſtata Monachus, & Sacerdos (ſalua lectoris reuerentia) maritatus. Hic Lelandi catalogum non tam prolixè auxit, quàm prodigiosè deprauauit. Omnia namque fœdiſſimus ſcurra mendacijs & calumnijs repleuit, & opus Lelandi politiſſimum pollutiſſimo ſtylo turpiter conſpurcauit. Multa habet ille digna quidem hæretico ſpiritu & ore, ſed ab omni vrbanitate, & morali honeſtate prorſus aliena, & Chriſtianis auribus nonnulla planè indigna. Opus eius (nam eam facultatem habeo) curſim legi, quaſi naribus obturatis, ſentinam cum nauſea & faſtidio exhauriens, pertæſus ſcurrilitatis & ſpurcitiei. Pænituit curioſitatis, non tamen intentionis. Nam in illo ſterquilinio ſperabam ſaltem aliquam antiquitatis gemmam me inuenturum. Sed Eſopico Gallo infortunatior, ſpe mea fruſtratus ſum. Nam ille miſer homuncio præter calumnias in homines, & blaſphemias in Deum & ſanctos, nihil habet ſuum, quod notatu dignum iudico. Notetur igitur ſaltem hac peſſima nota, cum nihil habeat melioris notæ. Qua etiam nota ſuas ſuorúmque partes putidus idiota non mediocriter labefactauit. Nam dum libidine calumniandi fertur occæcatus, & in ſingulos ferè nationis noſtræ Doctores acriùs inuehitur, vſque ad Ioannem Vvicleffum non videt miſer quomodo ſuo ſe iugulet gladio, dum ſingulos carpens, oſtendit omnes fuiſſe ſuæ ſectæ doctrinæque contrarios, vſque ad annum Domini plus minus 1360, quo tempore, *Ipſum* (Ioannem Vvicleffum) *æternus pater per ſuum ſpiritum ſuſcitauit, vt in medijs errorum tenebris, ac locuſtarum tartarearum ſeu hypocritarum obſcurationibus, pro ſua veritate ſtaret magnanimus Chriſti pugil: fieretque aduerſus eius infenſiſſimos hoſtes, Antichriſtos, inſuperabilis Eccleſiæ columna. Erat profectò ſuorum temporum Helias validiſſimus, vt diſtorta omnia reſtitueret. Vnus & primus poſt Sathanæ ſolutionem extitit, qui in caliginoſo illo ſæculo veritatis attulit lucem, & coram tota diaboli Synagoga auſus fuerit apertè confiteri Chriſtum, reuelaréque fœdiſſimas meritricis magnæ turpitudines. Illuxit enim, Simonis ſacerdotis exemplo, vt ſtella matutina in medio nebulæ, & diebus multis permanſit teſtis in Eccleſia fidelis. Quaſi ſol ſplendens, in templo Dei refulſit, & quaſi thus ardens in igne.* Et infrà: *Dedit illi Dominus cor ad præcepta, vt Iſraël doceret teſtamentum*

æternum. Et paulò pòst: *Velut alter Dauid, cum leonibus lusit, Romanistis præparatis ad escam.* Et infrà: *contra illum steterunt vrsi, prædonica gens Monachorum, cum tota congregatione Choræ.* Deinde ascribit ei multorum librorum prolixum catalogum. Addit posteà: *Fieri autem non potest, quin hoc pectus Spiritus sanctus inhabitarit, vnde tot eruditi libri prodierint.* Tandem conqueritur, quòd anno Domini 1428, *Martini quinti Romani Pontificis, ac Senensis Concilij Tyrannide, per Anglorum prælatos, Babyloniorum Rabinos, exhumatum est eius cadauer, & solemnitate quadam exustum: non secùs atque ossa olim D. Ioannis Baptistæ sacra, per apostatam Julianum.* Tandem in appendice sic loquitur: *Hunc Doctorem Euangelicum non dubitabitis sanctorum ascribere catalogo: etiamsi mille Antichristi illum execrentur & damnent.* Denique in appendice ridiculè adjungit, an ex sua, an ex Lutheri sententia, non satis percipio: *Continuis temporibus ab aduentu Anglorum in Britanniam, Spiritus sanctus numquam excitare destitit viros pios in eorum Ecclesijs, ad traducendos quotidie inualescentes sæculi errores. In qua farragine censentur in historiarum monimentis Beda, Alcuinus, Serlo, Joannes Carnotensis, Giraldus, Nigellus, Neccamus, Lincolinensis.* Hæc ille in Ioanne Vvicleffo, ad eius laudem. Notandum autem hunc Prophetam Bal quem ille Vviclef vocat, ab alijs aliquando cognominari, Vveaκbelief, aliquando Vvicκedbeleef. Et fuit Rector Ecclesiæ de Litlevvorth Diæcesis, Lincolniensis. De quibus legi poterit Thomas Vvalsinghamus in Richardo secundo. Sed bone Deus, quot in hoc discursu calumniæ, blasphemiæ, mendacia, contradictiones, adulationes, & superbæ præsumptiones! Licetne homini Christiano sic abuti diuinis eloquijs, & torquere verba sacræ scripturæ ad tales calumnias & blasphemias? Vt homines ad imaginem Dei creatos, sacro baptismatis fonte renatos, Christi pretioso sanguine Redemptos, peculiari ratione diuinis obsequijs mancipatos, ad æternæ vitæ fruitionem præparatos ausit appellare locustas tartareas? iudicare hypocritas? infensissimos Dei hostes? Antichristos? diaboli synagogam? leones Romanistas præparatos ad escam? vrsos? prædonicam gentem? congregationem Choræ? quorsum incusat Pontificis Romani & Concilij Senensis iustitiam, & vocat tyrannidem? quorsum appellat prælatos Ecclesiasticos Rabinos Babylonicos? vbi est in tantis calumnijs & blasphemijs Christiana modestia?

Iam verò quàm splendidè mentiatur, & quàm apertè sibi contradicat gloriosius iste Thraso, videamus. Quomodo quæso Ioannes Vvicleffus *Vnus & primus fuit post Sathanæ solutionem, qui in caliginoso illo sæculo veritatis attulit lucem?* si *continuis temporibus ab aduentu Anglorum in Britanniam, Spiritus sanctus numquàm excitare destitit viros pios in eorum Ecclesijs, ad traducendos quotidie inualescentes sæculi errores.* Ergo nec vnus nec primus Vvicleffus, si quotidie fuerunt alij ab ingressu Anglorum in Britanniam. Nam Angli ex consensu omnium & singulorum historicorum quos super hac re legi, Britanniam ingressi sunt anno post Christum na-

tum 449: magnus iste Propheta Bal Ioannes Vviclef, teste ipso Bal, venit anno plus minus 1360, ergo inter aduentum Anglorum in Britanniam, & aduentum Ioannis Vviclef interiecti fuerunt circiter anni nongenti & viginti. Iam quare non produxit Bal *continuis temporibus, quotidianos suos viros pios in Anglorum Ecclesijs, ad traducendos quotidie inualescentes sæculi errores? Sed quàm longè absunt à vero verba Balæi?* Nam procul dubio Angli ex suis, & in suis Ecclesijs nullos doctos & pios habebant viros primis ducentis annis post eorum ingressum in Britanniam. Imò nec Ecclesias quidem habebant, sed tantum idolorum templa per centum & quadraginta annos ab ingressu. Nam tandiù omnium (exceptis ignaris & idiotis) consensu, fuerunt Idololatræ, infideles, Pagani, & Christianorum Britonum persecutores. Tandem post annum Christi 590, S. Gregorius Papa primus misit ad conuertendos Anglos, S. Augustinum & socios Monachos, qui cum maximis laboribus, & miris difficultatibus lentè procedentes non nisi paulatim eos ad fidem Christi traduxerunt. Adeò vt hactenus vix inuenerim ex ipsis Anglis in suis Ecclesijs viros doctos ante annum Domini ferè septingentesimum, qua tempestate floruerunt saltem Aldhelmus, Vvilfridus, Beda & similes Monachi. Ex quibus Bedam pro suo citat cum alijs Bal absurdè sibi contradicens. Nam imprimis Monachos vocat *vrsos & gentem prædonicam* hoc ipso loco, vt cætera hic taceam. Deinde prius scribens de Beda iam incusauerat eum impostricis doctrinæ. Et tamen vt contradicat iniquitas sibi, in appendice ad Vvicleffum citat pro suo, & pro inimico Catholicæ fidei, quam vtique errorem reputat.

Sed iam ad hominis adulationes & vanam iactantiam veniamus, & quàm sibi & alijs blandiatur hic palpo videamus. Fuit certè Vvicleffus magnus Propheta Bal. Nam si Bal credimus: fuit *magnanimus Christi pugil. Insuperabilis Ecclesiæ columna. Suorum temporum Helias validißimus. Stella matutina in medio nebulæ. Testis in Ecclesia fidelis. Quasi sol splendens in templo Dei, & quasi thus ardens in igne. Velut alter Dauid.* Deinde addit, *fieri non posse, quin Spiritus sanctus hoc pectus inhabitarit.* Posteà scribit eius corpus *exhumatum & exustum non secus atque ossa olin D. Ioannis Baptistæ sacra, per apostatam Iulianum.* Denique in appendice finale decretum suum ponit in hæc verba: *Hunc Doctorem Euangelicum non dubitabitis sanctorum ascribere catalogo.* Ecce quomodo vanus hic Bal hunc Prophetam suum Prophetis Dei confert, imò præfert, & pro auctoritate sua sanctorum ascribi vult catalogo. Sed hæc omnia quo iure? qua auctoritate legitima? sanè magnæ præsumptionis est tam profusè sine ratione, imò contra rationem laudare hunc Vvicleffum falsum Prophetam, à fide apostatam, hæresiarcham ab Ecclesia condemnatum. Maioris tamen temeritatis est in sanctos Ecclesiæ Anglicanæ Patres & Doctores iniuriosum, maledicum, imò blasphemum esse. Quid igitur de primis & præcipuis nostrorum Doctorum dicat, patienter audiamus.

De Venerabili & veracissimo Beda venereus hic furcifer inter cætera sic scribit: *Ipsum ex temporis illius malitia, nec possum, nec volo, omni impostricis doctrinæ scabritia leuare, cum in gestis Anglorum ridiculosa quædam pro serijs rebus narrauerit, Monachis & Gregorij dialogis nimium credulus.* Quid hic ignarus idiota, & mendax nugator illius temporis malitiam accusat? cum omnium historicorum testimonijs constet Angliam ætate Bedæ & sequente hoc est septingentesimo & octingentesimo æuo toto post Christum natum viris sanctis & doctis reliquam penè vniuersam Europam superasse. Nam illis ætatibus Galliam & Italiam suæ doctrinæ radijs illustrarunt, & vt inquit ille, flores Britanniæ transtulerunt in Galliam Doctores Angli. Regem & Imperatorem Carolum Magnum liberales artes docendo, Vniuersitatem Parisiensem erigendo. Italiam etiam exornarunt, suam iuuentutem in bonis litteris & Ecclesiasticis disciplinis Romæ educando, & ad Ticinum Pauiensem Academiam instituendo. Constat enim Romæ educatos fuisse S. Vvilfridum & alios Doctores Anglos, qui errores Britonum & Scotorum doctissimis tum disputationibus, tum libris scriptis refutarunt, conuicerunt, condemnarunt, exploserunt. Quis item nescit trecentos penè Doctores Anglos non multo post Bedam tempore totam Germaniam, ipsos etiam Saxones saxis duriores ad sensum Christianæ religionis, ad fidem Euangelij ab Idolis suis traduxisse? Quis hic æquo animo ferat tam vilem homuncionem & fugitiuum Monachum temporis illius malitiam tam iniustè accusare? quis non indignetur, quod solus præsumat Bedam vituperare, quem omnes præter eum, vbi datur occasio, consueuerunt laudare? o solum Bedæ Zoilum & Momum! Quantæ obsecro est dementiæ, hunc Doctorem veracissimum, & non solum gentis nostræ decus singulare, verum etiam Ecclesiæ Catholicæ splendidissimum lumen, & virum planè sanctissimum, impostricis doctrinæ tam audacter accusare? ergo Beda aduersariorum non est, noster est.

De S. Aldhelmo Schirburnensi Episcopo, qui nonnihil antiquior tempore, & non multùm inferior doctrina, quàm Beda fuit, sic nugatur Bal; *Vnum hoc in eo deflendum occurrit, quod cum Sergio primo Pontifice Romano longam consuetudinem habens, cuius interim non ignorabat incestum, cauterio adustam auehebat conscientiam.* Et paulò pòst: *Quod verò mulierum consortia hypocritarum more, nusquàm spreuerit, vituperabile non est.* Tandem inquit, *scripsit Aldhelmus iubente Pontificum Monachorúmque Synodo, aduersus Britannos propinquos,* &c. *Quod non Romano more tonsuras, vnctiones, Pascha, Diuorum festa, cælibatum, & alios ritus nouiter inuentos admisissent.* Ergo nec Aldhelmus illorum est. Noster est. Tamen egregius hic nugarum fabricator in eodem opere centuria prima, in appendice ad Nemmium Banchorensem, prius dixerat, quasi magis modestus, aut certè nonnihil minus insanus, hos duos, & quosdam alios Doctores mediocriter fuisse sanos. Sed certè Balæi iudicium non fuit mediocriter sa-

num

num, imò enormiter insanum.

Circa hæc etiam tempora floruit S. Vvilfridus, cuius suprà feci mentionem, qui fuit primùm Episcopus Hagustaldensis, deinde Archiepiscopus Eboracensis. Contra hunc etiam oblatrat Bal, eumque ponit inter irrisores, quòd *pios* (si dijs placet) *homines*, *Quartadecimanos* Catholicis argumentis confutauerit. Hunc etiam ridet quod *circa collum, reliquiarum, quas Româ tulerat, capsulam quandam* gestauerit. Et in appendice addit hic calumniator; *Ob suam temeritatem, impiam arrogantémque simultatem ac nequitias adhuc alias, Archipræsulatu pulsus est.* Sed reuera pulsus est Archiepiscopatu, quia Regum insolentias & adulteria redarguit. Quæ vitia sollicitè excusat Bal. Ergo S. Vvilfridus aduersariorum non est; noster est.

Doctores illos Anglos, qui spatio circiter annorum centum incredibili diuinæ gloriæ Zelo, pietate, eruditione, & singularibus Spiritus sancti charismatibus imbuti, maximo cum labore & industria, totam penè Germaniam diuini verbi prædicatione à Paganismo & Idololatria ad fidem Christi conuerterunt, ex quibus etiam multi eiusdem fidei veritatem effusione sui sanguinis confirmarunt: iste bonus socius vocat impostores & præstigiatores. Et imprimis S. Bonifacium primum Maguntinensem Archiepiscopum, Apostolum Germaniæ, & insignem tandem Christi martyrem, Bal pro sua modestia, vocat *alteram in Apocalypsi bestiam, & à Papa magno Antichristo secundam.* Et vbi testantur historici eum centum millia Germanorum ad Christum conuertisse: scribit Bal: *Centum hominum millia charactere Pontificio signauit, & Antichristi regno conglutinauit.* Improperat insuper quod idem Bonifacius celebrauerit Synodos, ordinauerit Episcopos, approbauerit Missatores, Monasteria condiderit, coniugia Sacerdotum & Monachorum (hinc lacrymæ Balæi) condemnauerit, peregrinationes approbauerit, purgatorium docuerit, mortuorum ossa, fœtida cadauera, putridos pulueres) sic enim per contemptum de sanctorum Reliquijs cum Vigilantio loquitur) in veneratione habuerit. Quæ omnia, sicut nobis sacra, ita nostris aduersarijs sunt scelera. Ergo & S. Bonifacius, & quotquot Doctores Angli toto illo tempore scripserunt, aut aliàs in Ecclesia vel pro Ecclesia Dei laborauerunt, aduersariorum non sunt, indubitanter nostri sunt. Nam dum hos singulos calumniantur, manifestè conuincuntur, Ecclesiam nullam toto illo spatio habuisse, vel si habuerint, in illa saltem, ne vnum quidem Doctorem floruisse. Omnes igitur ex ipsorum aduersariorum confessione, quos habuimus in patria nostra Doctores, vsque ad Vvicleffum, nostri sunt, vel potiùs Christi sunt, imò & Christi & nostri, & quia Christi, nostri: Aduersarijs nostris (vt ipsi sunt testes) nobiscum aduersarij.

Sed hæc est eorum lucerna sub modio posita, quæ non lucet habitantibus in tenebris & vmbra mortis. Hæc est cathedra pestilentiæ, in qua sedent & docent Doctores indocti, præside principe tenebrarum.

Deus econtrà in ſole poſuit tabernaculum ſuum. Habetque ciuitatem ſuam in monte poſitam, quæ abſcondi non poteſt. Nec vnquam in Anglia noſtra abſcondita fuit, nec abſcondetur vnquam. Fundata eſt enim ſuper firmam petram. Petra autem eſt Chriſtus, & cui Chriſtus poſt ſe curam Eccleſiæ præ cæteris commiſit, Petrus & Petri ſucceſſores.

Meritò igitur pleríque hiſtorici præſertim noſtrates ſemper laudant tum Britannorum, tum Anglorum fidem, pietatem, religionem, doctrinam. Singularem notant erga ſedem Apoſtolicam affectum, addo etiam, magnificam liberalitatem. Mirantur quot Reges Eccleſias extruxerint, Monaſteria fundauerint, quot, partim Romæ, partim in Anglia Monachi facti, quot gentes à Paganiſmo ad fidem Chriſti Doctores Angli conuerterint. De hæreſibus interim & hæreticis inter eos parca mentio. Imò hiſtorici ex noſtris quidam notanter obſeruarunt, quod poſt deletam Pelagianam hæreſim per aliquot ſæcula, nulla vnquam hæreſis, vel in inſula orta, vel aliunde importata fuerit. Hinc illæ illorum voces Eccleſiam Anglicanam fuiſſe ſponſam Chriſti ſine ruga & macula, & virginem planè puriſſimam. Quid igitur mirum ſi noſtri hæretici nullum inter illos inuenerint ſuæ doctrinæ Magiſtrum? quid mirum, ſi Bal de omnibus noſtræ gentis Scriptoribus ſcribens, in ſingulos, tanquam ſibi aduerſarios debacchetur? donec ad ſuum veniat Vvicleffum?

Sed paucis videamus quàm intolerabiliter iſte Bal intemperantia ſuæ linguæ maledicæ abutatur? præter crimina quæ pluribus ſcriptoribus obijcit atrocia, aduerſus Epiſcopos, Monachos, omneſque doctiores ſacerdotes mirè ſcurriliter loquitur, accuſans eos hypocriſis, ſuperſtitionis, erroris, & aliorum facinorum.

Eos imprimis quos *Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Hos ipſos iſte nugarum fabricator, quaſi per elegantulas agnominationes contemptibiliter non Epiſcopos, ſed Epiſcopulos, Epicuros, mitratos, cornutos, raſos, vnctos vocat, & alijs ſimilibus irridet vocabulis. Archidiaconos vocat Archidiabolos. Monachos autem à quorum profeſſione apoſtauerat, ingentibus planè calumniarum plauſtris onerat, & quantum poteſt obruit. Hos enim vocat locuſtas, erucas, bruchos, & alias beſtias, & peſtes in Apocalypſi prædictas, Magos Pharaonis, adoratores beſtiæ, raſos, vnctos, miſſantes, impoſtores, præſtigiatores, Papiſticas fæces, impreſſores characteris beſtiæ, ſimias Stoicas, cucullata monſtra, & qui Benedictum & Bernardum magis quàm Ieſum Chriſtum ſequuntur. O aptum tali doctrinæ Doctorem! O aptam tali Doctori doctrinam! O eloquentiam talibus magiſtellis idoneam! O flores & fructus ex quibus arborem pro certiſſimo cognoſcas eſſe malam! Sanè ſi quartum diem in hac ſentina exhaurienda ponere voluiſſem, quadruplo plures hominis impij blaſphemias & calumnias coaceruare, & in chartam meam redi-

digere potuissem. Sed triduanam nauseam sustinere mihi nimium visum est. Quid? credat quisquam sensatus hunc hominem spiritu Dei ductum aut doctum fuisse, aut ex Spiritu sancto locutum? qui has & similes calumnias in præstantissimos Ecclesiæ Catholicæ Doctores, & viros Apostolicos, religiosissimos, sanctissimos vanissimè effuderit? hoc est certè aperire *os suum in blasphemias ad Deum, blasphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant.* Nam sine dubio omnes viri sancti qui aliquandò in Ecclesia Christi militante fideliter laborauerunt; ex hac vita migrantes in Ecclesia triumphante, laborum præmia percipientes fœliciter regnant, & in perpetuum regnabunt, quantumuis hic à petulantibus hæreticorum linguis agitentur.

Admonitiones ad Lectorem.

BENEVOLVS Lector hîc de quibusdam præmonendus est, vt opus & auctoris mentem faciliùs intelligere possit.

1. Vbi in enumerandis Doctorum scriptis, dico, epistolarum, sermonum, epigrammatum, poëmatum, vel similium, librum vnum, aut duos, aut plures: sæpè intelligendum esse, quod auctores illi tot epistolas, sermones, epigrammata, &c. scripserint, quot vni, duobus, vel pluribus libris commodè sufficerent, si in vnum corpus coaceruarentur, quæ sparsim in varijs Bibliothecis, vel alijs locis sunt, aut esse perhibentur. Neque enim antiquitus (sicuti nec etiamnum modò) semper harum rerum tanta fuit cura, vel certè tãta opportunitas, præsertim ante inuentam Typographiam, vt omnia doctorum hominum scripta, in volumina iusta redigi, & simul collecta, suisque ordinibus disposita posteritati exactè tradi possent.

2. Typographia ante annum Christi nati 1440. paucis & parciùs innotuit. Quare ante illud tempus libros scribi, edi, in lucem aut in vulgus emitti, &c. nihil aliud erat, quàm superiorum auctoritate approbari, eorum iussu plura exemplaria describi, & in varijs Bibliothecis reponi. Vide D. Hieronymum in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, maximè in S. Marco Euangelista.

3. Licet vanum videatur me lectorem nonnunquàm ad Catalogos Regum, Episcoporum, Apostolicorum virorum referre, cum adhuc nullum ex ijs voluminibus in lucem emiserim: tamen ita faciendum iudicaui, tum vt lector auidiùs expectet dicta opera, tum etiam quia, licet hæc relatio nunc ad nihil seruiat, seruiet tamen vbi illa prodierint. Et defectus tum inueniretur, cuius incommodum nunc prouidè præuenitur.

4. Contingit quidem aliquando vt quorumdam vitas fusè scribam. Tamen plerùmque in Doctoribus quæ ad doctrinam, in Episcopis quæ ad pastoralem curam, in Apostolicis viris quæ ad propagandam fidem, in Regibus quæ ad regalem potestatem pertinent, vel solum vel certè præcipuè notaui. Maximam, quam poteram, in eo diligentiam ad-

hibens, vt quo quisque tempore floruerit, fideliter traderem.

5. Florente in insula nostra Samotheorum & Albionum statu, ante aduentum Briti, & Britannorum imperium, nihil dubito, quin Philosophi multi eruditione insignes ibi viguerint. Nam ex vetustissimis scriptoribus constat Druidum & Bardorum antiquissimam Philosophiam ibi priùs incepisse, indè ad Gallos peruenisse, illic tandem ita viguisse, vt, teste Plinio, à Britannis has disciplinas Persæ accepisse videri possent. Inter illos tamen nullum scriptorem inuenio, nec ex me aliquem fingere volo. Maximè cum apud hanc sectam piaculum haberetur, suæ doctrinæ præcepta scripto mandare, vel alia ratione, quàm praxi & memoria conseruare.

6. Consulto certè plurimos viros doctissimos vel penitùs omittam, vel meo Catalogo excludam, & ad appendicem amãdabo, quia nulla eorum reperi scripta, licet existimẽ planè eos varia scripsisse: multos magis eos omittere oportuit, qui ex instituto aliquid committere scripto prorsus non debebant. Quales fuerunt Druides, quorum opinor sola doctrina, ante Briti aduentum in insula viguit, sed posteà paulatim viluit, quam tamen scriptis mandare nefas apud eos semper erat. Britus autem, & ex ijs, qui cum eo venerãt, aliqui Græcæ linguæ, & Philosophiæ non erant ignari. Quod & posteà semper obseruatum est. Vndè Ponticus Virumnius sub initium historiæ Britannicæ sic scribit: *Mirum autem est in tot & tantis turbinibus rerum, semper litteras amauit* (Britannia) *& vtráque lingua sæpè plurimum floruerunt magni vates, sicut Plenidius, Oronius, Philosophi quoque & Oratores.* Et libro quarto: *semper enim docta fuit Britannia, etiam Græcè.*

7. Frequenter citare soleo libros M.M. S. S. ex Anglicanis bibliothecis Oxoniensibus potissimùm & Cantabrigiensibus. Non quòd dum hæc scriberem illas bibliothecas consuluerim, sed quod Eglogam Oxonio Cantabrigiensem anno Domini 1600, Londini editam perlegerim, & indè, quæ mihi erant vsui, decerpserim, operique huic meo inseruerim. In quibus, si quasi alieno baculo, forsan non satis firmo nixus, lapsus fuerim, non erit mihi imputandum. Non enim in hoc meum obtrudo, sed alienum adhibeo testimonium. Fides sit penes Eglogæ auctorem. Qui licet se ab orthodoxa & Romana fide profiteatur alienum; credibile mihi tamen est in tali causa contingere posse, vt non mala fide plerá-que scripserit. *Nec fingunt omnia Cretes.*

8. Non solum Theologos aut Ecclesiasticos Doctores, sed etiam Iuriscõsultos, Medicos, Philosophos, Mathematicos, Historicos, Oratores, imò etiam Grammaticos insigniores inter illustres Scriptores numerandos iudicaui, secutus in hoc antiquorum exempla. Tum ad complementum operis, vt omnium scientiarum & liberalium artium Scriptores in meo Catalogo ponantur: tum etiam quia Mar. Tullius Cicero in Bruto Catalogum Oratorum Latinæ linguæ contexere non dubitauit. Suetonius Tranquillus de illustribus Grammaticis, & claris Rhetoribus eodem modo scribere non erubuit. Et teste Suida Pamphilus qui-

dam Sicyonius genere, de Grammatica, Pictura & claris Pictoribus opus edere non indignum iudicauit.

9. Agens in aula & oppido Iuliacensi, ne penitùs otiosus essem, tantummodò exercendi ingenij, & oblectandi animi causa, cœpi me legendis historijs dedere; nihil minus cogitans, quàm aliquid eorum quæ colligebam in lucem emittere. Itáque omnia perfunctoriè notaui, nec auctores citans, nec Bibliothecas, quas per diuersa itinera inuiseram multas, & ex quibus varia collectanea desumpseram, omninò nominans. Post triennium circiter rogatu quorundam satis importuno inductus pleraque suo tempore edere decreui. Cúmque limam adhiberem, deprehendi negligentiam meam, & inueni me multos Scriptores collegisse, nullo, præter nudam assertionem meam, teste. Rem corrigere conabar, & ex parte correxi. Sed singulas Bibliothecas reuisere, singulos auctores denuò relegere, nequaquam potui. Distantiæ locorum, incommoda & pericula itinerum, magnitudo etiam sumptuum non permittebant. Superuenit post octennium Illustrissi. Ducis Cliuensis & Iuliacensis mors. Mortem sequebatur ciuilis motus. Ego relicta Germania cum Serenissima derelicta Ducis vidua Antonia Clementissima Domina mea redij denuò in Lotharingiam. Vbi & ipsa post elapsum annũ mortem obijt. Ex quo tempore mihi spes omnis illius erroris corrigendi penitùs sublata est. Itaque (quod solùm superest) confiteor ingenuè noxam, deprecor humiliter veniam.

10. Inserui nonnunquam partim meo Catalogo, partim appendici modernos quosdam nationis nostrę Scriptores, nonnullos etiam adhuc viuentes, qui pauca admodum scripserunt. Quod duplici ratione feci: tum quoniam hac tempestate nobis calamitosa, his rerum nostrarum angustijs, vel exiguum quid scribere, multum est. Tum etiam quoniam adhuc in viuis existentes, forsan plura sint scripturi, vt sese digniores locis, quibus positi sunt, reddant.

IOANNIS PITSII SACRÆ THEOLOGIÆ *Doctoris Catalogi, seu relationum de rebus Anglicis Tomi primi pars secunda complectens illustres Scriptores circiter mille & septuaginta.*

PROOEMIVM.



ALFREDVS Monimetensis in sua Britonū historia, & Ponticus Virumnius in eiusdem epitome, necnon alij scriptores antiqui, vt ex præcedentibus facilè colligi potest, testantur veterem nostram Britanniam semper Musas adamasse, & longè ante Christum natum tempore, viros tum Latinè tum Græcè doctos habuisse. Quos silentio præterire, eosque & patriam meam hac in parte debitis laudibus priuare conticendo, minimè consentaneum iudicaui. Imò verò illos non modo Catalogo meo inserendos, sed etiam tanquam antiquiores, primò loco collocandos existimaui. Quamuis igitur plurimos Brito & socijs dignitate anteponam, neminem tamen ante illos ordine ponam, & ab ipso Brito, auspice Deo, exordium sumam.

Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua.
Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt. Eccl. 44.

De Brito Troiano.

Anno mundi 2879. I.

BRITVS seu Brutus Troianus origine, Iulij Syluij Posthumi, tertij Latinorum Regis filius, anno post creatum mundum 2855, Britannorum & Britanniæ Rex primus constitutus. Nam ab illo tum primum & insula & incolæ nouam hanc denominationem acceperūt. Princeps probus, modestus, sapiens, bellicosus, & in Græcis disciplinis plus quàm mediocriter doctus. Græco sermone quasdam epistolas scripsisse dicitur, maximè ad Paudrasum Regem, & dispersas per mundum Troianorum reliquias, harum epistolarum fragmenta Latina facta ponit initio penè Historiæ suæ præfatus Galfredus. Et ipsæ epistolæ è Græco in Latinum translatæ adhuc haberi M. S. dicuntur Oxonij in Collegio Balliolensi. Ex antiquis prætereà Troianorum consuetudinibus scripsit & congessit

Legum Britanniarum, *Librum vnum.*

Epistolarum opus, Librum vnum M. S. loco dicto. Tandem circa annum mundi fabricati 2879, fatis concessit, & Locrino filio suo regnum Britanniæ reliquit. Vide nostrum de Britanniæ regibus Catalogum.

De Gerione Augure.

GERION Augur Troianus etiam origine, & ex ijs vnus qui cum Brito in Britanniam venerunt, quem Ponticus inclitum Heruem, Britique socium & Augurem vocat. Vir Græcæ Linguæ peritissimus, & varijs scientijs instructissimus, in quibus etiam nobiliores adolescentes erudire consueuerat, ijsque fortium virorum res gestas, & exempla virtutum ad imitandum solerter proponebat. In peragendis præterea Deorum sacris, & prædicendis futuris sagax & peritus, in exponendis ænigmatibus exercitatus, in explicandis abstrusis mysterijs perspicax. Illi in more positum erat sæpenumerò in solitudinem exire, ibi dies noctésque sine hominum consortio transigere, maximè ad perdiscendos Astrorum motus, ex quorum contemplatione futura colligere, & prædicere consueuerat. Cùm itaque Britus inter nauigandum ad insulam Leogræciam venisset habitatoribus tum vacuam, illic inuento veteri Dianæ templo, sacrificium obtulit, oraculum consuluit, & per quietem somnium vidit, responsum accepit, cuius expositionem à Gerione quæsiuit. Is omnem illam visionem exposuit de quadam insula septentrionali, quam Britus cum suis erat inhabitaturus. Quo intellecto elatis continuò velis versus insulam quam oraculo suam futuram acceperat, Britus gaudens cum comitibus nauigauit, & tandem ad optatum portum peruenit. Sed de his fusiùs in Brito Rege. Iam quod ad doctrinam Gerionis attinet scripsisse perhibetur.

2880.
2.

De Rebus gestis virorum fortium,	*Librum vnum.*
De Ritibus Sacrificiorum,	*Librum vnum.*
De Astronomia,	*Librum vnum.*

Claruit anno ab origine mundi 2880, regnum inchoante in Britannia Locrino.

De Aquila Septonio.

AQVILA Septonius Rudibrasij Regis Britannorum Astronomus, & vates celeberrimus. Ex Astrorum motu & cœlestium corporum inspectione, futura mirabiliter prædicere solebat, quorum veritatem euentus non raro comprobabat. Vndè apud suam gentem, tanquàm aliquis Apollo, maximo in precio habebatur. Prophetias suas plerúnque scriptis mandauit, quas viri primarij quasi thesauros quosdam arcanos religiosè reponebant, conseruabant, & sæpè non sine magna reuerentia legebant. Multa vaticinatus est de futura longo post tempore Britannici imperij ruina, quæ penè omnia, vti ille prædixerat, tandem euenerunt. Quare non immeritò in suis vaticinijs mirè veridicus fuisse reputatur. Argumento sit, inter cætera, quòd cum Cadvvaladrus & Alanus, hic Minoris, ille Maioris Britanniarum Reges, anno post Christum natum 686, calamitates Britanniæ Maioris contemplarentur, remque iam prorsus inclinatam viderent, & gentem exhaustam cum

3070.
3.

peste, fame, & bello miserè conflictari: tanquam ad vltimum afflictæ rei solamen, & extremum omnium asylum sese contulerunt ad libros Aquilæ, si fortè ibi remedium malorum inuenirent. Sed illius prophetias voluendo, & attentiùs perpendendo, facilè deprehenderunt adesse imperij sui finem & omnia ita facta, vt ille fore vaticinatus erat. Animos itaque penitus despondentes, sine vlteriore resistentia, omnia diuinæ dispositioni permiserunt. Sic enim testatur Galfredus Monimetensis sub finem Historiæ suæ Britannicæ. Porrò minimè mihi dubium est, quin hic Aquila multa scripserit, cum mentio non rara fiat, suppressis tamen titulis de varijs eius scriptis, & de diuersis eorum fragmētis. Illud saltem constat eum scripsisse.

Prophetiarum, *Librum vnum.* Arbor sterilis à primo trunco.
Claruit anno mundi conditi 3070, regnante in Britannia Rudibrasio.

De Bladudo Mago.

3074. 4. BLADVDVS Magus natione Britannus, & Britannorum Rex nonus, doctissimus adolescens viuente adhuc patre Rudibrasio, studiorum causa profectus est Athenas. Vbi diligēter Mathematicas scientias, omnémque Græcorum Philosophiam accuratè didicit, tantúmque imbibit harum artium amorem, vt ab illis auelli vix posset. Defuncto tamen patre, reuersus est in Britanniam, adductísque secum quatuor omnium scientiarum peritissimis Magistris, apud Stanfordiam gymnasium publicum ædificauit, vt ibidem artes liberales docerent, vti factum est. Ad eos igitur magnus nobilium iuuenum numerus concurrebat, qui in illis scientijs non contemnendos fecerunt progressus. Ipse autem Rex & Mathematicas atque etiam Magicas artes didicisse dicitur, aliósque docuisse. Vnde seipsum in varias formas vertere, in aëre tempestates concitare, & alia eiusmodi potuisse fertur. Sic ferè ex Merlino Calidonio Ioānes Hardingus libro primo suorum Chronicorum capite vicesimo quinto. Scripsit porrò Bladudus de Mathematica & Magia libros plures.

Tandem aptatis sibi alis volare volens tanquam auis, & infaustis auibus (Nam ex editissimo loco vndè volatum voluit inchoare, euolauit è vita) collisis ossibus, fractis ceruicibus, circa annum mundi 3074, interijt. Vide quem scripsimus de regibus Britonum Catalogum.

De Perdice Præsago.

3220. 5. PERDIX præsagus natione Britannus & Riuallonis Britannici Regis vates celeberrimus. Mathematicus insignis, & in obseruatione stellarū, atque cœlestium corporum, suprà quàm dici potest, curiosus. Ex horum enim motibus alijsque constitutionibus abstrusas abditissimarum rerum causas se cognoscere, & quæ futura erant præscire posse gloriabatur. Huius tempore triduanam ferunt fuisse, in quibusdam Britanniæ locis sanguinis pluuiam, inde natam infinitam muscarum copiam,

piam,

piam, & tantam aëris contagionem, vt incredibilis hominum numerus è medio quotidie tolleretur. Tum Perdix misertus miseræ plebis, prædictionis hausto spiritu, cladis causas exposuit, & scripto mandauit, multósque futuros euentus prædixit. Rex ad perpetuam rei memoriam omnia in Dianæ templo iussit marmoreis saxis insculpi. Quod monimentum Gildas Cambrius longo post tempore inuenit, Latinum fecit, & versibus heroicis eleganter exposuit. Scripsit igitur Perdix inter alia, quæ plura fuisse, probabile est,

Prædictionum, *Librum vnum.*

Claruit anno post mundi creationem 3220, regnante in Britannia Riuallone.

De Donvvallo Molmutio.

DONVVALLO Molmutius Regio Britannorum sanguine in Britannia natus, Clotenis Cornubiensis reguli filius. De cuius regali potestate, & rebus in bello fortiter gestis, suo loco. Hic postquàm rempublicam quinque tyrannis liberasset, & restituta Monarchia se Regem constituisset, ad omnia stabilienda, leges optimas scripsit. Quas filius eius Belinus confirmauit, & à conditore Molmutiuas vocauit. Easdem posteà Gildas Cambrius Latinas, & tandem Rex Alfredus Magnus Saxonicas fecit. Erantque diù etiam apud Anglos in vsu. De quibus suo loco. Nihil autem antiquius habuit, quàm bonas artes promouere, vndè & viros eruditos omni fauore & honore prosequi consueuit. Iustitiam etiam coluit, æquitatem seruauit, rempublicam pacis bellique artibus mirè florentem reddidit. In quem etiam finem scripsit, vt dictum est, Britannicè. 3556. 6.

Municipalium Statutorum, *Librum vnum.*
Legum Iudiciariarum, *Librum vnum.*

Tandem circa annum mundi fabricati 3556, fatis concessit, & in templo Concordiæ, quod in vrbe Trinobantum ædificauerat, sepultus est. Vide nostrum de Britonum regibus Catalogum.

De Cambra formosa.

CAMBRA ab admirabili pulchritudine, per excellentiam dicta formosa, Belini Britannorum Regis filia. Hæc in matrimonium collocata Antenori secundo Francorum Regi, tantum consilio valuit & prudentia, tantum animi magnitudine & constantia planè virili, vt Rex & regni proceres ad illam tanquam ad firmissimum reipublicæ præsidium, in omnibus, quæ occurrebant difficultatibus confugerent, & ad illius nutum ac voluntatem omnia facerent. Fama etiam virtutum eius ad posteros veniente, Saxones admirati in infirmiore sexu tam præclara dona, quasi quoddam de illa formauerunt prouerbium, vt, si quis aliquid dextrè, prudenter, & cum illo, qui rebus, locis, & personis conuenit decore, faceret, aut loqueretur; confestim dicerent: *Si Camber*, 3590. 7.

hoc est, ecce Camber. Vnde etiam factum est, vt ad annos plus minùs quadringentos, populi quibus imperauerat, ad Vbios & Reni Mosæque ripas, tam apud Græcos, quàm apud Latinos *Sicambri* vocabantur. Hæc proceres suos vrbes munire, & castella ædificare docuit, prima muliebrem frontis ornatum inuenit. Fæminas etiam instruxit, quomodo linum & canabim sererent, ex vtrísque filum conficerent, pannum texerent, & ad vestes, aliósque vsus humanos aptarent. Ciuitates aliquot ipsa ædificari fecit. Vnicum filium marito peperit. Lege cauit, vt liberi Regum ex prima tantum coniuge procreati, principes vocarentur, & essent, aliarum verò vxorum filij non ita, nisi prioribus defunctis. In quem etiam finem scripsisse dicitur

Leges Sicambrorum, *Librum vnum.*

Viuendi tandem finem fecit circa annum à mundo condito 3590, & in Neomago ciuitate à se ædificata sepulturam habuit, viuentibus adhuc & in Britannia regnantibus patre Belino & patruo Brenno.

De Martia Proba.

3620. 8.

MARTIA Proba natione Britanna, & Britannorum Regis Guithelini coniux. Regina omnibus insignioribus naturæ donis prædita, omnibus tum animi tum corporis excellentioribus dotibus ornata. Fuit ei statura commoda, corpus venustum, vultus decorus, ingenium acutum, iudicium solidum & maturum, eratque in omnibus liberalium artium disciplinis, & in ijs quæ ad rempublicam rectè administrandam pertinent, insigniter erudita. Pacem atque concordiam & ipsa impensè coluit, & alijs diligentissimè commendauit. Multa mirabilia suo ingenio excogitasse, propriáque industria adinuenisse perhibetur. Mortuo Rege marito, ipsa per integros septem annos strenuè regnum administrauit, quia filiolus toto illo tempore per ætatis teneritudinem, nondum erat idoneus imperio. Huius reginæ fuerunt leges illæ quæ Martianæ vocari solebant, quarum omnis vis & conatus in eo situs erat, vt fouerentur virtutes, exterminarentur vitia, & bona disciplina in republica conseruaretur. Has leges Gildas in Latinam, & multo post tempore Rex Alfredus in Saxonicam linguam vertit. Longè falluntur opinione, qui regnum Merciorum apud veteres Anglos ab hac regina nomen & originem sumpsisse existimant. De quo suo loco. Porrò Martia scripsit

Legum Patriarum, *Librum vnum.*

Debitum naturæ soluit circa annum mundi fabricati 3620, relicto successore regni vnico filio Sicilio.

De Plenidio.

3720. 9.

PLENIDIVS vel Plennidius natione Britannus. Vir teste Pontico Virumnio Græcè Latinéque doctus, Vates & Philosophus insignis. Sic enim initio Britannicæ historiæ scribit Ponticus de Britannia

nostra, *Vtrâque lingua sæpè plurimùm floruerunt magni vates, sic Plenidius, Oronius, &c.* Mihi igitur probabile valdè videtur, Ponticum aliqua horum scripta vidisse, vel apud probatos auctores citata vel nominata legisse. Nam alioquin quid homo externus post tot sæcula de doctrina horum conijcere poterat? vndè etiam colligo hos de secta Druidarum aut Bardorum minimè fuisse, cum homines illius sectæ nihil scriptis mandare consueuerint, aut etiam secundùm suas leges licitè potuerint: hi autem scripsisse perhibeantur tum Græcè tum Latinè libros plures.

Porrò Plenidius claruit circa annum ab orbe condito 3720, regnante apud Britones Gorbonia.

De Oronio.

3784. 10.

ORONIVS cognominatus Modestus, vates Britannicus percelebris. Vir qui, quantum ex Pontici testimonio conijcere possum, eodem ferè tempore, eadem professione, simili doctrina, pari Philosophia, ijsdem denique omnibus scientijs ac disciplinis, quibus Plenidius, floruit. Nec desunt etiam qui copiosiorem adhuc ei supellectilem litteratiam tribuunt. Dicunt enim eum in Astronomia, in expositione somniorum, in prædictione futurorum, & in poësi Plenidium superasse. Scripsisse dicitur partim Græcè, partim Latinè

Poëmatum, Libros plures.

Claruit circa annum creationis mundi 3784, dum in Britannia regnaret Geruntius.

De Blegabrido.

3880. 11.

BLEGABRIDVS Sicilij Regis Britannorum filius, & ipse post patrem Britanniæ Rex. Musices ætate sua peritissimus, omnésque qui ante eum vnquam in insula fuerunt, in illa arte multis gradibus superauit. Vndè à Galfredo Monimetensi, Pontico, & alijs vocatur Deus ioculatorius. Versus rythmicos tum vocibus humanis, tum instrumentis musicis maximo cum artificio aptauit, suauissimósque concentus & dulcissimas harmonias, ad demulcendas aures, interioresque affectus permouendos affabrè concinnauit. Ex istis posteritati reliquisse dicitur sermone Britannico

Diuersi generis versus & cantiones, Librum vnum.

Claruit circa annum ex quo creatus est mundus 3880. Vide in nostro Catalogo Regum Britannorum Regem ordine quinquagesimum septimum.

De Caßibellano.

3980. 12.

CASSIBELLANVS, (Cassiuellannus apud Cæsarem in Commentarijs vocatur) Helij Regis Britannorum filius, & post patrem Rex fortissimus. Vir doctus, elegans, facundus, Rhetorices & antiquita-

tum Britannicarum non imperitus. Eo imperante Romani Duce Iulio Cæsare, Britanniam bis aggressi, & tertia tandem vice ingressi sunt. Victíque paulatim Britanni Romanis tributum soluere coacti sunt, ante Christum in carne apparentem anno plus minus quinquagesimo. Hic biennio circiter ante deditionem scripsisse dicitur ad Iulium Cæsarem

De seruitute non ferenda, *Epistolam vnam.* *Mirando est, Cæsar.*

Mortuus putatur anno post mundum creatum 3980. Vide quem scripsimus de regibus Britanniæ Catalogum.

De Nennio.

3980. 13.

NENNIVS natione Britannus, Loëgriæ Dux, Helij Britannorum Regis filius, Luddi & Cassibellani frater. Vir strenuus & magnanimus. Hunc tradunt in pugna contra Romanos Labienum Tribunum occidisse, è manibus Iulio Cæsari gladium extorsisse, lethale simul vulnus accepisse, & gloriosa morte occubuisse. Hic omnium primus cæpit inire rationem conseruandi antiquitates Britannicas. Et hoc, vt nonnulli volunt, ad exemplum Reuthæ Scotorum Regis, qui paulò ante scripserat de antiquitatibus Scoticis. Sed ego illis potiùs assentior, qui laudabile istud Nennij factum tribuunt occasioni contentionis quam habuit cum fratre suo Luddo. Nam cum Luddus Trinouantum ciuitatem à Troia Troianísque qui ad incolendam Britanniam venerant, sic nominatam; à suo nomine Luddinum vocari vellet, vt illud sibi proprium faceret, quod debuit esse totius gentis commune: restitit ei Nennius, asserens eo facto Troiæ & Troianorum memoriam successu temporis in insula sensim interituram. Sed cum persuadere Luddo non posset, quo minus hanc nominis nouitatem induceret, saltem ipse prioris nominis antiquitatem scriptis conseruandam consecrauit, & nouitatum factus inimicus, pluribus alijs antiquitatibus Britannicis consulens, omnium ferè primus sermone patrio de rebus gestis Britannorum, & de eorum in insulam ingressu & progressu satis fusè, & pro illo tempore non ineleganter scripsit *historiam*, *librum vnum.* Quem librum longo post tempore alter Nennius Abbas Banchorensis ex Britannico Latinum fecit. Mortuum eum ferunt die decimo quinto post acceptum à Iulio Cæsare vulnus, circa annum mundi 3980, & Londini ad Aquilonarem vrbis portam cum gladio Cæsaris (quod viuens mandauerat) honorificam accepit sepulturam.

De Androgeo.

3980. 14.

ANDROGEVS natione Britannus, Trinouantum princeps, Luddi Regis primogenitus filius. Vir eximijs animi dotibus præditus, ingenij vafri & astuti, facundiæ non contemnendæ, in rebus difficillimis expediendis dexter, in ambiguis belli casibus fœlix & fortunatus. Oppressus, vt sibi videbatur, à patruo Cassibellino Rege, vt se de

iniurijs vindicaret, ad Iulium Cæſarem transfugit, & vt patruum læderet, patriam prodidit. Quo facto tam inuiſum ſe ſuis popularibus reddidit, vt regnum Trinobantum ſibi iure hæreditario debitum, iuniori fratri Theomantio reliquerit, Britanniam penitus deſeruerit, Romam cum Cæſare ſe contulerit, atque ibi tandem debitum naturæ perſoluerit. In primo Romanorum contra Britannos bello ad Scotos & Pictos de fœdere contra communem hoſtem ineundo legationem abiens, ad Ederum & Gethum regulos ſcripſit.

Contra Romanorum tyrannidem, *Librum vnum.*
Epiſtolarum maximè ad Iulium Cæſarem, *Librum vnum.*

Claruit circa annum mundi 3980, Vide noſtrum de Britãnorum Regibus Catalogum in Caſſibellano.

Atque iſti ſaltem quatuordecim Scriptores in Britannia ante Chriſtum natum floruerunt, nec in Chriſtum venturum, quantum ſcio, crediderunt. Ex numeroſa autem, qui ſequuntur multitudine, tribus, aut ſummum quatuor exceptis, omnes procùl dubiò fuerunt Chriſtiani.

De Aruirago Rege.

ARVIRAGVS, natione Britannus, patria Tegenus, Theomantij iunior filius, & tandem Britanniæ Rex. Vir vrbanus, prudens, moderatus, vt potè qui illas probè didicerat artes, quæ animũ ad humanitatem excolunt. Nec ſolum ipſe bonas litteras amauit, verum etiam literatorum hominum ſingularis erat fautor. Gildam virum pium & eruditum mirè amauit, & vt in bonarum artium ſtudijs eum alacriùs animaret, hominem multo honore proſecutus eſt, & tandem auctor ei fuit, vt ſuæ gentis Hiſtorias, & poëma Cambren, aliáque nonnulla ſcriberet. Item vt veteres illas leges Molmutinas in Latinum ſermonem verteret, quibus ipſe etiam nouas adiunxit. Erat in bello fortis & animoſus, in pace mitis & clemens, in omni ciuili congreſſu affabilis & iucundus, in elargiendis muneribus liberalis, ſuis ſemper valdè amabilis. Anno poſt aduentum Meſſiæ plus minùs quinquageſimo Rex iſte S. Ioſephum Arimathenſem in Britanniam venire, & ibidem Euangelium Chriſti prædicare permiſit, & vt Eccleſiam paruulam Chriſto ædificaret clementer indulſit, illi etiam, & ſocijs qui cum eo venerant commodum habitandi locum conceſſit. Denique, vt quidam Hiſtorici teſtantur, ipſe omnium Regum Britannorum primus fidem Chriſti, cum Sacramentis Chriſtianis, Chriſtianus factus ſuſcepit. Ex quibus, ſicuti etiam ex ijs quæ ſcribit, qui eodem tempore vixit, Iuuenalis, facilè colligimus, qua tempeſtate regnauerit. Iuuenalis enim ſatyra quarta ſic habet.

Anno Domini 70. 15.

Regem aliquem capies, aut de temone Britanno
Excidet Aruiragus.

Porrò doctrinam eius ex ſequentibus colligere licet. Cum intellexiſſet ſuos Cambros iniquè tuliſſe, quod coniuge Britanna repudiata, Romanam accepiſſet, factum ſuum defendens ſcripſit

De Genuissæ connubio, *Librum vnum.*

Ad Caratacum Regem,
Ad Corbredum & Comum Duces,
Ad suos proceres,
} *Epistolarum*, *Librum vnum.*

Tandem Claudiocestriæ mortuus & sepultus est anno post natum Christum plus minus septuagesimo. Plura vide in eo quem de Britanniæ Regibus scripsimus Catalogo.

De Gilda Cambrio.

70.
17.

GILDAS natione Britannus, patria Cambrius. Vir tum in Latinis, tum in Græcis litteris apprimè doctus, liberalibus etiam disciplinis non minus instructus. Mathematicus, Rhetor, Historicus, & Poëta cum primis sui temporis meritò conferendus. Erat autem coæuus Martiali, Horatio, Silio Statio, Stellæ Iuuenali. Cum Latinis litteris quasi natus & enutritus est. Nam eo tempore vixit, quo eloquentia Romana dilatari cœpit, & inter nobiles illos pueros, qui sub Augusto Cæsare Romæ fuerūt obsides, vnus fuisse mihi videtur. Vndè & probabilis est multorum coniectura eum aliquando Titum Liuium vidisse, imò docentem audiuisse. Elegiacos eius versus ab eleganti facilitate plurimùm commendat Lilius Giraldus Ferrariensis. Galfredus etiam Monimetensis, & Ponticus Virumnius sub initium Historiæ Britannicæ, petitionem Briti ad Dianam factam, & responsionem Dianæ Brito redditam ponunt elegiaco carmine, quod ex Græco in Latinum vertit Gildas sic.

Diua potens nemorum, terror syluestribus apris,
Cui licet anfractus ire per æthereos:
Infernásque domos: terrestria iura resolue,
Et dic quas terras nos habitare velis?
Dic certam sedem quà te venerabor in æuum,
Quà tibi virgineis dedico templa choris.

Responsum Dianæ.

Brite, sub occasum solis, trans Gallica regna,
Insula in Oceano est vndique clausa mari:
Insula in Oceano est habitata Gygantibus olim,
Nunc deserta quidem, gentibus apta tuis.
Hanc pete; námque tibi sedes erit illa perennis,
Hic fiet natis altera Troia tuis.
Hic de prole tua reges nascentur: & ipsis
Totius terræ subditus orbis erit.

Ecce vides Gildæ carmen quod eum elegantem poëtam fuisse satis conuincit. Porrò Rex Aruiragus, vt dictum est, hominem in summo precio habuit. Quo fautore & monitore multa in lucem emisit ille, quæ forsan alioquin dilituissent. Historias quas scripsit perijsse conqueruntur Galfredus & Ponticus. Quædam eius opuscula anno Domini 1460, ex Hibernia in Italiam auexisse dicitur Blasius Biragus Italus. Hæc autem

ingenij, doctrinæque monimenta sequentia posteris reliquisse perhibetur.

Contra adulatorem Iuuenalem pro Aruirago,	*Librum vnum.*
Annalium gentis suæ,	*Librum vnum.*
Cambreidos carmen,	*Libros aliquot.*
Lites Luddi & Nennij,	*Librum vnum.*
Epigrammatum,	*Libros sex.*
Epithalamium Genuissæ,	*Librum vnum.*
Poëmatum diuersi generis,	*Librum vnum.*
Ex Britannico vertit in Latinum.	
De Perdice prophetante,	*Librum vnum.*
Legum Molmutinarum,	*Librum vnum.*
Statutorum Dumuallonis,	*Librum vnum.*
Legum Martianarum,	*Librum vnum.*

Et alia plura partim transtulit, partim scripsit. Claruit circa annũ Verbi incarnati septuagesimum, imperante in Britannia sub Romanis Aruirago. Tandem Claudiocestriæ diem extremum clausisse, & ibidem sepulturam accepisse dicitur.

De Bunduica Bellatrice.

70. 17.

BVNDVICA Bellatrix, natione Britanna, & Regio Britannorũ sanguine orta, admirandæ planè virtutis virago, Prasutagi Regis coniux. Fœmina, plus quã fœmina, quippe quæ virilis animi magnitudine præstãtissimos quósque sui tẽporis viros superauit. Hæc à Romano milite contumelijs insigniter affecta, ardens vindictæ desiderio, ad arma confugit, & coniuratione facta, non solum vicinos ad defectionem sollicitauit, sed etiam ad Britannorum ciuitates & prouincias remotiores scripsit, tantámque multitudinem suis litteris & persuasionibus concitauit, vt Tacito teste ad septuaginta millia Romanorum ciuium & sociorum in eo bello duce Bunduica ceciderint. Scripsit itaque ad suos

De Romanorum iugo excutiendo Epistolarum, *Librum vnum.*

Tandem à Paulino Suetonio victa, vinci noluit, sed accepto veneno interijt, vt Bunduica non nisi à Bunduica superari posset. Sic autem perijt circa annum Domini septuagesimum. Vide in Catalogo Regum, Aruiragum.

De Galgaco.

80. 18.

GALGACVS splendida apud Britãnos editus prosapia, fortitudine bellica insignis, doctus etiam, & in liberalibus disciplinis supra vulgaré morem eruditus. Maxima autem eius laus erat in affluente quadam eloquentia, & incredibili persuadendi vi. De quo Cornelius Tacitus in vita Iulij Agricolæ sic scribit: quod *inter plures Duces virtute & genere præstans, nomine Galcus* multitudinem ad arma concitauerit, ad Romanorum iugum excutiendum, ad seruitutem depellendam, ad libertatem reti-

nendam & sanguine defendendam, mirè incenderit. Eorum dominium esse intolerabile. Quorum superbiam frustrà per obsequium & modestiam effugeris. Raptores orbis, postquàm cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur. Hæc & similia suis Epistolis inserens, & orationibus coram habitis exaggerans, exosam, quantum fieri potuit, reddidit Romanorum potentiam & dominationem. Ita factum est, vt ex Britannis in Britannia contra Iulium Agricolam, qui tunc ibi pro Romanis regebat, sese armauerint plus quam triginta millia. Quæ tota defectio maximè huius oratoris eloquentiæ tribuitur. Porrò scripsisse dicitur

Epistolarum & Orationum, *Librum vnum.*

Claruit circa annum Christi octogesimum, regnante sub Romanis in Britannia Mario.

ÆTAS SECVNDA.

De Claudia Ruffina.

110. 19.

CLAVDIA Ruffina illustri prosapia Britannorum Principum orta à Claudio Cæsare Claudia, à Rufo marito Rufina dicta. Nam Britanni imperante Claudio cœperunt Romanorum amici & confœderati vocari. Vndè & suis liberis Romana nomina imponebant. Fuit autem hæc fœmina omnibus præstantissimis tum corporis tum animi dotibus prædita, omnibus virtutum ornamentis decorata, & quod caput est, cœlesti Spiritus sancti gratia diuinitùs illustrata, sacrisque Christianis munita & sanctificata. Quod ad fortunæ dona, & naturæ dotes attinet, ad splendorem generis accessit lautum patrimonium, & grandis opum affluentia, forma pulcherrima, ingenium acutum, iudicium maturum, eruditio tum in Græcis, tum in Latinis litteris insignis. Maritum habuit Aulum Rufum, à verecundia & modestia cognominatum Pudentem, Equitem Hetruscum, elegantem Poëtam, Philosophum non cōtemnendum, Romæ primùm militiæ Tribunū, & tandem ibidem ordinis Senatorij factum. Huius occasione Claudia magnam ætatis suæ partem exegit in Italia. Vbi cum eruditissimis quibúsque illius temporis viris notitiam habuisse perhibetur. Et quoniam acutiore poësi delectabatur, multum arridebant illi Martialis versus, quos auidè legebat, selectiores etiam ex ijs laboriosè describebat, sollicitè seruabat, memoriæ diligenter mandabat, &, vt quidam volunt, nonnunquam ex illis in Britanniam ad amicos, notos, & propinquos strenæ loco mittere solebat. Quam rem ipse Martialis libro vndecimo, epigrammate quarto non obscurè sic insinuat: *Dicitur & nostros cantare Britannia versus.* Porrò de nuptijs Pudentis & Claudiæ sic scribit Martialis libro quarto, epigrammate decimo tertio, vel in editione castigata, decimo.

Claudia, Rufe, meo nupsit peregrina Pudenti,
Macte esto tadis, ô Hymenae, tuis.

Tam

Tam benè rara suo miscentur cinnama nardo,
Maßica Thesæis tam benè vina fauis.
Nec melius teneris iunguntur vitibus vlmi,
Nec plus lothos aquas, littora Myrtus amat.
Candida perpetuo reside Concordia lecto,
Tamque pari semper sors ades æqua iugo.
Diligat illa senem quondam: sed & ipsa marito
Tum quoque cum fuerit, non videatur anus.

Idem etiam Poëta libro vndecimo epigrammate quinquagesimo quarto, vel secundùm purgatam editionem, vicesimo quinto Claudiæ formam, fæcunditatem, coniugalem fidem, & alias virtutes cum elegante doctrina coniunctas laudans, sic canit:

Claudia cæruleis cum sit Ruffina Britannis
Edita, cur Latiæ pectora plebis habet?
Quale decus formæ? Romanam credere matres
Italides poßunt, Athedes esse suam.
Dij benè, quod sancto peperit fœcunda marito,
Quot sperat generos, quotque puella nurus.
Sic placeat superis, vt coniuge gaudeat vno,
Et semper natis gaudeat illa tribus.

Crediderim sanè inter miracula ponendum, & cælesti gratiæ, diuinæquæ dispositioni planè tribuendum, quod Martialis iste, Poëta alioquin profusè lasciuus, de sanctis his coniugibus, & de eorum matrimonio tam reuerenter loquatur. Nam passim in suis versibus de sacris nuptijs, tanquàm de profanis nugis vel ineptè garrit, vel impudicè ludit, & fæmineum sexum communiter impuri sui styli tritum facit ludibrium. De Pudente tamen & Claudia, & de eorum coniugio scribens, nihil habet nisi modestum & honestum, nihil nisi pudicum, castum, sanctum.

Sed quid in istis hæremus? Admirabiles certè istius fæminæ virtutes, fidem, & alia cælestia dona, quibus imbuta fuit, ex irrefragabili Doctoris gentium S. Pauli testimonio satius est apertè colligere, quàm ex versibus Martialis obscurè conijcere. Hæc est enim illa Claudia, quæ fuit Apostoli discipula, de qua simul cum marito & alijs, ipse mentionem facit in calce suæ secundæ ad Timotheum epistolæ in hæc verba: *Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & omnes fratres.* Ergo & isti hic nominati inter fratres, hoc est, inter Christianos, computantur. Quos in exordio nascentis Ecclesiæ vitæ sanctimonia, omnique virtutis genere claruisse, omnis testatur antiquitas, omnis rectè credens indubitanter tenet posteritas. Iam ex dictis, quod manifestum est, infero, Pudentem & Claudiam ad Christi fidem conuersos fuisse à Doctore gentium D. Paulo, vel certè eo adhuc viuente circa annum à Christo nato sexagesimum, vel saltem ante annum septuagesimum. Nam, ex Isidoro & Platina in vita S. Petri, & ex alijs

manifestè colligitur, quòd ipso anno à natiuitate Christi Domini septuagesimo Romæ sub Nerone Cæsare, SS. Apostoli Petrus & Paulus martyrio coronati fuerunt.

Vnde non rectè sentit Raphaël Volateranus, qui circa annum Christi millesimum quingentesimum sub Iulio Papa secundo vixit atque scripsit. Hic enim in ipso fine libri decimi octaui suæ Antropologiæ, suppresso penitùs Claudiæ nomine, producit tempus conuersionis istius Pudentis vsque ad Pium Papam primum, qui ante annum centesimum quinquagesimum ad Ecclesiæ regimen nequaquam peruenit, Imperium tenente Antonino, quod ipse Volateranus fatetur, sic scribens: *Pudens Senator Romanus sub Antonino Imperatore à Pio Pontifice cum tota domo Christianus factus, liberos habuit Pudentianam, Praxedem, & Nouatum, omnes inter sanctos cum patre relatos.* Et infrà: *Praxedis vltima, fratris Nouati thermas in vico Patricio templum constituit. Meruit & ipsa sibi à posteris templum dicari, vbi cum suis, multisque martyribus iacet.* Hæc ille. Et omnia rectè, præter illam Pudentis conuersionem nimis dilatam.

Præterea mihi non est dubium quin Pudens & Claudia prius fuerint Christiani, quàm sua de illis epigrammata scripserit Martialis, vt supra videre est. Scripsit autem Martialis circa annum Christi centesimum sub Imperatoribus Domitiano, Nerua, & Traiano, quibus passim adulatur maximè in libro duodecimo, laudans semper præsentem rerum statum, vt imperantibus complaceat. Tum autem prouectioris, vt videtur, erant ætatis Pudens & Claudia. Nam iam tres liberos, teste Martiali, procreauerant, quos & ipse Volateranus, & Platina in vita Pij Papæ primi nominant. Vt vix credibile sit ipsum Pudentem superuixisse potuisse vsque ad Pium Papam, multo minus tum primum conuersum fuisse: cum Pius Papa non nisi post annum Christi centesimum quinquagesimum ad Apostolicæ sedis culmen assumptus fuerit.

Denique Breuiarium Romanum, cuius apud me summa est auctoritas, in officio vel legenda de S. Pudentiana expressè habet, quod mortuis eius parentibus, hoc est Pudente & Claudia, Pius Papa totam Pudentianæ familiam, in qua erant nonaginta sex homines, baptizauerit. Quod igitur hæc legenda testatur de Pudentianæ familia, hoc scribit Volateranus de ipso Pudente & tota eius domo, quod fieri non potest. Constat itaque Pudentem & Claudiam ante fuisse vita functos, quàm Volateranus velit ad fidem Christianam conuersos. His etiam non dissentiunt quæ scripsit Platina in vita Pij Papæ primi.

Porrò Pudens in Capadocia dicitur animam efflasse, cuius corpus Christiani Romam transtulerunt, & in cæmiterio Priscillæ via Salaria sepulturæ honoratæ tradiderunt, vbi posteà Pudentiana & vltima proles Praxedis imperante Marco Antonino circa annum Christi centesimum septuagesimum sepultæ fuerunt. Claudia verò derelicta Pudentis vidua in quodam municipio quod ei in Vmbria maritus assignauerat, vsque ad vitæ finem castitatem coluit, precibus, vigilijs, ieiunijs,

eleemosynis & alijs Christianæ charitatis operibus indesinenter intenta. Hic fateor quod affectus in patriam, & desiderium eruendi à tenebris antiqua gentis nostræ monimenta, maximè quæ ad Christianam religionem spectant, nimis mentem meam rapuerunt, & exorbitante prolixitate me mihi quodammodo dissimilem reddiderunt. Nunc quod attinet in Claudia ad ingenij doctrinæque monimenta posteris reliquisse perhibetur

Epigrammatum,	*Librum vnum.*
Elegiarum de obitu mariti,	*Librum vnum.*
Diuersi generis carmina,	*Librum vnum.*

Tandem in Vmbria spiritum Creatori reddidit in senectute bona circa annum redemptionis humanæ 110, imperante apud Britannos sub Romanis Mario.

Nota.

PRIMA ætas, vti etiam secundæ maior pars post natum Christum paucos admodum in Britannia nostra dedit Doctores Christianos, & ex ipsa gente puto nullos. Ætatis primæ plus quàm pars media iam transiuerat, antequam in Britanniam veniret S. Iosephus ab Arimathia, quem ego primum insulæ nostræ Apostolum fuisse, certò mihi persuadeo. Is autem post annum nati Christi sexagesimum aduentasse traditur. Qui licet cum socijs, quasi legationem obiens pro Christo, verbum Dei diligenter prædicauerit, & quosdam sine dubio conuerterit ac baptizauerit, quinam tamen illi, vel quantus eorum fuerit numerus, nullus nobis hactenus certus datus est index, sicuti & pleraque, quæ priscis illis temporibus in Britannia gerebantur, nobis in dubio sunt & in obscuro. Iam verò si fuissent viri docti ad Christi fidem conuersi, vel post conuersionem eruditi fuissent effecti; certè vel ipsi de se, vel de suis aliquid scripsissent, vel aliquid eorum quæ gessit, aut forsan etiam scripsit S. Iosephus Arimathensis, aut sociorum aliquis, sollicitè conseruassent, & posteritati tradidissent. Sed nihil tale ad nos peruenit, nec vllam habemus apud historicos mentionem alicuius Britannici Doctoris, qui ante annum à Christo nato centesimum quinquagesimum floruerit. Itaque mihi verisimile videtur per centum ferè annos ab aduentu S. Iosephi in Britanniam, præter imperitum vulgus & rudem plebeculam vix vllos ibi factos Christianos. Vel certè si forsan de nobilitate aliqui Christo nomen eo toto tempore dederint, eos nihilominùs non adeò doctos fuisse, vt prouinciam alios docendi in sese suscipere voluerint aut etiam potuerint.

Neque mirum mihi videtur Deum hoc permisisse, cum etiam subsint rationes non improbabiles. Imprimis non erat hic Britannorum singularis defectus, sed plerísque etiam alijs nationibus communis, Europæ maximè & Affricæ, imò toti ferè præter Palæstinam Asiæ. Nam præter Apostolos & Christi atque Apostolorum discipulos ijs-

dem temporibus vix quenquam erat inuenire ex gentibus conuersis, qui tam profecisset in doctrina Christiana, & in scientia diuinorum mysteriorum, vt non magis opus habuerit doceri quàm docere. Itaque infra prædictos annorum terminos, illi penè soli sub sole pro Christianis Doctoribus erant habendi, qui tum Christo viuente vixerant, & docentem audierant, quique accepto Spiritu sancto, distributis inter se totius orbis terrarum prouincijs, ex Palæstina missi, & per vniuersum mundum dispersi, Christum vbique prædicauerunt.

Præterea res est permagni laboris, imò incredibilis penè difficultatis, hominem ex infidelibus natum, & inter infideles in Idololatria enutritum, ad Christi fidem conuertere, & ita erudire, vt non solum ipse fidem & doctrinam sanam teneat, sed etiam alios ea, quæ credenda sunt & facienda, docere possit ac valeat. Multa enim ad tantam perfectionem requiruntur. Docile namque oportet sit ingenium, constans iudicium, intellectum in obsequium fidei perfectè captiuatum, in annis maturitatem, in scientia sufficientiam ad sanam doctrinam, in moribus integritatem ad bonum exemplum. Quæ omnia quantam in se habeant difficultatem, vel ex eo manifestum est, quod etiam nos qui ex Christianis parentibus nascimur, & ab ipsis teneris annis semper in ijs quæ sunt bonarum artium & fidei Christianæ diligenter erudimur & instituimur, vix aut ne vix quidem annis triginta obeundo huic muneri docendi in Ecclesia apti & idonei efficimur. Quanto minus simili temporis spacio feceris ex infideli fidelem, & fidei Doctorem?

Nam imprimis infidelem vt superstitiones & Idololatriam dediscat, doceas oportet. Deindè vt fidem discat, tum vt omnem illam morum corruptelam, quàm ad Romanos scribens D. Paulus, inter gentes semper fuisse commemorat & deplorat; deponat, virtutes vitiorum loco imbibat, nouum quodammodò hominem induat, & tandem vt competentem scientiam ad docendum habeat. Quæ omnia quàm sint difficilia verbis explicari vix potest.

Non igitur immeritò conqueritur D. Paulus in epistola ad Galatas capite quarto de huiusmodi difficultatibus quas expertus est in infidelibus non solum conuertendis, sed etiam conuersis, in hunc modum: *Filioli, quos iterùm parturio, donec formetur Christus in vobis.* Filiolos vocat, quos iterùm tamen parturire se dicit, significans difficultates, dolores, labores, gemitus in parturiendo eos Christo, similes videlicet illis doloribus quos grauissimos patiuntur matres, dum pariunt filios suos sæculo. Quod autem iteratò parturit, primò fit per reuocationem à gentilitate Idola relinquendo: secundò per conuersionem ad fidei sinceritatem in credendo, & ad vitæ innocentiam morumque integritatem in benè operando, & hoc est quod dicit, *Donec formetur Christus in vobis.* Quibus omnibus ita ritè peractis, non tamen continuò, taliter edocti, facti sunt idonei vt alios doceant.

His accedit, quod Christiani maximam in illis Ecclesiæ nascentis pri-

mis exordijs, curam habuerunt, vt fundamentum aliarum virtutum humilitatem, & simplicitatem columbinam illis à Christo Domino tantoperè commendatam prudenter conseruarent. Ideò noluerunt altum sapere, nec plus quàm oportuit, sed sapere ad sobrietatem; nec tam habebant in pretio scientiam quæ inflat, quàm charitatem quæ ædificat. Nam prædicabant Iesum Christũ filium quidem Dei, & verum Deum, sed hunc hominem factum, crucifixum, mortuum, & sepultum. Quæ doctrina Græcis sapientiam quærentibus, videbatur stultitia. Hinc factum est, vt Gentiles, qui Philosophiam inanem sectantes, sibi videbantur mirificè sapere; Christianam doctrinã tamquam vilem & sordidam haberent contemptui, & vt ab omnibus tamquam contemptibilis reijceretur, quantum poterant, laborarent. Tantum absuit vt ipsi hanc doctrinam amplecterentur.

His adde Romanorum in Britannia tunc imperantium fastum & exorbitantem arrogantiam, qui omnia à suis moribus aliena rusticitatis simplicis condemnabant, & tamquàm stulta aspernabantur, irridebant, subsannabant.

Postremò non parùm impediebant Euangelij progressum, bellorum tum ciuilium, tum externorum ferè perpetui turbines, vt mirum non sit primis centum annis post aduentum in insulam S. Iosephi, vix vllum ex Britannis inuentum esse Christianum Doctorem. Sed quicquid sit de his & similibus rationibus, illud saltem certò constat Deum permisisse, vt tunc doctrina Christiana nec omninò defecerit, nec tamen multum profecerit. Nam licet S. Iosephus, & qui cum eo in Britanniam venerant, quam diù vixerunt post eorum obitus, illorum discipuli semper diuini verbi prædicationi diligenter institerint. Ipsa tamen res loquitur, quod tanto temporis spacio, Deus exiguum dederit incrementum. Iusto quidem factum scimus iudicio, sed occulto, quod scrutari nolumus nè à maiestate gloriæ eius obruamur. Quis enim consiliarius eius fuit? certè in historijs nostris vix deprehendimus vel Regem, vel Episcopum, vel insignem aliquem Doctorem Christianum ex Britannis in insula toto illo tempore floruisse. Ex populo etiam exilem admodum numerum relictis Idolorum superstitiosis cultibus nomen Christo dedisse. Rarum adhuc ad sedem Apostolicam & Romanum Pontificem è Britannia fuisse recursum. Vt agnoscas Ecclesiam tamquàm arborem ex grano sinapis omnium minimo initium sumpsisse, Christique pusillum gregem paulatim auctum per gradus creuisse, & tandem ad suam perfectionem peruenisse. Ita vt in hac materia nobis necessarium sit agere primũ de infantia Ecclesiæ nascentis, deindè de incremento sensim proficientis, posteà de magnitudine moderatè crescentis, & tandem de splendore magnificè florentis. Nam successu temporis Britannorum misertus Deus ex ijs in ijs excitauit Prophetas duos videlicet insignes Doctores Britannos, Christianos, in Schola S. Iosephi, imò S. Spiritus educatos, Eluanum scilicet & Meduinum. Qui tamquam primi Britan-

norum in religione Christiana Doctores & ductores, zelo diuinæ gloriæ secundùm scientiam pleni, docuerunt Lucium Regem fidem Christianam, illam quam Apostolus ad Romanos scribens, in vniuerso mundo dixit annunciatam, hoc est, Romanam. Hanc fidem, vt Rex peteret, effecerunt, sedem Apostolicam Regis nomine missi adiuerunt, ad Eleutherium Papam, tamquam ad supremum in terris Ecclesiæ pastorem supplices venerunt, causam aduentus exposuerunt, petita obtinuerunt, ab eo litteras ad Regem acceperunt, cum dicti Papæ legatis Fugatio & Damiano, læti in Britanniam redierunt. Denique ita Regem, regnique proceres, & vniuersum populum Euangelij prædicatione docuerunt & instruxerunt, vt breui post tempore totam insulam ad Christi fidem suscipiendam induxerint.

Iam beneuole lector, te oro & obtestor per amorem Dei, per virtutem passionis Christi, & per æternam animæ tuæ salutem, vt mecum consideres, quibus medijs, quibus Doctoribus, qua auctoritate in Ecclesiæ Christianæ gremium recepti sumus. Quæ fides, quæ doctrina, quis ritus, quæ sacra, quis cultus, quæ religio tum introducta fuerunt in Britanniam. Nonnè omnia Romana? omnia à Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum matre? omnia à Romano Pontifice omniũ pastorum in Ecclesia Christi supremo pastore? omnia his cõformia semper habita sunt Christiana, Catholica, Deo grata. Omnia ab his aliena semper reprobata, explosa, condemnata, anathematizata, tamquam Deo, Angelis, & hominibus detestanda & planè execrabilia.

Lege obsecro attentè hos meos Catalogos. Inuenies Doctorum Catholicorum seriem per singulas ætates, imò per singulos propemodum annos continuatam, qui hos ritus, hos cultus, hanc religionem, hanc fidem, quam cum Ecclesia Romana profitemur, constantissimè semper tenuerunt, alijs prædicauerunt, & quique pro suo tempore contra paganos & hæreticos strenuè defenderunt. Nam antiqui Britonum Doctores non minùs agitabantur, quilibet suis temporibus, calumnijs, opprobrijs, cauillationibus, ludibrijs Arrianorum, Pelagianorum, & aliorum Hæreticorum; quàm nos hodiè petulantibus linguis & scriptis Lutheranorum, Caluinistarum, Anabaptistarum, & similium veritatis inimicorum proscindimur. Sed nec Hæreticorum calumniæ, nec tyrannorum persecutiones, nec alia quæcúmque diaboli & ministrorum eius machinamenta hanc perpetuam Doctorum & Doctrinæ Christianæ successionẽ interrumpere vnquam valuerũt. Quod abundè ex sequentibus patebit. Nam clariùs res ipsæ loquentur, quàm ego verbis exprimere possim. Constat certè Britanniam totam ante annum à Christo nato ducentesimum fidem Christianam suscepisse, sed non statim doctis hominibus abundasse, nec omnium, qui tum floruerunt, nomina & scripta ad nos venerunt. Ipsa vetustas aliqua obscurat, bellorum rabies multa absumit. Satis est nobis omnes Doctores, qui tum floruerunt, nostros fuisse, eamdem, quam nos tenemus, fidem tenuisse,

neminem, qui modernas hæreses docuerit aut propugnauerit, in insula tum extitisse, imò nec vbiuis terrarum inuentum fuisse, vt necesse sit hos errores nouiter excogitatos esse. Sed nunc vndè digressi sumus, reuertamur.

De Eluano Aualonio.

ELVANVS Aualonius, natione Britannus, & primus atque præcipuus suæ gentis in Christiana religione Doctor. Vir pius, grauis, & eruditus. In Schola S. Iosephi Arimathensis educatus, ab ipsis Apostolorum discipulis fidei Christianæ mysteria didicit iunior, & vir factus Lucio Regi diligenter prædicauit, eumque tandem cum tota gente conuertit, & baptizari fecit. In quibus omnibus Meduinum habuit socium & cooperatorem. Apud quosdam Historicos inuenio, hunc Eluanum, quo tempore Romam missus erat orator de Rege Lucio baptizando, & Britannia conuertenda, consecratum ab ipso Eleutherio Papa Britannorum Episcopum, vnde & posteà Londinensis Archiepiscopus secundus fuisse dicitur. De his legi potest Gildas Historicus in libro de victoria Aurelij Ambrosij, & Mathæus Vvestmonasteriensis ad annum 186, scripsisse perhibetur

180. 20.

De origine Ecclesiæ Britannicæ, *Librum vnum.*

Claruit circa annum gratiæ 180, sub Rege Lucio. Vide nostros de Apostolicis Viris & de Archiepiscopis Londinensibus Catalogos.

De Meduino Belgio.

MEDVINVS Belgius, id est, in ea circa Vvelliam Britanniæ parte natus, quæ olim Belgia dicebatur. Eluano tempore coæuus, pietate & doctrina æqualis, educatione similis, omniũ laborum particeps, & comes semper indiuiduus. Hunc ferunt, cum missus esset Romam à Rege Lucio, propter eloquentiam singularem, ab Eleutherio Papa gentis Britannicæ Doctorem solemniter fuisse creatum. Dum S. Patricius antiquum oratorium Aualonæ repararet, codicem veterem à tineis & blattis corrosum inter rudera reperit, in quo Apostolorum actus, & ea quæ Fugatius & Damianus (alij Phaganum & Deruianum vocant) in Britannia gesserant à Meduino scripta fuernt. Posteris igitur tradidit

180. 21.

Fugatij & Damiani gesta in Britannia, *Librum vnum.*

Claruit anno post Christum natum 180, regnante apud Britannos præfato Lucio. Vide nostrum de Apostolicis Viris Catalogum.

De Lucio Pio.

LVCIVS tam re quàm cognomento Pius, Britannus & Britanniæ Rex, vnicus Regis Coëli filius. Vir doctus, doctrinæ etiam & doctorum hominum maximus fautor. Academiam Bãchorensem in gratiam bonarum artium & virorum litteratorum fundauit. Erat propter animum regalem, & ingenium politiore litteratura plus quàm vulgari-

180. 22.

ter excultum, incredibilis mansuetudinis in subditos, maioris in Deum pietatis, deuotionis, religionis. De quibus suo loco. Hunc non solum inter Reges nostros Christianum primum, sed etiam inter scriptores non postremum meritò ponendum iudicaui, quia non contemnenda ingenij doctrinæque monimenta post se reliquit, maximè ad Eleutherium

Papam *Epistolarum*, *Librum vnum.*

Claudiocestriæ tandem mortuus & sepultus dicitur circa annum mundi reconciliati 180. Reliqua vide in nostris partim de Regibus, partim de Apostolicis Viris Catalogis.

ÆTAS TERTIA.

De Fulgenio.

212. 23. FVLGENIVS vel Fulgentius Regio Britannorum sanguine ortus, & ipse inuitis Romanis Britanniæ Rex. Vir elati animi, magni ingenij, plus quàm mediocris doctrinæ, miræ eloquentiæ; & ad alliciendos hominum animos in dicendo incredibilis gratiæ. Hic ferre non potuit, vt apud suos Britannos regia dignitas abrogaretur, potestas supprimeretur, & Romani eis dominarentur. Quare Britannos ad defectionem, vicinos Scotos & Pictos ad suppetias Britannis ferendum sollicitauit. Scripsitque ad suos de Romanorum iniurijs & de vindicanda libertate

Orationum, *Librum vnum.*

Epistolarum, *Librum vnum.*

Maximè ad Donaldum Scotorum & Thelargum Pictorum Reges, & ad proceres Britonum.

Tandem in prælio contra Septimium Seuerum lethaliter vulneratus apud Eboracum mortuus & sepultus est anno salutis humanæ 212. Vide nostrum de Regibus Britanniæ Catalogum.

De Mellanio Probo.

260. 24. MELLANIVS vel Mellon cognominatus Probus, natione Britannus, quem aliqui monachum fuisse putant, vir ingenij magni, paris etiam doctrinæ, pietatis, experientiæ. Nam cum maturos annos attigisset, non contentus illis scientijs quas in patria didicerat, studiorum causa Galliam peragrauit & Italiam, & tandem Romæ ad exquisitissimam in sacris litteris cognitionem ascendit. Quod vbi intellexisset Stephanus Papa primus, eum Archiepiscopum Rotomagensem constituit. Multa dicitur scripsisse, & in his

Homeliarum, *Librum vnum.*

Aliorum vel ipsi tituli perijsse videntur. Claruit anno salutis 260.

De S. Amphibalo.

291. 25. SANCTVS Amphibalus in Isca celeberrima legionum vrbe Monimensis agri apud Britannos natus, à teneris annis in bonis litteris

educatus,

educatus, simúlque in religione Christiana institutus. In Britannia Græcas & Latinas litteras, & eloquentiam iuuenis accuratè didicit. Deinde Romam ad altiora studia se contulit. Vbi sacrarum litterarum studijs se totum dedidit, vsque ad initium persecutionis Diocletianæ, quam fugiens in Britanniam redijt, quæ laboriosè didicerat, suos diligenter docuit, eosque in Christiana fide corroborauit, ne ingruente truculenta persecutione, deficerent. Nec vnquam, quoad fieri potuit, ab Euangelij prædicatione cessauit. Præter illa autem quæ discipulis in exercitatione quotidiana viua voce explanauit, hæc etiam, quæ sequuntur, scripto mandauit

Ad instituendam vitam Christianam, *Librum vnum.*
Homeliarum super Euangelia, *Librum vnum.*
Contra errores gentilium, *Librum vnum.* Et alia quædam quæ in atrocibus illis contra Christianos persecutionibus perierunt. Martyrio coronatus dicitur anno gratiæ 291, regnante in Britannia Constantio Choro. Vide nostrum de Apostolicis Britanniæ viris Catalogum.

ÆTAS QVARTA.

De sancta Helena.

SANCTA Helena Flauia Augusta natione Britanna, Eboraci in Northumbria, vel vt alijs placet, Colcestriæ in Essexia, in lucem edita. Vnica proles & hæres Regis Coëli secundi. Pijssima posteà Imperatrix, & magni illius Constantini Cæsaris mater. Fæmina decore incomparabili, stupendo ingenio, fide, religione, pietate, & animi magnitudine, liberalitate etiam & magnificentia planè incredibili. In omnibus artibus liberalibus, in Hebræa, Græca & Latina lingua, in instrumentis prætereà musicis peritissima. Denique in ijs etiam omnibus egregiè instructa, quæ ad regnum administrandum pertinent, & eò magis quòd pater aliam prolem non haberet. Propter hanc igitur tam insignem educationem, & præclaras tum corporis, tum animi dotes, Constantius Chorus Imperator illam in Britannia duxit vxorem, & ibidem ex ea suscepit Constantinum Magnum. Defuncto marito vidua permansit, & omne reliquum vitæ tempus in solis pietatis & religionis exercitijs consumpsit. De quibus suo loco. A Christo nato vsque ad illud tempus vix viderat sol fæminam omnibus virtutibus ornatiorem, & in omnibus scientijs doctiorem. In quorum testimonium scripsit, vt post alios habet Eisingrenus,

337.
26.

De mortalitate animæ, *Librum vnum.*
De prouidentia Dei, *Librum vnum.*
De norma benè viuendi, *Librum vnum. Domino semper Augusto.*
Monita pietatis, *Librum vnum.*
Reuelationum suarum, *Librum vnum.*

Carminum Græcorum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad Syluestrum Papam, *Librum vnum.*
Epistolarum ad Antonium Abbatem, *Librum vnum.*
Epistolarum ad Constantinum filium, *Librum vnum. Veritatem sapientis.* Et alia plura. Romæ tandem octogenaria obdormiuit in Domino decimo quinto calendas Septembris, anno Redemptionis humanæ 337, viuente & Imperium Romanum tenente filio Constantino, Octauio in Britannijs regnante. Vita eius haberi dicitur M. S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Plura vide in nostro de Apostolicis Anglicanæ gentis viris Catalogo.

De Constantino Magno.

339. 27. FLAVIVS Constantinus cognominatus Magnus, Constantij Chlori ex Helena Britanna filius in Britannia natus, & ibidem primo Rex, deinde Imperator creatus. Sic enim inter alios multos auctores testatur Aldhelmus in libro de laudibus virginitatis. Et ex Eutropio Beda lib. 1. historiæ cap. 8. Vir præter splendorem generis, & maximas virtutes, insigniter eruditus, & tum Græcis tum Latinis litteris egregiè instructus, & quod omnium maximum est, fide Christiana clarus. Vti erat à matre institutus, solebat esse in Ecclesias & Ecclesiasticas personas munificus, in egenos liberalis, in omnes afflictos misericors. Doctos viros summoperè coluit, & in maximo precio semper habuit. Nunquam illi melius esse videbatur, quàm cum legere, studere, meditari, aut scribere posset. Bibliothecas multas vel de nouo erexit, vel destructas restaurauit. Plurimos antiquos libros, ne à tineis atque blattis exesi, vel ab ipsa vetustate consumpti perirent, magna diligentia vindicauit à corruptione, vt inter cæteros testatur Socrates libro primo Ecclesiasticæ historiæ capite nono. Admirabilis indolis indices, & ingenij magni monimenta sunt, quæ scripta reliquit, & posteritati tradidit. Scripsit enim hæc sequentia volumina

Confeßionem fidei, *Librum vnum.*
De Synodo Nicæna, *Librum vnum.*
De prouidentia Dei, *Librum vnum.*
Leges Christianorum, *Librum vnum.*
Contra gentilium superstitiones, *Librum vnum.*
Vitæ instituta ad filios, *Librum vnum.*
Dogma Basilicum, *Librum vnum.*
Ad nationum præsides, *Librum vnum.*
Ad Senatum Romanum, *Librum vnum. Serenißimum Dei solisque iubar.*
Reipublicæ leges, *Librum vnum. Curiales omnes iubemus inter.*
Nouam Aegyptiorum legem, *Librum vnum.*
Geoponica Græca, *Libros viginti.*
De re rustica, *Librum vnum.*
Ad patres Conciliorum orationes plures. Epistolas etiam.

Ad Eusebium Cæsariensem vnam. Adhuc mi charißime frater.
Ad Palestinæ Prouinciales vnam. Olim atque dudum præstantia.
Ad incolas Orientis vnam. Quæ cum summis atque præclaris.
Ad Alexandrum & Arrium duas. Rationem contigisse duplicem.
Expostulationem cum ijsdem vnam. Didici natam præsentis quæstio.
De Arrio & eius scriptis vnam. Malignos & impios Arrian.
De pace religionis vnam. Vestra discordia emerg.
Ad Nicomedienses vnam. Quis imbuit talibus innocent.
Ad Ecclesias omnes vnam. Ex facili reipublicæ.
Ad Saporem Regem Persarum vnam. Sacrosanctam fidem obseruans.
Ad Macharium Episcopum vnam. Tanta est Dei nostri benigni.
Pro instaurandis sacris vnam. In vrbe multi cognomi.
De controuersia Paschatis vnam. Ardua medius fidnis &c.
Ad Episcopos Palæstinæ vnam. Hoc vnum summum curæ meæ.
Ad populum Antiochenum vnam. Huius vniuersitatis alt.
Ad Eusebium super Episcopatu vnam. Plenißime Episcopatum.
Ad Theodotum & alios vnam. Legi litteras vestras &.
In sui temporis hæreticos vnam. Ex promulgatione edicti.
Ad Tyriorum Synodum vnam. Consentaneum erat isto sæculo.
Ad eandem pro Athanasio vnam. Nescio quid tot conuentibus.
Pro Athanasij causis vnam. Ego quidem ignoro quæ.
Ad ciues Antiochenses plures.
Ad præfectos gentium plures.
Ad Antonium Abbatem vnam.
Ad Probum contra Arrium vnam.
Ad Diocletianum vnam.
Ad Acurium Comitem vnam.
Ad suum Quæstorem vnam.
Ad Acesium Nouatianum vnam. Et alias plures tum epistolas tum orationes.

Nicomediæ mortuus, & Constantinopoli sepultus est anno Domini 339, regnante in Britannijs Octauio. Vide nostros Apostolicorum Virorum, & Regum Britanniæ Catalogos.

De Restituto Archiepiscopo.

RESTITVTVS natione Britannus, Archiepiscopus Londinensis. Vir prudentiæ, pietatis, & doctrinæ titulis domi forisque celebris, & doctioribus plerisque sui temporis viris non incognitus. Imprimis verò S. Hilario Pictauiensi in Gallijs Episcopo multùm familiaris, quod patet ex mutuis inter eos epistolis. Vocatus in Galliam ad Concilium Arelatense secundum, suam ibi præsentiam exhibuit, sententiam dixit, & alia, quæ sui muneris erant, cum honore præstitit, cum alijs Episcopis actis Concilij subscripsit, & ad suos in patriam rediit. Quod autem attinet ad eius litteraria monimenta, scripsit ad suos Britannos

350.
28.

De Arelatensi Synodo, *Librum unum.*
Epistolarum ad Hilarium Pictauiensem, *Librum unum.*

Claruit anno salutis 350, sub Constantino Magno, cui superuixit. Vide nostrum de Archiepiscopis Londinensibus Catalogum.

De Kebio Corinio.

380. 29. KEBIVS Corinius, natione Britannus, patria Cornubiensis, & Salomonis Cornubiæ Ducis filius. Vir ingenij præclari, insignis doctrinæ, magnæ virtutis. Post benè iacta in patria studiorum fundamenta, vt videtur, propter tum pullulantem in Britannia Arrianam hæresim, adhuc iuuenis in Galliam secessit. Et S. Hilarij tum Pictauiensis Episcopi fama motus, ad eum se contulit, & omni qua potuit, ratione illius gratiam & beneuolentiam conciliauit; vt tanto Doctore sacras litteras, eaque omnia quæ statui conueniunt Ecclesiastico discere posset. Nec cessit res infeliciter. His igitur spiritualibus armis instructus, in patriam redijt, & in Septentrionales Cambriæ partes se recepit, Venedotis necnon insulæ Monæ incolis (cuius insulæ tandem Episcopum fuisse existimat Lelandus) bonæ vitæ exemplo, & salutaris doctrinæ prædicatione multum profuit. Nec dubito quin aliquod singularis doctrinæ monimentum scripto posteris reliquerit, quamuis apud probatos auctores nihil ei tributum reperiam, præter

Epistolarum ad S. Hilarium Episcopum Pictauiensem, *Librum unum.*

Claruit anno gratiæ 380, Maximo in Britannia tyrannidem exercente. Vide nostrum de Episcopis insulæ Monæ Catalogum.

Nota.

PER hæc tempora, grauiter impedita fuerunt in Britannia tum bonarum litterarum studia, tum fidei Christianæ progressus. Imprimis quia iam tyranni regnum inuaserant, rempublicam destruxerant. Verbis Bedæ loquar. *Britannia omni armato milite, militaribus copijs vniuersis, tota floridæ iuuentutis alacritate spoliata, quæ tyrannorum temeritate abducta, nusquàm vltra domum redijt,*

Prætereà quoniam, vt mihi videtur, hac occasione fretus Pelagius Brito apostata Monachus, qui suam hæresim inceperat in Oriente, in patriam reuersus, eam ibi plantare moliebatur, vt inimicus homo, dum dormirent homines, superseminans zizania. Vnde Beda, *Pelagius Brito contra auxiliũ gratiæ supernæ, venena suæ perfidiæ longè latéque dispersit, vtens cooperatore Iuliano de Campania, quem dudum amissi Episcopatus intemperans cupido exagitabat. Quibus S. Augustinus, sicut & cæteri patres orthodoxi multis sententiarum Catholicarum millibus responderunt.* Hæc Beda libro primo historiæ capite decimo & duodecimo. Sed tum, vt videtur, Britones Pelagium, eiusque sequaces in exilium eiecerunt, ipsis mali principijs maturè occurrentes. Non multo autem post tempore vt idem Beda habet capite decimo septimo, *Hæresis Pelagiana per Agricolam illata Seueriani*

Episcopi Pelagiani filium, fidem Britannorum fœda peste commaculauerat. Verum Britanni cum neque suscipere dogma peruersum gratiam Christi blasphemando nullatenus vellent, neque versutiam nefariæ persuasionis refutare verbis certando sufficerent, inueniunt salubre consilium, vt à Gallicanis Antistitibus auxilium belli spiritualis inquirant.

Itaque Cælestino Papa & Concilio Gallicano sic ordinantibus, inquit Beda, *Eligebantur Apostolici Sacerdotes Germanus Altisiodorensis, & Lupus Trecasinæ ciuitatis Episcopi, qui ad confirmandam fidem gratiæ cælestis Britannis venirent.* Et hi quidem Pelagianos in Britannia disputationibus habitis, partim conuerterunt, partim conuicerunt & profligauerunt. Adeò vt ipse Agricola qui illam hæresim in Britanniam inuexit, ad Catholicam fidem conuersus, Pelagianos disputationibus & libris scriptis impugnauerit, & vsque ad vitæ finem Catholicus perseuerauerit.

Ex quibus pietatem & zelum Britonum intelligere possumus, nam licet ex suis propter furores bellicos, Doctores; imò præter pueros & senes, propter frequentes delectus, ne homines quidem haberent: mira tamen industria, mira sollicitudine, primò Pelagianos ex insula eiecerunt; deindè denuò pullulantes appellatis externis Doctoribus refutari curauerunt, eósque tertia vice pessima machinantes, anno Domini 449, in Concilio prouinciali condemnari fecerunt. Qui etiam post, synodis aliquot vniuersalibus explosi, damnati, & anathematizati fuerunt. Sed hæc de pestilente illo Pelagio, eiúsque hæresi dicta sufficiant. Iam ad seriem scriptorum reuertamur.

ÆTAS QVINTA.

De Syluio Bono.

SYLVIVS cognomento Bonus, natione Britannus, vir suo tempore linguæ Latinæ peritissimus, Rhetor elegantissimus, Poëta acutissimus, in humaniore litteratura & bonis moribus principum filios instituere consueuerat. Matura iam ætate, propter ingenium magnum, & singularem in dicendo tum copiam, tum elegantiam, proceribus regni charus esse cæpit, & ad intima eorum admittebatur consilia. Cum Maximo Britannorum Rege transfretauit in Galliam, eique omni consilio & auxilio adfuit, dum totam Armoricam in suam potestatem redigeret, & Gratianum tum vita, tum regno priuaret. Quibus temporibus incidisse dicitur in scripta quædam Ausonij Burdegalensis, tum versu, tum oratione soluta exarata, in quibus nonnulla tamquam minus Latina reprehendit. Quod vbi intellexit Ausonius, simúlque egrè ferret, eum adhærescere Maximi partibus, qui Gratianum suum olim discipulum interfecerat, grauem contra Bonum Syluium concepit iram, suámque bilem scriptis satis acerbis exonerauit. Cui etiam Syluius (scilicet instanti læsa repugnat ouis) & vt se defenderet, & aduersarium etiam impeteret, nequaquam pepercit. Atque ita factum est, vt in sese mutuò

410.
30.

calamis satis pungentibus inueherentur. Multa eius opera proculdubio perierunt in ciuilibus, quæ in Britannia flagrarunt, bellis. Quæ autem ad posteritatem peruenerunt, his titulis insignimus:

Maximi Cæsaris laudes, *Librum vnum.*
De bellis Armoricis, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*
Poëmatum diuersi generis, *Librum vnum.*
Inuectiuas in Ausonium, *Librum vnum. Et alia plurima.*

Claruit anno Christi 410, ad ruinam iam tendente Britonum imperio.

De Fastidio Prisco.

120. 30. FASTIDIVS Priscus, in Britannia Christianis parentibus natus, Christianis litteris & moribus ab ætate tenera imbutus. Postquam iuuenis humaniorum litterarum cursum accuratè absoluisset, sacræ scripturæ lectioni & meditationi se totum dedidit, in quo studio postquam magnos fecisset progressus, & ad eminentem rerum diuinarum peruenisset scientiam, talentum sibi à Deo traditum abscondere, indecorum iudicauit. Itaque ad prædicandum populo verbum Dei se accinxit. Et quod maxima industria didicerat, pari sudore, nec minore fructu docuit, exemplum piæ vitæ cum eximia doctrina semper coniungens, vt qui hanc intellectu percipere non valerent, illud ob oculos quotidiè obuersatum viderent, & qui possent, ex vtróque, qui minùs, ex altero saltem fructũ perciperent. Huius tam Gennadius, quàm Honorius honoratam planè mentionem faciunt. Tandem in præmium virtutum ad Archiepiscopatum Londinensem euectus est, vt suo loco dicetur. Mitis autem & mansueti ingenij sui multa egregia posteritati reliquit monimenta, quæ pleráque perierunt. Constat tamen eum composuisse maximè ad Fatalem, teste Gennadio

De fide, & vita Christiana, *Librum vnum.*
De doctrina Deo digna vel spirituali, *Librum vnum.*
Admonitionum piarum, *Librum vnum.*
De viduitate seruanda sana, *Librum vnum. Et alia non pauca.*

Claruit anno postquã Virgo peperit 420, pereunte per tyrannos & dissidia Britonum imperio. Vide nostrum de Archiepiscopis Londinensibus Catalogum.

De Niniano.

432. 33. SANCTVS Ninianus Nynam Beda vocat, regio sanguine Britannorum ortus, patria Bernitius. Adolescens Romam studiorum causa profectus est, vbi postquam cum bonis litteris religionem Christianam tanquam à fonte sincerissimè hausisset, in patriam reuersus, alios pijssimè docuit & instruxit. Erat enim in meditatione & prædicatione verbi diuini assiduus, pius in viduas & orphanos, misericors in delinquentes, liberalis in omnes pauperes, mitis & benignus in omnes homines. Has

enim laudes ei tribuunt Venerabilis Beda, & post illum alij Scriptores. Omnium primus Pictos & Australes Scotos ab idolorum cultu, ad fidem Christi perduxit. Quibus cum diu sacras litteras exposuisset, & vigilanter verbum Dei prædicasset, tandem eorum factus est Episcopus ad Candidam Casam. Quæ autem iunior docuerat, iam senex factus scriptis mandauit, & posteritati tradidit, quorum tamen posteà maxima pars perijt. Ex ijs quæ post se reliquit, aliqua saltem nomine tenus tenemus teste Sixto Senensi

Meditationum in Psalmos Dauidis, *Librum vnum.*
De Sanctorum Sententijs, *Librum vnum. Et alia.*

Tandem miraculis clarus, plenus dierum, & bonorum operum thesauro diues, ad Candidam Casam sanctissimè diem suum obijt, & ibidem in templo ei dedicato sepulturam accepit decimo sexto calendas Octobris anno reparatæ salutis 432, imperante Britannis iamiam perituris Constantino Aldroëno. Porrò Niniani vitam scripsit S. Aldredus Abbas Rhieuallensis. Vide nostros de Episcopis Candidæ Casæ, & de Viris Apostolicis nostræ gentis Catalogos.

De Leporio Agricola.

LEPORIVS Agricola Seueriani Episcopi Pelagiani filius in Britannia natus. Posteà tamen in bonis litteris, & fide Catholica amicorum cura sollicitè institutus, factus est Sacerdos, & Monachus in celebri Banchorensi cœnobio. Sed non perseuerauit. Derelicto namque Monasterio simul & Catholica fide, ad Pelagianos defecit, sparsóque quãtùm potuit illo dogmate peruerso, multos ab orthodoxa fide alienauit, eóque plures, quò magis opinione doctrinę apud omnes innotuit. Sed Cælestinus Papa primus (auctor est Florẽtius Vvigorniẽsis,) ex Gallia misit in Britanniam eruditos & sanctos duos Episcopos Germanũ & Lupum, quorum doctis disputationibus & salutaribus monitis, lectione etiam eorum quæ scripserat D. Augustinus contra Pelagianos, Agricola cum multo populo ad fidem Catholicam reuocatus est. Hæc pleráque ex Prospero Aquitano, Gennadio, Beda, Cassiano libro de Incarnatione & alijs. Scripsit autem, vt loquitur Matthæus. Vvestmonast. librum correctionis suæ, id est

444. 34.

Erroris sui palinodiam, *Librum vnum.*
De duabus in Christo naturis, *Librum vnum.*

Contra Timothæum Hæreticum de Incarnatione Verbi epistolam, quæ extat apud Cassianum libro primo. Claruit Leporius anno Christi 444, vacillante Britonum regno sub Constantino Aldroëno.

De Guithelino.

GVITHELINVS natione Britannus, vt verbis Matthæi Vvestmonasteriensis vtar, *Londinensis Archiepiscopus scientia & virtutibus insignis.* Hic corruente Britonum imperio communibus votis electus est,

444. 35.

vt suos ad strenuè rem gerendam animaret, sed cum apud timidum & meticulosum populum nihil oratione sua proficeret, vt apud exteros aliquod aliud rebus lapsis quæreret solatium, missus est in Britanniam Armoricam, vt indè Regem Maioris Britanniæ peteret. Erat enim vir prudens, disertus, oculis principũ gratus, & ad persuadẽdum in omnem partem aptissimus. Petijt igitur & obtinuit in Regem Constantinum Aldroënum, & cum eo copias militares ad hostes patrijs finibus expellendos. Cuius ad Regem nouum hæc fuit vox congratulatoria: *Christus vincit, Christus imperat, Christus regnat. Adsit igitur gratia Christi Regi Britanniæ.* Sed de his suo loco. Scripsit Guithelinus, vt ex Historijs nostris colligere est

Orationum & Concionum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Claruit anno salutis 444. regnante apud Britones Constantino Aldroëno. Vide nostrum de Londinensibus Archiepiscopis Catalogum.

De sancta Vrsula.

453.
36.

SANCTA Vrsula Cynosura cognominata, natione Britanna, patria Cornubiensis, ad oppidum maritimum Tamervvorthum in lucem edita, Christiani principis Dionothi filia, in pietate & bonis litteris ab ætate tenera diligenter enutrita, virginitatem perpetuò coluit, quam & Martyrij corona tandem cumulauit apud Coloniam Agrippinam, cum alijs vndecim virginum millibus. De quo suo loco. Ex eius felicissimo ingenio saltem hæc doctrinæ monimenta prodijsse ferunt

Documenta fidei, *Librum vnum.*
De arcanis visionibus, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Ex Sigiberto Martyrio coronata dicitur circa annum Christi 453, regnante apud Britones Vortigerno. Vide nostrum de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

De Bachario Maccæo.

460.
37.

BACHARIVS Maccæus, natione Britannus, S. Patricij discipulus, bonis litteris in Academia Legionensi operam dedit. Vates insignis, Mathematicus peritissimus. Nam omnẽ iuuentutem suam in his studijs posuit. Posteà vidẽs patriam suam continuis calamitatibus afflictam, illius misertus diuinam opem imploraturus longissimis itineribus sacras peregrinationes suscepit. Sed non defuerunt obtrectatores, qui leuitatis, inconstantiæ, vanitatis, vt cætera taceam, hominem accusauerunt. Vndè se scripto purgauit, sanctè affirmans se non nisi pro amore Dei, pro animæ suæ salute, & afflictæ patriæ solatio peregrinationes illas instituisse & peregisse. Et quoniã apud singulos se excusare nõ potuit ad communem in terris omniũ Christianorum patrem Romanũ Pontificem Leonem primum, vt ex Gennadio, Honorio, Ioanne Capgrauio, &

& alijs colligo, scripsit

Suæ peregrinationis Apologiam, *Librum vnum.*
De reparatione lapsi, seu de fructu pœnitentiæ ad Ianuarium, *Librum vnum.*
Nisi vererer beatissime frater. *MS. Cantabrigiæ in Collegio Caij.*
De fide perseuerante, *Librum vnum.*
De prognosticis natiuitatum, *Librum vnum.*

Claruit senex anno post mundum à Christo redemptum 460, regnante in Britannia Vortigerno.

De Maugantio Genethliaco.

MAVGANTIVS Genethliacus claro apud Britones loco natus, in antiqua illa vrbis legionum Academia multorum aliquando Philosophorum caput ac princeps. Medicus insignis, Astronomiæ peritus, & in omnibus scientijs Mathematicis, ne dicam magicis exercitatissimus. Erat Vortigerno regi à valetudine curanda. A quo cum Rex curiosiùs sciscitaretur de Ambrosij Merlini prodigioso conceptu, respondit hic ex antiquis Physicis & alijs Philosophis, qui hac in re etiam non aduersantur Theologis, Merlinum ab incubo dæmone fuisse generatum: Et certò posse, & frequenter solere malignos fornicationis spiritus assumpta corporea figura, & quidem humana, cum fœminis coïre. Non quòd ipse dæmon generet, generatione ab eo vitaliter procedente, sed quia dum videtur operam dare generationi, ab aliquo viro semen prolificum exprimit, & in momento calidum transfert, atque vtero infundit. Porro scripsisse perhibetur

470.
38.

De magia naturali, *Librum vnum.*
Expositionum in Apuleium, *Librum vnum. Et eiusmodi alia plura.*

Claruit anno Domini 470, Vortigerno languidè regnante.

De Ambrosio Merlino.

AMBROSIVS Merlinus, siue ex furtiua Venere, siue opera dæmonis incubi, in Cambria natus, in oppido Caër Mardin, in vrbe legionum litteris operam dedit. Cùm esset ætate maturior, se totum scientijs Mathematicis, imò artibus magicis dedidit, in quibus se posteà nimis exercuit. Admirabilem illam lapidum structuram, Gygantum choræam vocant, quæ vsque hodie in agro Salesberiensi conspicitur, illuc ex Hibernia transtulisse dicitur. Excidium Britanniæ per Saxones, Dacos, & Normannos; regum etiam infestos casus, & infaustos exitus prædixit. Vortigernum flammis, Aurelium & Vtherum veneno, Arthurum vulnere perituros. Quæ omnia ita euenisse dicuntur. Scripta eius omnia sunt prohibita, quia magica, superstitiosa, prodigiosa, & valdè periculosa. Magno tamen in precio curiosis quibusque apud nostrates semper fuerunt. Et etiamnum in antiquis Academiarum nostrarum Bibliothecis seruantur, tum Anglicè, tum Latinè, tum etiam Gallicè manuscripti eius libri. Quorum aliquos in sermonem

480.
39.

Latinum transtulit Galfredus Monimetensis. Scripsit autem Merlinus

Super arce Vortigerni, Librum vnum. *Væ rubro draconi, &c.*
Epitaphium Sexti Regis, Librum vnum. *Sextus Hiberniæ amia sub.*
Contra Vortigerni Magos, Librum vnum. *Magi regis magica arte.*
Super quodam cometa, Librum vnum.
Vaticinium, Librum vnum. *MS. cum expositione vel glossa Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.*

Obscuras prædictiones & prophetias. Vtrum autem aliqui ex libris quos recensui, sint ijdem cum illis eius prophetijs, & tribus libris vaticinalis historiæ, qui Latinè MS. inueniuntur Oxoniæ in Bibliotheca Mertonensi, & Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, necnon Gallicè in Collegijs S. Petri & S. Benedicti, expendant illi qui meum librum cum ijs conferre possunt, quod mihi non est permissum. Claruit autem Merlinus iste anno post gratiam humano generi factam 480, & tandem in Comitatu Vviltunensi mortuus, corpus & nomen oppido Merlinburgo, quod ipse fecerat ædificari, reliquit, regnantibus in Britannia præfatis regibus. Hunc alium fuisse à Merlino Caledonio mecum sentiunt Giraldus Cambrensis, Treuisa, & alij.

De Eldado.

490.
40.

ELDADVS seu Heldanus natione Britannus, & in Britannia Claudiocestrensis Episcopus, vir de cuius pietate, prudentia, & doctrina magnam per illa tempora viri principes habebant opinionem, sese que in grauibus negotijs eius plerumque consilio facilè duci sinebant. Difficillimis reipublicæ temporibus strenuè pro suis Britonibus laborabat contra Saxones, aduersus quos in fauorem suæ gentis scripsit

Orationes inuectiuas, Librum vnum.

Claruit anno post Christum natum 490, Ambrosio Aurelio Rege Britonum cum Saxonibus de summa rerum acriter decertante. Vide nostrum de Episcopis Claudiocestrensibus Catalogum.

De sancto Patricio.

490.
41.

SANCTVS Patricius Succetus, Sochet, Bedæ Magonius, à magnitudine virtutum magnus cognominatus, patre Calphurino Diacono viro nobilissimo, matre Concha, Concessam vocat Beda, ex Pannonia, S. Martini Turonensis Archiepiscopi sorore, in Britannia natus, in valle Rosina regionis Tiborniæ vel Neutriæ in vico Bannauæ Pembrochiensis agri, anno Domini 370, in ipsis teneris annis anno videlicet ætatis decimo tertio vt habet Probus, cum duabus sororibus & fratre (sicuti posteà bis in reliqua vita) captus & venditus est Hiberniæ Regi Miluc, & in Aquilonari illius insulæ parte regis porcos pascebat, quo etiam tempore sæpe cum Angelo sermones habuit. Anno autem ætatis suæ decimo septimo à seruitute liberatus, in Britanniam redijt: vbi bonas litteras auidè sitienterque discere cæpit, optimis vsus

præceptoribus. In quibus progressu tẽporis erat auunculus eius S. Martinus, & post eum S. Germanus Altisiodorensis Episcopus, sub quo postquam sacris litteris operam vtcumque vtilem impendisset, in patriam rediens, ad Glasconiense Monasterium (quod à S. Iosepho Arimathensi inchoatum ferunt) secessit, & ibi in vita & habitu religioso, cælestia contemplans, plus quàm annis triginta vixit. Tandem Romam profectus, propter vitæ sanctitatem cum generis splendore, & singulari doctrina coniunctam summo in precio apud Cælestinum Papam primum fuit. Quem idem Pontifex Episcopum consecrauit, & inde in Scotiam id est Hiberniam, ad prædicandum Euangelium Christi destinauit, sic Florentius Vvigorniensis. De quibus suo loco. Nam hic præcipuè de ijs quæ scripsit, agendum est. Fertur autem studiosè semper quæsiuisse antiquitates Britanniæ, illas maximè quæ ad fidem Christi confirmandam faciebant, & inuenisse aliquando commentarios quosdam de gestis Damiani & Fugatiani in Britannia. Sed dicti commentarij vetustate erant adeo obscurati & penè consumpti, vt parum aut ferè nihil ex ijs legi vel intelligi potuerit, nisi quod probabili coniectura colligeretur, eorum auctorem fuisse Meduinum Doctorem Britannum. Scripsit autem Patricius

De futura electorum vita,	*Librum vnum.*
De tribus habitaculis,	*Librum vnum. Tria sunt habitacula cæli.*
De antiquitate Aualonica,	*Librum vnum.*
Itinerarium confessionis,	*Librum vnum.*
Odæporicon Hiberniæ.	*Librum vnum.*
Historiam Hiberniæ ex Ruano.	*Librum vnum.*
Sermonum,	*Librum vnum.*

Contra Gentilium superstitiones.

Epistolas,	*Ad Cereticum tyrannum,*	*Librum vnum.*
	Ad Aualonios incolas,	*vnam.*
	Ad suos Britannos,	*plures.*
	Ad Hibernenses Ecclesias,	*plures.*

Abiectoria quædam 366, *Librum vnum. Et alia plurima.*

Tandem vir Dei miraculorum gloria clarus, bonis operibus abundans, & dierum plenus, in Hibernia propè Dunensem Vltonensis prouinciæ ciuitatem Episcopalem sanctissimè obijt in Domino decimo sexto calendas Aprilis, anno ætatis suæ 122, salutis humanæ 490, regnante in Britannia Aurelio Ambrosio. Vide nostrum de Apostolicis viris Catalogum.

De Godelberto.

GODELBERTVS, ab alijs Britannus, ab alijs Anglosaxo reputatur. Professione sacerdos. Vir in sacris & prophanis litteris eximiè doctus. Poëta acutus, Rhetor facundus, Philosophus subtilis, Theologus etiam non contemnendus, & in meditandis sacris scriptu-

498.
42.

ris assiduus. Composuit tandem heroïco versu totius veteris testamenti historiam allegoricam, à mundo creato vsque ad Christum natum. Operi titulum fecit

Allegoriarum sacræ scripturæ, *Libros quatuor.*
Homiliarum & Epistolarum, *Librum vnum. Et alia nonnulla.*

Hæc ex Sixto Senensi, Lilio Giraldo, & Ioanne Trithemio. Claruit Godelbertus anno gratiæ 498, Aurelio Ambrosio Britanno, & Osca Anglosaxone hostiliter de regno Britanniæ dimicantibus.

Nota.

DILIGENTER hîc notandum est, mediam ætatis quartæ post Christum natum partem, integras quintam, sextam, & septimam ætates, tum in fide, tum in re litteraria nonnihil in insula nostra claudicasse. Imprimis propter exhaustam & viris euacuatam per nimis crebros militum delectus insulam. Deinde propter intestinum inter Britones & Anglosaxones bellum, dum hi alienum sibi arripere, illi suum defendere contenderent imperium. Tertio quod Anglosaxones paulatim viribus superiores, & fidei Christianæ, & bonarum litterarum prorsus essent ignari. Postremò quod ipsi Britones (vt alibi dictum est) Scotorum erroribus infecti, magis vt sua falsa dogmata defenderent, quàm vt sanam populo proponerent doctrinam, laborabant. Vnde licet per illa tempora floruerint in Britannia multi viri docti & scriptores insignes; eorum tamen pauca scripta nunc inuenimus. Nam per illud hostile, quod dixi, bellum, non rarò factum est, vt & scriptores gladio, & eorum opera flammis perierint. Aliquorum tamen & opera, & auctorum nomina vigilans bonorum virorum cura ab interitu eripuit, & posteris conseruauit. Aliorum habemus nomina, &, quod multa scripserint, euidentia testimonia, sed opera, imò & operum titulos aut obscurauit vetustas, aut deleuit penitus temporum iniquitas. Quàm ferax autem & fidei Catholicæ, & omnis melioris doctrinæ fuerit ætas octaua suo loco clariùs apparebit. Nunc vnde digressi sumus, reuertamur.

ÆTAS SEXTA.

De sancto Gilda Albanio.

512.
43.

SANCTVS Gildas Albanius, (historicum cognominat Matthæus Vvestmonasteriensis ad annum 186,) Regio Britannorum sanguine in Britannia natus, S. Patricij aliquandò discipulus. Postquam humaniores litteras in patria perfectè didicisset, & artes liberales degustare cepisset, adhuc adolescens studiorum causa transfretauit in Galliam, partim vt tumultus bellicos declinaret, partim etiam quoniam adhuc in Britannia suspecta fuit nonnullorum doctrina, propter hæresis Pelagianæ contagionem. In Gallijs itaque ad aliquot annos viuens, & in-

guam & Philosophiam, omnésque scientias tum sacras, tum profanas accuratè didicit. Rediénsque in patriam, vnà cum multiplici doctrina copiosam retulit librorum supellectilem, & vt liberiùs Deo diuinarúmque rerum contemplationi vacare posset, in solitudinem exiuit, vbi se ieiunijs, orationibus, vigilijs, cilicijs quotidiè macerabat. Multi autem fama virtutum eius moti, vndique ad eum confluebant, vt ab eo morum grauitatem, & religionis sinceritatem simul cum bonis litteris addiscerent. Omnes enim optima quæque & verbo docebat & facto. Spiritu etiam prophetico multas prædixit clades, quæ post euenerunt. Varia pereruditè scripsit, ex quibus aliqua ferunt haberi M. S. Cantabrigiæ in publica Academiæ bibliotheca. Composuit autem, teste Mathæo Vvestmonasteriensi & alijs

Concordantias in quatuor Euangelia, *Libros quatuor.*
Acta SS. Germani & Lupi, *Librum vnum.*
De primis insulæ incolis, *Librum vnum.*
Regum Britannorum historiam, *Librum vnum.*
De victoria Aurelij Ambrosij, *Librum vnum.*
Versus vaticiniorum, *Librum vnum. O rabiem Britonum quas copia.*
De Sexto cognoscendo, *Librum vnum. Ter tria lustra tenent quum.*
Super eodem Sexto, *Librum vnum. Cambria Carneruam Anglis.*

& alia multa. Sanctissimè diem suum obijsse dicitur in insula quadam non longè à Sabrina flumine, quarto calendas Februarij, anno Domini 512, regnante vel potius cum Anglosaxonibus de regno dimicante Vthero Pendracone. Corpus eius posteà translatū dicitur in cænobium Glasconiense, & ibidem honorificè sepultum est. Vide nostrum de viris Apostolicis Catalogum.

De Iltuto.

520. 44.

ILTVTVS seu Elcutus Morganensis, vir illustri loco apud Britannos natus, & ordinis Equestris, discipulus aliquando S. Germani Altisiodorensis Episcopi, posteà sub Dubricio regularem accepit disciplinam, eoque duce mundum reliquit, Christo militauit. Et exindè consentiente coniuge, perpetuam castitatem (quod & vxor sponte fecit) vouit & coluit, atque à Magistro suo S. Germano Sacerdos ordinatus est. Qui & successu temporis Londinensis Archiepiscopus octauus fuisse dicitur. Erat autem non solum in metricis & rhetoricis disciplinis doctissimus, & Philosophiæ, omniúmque liberalium artium peritissimus; verum etiam in veteri nouóque testamento versatissimus, ac futurorum per spiritum Propheticum præscius. Eruditione sua optimè vsus est, nulli scientiam suam inuidens, multos diligenter docuit, quæ laboriosè didicerat. Inter alios, eius discipuli fuisse perhibentur Sanson, Paulus seu Paulinus, Dauid, Isanus, Atroclius, Gildas Badonicus, & alij plurimi. Ad quos penè omnes & singulos scripsit, licet ex ijs scriptis nunc perpauca inueniantur. Nam apud probatos auctores nihil hactenus nominatum reperi, præter

Super quæstione ad Sansonem,	*Epistolam vnam.*
Ad Isanum & Atroclium Abbatem,	*Epistolam vnam. De alijs nihil.*

Atque hæc pleráque ex Vincentio, S. Antonino, & ex Ioãne à Bosco in ijs quæ collegit ex anonymo quodam M. S. Floriacensis Bibliothecæ. Porrò claruit Iltutus anno Redemptionis humanæ 520, circa quod tempus Dolæ in Britannia Minore diem suũ obijt, & sepulturam accepit, regnante in Britannia Arthuro. Vide nostrum de Londinensibus Archiepiscopis Catalogum.

De S. Dubricio.

522.
25.

SANCTVS Dubricius, natione Britannus, patria Demeta, cognomento Guainius, à fluuio Guaino, ad cuius forte ripam in lucem fuit editus, item Vagensis à Vago flumine iuxta quod Scholas aperuit, & omnes vndecumque aduentantes bonas litteras docuit. Quo patre fuerit genitus non inuenio. Matrem autem habuit Eurdilam fœminam præstantissimam. Vir erat excellente ingenio. Postquam ipse fidem Christianam, bonos mores omnésque scientias imbibisset, alios docere incepit, & iuxta Vagum flumen Scholas aperiens, non solum ex Britannia, verum etiam ex alijs nationibus frequentem habuit discipulorum concursum: quos omnes docuit liberales artes, sacras litteras, timorem Dei, amorem Catholicæ fidei, odium omnium errorum & hæresum. Vndè factum est, vt ex eius Schola prodierint viri doctrina & zelo diuinæ gloriæ pleni, qui Pelagianam hæresim in Britannia paulò pòst penitus deleuerunt. Tandem factus est Episcopus primùm Landaffensis, deindè Archiepiscopus vrbis legionum. Fuit autem acerrimus Britonum contra Saxones & Anglos propugnator, & tum concionibus (vti erat in eo genere celebris) tum libris scriptis suorum iura, quantum potuit, neruosè defendit. Scripsit enim eleganter pro suæ gentis republica contra Anglosaxones defendenda

Declamationum,	*Librum vnum. Viri Christiana professione.*
Contra Pelagianos,	*Librum vnum.*
In coronatione Regis Arthuri,	*Orationem vnam. Et alia multa.*

Diem suum obijt sanctissimè decimo octauo calendas Decembris, anno reconciliationis humanæ 522, regnante in Britannia difficillimis temporibus Arthuro. Vide nostros de Archiepiscopis vrbis legionum, & de Apostolicis gentis nostræ viris, Catalogos.

De Congello.

530.
46.

CONGELLVS natione Britannus, illustribus ortus parentibus. Vir omni virtutis & eruditionis genere celeberrimus. Temperantiæ præsertim, & castimoniæ laude clarissimus. Corpus suum quotidianis ieiunijs, vigilijs, studijs, orationibus, lacrymis, & cilicijs macerabat. Non desunt qui existiment hunc Congellum omnium primum, non modò in Britanniam, verum etiam in Europam Monachismum Ægy-

ptium introduxisse. Sanè constans est sententia eum Academiam Banchorensem, quæ à Lucio Rege eius primo fundatore, per trecentos & quinquaginta circiter annos floruerat, in cœnobium Monachorum mutasse,& ibi primum Abbatem fuisse. Quantum autem floruerit hoc Monasterium ex venerabili Beda colligere licet. Is enim historiæ libro secundo capite secundo sic loquitur: *De Monasterio Banchor, in quo tantus fertur fuisse numerus Monachorum, vt cum in septem portiones esset cum præpositis sibi rectoribus monasterium diuisum, nulla harum portio minus quàm trecentos homines haberet.*

Sed iam ad litteraria Congelli monimenta veniamus. Nam ad instructionem maximè religiosorum, scripsit

De regularis vitæ methodo, Librum vnum.
Epistolarum ad cœnobiorum patres, Librum vnum. Et alia multa.

Claruit senex anno à partu Virginis 530,& tandem in suo Monasterio Banchorensi viuendi finem fecit,regnante in Britannia Arthuro. Vide nostrum de Apostolicis Britanniæ viris Catalogum.

De Thelesino.

540.
47.

THELESINVS vel Teliesinus Helius, Britannus vates, Philosophus, Poëta, Rhetor & Mathematicus insignis. Apud gentē suam vsque in hodiernum diem multū celebratur, & inter primos antiquitatum suarum testes reputatur. Vir acuto ingenio, faceto, omnísque scientiæ auido. Post peragratas discendi causa regiones exteras, domum reuersus, quæ laboriosè didicerat, suos gratis docuit, qui ad eum vndíque tanquàm ad oraculum confluebant. Inter cæteros discipulos memorabiles habuit Merlinum illum Caledonium, virum vitæ sanctitate,& singulari doctrina suo sæculo celeberrimum. Thelesinus autem multum tum versu, tum prosa, tum Latinè, tum Britannicè eleganter scripsit

Acta Regis Arthuri, Librum vnum.
Vaticinalem historiam, Librum vnum.
Vaticiniorum quorundam, Librum vnum.
Diuersorum Carminum, Librum vnum. Et alia plura.

Vixit anno virginei partus 540, regnante apud Britannos Arthuro.

De S. Dauide.

544.
48.

SANCTVS Dauid natione Britannus, patria, Cereticus, parentibus Xantho & Melaria Comitibus ortus, à teneris annis in pietate & bonis litteris diligenter institutus, magnæ indolis semper suos coëtanos multis gradibus præcessit, suos cōmilitones in ludo litterario longo interuallo superauit. Magistros habuit, primò S. Iltutum, deindè Paulinum viros virtute & eruditione claros. Quorum vestigijs, vt bonum decuit discipulum, fideliter inhærens, pares magistris, imò suo tempore maiores in sanctitate & doctrina fecit progressus. In meditatione sacrarū scripturarum per decem annos continuos humiliter & diligen-

ter versatus erat, antequam alios docere præsumeret. At tum tandem in vineam Domini operarius egregius prodijt, & fermè quotidiè feruentes omníque eloquentia florentes ad populum habuit concione˜, & putridas hæresis Pelagianæ, quæ adhuc supererant, fæces, torrente suæ facundiæ penitus abstersit, exinaniuit, diluit. Mirabilis doctrinæ suæ auscultatores & imitatores habuit inter cæteros, Kinotum, Aidanũ, Madocum, Ismaëlem, Paternum, & Thelianum. Hunc tandem egregia sua merita ad Archiepiscopatum Meneuensem euexerunt, & singularis eruditio nomen eius apud posteros immortale reddidit. Scripsit enim

Homiliarum in Euangelia,	*Librum vnum.*
Contra Pelagianos,	*Librum vnum.*
Decreta synodi Vvictoriensis,	*Librum vnum.*
De regula cænobitarum,	*Librum vnum. Et alia plurima.*

Meneuæ plenus dierum & bonorum operum mortuus & sepultus est anno ætatis suæ 146, Christi nati circiter 544, dum in Britannia regnaret Constãtinus Cadoris. Vide nostros Archiepiscoporum Meneuensium, & Apostolicarum insulæ nostræ virorum Catalogos.

De Machuto Cambrio.

560.
49.

MACHVTVS Cambrius, Maclouium aliqui vocant, natione Britannus, patria Venedota. Vir suo sæculo vitæ sanctitate, & singulari doctrina multum celebris. In prima iuuentute præceptorem habuit Congellum & studiorum socium Molochum Scotum. Qui ad altiora tum in virtute, tum in litteris aspirantes, in Monasterio Lancaruanensi Brendano Abbati sese in disciplinam tradiderunt, & post paucos annos tantum fecerũt progressum, vt habiti fuerint digni & idonei ad Monasterij regimen suscipiendum. Posteà tamen eo loco & patria relicta, Machutus assumptis sibi duobus socijs Riuano & Domnecho, ad Christum Armoricis Britannis prædicandum profectus est. Hunc Trithemius & alij nonnulli Episcopum Hiberniæ vocant. Sed certior mihi videtur eorum sententia qui in Alethensi ciuitate Antistitem egisse produnt. Vbi probabile est eum dies suos finiuisse, & vnà cum eo sua scripta, imò & scriptorum titulos perijsse. Nam apud auctores inuenio illum multa composuisse, quæ tamen ne de nomine quidem mihi sunt hactenus nota, nisi quod scripserit

Epistolarum ad diuersos,	*Librum vnum.*

Claruit anno verbi incarnati 560, & obijt decimo septimo calendas Decembris, declinante sub Malgocuno Rege Britannorum imperio. Vide nostrũ de Apostolicis viris nostratibus & Episcopis Catalogum.

De Melchino Auelonio.

560.
50.

MELCHINVS Aualonius, Meuinum nonnulli vocant, Britannicus vates, Poëta, historicus, & Astronomus non contemnendus. In eo tamen reprehensione dignus, quòd aliquandò fabulosa veris committere

mittere videatur. Nam alioquin multas antiquitates Britannicas perquisiuit, & ita in lucem prodire fecit, vt absque eius ope & opera sempiternis obliuionis tenebris sepultæ perijssent. In se etiam satis temerè suscepit prædicere quid portenderent planetarum variæ dispositiones, & cometarum insolitæ apparitiones. Nonnulla etiam, vt mihi videtur, satis ineptè garriuit de restitutione, ante finem saltem mundi, regni Britannici. Quibus Vvalli nostri (pace illorum dixerim) vsque in hodiernum diem, plus quàm par est, tribuunt. Quia quod nimis volunt, hoc facilè credunt. Porrò quantum cum ratione dixerit in fauorem patriæ suæ, non reprehendo. Quia naturalem, & nequaquam reprehendendam, in eo secutus est propensionem. Atque idem iudicium de ijs quæ scripsit, scripsit autem

De antiquitatibus Britannicis, *Librum vnum.*
De gestis Britannorum, *Librum vnum.*
De Regis Arthuri mensa rotunda, *Librum vnum. Et alia quædam.*

Claruit anno post aduentum Messiæ 560, Britannico Imperio sub Rege Malgocuno corruente.

De Theliao Landauio.

THELIAVS Landauius, qui & Eliud vocatur, Britannus natione. Vir literatus, moribus grauis, in rebus agendis prudens, in dijudicandis perspicax, in decernendis & concludendis solidus, vt S. Dauidis, de quo suprà, discipulum posses agnoscere. Neque enim erat per illa tempora qui Ecclesiasticum regimen, & Ecclesiarum administrationem illo accuratiùs inspiceret, exactius intelligeret. Vnde quando S. Dubricius ab Episcopatu Landauensi ad Archiepiscopatum vrbis legionum esset euectus, hic statim in Landauensi fuit suffectus. Quo in munere multa cum vigilantia, & magno concionandi labore vsque ad extremam senectutem versatus est. Ex ijs autem quæ scripsit, perpauca, quantùm inuenire possum, extant, ipsique adeò tituli perierunt, præter

563.
51.

Concionum piarum ad populum, *Librum vnum.*

Claruit senex anno post mundi liberationem 563, nutante sub Malgocuno Rege Britannorum Imperio. Vide nostrum de Episcopis Landauensibus Catalogum.

De Daniele Aruonio.

SANCTVS Daniel Aruonius, natione Britannus, patria Venedota. Ab ipsis teneris annis in exercitijs pietatis & bonarum litterarum sollicitè educatus, tandem ad magnam in omni virtute & eruditione perfectionem ascendit. Multum laborauit, docuit, disputauit, prædicauit, & scripsit contra Pelagianos suo denuò tempore pullulantes. Qua etiam in causa adiunctus fuit S. Dubricio, & Dauidi ad illam hæresim confutandam, condemnandam, & anathematizandam. Ipse posteà factus Episcopus Banchorensis primus. De quo alibi. Quod ad eius do-

563.
52.

ctrinam attinet, plura sine dubio monimenta hoc in genere posteritati tradidit, quàm posteritas conseruauit. Conseruauit tamen

Contra Pelagianos, *Librum vnum.*
Orationum Synodalium, *Librum vnum.*

Claruit anno gratiæ generi humano exhibitæ 563, dum vacillantis imperij Britannorum clauum teneret vtcumque Malgocunus. Vide quem scripsimus de Episcopis Banchorensibus Catalogum.

De Sancto Petroco Corinio.

564. 53.

SANCTVS Petrocus Corinius seu Cornubiensis, honestis apud Cambros natus parentibus. Tam bonæ semper indolis erat, vt ab ipsa prima adolescentia, sibi insita esse magnarum virtutum semina satis manifestis indicijs ostenderet. Adhuc iuuenis studiorum & solitariæ vitæ flagrans desiderio, relicta patria, nauigauit in Hiberniam. Electísque optimis, quos ibi inuenire poterat, præceptoribus, eos mirè coluit, susceptáque eorum humiliter disciplina, totos viginti annos in virtutum studio, & sacrarum scripturarum meditatione non minùs vtiliter quàm diligenter consumpsit. Quo spacio temporis transacto, redijt in patriam, vt thesaurum illum virtutum atque scientiarum quem tot annis & tantis laboribus coaceruauerat, fidelis dispensator suis patriotis distribuere posset. Itaque in Cornubia iuxta oppidum Loderic, aliàs Laffenac, quod ab illo posteà dictum est Petrocstovv, nunc contractiùs Padstovv, monasterium posuit. Vbi plurimos ita in litteris & pietate instituit, vt ad summam in vtroque genere perduxerit perfectionem. Inter quos fuerunt Credanus, Medanus, Dachanus, & alij similes doctrina & sanctitate viri præstantes. Hæc ferè Lelandus. Quæ scripsit maxima ex parte perierunt, sicuti & multorum per id tempus in Britannia Doctorum scripta eandem sortem subierunt. Nihil itaque illius habemus præter vnicum opus cui titulum fecit

De vita solitaria, *Librum vnum.*

Claruit anno post Christum natum 564, Britannorum imperio sub Rege Malgocuno ruinam minitate.

De Kentigerno.

566. 54.

KENTIGERNVS Regio Pictorum sanguine oriundus patre Britanno (nomen eius non inuenio) matre Thamete Regis Pictorum Lothi filia, in Elgua ciuitate Cambriæ natus, ciuitas Assaph dicitur, & est in Comitatu Flintensi. Vir planè Apostolicus, Confessor, Episcopus, & Doctor, Sanctissimi viri Seruani Scoti discipulus, S. Columbæ etiam Scoti comes indiuiduus. In sua ciuitate Elguensi Monasterium ædificauit, Ecclesiam adiunxit, multos monachos illuc introduxit, Episcopatum erexit, & vel ipse primus ibidem Episcopus fuit, vel in Scotiam discedens Assappum discipulum suum primum illic Episcopum constituit. Habuit autem in illo monasterio doctissimos mo-

nachos discipulos suos numero trecentos sexaginta quinque, & totidem etiam monachos illiteratos alijs vilioribus officijs deputatos. Prophetico imbutus spiritu prædixit suis Britannis ruinam imperij illorum imminere, multásque prætereà calamitates illis impẽdere. Omnia tamen post certum & præfinitum tempus, in pristinum, imò longè meliorem statum restituenda. Hæc maxima pro parte ex Capgrauio & Lelando desumpsi. Indices autem singularis eius doctrinæ, non solum doctissimi, quos erudiuit, discipuli: sed etiam literatissima, quæ edidit, scripta, sunt locupletissimi. Scripsit ad Dei gloriam, sui memoriam, & posteritatis vtilitatem

Ad Rodericum Regem, *Epistolam vnam.*
Ad Principem auarum, *Epistolam vnam.*

Orationes etiam plurimas eleganter & eruditè composuit.

De obitu S. Dauidis Episcopi, *vnam.*
De obseruatione fidei, *vnam.*
De charitate mutua, *vnam.*
De pace Christiana, *vnam.*
De obedientia hominis, *vnam. Viri fratres, quid admiramini.*
De hospitalitate tuenda, *vnam.*
De scripturarum lectione, *vnam.*
De oratione continua, *vnam.*

Extitit in humanis anno post aduentum Messiæ 566, obijt in Scotia in ciuitate Glascoënsi, vbi etiam Episcopus fuisse perhibetur, anno, vt ferunt ætatis suæ 185, Idibus Ianuarij, declinante ad ruinam sub Malgocuno Britannorum imperio. Vide nostrum de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

De Sansone Demeta.

567. 55.

SANSON natione Britannus, patria Demeta, in prouincia Glamorganensi bonis parentibus ortus. Iltuti præceptoris insignis dignissimus discipulus, à quo bonas litteras, vitæ integritatem, & monasticum institutum accuratè didicit, in monasterio quod ibidem Iltutus paulò ante fundauerat. Tantos autem successu temporis in omni virtutis genere fecit progressus, vt post Isanum tandem eiusdem monasterij præses constitueretur, & ibi eminenter in auctoritate summa præesset, vbi constanter multa cum humilitate diù paruerat. Quomodo posteà factus fuerit Archiepiscopus, & in Armoricam Britanniam fugerit, suo loco dicitur. Illud sanè nonnulli dolenter conqueruntur historici, quòd patria discedens, multos secum insignes extulerit libros, qui numquam ampliùs importati fuerunt. Credibile etiam est ratione illius fugæ perijsse pleráque quæ ipse scripserat. Vnde factum opinor, vt quantumuis esset vir excellentis eruditionis, nullum tamen eius doctrinæ monimentum ad posteros venerit præter quasdam ad populares epistolas, potissimùm

De patientia in aduersis epistolarum, *Librum vnum.*

Vixit anno Dominicæ Incarnationis 567, & tandem in ciuitate Dolensi apud Armoricos Britones sanctissimè diem suum obijt, & ibidem sepulturam accepit, regnante vtcumque in Britannia maiori Malgocuno. Vide quæ scripsimus de Meneuensibus Archiepiscopis Catalogum. Et ex his pleráque subministrauit nobis Lelandus.

De Amphibalo Iuniore.

569. 46. AMPHIBALVS Iunior cognomento Simenus, natione Britannus, professione monachus, & Vvintoniæ tandem in monasterio S. Amphibali martyris Abbas. Vir spectatæ virtutis & multiplicis litteraturæ. Sanctitatem hominis ex Gilda Badonico colligere licet, qui in suo de excidio Britanniæ libro scribit duos regios iuuenes Mordredi principis filios tyrannidem Constantini Cadoris declinantes ad hoc cœnobium tanquam ad asylum, ad hunc cœnobiarcham, tanquam ad vnicum, post Deum, innocentiæ suæ perfugium aduolasse. Quos tamen à tyranno defendere, quo minus interficerentur, non potuit Amphibalus. Argumentum doctrinæ eius litterarium nullum habemus nisi quod ad Gildam scripserit

De Constantini crudelitate, Epistolam vnam. Alia, si qua fuerunt, interciderunt.

Floruit anno gratiæ 569, & Vvintoniæ tandem viuendi finem, & sepulturæ locum accepit, Malgocuno sceptrum Regni Britannici ægrè tenente.

De Cadoco Ventolugio.

570. 57. CADOCVS Ventolugius, id est, in Ventolugia vel Ventoloco, Gundelæo & Gladusa nobilibus parentibus ortus. Natali solo relicto, Morganiam in viciniopositam adijt, & loco amœno ad ripam Sabrini fluminis, tribus circiter milliaribus à Ponte Guaino monasterium posuit, quod Lancaruanan nominatum fuit, Latinè dixeris quasi ceruorum seruitium, quoniam in illo opere seruijsse illi ceruos ferunt. Illic itaque solitariam in abstinentia summa vitam agens, nocte dieque cælestium rerum contemplationibus vacabat. Postquam autem fama sanctitatis & eruditionis eius vbique percrebuisset, multi præclari viri ad eum vndique confluxerunt, & in eius disciplinam sese tradiderunt, eoque magistro miros tum in bonis litteris, tum in pietatis exercitijs progressus fecerunt. In his fuit Gildas cognomento Sapiens, Ellenius, qui posteà successit ei in monasterij regimine, & alij non pauci. Monimenta doctrinæ eius non adeò multa ad posteros venerunt. Scripsit saltem contra quosdam non rectè (vt videtur) de immortalitate animarum sentientes ad Gildam discipulum suum

De vita animæ, *Epistolam vnam.* Alia eius scripta non inuenio.

In viuis extitit anno post salutem humano generi factam 570, in ipso quod posuerat monasterio, sarcinam carnis deposuit, honesta inibi de-

coratus sepultura, dum ad gubernaculum vacillantis imperij Britannici ægrè sederet Malgocunus.

De Merlino Caledonio.

MERLINVS Caledonius vel Syluestris, natione Britannus, in Scotiæ finibus in lucem editus, Telesini vatis aliquando discipulus. Vir acuti ingenij & bonarum litterarum auidi, plurimùm Britanniam totam, deindè Galliam discendi causa peragrauit. Euasítque vir pietate & doctrina clarus. Philosophus insignis, & Mathematicorum sui temporis facilè princeps. Quo nomine principibus viris, & imprimis Arthuro Regi valdè charus extitit, quem & omnium penè consiliorum suorum fecit participem, & in suis bellis plerúmque adhibuit comitem. Cùm autem in septimo bello cum Rege esset apud Caledonios, & illic in aëre stupendum vidisset portentũ, relicta deinceps omni hominum societate & commercio, in solitudinem secessit, & in ipsa Caledonia sylua reliquam vitam egit eremiticam. Vndè & Caledonij vel Syluestris cognomen accepit. Spiritum propheticum habuisse satis apparet. Multa enim futura prædixit, multa etiam prodigia longè obscurissima exposuit, de arboribus Londini ardentibus, de æstuantibus insolito furore Tamisis fluminis vndis. De fonte apud Eboracũ sanguinem ebullientе. De infante apud Cantianos in vtero matris ridente. Et de multis similibus. Porrò quod ad doctrinam attinet, multa quæ Tælesino præceptore didicerat, scriptis mãdauit, & posteritati tradidit, & omnia quidem Britannicè, quæ posteà pleráque propter admirabilem doctrinam, diuersi viri docti in alias linguas, maximè in Gallicam, Saxonicam, & Latinam fideliter magno labore transtulerunt. Scripsit autem

570.
58.

Prophetiarum seu diuinationum, *Librum vnum.*
Quem Galfredus Monimetensis in Latinos versus vertit.

Prophetiam prosaïcè quæ extat, & incipit, *Catulus leonis in lupum rapidum*

De fortunis Albaniorum, *Librum vnum. Regnum Scotorum fuit inter cætera*
Pro tempore Regis Arthuri, *Librum vnum.*
Super quibusdam honoribus, *Librum vnum. Orietur draco de asino.*
Super quodam sexto, *Librum vnum. Mortuo leone iustitiæ surget.*
Dicta de septimo, *Librum vnum. Cum anni Christi circum circa.*

Existimo illos libros Prophetiarum eosdem esse, qui dicuntur haberi M.S. Oxonij in bibliotheca Collegij Mertonensis. Et Cãtabrigiæ in bibliotheca publica atque Collegij S. Petri, si quis tamen Ambrosio Merlino tribuat, pendente lite suspendam iudicium. Merlinus autem Caledonius claruisse dicitur circa annum salutis reparatæ 570, & tandem apud Cambros Septentrionales in Birdseia, id est, in auium insula, quæ recentius nomen à sancto quodam eremita Guply accepit, obijt, & cum alijs viginti millibus sanctis ibidem sepultus est, sub Britonum Rege Malgocuno.

De Gilda Badonico.

583.
59.

GILDAS Badonicus, qui & cognominatus est Sapiens, natione Britannus, S. Iltuti Morganensis discipulus, post peragratam discendi studio totam Britanniam transfretauit in Hiberniam, vbi & discens humiliter à maioribus, & diligenter minores docens, in vtróque genere multum tum sibi, tu alijs profuit. Inde reuersus in patriam, Cadoco viro per id tempus sanctitatis & doctrinæ fama celeberrimo se apud cœnobium Lancaruanan in disciplinam tradidit. Deindè in famosissimo Banchorensi monasterio Monachum induit. Vbi nactus otium, humaniores litteras & Philosophicas scientias denuò breuiter repetijt. Quibus studijs deinceps vale dixit, & vt populũ melius docere posset, se totum sacrarum litterarũ lectioni & meditationi dedidit. Cùm autem in concionibus singularem haberet gratiam, in eo munere peragendo bonum Ecclesiæ valdè promouit. Erat in dictis verax, in factis sincerus, in vita & moribus integer, in vitijs reprehendendis acer, in virtutibus laudandis profusus, vtrámque maximè circa sui temporis clerum & facultatem exercuit & libertatem. Nec ipsis etiam in sæculari statu regibus aut principibus pepercit. Imò eos de suis excessibus nominatim taxauit, acriter redarguit, & suis coloribus illorum quemque graphicè depinxit. Constantium Cadorum, Aurelium Conanum, Vortiporium, Cuneglasium, Malgocunum, & alios, vt in epistola eius de excidio Britanniæ videre est, seuerè increpauit. Magno cum dolore multa mala euenire vidit, quæ Gildas Albanius ingẽti cum terrore euentura prædixerat. Hunc venerabilis Beda quasi per antonomasiam notanter Britonum historicum vocauit. Et est sanè auctor antiquus & scriptor non vulgaris. Nam ex eius scriptis colligitur illum natum anno quadragesimo quarto, quàm Saxones in auxilium Britonum vocati venerunt in Britanniam, qui fuit annus humanæ salutis reparatæ 493. Scripsit

De immortalitate animæ, *Librum vnum.*

De excidio Britanniæ Epistolam. In hac epistola quicquid. M. S. Oxonij in bibliotheca Collegij Mertonensis. Cantabrigiæ in publica. Et in priuata Gualteri Copi. Et extat Parisijs anno Domini 1576.

In sui temporis clerum, *Librum vnum. Britannia habet sacer: extat ibidem.*

Historiam quandam, *Librum vnum.*

Alboinus Longobardorum Rex ab: fortè hæc illa historia est, quæ habetur M.S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De gestis Britonum historiam. M. S. in bibliotheca Lunleiana. Tandem gloriosus Christi Confessor nonagenarius in Banchorensi monasterio sanctissimè diem suum obijt, & sepulturam accepit quarto calendas Februarij circa annum Messiæ 583, dum adhuc ruentis imperij Britannici clauum teneret Malgocunus. Vita eius (quo auctore nescio) haberi dicitur M.S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Ioannes etiam à Bosco in libro quem collegit ex veteribus membranis bibliothecæ flo-

riacensis non contemnenda habet vitæ illius fragmenta. Vide nostrum de Apostolicis Britanniæ viris Catalogum.

De Eluodugo Probo.

ELVODVGVS cognomento Probus, natione Britannus, & Britannorum insignis Doctor. Inter alios claros discipulos habuit Nennium immortali memoria dignum, quod ipse Nennius non diffitetur, & post eum testes satis locupletes sunt in suis chronicis Gualterus Couentriensis, & Rogerus Cestriensis. Eluodugus autem ab ipsa prima adolescentia maturè didicit iugum Domini portare, & penè totam vitam sub regulari disciplina in Archicænobio Banchorensi, vbi numquam defuit magnus insignium præceptorum numerus, consumpsit. Ibidem tandem propter eminentem virtutum suarum præstantiam, & excellentem omnium tum humanarum, tum diuinarum rerum cognitionem, ad summum illius sacræ reipublicæ gubernaculum euectus est. Factúsque omnium præses & supremus Magister, omnē adhibuit conatum, vt suos pietate & doctrina sibi similes efficeret, quod in nonnullis effectum dedit. Ipse quidem non pauca scripsisse dicitur. Sed quantum inuenire hactenus potui, nihil eorum accepit posteritas, præter

590. 60.

Historiam Britannicam, *Librum vnum.*

Claruit anno post Christum in carne apparentem 590, Britonum Monarchia concidente, Anglorum Heptarchia fortiter inchoante.

De S. Asapho.

SANCTVS Asaphus natione Britannus, patria Venedota, id est, ex Nortvvallia oriundus. Ab adolescentia sub S. Kentigerno optimo Magistro diù vixit bonus discipulus in Elguensi Monasterio. Vir genere clarus, moribus grauis, doctrina insignis, vitæ sanctitate conspicuus. Ab ipsa natura insita habuit omnium virtutum semina, quæ accedente diligente cultura, & sollicita educatione, mirificos suo tempore protulerunt fructus. Vndè primùm, concedente Magistro totius Monasterij regimē suscepit, & tandem ad Episcopalem dignitatem assumptus est. Supellectilis suæ litterariæ monimenta quædam reliquit. Nam saltem composuit

590. 61.

De vita & rebus gestis Magistri sui Kentigerni, *Librum vnum.*
Ordinationes Ecclesiæ suæ, *Librum vnum. Et alia quædam.*

Vixit anno gratiæ 590, sub Carentio tyranno. Vide quem scripsimus de Episcopis Asaphensibus Catalogum.

De Anonymo quodam Britanno.

ANONYMVS quidam Britannus scriptor & quidem egregius his temporibus floruit, cuius quanto magis fama viget, tanto magis dolendum intercidisse nomen. Hic quantum patiebatur illorum temporum iniquitas, & furor bellicus, sedulò inquirebat de gestis Chri-

590. 62.

stianorum. Et quia celebris apud omnes Britannos erat S. Albani, & Amphibali præceptoris eius memoria, post solertem veritatis indagationem, omnia quæ hi viri sancti pro Christianæ fidei confessione passi fuerant, accuratissimè scriptis mandauit, & fidelissimè posteritati tradidit. Titulum operi præfixit

Sancti Albani Martyris vitam, Librum vnum. Quisquis beatorum Martyrum.

Claruit anno post Christi natiuitatem secundùm carnen 590, Carentio in Britannos vltra Alpes Cambriæ pulsos tyrannidem exercente. Hæc ferè Lelandus.

ÆTAS SEPTIMA.

De Beulano Presbytero.

600. 63. BEVLANVS presbyter, natione Britannus, Nennij Magister alter, scilicet post Eluodugum. Vir ab ipsa adolescẽtia in omni meliore doctrina, & vitæ integritate excellenter institutus. Cùm ad maturam ætatẽ peruenisset, antiquitatibus inuestigandis plurimùm se dedidit, maximéque in genealogijs nationum perscrutandis versatus est. Anglosaxonum origines postquàm Britanniam ingressi sunt, accuratissimè omnium indagauit, deduxítque multorum ab ipso diluuio stirpes. Ex huiusmodi autem coarceruatis genealogijs, compilauit quoddam opus, quod tali titulo insigniuit

De genealogijs gentium, Librum vnum. Alia eius opera non inuenio.

Claruit anno gratiæ 600, dominante in Cambria Carentio.

De Dionoto Auonio.

603. 64. DIONOTVS Auonius, natione Britannus, vir sanctitate vitæ & eruditione celebris. Virtutum meritis ita exigentibus in celeberrimo Banchorensi Monasterio factus est, vt ita dicam, Archicœnobiarcha. Nam in eo cœnobio vni Abbati semper parebant saltem bis mille & centum Monachi, vti post Bedam, omnes penè historici nostri testantur, Hic cum multis alijs Doctoribus, & septem Britannorum Episcopis, anno Domini 602, venit ad synodum quam in prouincia Vvigorniensi conuocauit S. Augustinus Anglorum Apostolus, contra errores Britonum; vbi acriter vtrinque disputatum est. Sed Dionotus & qui cum eo venerant Doctores partim opinione doctrinæ suæ, partim pertinacia nixi, nec in maiore tonsura, neque in ritu baptismatis, neque in celebratione Paschatis se Romanæ Ecclesiæ vlla ratione conformare voluerunt. Vndè paulò pòst iusto Dei iudicio, sicut S. Augustinus tum futurum prædixit, cum mille circiter & ducentis Monachis ipse Dionotus propè Cestriam, ab Ethelfredo Northumbriæ Rege è medio sublatus est. Sed iam videndum quæ monimenta ingenij doctrinæque posteris reliquerit. Scripsit maximè ad synodum Victiorum

Defensorum iurisdictionis sedis Meneuensis, Librum vnum.

De

De conseruandis Britannorum ritibus, *Librum vnum.*
Disputationum suarum, *Librum vnum.*
Orationum & Epistolarum, *Librum vnum.*
Commentariorum in sacram Scripturam, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Tandem eo quo dixi modo interemptus est, anno post generis humani redemptionem 603, tyrannicè occupante Cambriam, post turpiter amissam totam Leogriam, Carentio.

De Elbodo.

ELBODVS natione Britannus. Vir teste Lelando, pietatis & eximiæ doctrinæ nominibus celebris, & iisdem titulis genti suæ multum charus. Nennio & Samuële viris eruditis primùm vt discipulis, deinde vt amicis vsus est familiarissime. Tanta etiam cum beato Augustino Apostolo nostro ei intercessit necessitudo, vt eius frequentibus colloquijs, & solidis rationibus atque argumentis inductus Scotorum & Britonum erroribus penitùs renunciauerit, & eruditè contra eos scripserit. Vndè tandem ab ipso Augustino dicitur creatus Venedotarum Archiepiscopus. Scripsit autem

610.
65.

De celebratione Paschatis, *Librum vnum.*
Historiam sui temporis, *Librum vnum.*

Claruit anno post salutem mundo factam 610, dominante apud Britannos Cadvvano. Vide nostrum de Archiepiscopis Britannorum Catalogum.

De Ethelberto Rege.

ETHELBERTVS vel Edilbertus, natione Anglus, & in Anglia Cantiorum Rex quintus, & primus inter omnes Anglorum Reges Christianus. Post acceptum regenerationis lauacrum, populum suum Christianæ fidei principijs instrui, & sacris baptismi mysterijs initiari curauit. Vir sanè qui cum splendore generis omnes virtutes, omnes meliores scientias habuit coniunctas. Inter cætera quæ reipublicæ suæ planè cælestia præstitit beneficia, maximè salutares Anglicano sermone scripsit, & populo seruandas proposuit leges. In quibus post seriam cultus diuini commendationem, præ cæteris omnibus immunitati & libertati Ecclesiasticæ optimè consultum voluit, honorans ex animo spiritualem matrem ex qua iam recenter conceptus, aut certè vix adhuc fuerat natus. Scripsit itaque vt ex Beda colligo

616.
66.

Decreta iudiciorum, *Librum vnum.*
Epistolarum maximè ad S. Gregorium Papam & S. Augustinum, *Librum vnum.*

Demum multorum dierum & magnorum meritorum plenus, ad præmium euolauit in cælum die vicesima quarta Februarij anno à Christi Natiuitate 616. Sepultúsque est in monasterio & Ecclesia SS. Apostolorum Petri & Pauli, atque ita eum locum quem in sepulturam Regum & Archiepiscoporum Cantuariensium à fundamentis extruxerat,

& viuus multis preciosis donis ditauerat, vita functus sui corporis depositione & præsentia honorauit. Vide quem scripsimus de Cantiæ regibus Catalogum. *Inter quos Reges hic ordine quintus habetur.*

De Nennio Banchorensi.

620. 67. NENNIVS Monachus Banchorensis primùm Eluodugi Probi, deinde Benlani Presbyteri discipulus optimus, posteà Britannorum, & ipse Britannus, eximius Doctor, & tandem famosissimi monasterij Banchorensis Archiabbas. Hic vnus erat ex quinquaginta monachis, qui apud Cestriam fuga sibi consulentes, illi internecioni sese subtraxerunt, qua mille circiter & ducenti confratres eorum vno die sublati sunt. Finanum virum doctissimum perinde atque sanctissimum inter cæteros habuit discipulum, qui posteà dignissimus fuit Lindisfarnensis Episcopus. Quod autem ad Nennij doctrinam attinet. Ex omnibus penè optimis auctoribus qui ante eum scripserant, & potissimum ex Eluodugo Magistro suo collegit & scripsit de rebus Britannicis

Collectiones historiarum, *Librum vnum.*
De mirabilibus, *Librum vnum.*
Catalogum vrbium Britanniæ, *Librum vnum.*
De origine Britonum, *Librum vnum.*

Et forsan est illa historia Britonum quæ habetur MS. Cantabrigiæ in Bibliothecis Academiæ publica, & Collegij S. Benedicti.

Chronicon. Quod habetur MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, *Eulogium Britanniæ. Ego Nennius Euoldugi discipulus.* MS. in priuata Bibliotheca Baronis Lunleiani.

Apologiæ, *Librum vnum.*
Cosmographiam historiæ mundi, *Librum vnum.*
Antiquitatum Britanniæ, *Librum vnum.*

Qui fortè veriùs tribuitur Gildæ. Additiones tamen ad illum librum sunt Nennij.

Fuit etiam quædam historia Nennij in Moruvicensi Carmelitarum Bibliotheca, ad quam Samuël Britannus scripsit annotationes. Nennius etiam iste historiam Britonum Nennij Helij Latinam fecit, & vsque ad suam ætatem deduxit. Claruit anno post aduentum Messiæ 620, Cadvvano Britonibus vltra montes imperante. Vide quem scripsimus de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

De Vvorgresio Abbate.

630. 68. VVORGRESIVS Britannus genere, monachus professione, qui licet monasticam disciplinam sub Britonibus vnà cum Scotorum erroribus didicerit, tamen videtur ab ijs reuocatus ad ordinem S. Benedicti transisse. Fuitqne apud Anglos primus Abbas Glasconiensis. Allectus enim antiquitate monimentorum Christianorum, & reliquijs sanctorum apud Glasconiam quiescentium, eò se contulit, ædificia iam

collapsa restaurauit, templumque magnificum erigi fecit, in quo corpus S. Iosephi Arimathensis, & inclyti Regis Arthuri requieuisse perhibent. Ibi rerum diuinarum contemplationi, & sacrarum historiarum lectioni se totum dedidit. Eratque antiquitatis Christianæ diligentissimus indagator, nec minus in dictis & scriptis fidelissimus veritatis amator & cultor. Præter illa quæ ex historijs alienis collegit, scripsit etiam ipse

Historiarum, Librum vnum.
Homeliarum, Librum vnum.

Et alia plura, vt Lelandus in collectaneis testatur. Claruit anno, postquam verbum caro factum est, 630, regnante inter Britones Caduvallone.

De Mavvorno.

MAVVORNVS natione Britannus, vt videtur, ordinis S. Benedicti monachus, Vvorgresij discipulus, & in monasterio Glasconiensi suo Magistro multum familiaris. Vir doctrina & integritate vitæ conspicuus. In suis scriptis semper habitus est veridicus. Tandem virtutis & eruditionis intuitu ad dignitatem Episcopalem euectus est. Postquam multos antiquos auctores legisset, & selectiores historiarum flores annotasset, tandem animum ad scribendum attulit, & sui temporis nostræque gentis eruditè composuit 639. 69.

Annales, Librum vnum.
Conciones, Librum vnum.
Quæstiones ex sacris scripturis explicatas. Librum vnum.

Claruit anno ab ortu Seruatoris 636, regnante apud Britones Caduvallone. Hæc pleráque ex Lelandi collectaneis. Vide nostrum de Britannicis Episcopis Catalogum.

De Samuële Benlanio.

SAMVEL Benlanius Britannici sanguinis proles, Benlani Presbyteri, existimo ante susceptos ordines sacros, ex læta coniuge filius, in Northumbria natus, in insula tamen Vectæ penè à puerilibus annis educatus. Vir naturæ mitis & mansuetæ. Historicus non vulgaris, Geometriæ plus quam vulgariter peritus. Matura iam ætate insulam illam suam nutriciam, Ptolemæum & Plinium, suumque (vt ita dicam) ocular testimonium secutus, accuratè descripsit. Deinde ad natale solum reuersus, Magistrum ac præceptorem habuit Elbodum Episcopum magnæ sanctitatis & paris eruditionis virum, à quo tum sacras, tum prophanas litteras adhuc accuratius didicit. Tandem historijs gentis suæ peruoluendis oblectatus, postquam varia legisset, ad posteritatis vtilitatem, suique nominis memoriam, in lucem emisit 640. 70.

Annotationum in Nennium, Librum vnum.
De gestis Regis Arthuri apud Scotos, Librum vnum.

Historiam itinerariam, Librum vnum. Et alia quædam, Claruit anno Verbi incarnati 650, sub Rege Britonum Cadvvallone.

De Aidano Avvina.

651. 71. AIDANVS Avvinas, natione Britannus, patria Northumbrensis, à Pictis oriundus, apud Scotos propter vicinium penè à pueritia educatus, & inter eos monachus Huensis in Scotia. Vir incredibilis temperantiæ, miræ parcimoniæ, pius, doctus, zelo Dei plenus, sed non plenè secundùm scientiam. Nam Pascha more Scotorum celebrare solebat; de quo suo loco plura. Multa scripsisse dicitur, ex quibus pauca admodum inuenimus. Hæc autem opera sequentia ab eo profecta esse constat

Commentarios in sacram scripturam, Librum vnum.
Homelias & Conciones, Librum vnum. Alia perijsse videntur. Tandem factus Episcopus Lindisfarnensis Ecclesiæ suæ sexdecim annis præfuit, & in humanis esse desijt pridie calendas Septembris anno partus virginei 651, regnante apud Britones Cadvvalladro. Vide quem scripsimus de Episcopis Lindisfarnensibus Catalogum.

De Sigiberto Pio.

652. 72. SIGEBERTVS re & cognomine Pius, Oriẽtalium Anglorum Rex, & Redvvaldi Regis Pagani filius Christianissimus. Nam à patre eiectus in exilium, in Gallijs bonas litteras didicit, & fidem Christi, Christi initiatus mysterijs, suscepit, vbi magnam cum Desiderio Cadurcensi Episcopo contraxit amicitiam, vti ex mutuis inter eos epistolis constat, quæ apud Heluetios in monasterio S. Galli extare dicuntur. Tandem patre & fratre vita functis, regnum hæreditarium adeptus est, quod totum, *Felici* Burgundo prædicante, & gratia Dei cooperante, Christianum fecit. Felicem igitur suorum constituit Episcopum in ciuitate Domoco. Et partim eiusdem *Felicis* instinctu, partim motu proprio, cùm esset doctus, & doctrinæ fautor maximus, anno Domini 636. Cantabrigiæ scholam Grammaticam pueris erudiendis erexit. Ipse autem Rex talem quodammodo se voluit exhibere suis Anglis, quales erant aliquando Solon Salaminijs, & Lycurgus Spartiatis atque Lacedæmonijs. Scripsit namque ad regnum suum iustè sapienterque administrandum

Legum & Institutorum, Librum vnum.
Epistolarum maximè ad Desiderium Episcopum Cadurcensem, Librum vnum.
Culminis vestri Paginam.

Tandem à Penda Merciorum Rege Pagano in prælio fuit interemptus, vnà cum Edrico cognato, anno post Christum hominem factum 652, dum adhuc suis Britonibus ægrè imperaret Calvvalladrus. Vide eos quos scripsimus de regibus Orientalium Anglorum, & de viris Apostolicis Anglicanæ nationis Catalogos.

De Elerio.

ELERIVS natione Britannus, & in Cambria Monachus. Vir mediocriter doctus, & pietate, quæ ad omnia vtilis est, planè admirabilis. Primum bonis litteris operam dedisse dicitur ad Eluij fluminis ripam, vbi S. Asapho positum erat templum. Deindè ad concursum & frequentiam populi declinandum, vt liberiùs Deo vacare posset, in eremum exiuit. Tandem ad vallem Clutinam Monasterium erexit tum viris, tum velatis virginibus. Tantæ autem in omnes erat charitatis, vt quoscúmque in via Dei claudicantes deprehenderet, salutaribus monitis instrueret, aut, vbi opus erat, moderatè redargueret. Cùm intellexisset S. Vvinefridam nobilissimam virginem Bennoi discipulam amore monasticæ vitæ incensam, eam optimis præceptis imbuit, pium eius desiderium auxit, & ad omnem virtutem ita instruxit, vt illa non difficulter mundo & mundanis omnibus spretis & relictis, Monasticam regulam amplexa fuerit, adeóque se cœlestium rerum contemplationi dederit, vt quodammodò ad fastigium religiosæ perfectionis ascenderit. Elerius itaque illi Monasterium ædificauit, vt dictum est, in quo illa primum sanctimonialis, deindè Abbatissa fuit, donec tandem à Carodoco truncato capite virginitatis florem Martyrij fructu cumularet. De hoc Elerio multa scripsit longo post tempore Robertus Abbas Salopiensis in vita eiusdem S. Vvenefridæ quando translatæ fuerunt eius reliquiæ circa annum 1140. Vnicum, quod sciam, pietatis simul & eruditionis monimentum scripto posteris reliquit Elerius, videlicet

660.
73.

Vitam S. Vvinefridæ virginis & sanctimonialis, *Librum vnum.*

Hæc ferè omnia decerpsi ex Lelando. Floruit autem hic auctor anno à plenitudine temporis 660, Conivvalchio Saxonum Occidentalium imperium tenente, Britonum Cadvvallone.

De Theodato Frithona.

THEODATVS siue Deus dedit, Frithona apud Anglos Visisaxones nobili loco natus. Vir ad virtutes & bonas litteras à natura formatus. Postquam cura parentum inter suos omni humaniore litteratura ingenium bellè excoluisset, maturior ætate factus & iudicio, Lelando teste, ad sacras litteras perdiscendas Cantuariam perrexit, & apud Honorium tunc ibidem Archiepiscopum se modestè prudentérque insinuauit. Qui vt insignis viri præclaras vidit dotes, animúmque tum litteris, tum virtutibus mirificè ornatum, cœpit eum in delicijs habere, & inter amicos numerare. Ille intereà in inceptis perrexit animosiùs, & se indies magis ac magis omnibus amabilem reddidit, tantumque in pietate, omníque meliore eruditione profecit, vt successu temporis defuncto Honorio ad Archiepiscopatum Cätuariensem Anglorum omnium primus euectus fuerit. Huius tum virtutes, tum doctrinam mirè prædicant Venerabilis Beda, Guilhelmus Malmesberiensis, Geruasius Do-

664.
74.

rouernensis, Ioannes Lelandus, & alij. Ex quorum etiam scriptis non obscurè colligitur, eum multa eruditè scripsisse, quæ pleráque vetustas obliterauit. In confesso tamen est, eum posteris reliquisse

De suis prædecessoribus Archiepiscopis Cantuariensibus, *Librum vnum.*

Cantuariæ diem suum obijt anno post Christi apparitioné in carne 664, regnante apud Cantianos *Ercomberto.* Vide quem scripsimus de Archiepiscopis Cantuariensibus Catalogum.

De Cedmono simplici.

676. 75. CEDMONVS simplex, hoc enim à re sortitus est cognomen. Ortus in Anglia ex Anglosaxonibus. Factus est Monachus in cœnobio Sterneshalcensi, quod potiùs de Vvitibi, vel etiam Pharense dictum fuit. Vir miri candoris, simplicitatis, & innocentiæ, propter regnum cœlorum effectus planè vt paruulus diuinitùs artem metricã edoctus, plurimas cantiones spirituales Anglicana (neque enim aliam calluit) Lingua composuit, & maximam partem historiarum atque mysteriorũ veteris nouíque testamenti in versus Anglicos non minùs piè quàm politè conuertit. Ità vt eruditi illius temporis viri nihil dubitauerint, quin hoc donum illi cœlitùs fuerit infusum ab eo qui multa abscondit à sapientibus & prudentibus, & reuelat ea paruulis. Non difficulter adducor vt credam in illo omnes animæ potẽtias diuino radio, cęlestíque lumine fuisse illustratas, maximè quòd omnen suum conatũ eò direxerit, vt homine ad cõtemptum sæculi, rerúmque sæcularium induceret, & aterrenis ad cælestia, à corruptibilibus & caducis, ad incorruptibilia & æterna reuocaret. Quem sanctum effectum in pluribus cooperante diuina gratia, reipsa mirabili cum fructu produxit. Quin imò homo idiota dormiens nonnulla composuit, & vigilans raptim scripto mandauit, quæ viri doctissimi summo labore, multísque vigilijs pro dignitate vix imitari potuerunt. Et quod adhuc magis mirum est, astabant intempesta nocte dormienti vigilantes, & ex ore eius cantus rithmicos cõcinnissimè compositos, claréque probatos scripto excipiebãt. Ità exaltat Deus humiles, & infima mundi eligit, vt fortia confundat. Hic igitur, noster diuinus psalmista tamquàm alter Dauid *hos sacros cecinit dulci modulamine rithmos*

De creatione mundi, *Canticum vnum.*
De origine generis humani, *Canticum vnum.*
De tota genesis historia, *Canticum vel Epilogum.*
De exitu Israël de Ægypto, *Canticum vnum.*
De ingressu in terram promissionis, *Canticum vnum.*
De laude Dei conditoris, *Canticum vnum. Laudare nunc debemus.*

Et alia de alijs Testamenti veteris historijs.

De historijs etiam noui Testamenti

De Incarnatione Christi, *Canticum vnum.*
De Passione Christi, *Canticum vnum.*
De eius Ascensione, *Canticum vnum.*

De Aduentu Spiritus Sancti, *Canticum vnum.*
De Apostolorum doctrina, *Canticum vnum.*
De futuro Iudicio, *Canticum vnum.*
De terrore pœnæ inferni, *Canticum vnum.*
De gaudio Paradisi, *Canticum vnum.*
De beneficijs & iudicijs diuinis, *Canticum vnum. Et alia plura.*

Atque hæc ferè omnia ex Beda libro quarto historiæ capite vicesimo quarto. Demùm horam sui transitus aliquot ante diebus prædicens, ipsa hora sanctissimè obijt in Domino circa annum salutiferæ reparationis 676, Egfrido in Northumbria regnante.

De Hilda Abbatissa.

680. 76.

HILDA natione Angla, illustribus prognata parentibus in Northumbria, Hererici principis Deirorum filia ex Beorvvida, Bresguidam Beda vocat, Edvvini Regis Nordamhumbrorum, neptis, id est, nepotis filia. Fœmina multiplici doctrina, omníque virtutis genere ornata. Hæc vnà cum Rege Edvvino ad prædicationem S. Paulini Archiepiscopi Eboracensis primi, Christi fidem & Sacramenta Christiana suscepit. Ex sexaginta sex annis quibus huius lucis vsura fruita est, facta per æquas portiones diuisione, triginta tres priores vitæ annos in sæculari statu laudabiliter transegit, & totidem posteriores in vita & habitu monastico Christo Domino sanctius consecrauit. Relicta autem sæculari, & induto Ecclesiastico habitu, secessit in prouinciam Orientalium Anglorum, quia propinqua fuit Regis illius. Deindè transfretauit in Galliam, in Monasterio Cale, cum sua sorore Heresvvida, quæ mater erat Aldulphi Regis Orientalium Anglorum, monasticam egit vitam. Sed post annum ab Aidano Episcopo in patriam reuocata, ad septentrionalem Vviri fluminis ripam vno etiam anno in exiguo cœnobio cum paucis sociabus vixit. Posteà facta est Abbatissa in Monasterio Heretheu, quod in optima disciplina, secundum regulas quas à pijs & doctis viris didicerat, diu rexit. Nam pro insita ei sapientia & diuinicultus amore omnibus mirè chara à præstantissimis quibúsque viris frequenter inuisebatur, & valdè colebatur. Postquàm igitur illi Monasterio per annos aliquod laudabiliter præfuisset, mandabatur ei cura Monasterij construendi & dirigendi in loco qui vocabatur Streaneshalch. Opus non segniter peregit, & eadem disciplinæ regularis forma qua Monasterium prius instituit. Nec quisquam inibi vel monachorum vel sanctimonialium aliter vixit, quàm ad Ecclesiæ primatiuæ normam. Ita vt omnibus omnia essent communia, nec quisquam aliquid eorum quæ possidebat, dicebat esse suum. Ea erat prudentia vt ad illam petendi consilij causa confluerent ipsi etiam Reges & principes. Pietatem, pacem, iustitiam, castimoniam perpetuò coluit. Denique eius Monasterium fuit omnium virtutum seminarium. Omnes monachos in sacrarum scripturarum lectione & meditatione ita exerceri fecit vt inde prodierint eruditi

sacerdotes multi, & vt Venerabilis Bedæ verbis loquar, *quinque ex eodem Monasterio posteà Episcopos vidimus, & hos omnes singularis meriti ac sanctitatis viros, quorũ hæc sunt nomina, Bosa, Æda, Ostfor, Ioannes & Vvilfridus.* Exemplũ piæ vitæ præsentibus, fama virtutum etiam absentibus plurimis occasionem salutis præbuit. Quam, vt loquitur Beda, *omnes qui nouerant, ob insigne pietatis & gratiæ, matrẽ vocare consueuerant.* Hæc ferè omnia ex Beda libro quarto historiæ capite vicesimo tertio deprompsi. Ferũt etiam eam in vita & post mortem miraculis claruisse. Et inter cætera, vt alter Moyses, dicitur colubros (quorum eo loci magna tum erat multitudo) in lapides vertisse. Argumento est quod vsque hodiè ferunt ibi lapides plurimos serpentum formas præseferentes inueniri. Vnum in hac strenua fæmina dolendum, quod in initio imbiberit errores Scotorum, quos pro viribus defendit in ea synodo quæ in suo Monasterio fuit habita anno Domini 664, dum adhuc recens inciperet primatiua Saxonum in Anglia Ecclesia; at suis victis, cessit. Scripsit secundùm doctrinam quam aliquando tenuit, maximè contra Agilbertum Episcopum Vvintoniensem, posteà Parisiensem

Pro obseruatione rituum Britannorum,	*Librum vnum.*
Meditationum piarum,	*Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos,	*Librum vnum. Et alia.*

Tandem post continuam sex annorum ægritudinem in suo Monasterio viuendi finem fecit, & sepulturam accepit decimo quinto calendas Decembris, anno ætatis suæ sexagesimo sexto, Christi verò 680, regnante in Northumbria Egfrido. Sic Beda loco citato. Eius ossa posteà translata fuerunt in cœnobium Glasconiense ab Edmundo Rege qui cognominatus erat *ferreum latus.*

De S. Cudberto.

688. 77. SANCTVS Cudbertus, vt V. Beda in carmine de vita eius testatur, & natus & educatus est in Anglia: fuit autem à iuuentute Monachus Mailrosensis sub Eata Abbate & præposito Boisilo, tandem electus est ad Episcopatum Hagustaldensem, sed euectus ad Lindisfarnensem. Et hos omnes honores non ex ambitioso elati cordis desiderio appetiuit, sed tamquam debita virtutis & eruditionis suæ præmia recepit, oblatos, idque quodammodò inuitus. Sed de his suo loco. Nam hic de monimentis eius litterarijs potissimum dicendum est. Multa quidem scripsisse dicitur, sed hos tantum subiectos titulos hactenùs inueni:

Ordinationes Ecclesiæ suæ,	*Librum vnum. Prima regula est de Do.*
De vita Monastica,	*Librum vnum.*

Sanctissimè diem suum obijt anno gratiæ 688, regnante in Northumbria Alfredo. Vide nostrum de Lindisfarnensibus Episcopis Catalogum.

ÆTAS OCTAVA.

De Trumhero.

TRVMHERVS vel Tunherus, natione Anglus, illustri regum Northumbrorum ortus prosapia. Philosophiam diuitijs, litteras pompis regalibus præferens, fastum aulicum reliquit, monachalem humilitatem elegit. Primùm in Scotia factus monachus, deindè in cænobio Gedlingensi, non longè à Richemundo constitutus Abbas, tandem Episcopus Lichefeldensis. Vir litteratissimus, & zelo Dei plenus fuisse perhibetur. Multa etiam scriptis mandauit, quæ in crudelibus illis Danorum bellis, vel domorum ruderibus obruta, vel flammis voracibus consumpta penitus interierunt, ita vt ex ijs quæ laboriosè exarauit, tantummodò inuenerim 700. 78.

De officijs Ecclesiasticis. *Librum vnum.*

Claruit anno vitæ per Christum redintegratæ 700, imperante Mercijs Ethelredo. Vide quos scripsimus de Episcopis Lichefeldensibus, & de Apostolicis Angliæ viris Catalogos.

De S. Boisilo.

SANCTVS Boisilus natione Anglus, Mailrosensis primùm Monachus, deinde eiusdem Monasterij præpositus. Habuit ibi aliquando sub sua disciplina S. Cudbertum, Episcopum posteà Lindisfarnensem. Erat vir pietate & doctrina, prophetiæ etiam spiritu, & miraculorum gloria clarus. Vnde & tandem factus est Episcopus Vvigorniensis. Varia simplici stylo scripsisse dicitur, contemplationi magis deditus, quàm librorum lectioni. Sacras tamen Scripturas non indiligenter peruoluit, &, vt libro quarto historiæ memorat Beda, verbum Dei populo strenuè prædicauit, fuitque omnibus operibus charitatis maximè intentus. S. Ioannis Euangelistæ potissimùm meditatus est scripta, quæ passim charitatem commendant. Septem igitur ante obitum suum diebus, septem cartæ quaternionibus scripsit 702. 79.

De fide quæ per charitatem operatur, *Librum vnum.*

Alia eius scripta, quantum scio, interierunt. Claruit anno ab apparitione Christi in carne 702, regnante in Mercia Ethelredo. Vide quem scripsimus de Episcopis Vvigorniensibus Catalogum.

De S. Benedicto Biscopio.

SANCTVS Benedictus Biscopius apud Anglosaxones splendidis ortus natalibus, iuuenis hæreditate paterna neglecta, & postpositis Osvvij Regis honoratissimis obsequjs, Romam peregrinatus est, vbi ab Agathone Papa beneuolè susceptus, & humaniter habitus monasticã regulam, cantũ choralem, omnesq; Ecclesiasticos ritus exactè didicit. Posteà in Lirinensi monasterio tonsurã accepit clericalẽ, eodem anno quo 703. 80.

Theodorus Cilix creatus est Archiepiscopus Cantuariensis. Tādem factus est ordinis S. Benedicti monachus, & successu temporis electus, vt videtur, absens, Abbas Dorobernensis, id est, Cantuariensis. Post biennium autem cum dicto Theodoro Græco & Adriano Afro reuersus in Angliam, humiliter & sua sponte cessit præfato Adriano dicti cœnobij regimen, & indè commigrans ad ripas Vviri & Tini amniū non longè à Dunelmo, duo structuræ magnificæ monasteria fecit ædificari, & SS. Apostolis, alterum Petro, alterum Paulo dedicauit. Ex quibus illum ad ostium Vviri fuit ædificatum anno Christi 670, & dictum est Vvirmontense. Alium ad ripam Giri vel Girui extructum est anno Domini 673, & Giruicēse appellatum est. Vtrique etiam præfectus Abbas, multo tempore, magno cum fructu rexit. Et ibi primus extitit auctor Congregationis Giribennæ vel Ingiruianæ. Nam fuit ipse primùm Congregationis Floriacensis.

Quinquies in vniuersum Romam profectus dicitur, vndè numquàm vacuus redijt. Et cùm esset vir litteratus, ac bonarum litterarum fautor maximus, ingentem optimorum librorum copiam, in vnam bibliothecam, ad communem monachorum vsum coaceruauit, nec sumptibus, nec labori vel industriæ pepercit, vt partim ex Gallia, partim ex Italia selectissimos quosque auctores tum Græcos tum Latinos coëmeret, in Angliam asportaret, suæque bibliothecæ inferret. Eius vitam scripsit discipulus illius Beda, & in die obitus eius homeliam habuit, quæ inuenitur inter eius homelias hyemales pridiè Idus Ianuarij. Bono videlicet magistro vel mortuo gratiam rependens. Multas egregias lucubrationes edidisse perhibetur, ex quibus longè plura perierunt, quàm extant. Imprimis scripsit ad monachos opus omni pietate, doctrina, & præceptis prudentiæ refertū, in quo probat omnium sanctorū patrum regulas cū regula S. Benedicti Nursini per omnia quadrare. Operi titulum dedit

Concordiam regularum, *Librum vnum.*
De celebratione festorum totius anni, *Librum vnum.*
Exhortationes ad monachos, *Librum vnum.*
De suo priuilegio, *Librum vnum.*

Et alia, quorum ne titulos quidem inueni. Tandem apoplexia seu paralysi tactus, & lenta tabe, longóque patientiæ exercitio consumptus, animam creatori reddidit pridiè Idus Ianuarij anno ætatis suæ quinquagesimo octauo, vel vt alijs placet, septuagesimo octauo, Incarnationis verò Dominicæ 703, regnante in Northumbria Alfredo. Vide nostrum de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

De Ostforo.

704.
81.

OSTFORVS vel Osfertus, natione Anglus professione monachus, vt cum Beda loquar, in vtróque S. Hildæ cœnobio ab adolescentia lectioni & obseruationi scripturarum operam dedit, euasitque in virum insigniter eruditum, adeò vt in præfatis monasterijs sacras

litteras tempore non paruo docuerit. Aspirans autem ad summam tum in litteris, tum in pietate perfectionem, in Cantiam ad Theodorum Archiepiscopum profectus est, & eo præceptore Græcæ linguæ scientiam acquisiuit. Deindè Romam cōtendit. Vbi habito cum doctissimis simùl ac sanctissimis viris quotidiano commercio, in omni virtutis & melioris eruditionis genere adhuc vlteriùs profecit. In patriam autem rediens, & diuini verbi prædicandi causa ad Victios diuertens, singulari doctrina & integerrimæ vitæ exemplo ita omnibus præluxit, vt ad Episcopatum Vvigorniensem euectus fuerit. Multa eadémque pereruditа scripsisse perhibetur, quæ penè omnia in illis truculentis Danorum furoribus & incendijs perierunt, nihílque, quod sciam, ex ijs posteritati superest, præter

Homiliarum, *Librum vnum.*

Viam vniuersæ carnis ingressus dicitur anno post Christum natum 704, regnante apud Occidentales Anglos Ina. Vide nostrum de Episcopis Vvigorniensibus Catalogum.

De S. Hedda.

SANCTVS Hedda vel Heddius, alijs Heada, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Vvintoniensis, Congregationis Benchorensis virum quidem pium agnoscit Beda, sed parum doctum fuisse confitetur. Erat enim ingenio vulgari, nulla penè facundia, humilis, mitis, verecundus. Assiduo tamen labore, magnáque industria plus quàm vulgarem acquisiuit doctrinam, quam tamen in familiari colloquio, propter impeditam linguam ostendere difficulter potuit. Aldhelmus nihilominus, qui per epistolas mutuas cum eo frequenter habuit illam, quam absentes inter sese habere possunt, collocutionem, illum virum doctum ex scriptorum elegantia iudicauit. Quicquid sit tandem factus est Abbas, & postremò Episcopus Vvintoniensis. Argumenta suæ doctrinæ hæc saltem pauca reliquit

704. 82.

Epistolarum maximè ad Aldhelmum, *Librum vnum.*

Ad Ecclesiarum pastores, *Librum vnum. Et alia quæ non inuenio.*

Vvintoniæ viuendi finem fecit, & sepulturam accepit anno post Christi natiuitatem circiter 704, regnante apud Occidentales Saxones Ina. Vide nostrum de Episcopis Vvintoniensibus Catalogum.

De Alfredo Notho.

ALFREDVS Osuij Regis Nordamhumbrorum ex concubina filius nothus regnante Egfrido fratre, exul vixit in Scotia, qua occasione, cùm esset indolis optimæ, studijs litterarum se totum dedidit, & dum tædiosum exilij tempus litterarijs delectationibus fallere consueuit, quodammodò antequàm ipse aduertere posset, studio fallente laborem, in virum doctum quasi inscius & sine sensu sensim euasit. Ad regnum tandem ascendens, etiam si illud optimè administrauerit, pluris

705. 83.

tamen fecit religionem, pietatem, doctrinam, quàm diuitias, poten tiam & regalem fastum. His nominibus magno semper in precio Ioannem Beuerlacium, virum pietate & eruditione multiplici clarum habuit. Hunc primò Episcopum Hagustaldensem, posteà Archiepiscopum Eboracensem fecit. Ipsum hunc Alfredum scribunt aliqui deposita regali corona, suscepisse clericalem, & in cænobio Mailrosẽsi monachum induisse. Indè euocatum, Episcopum Lindisfarnensem factum fuisse. Sed quicquid de his sit, mihi indubitatum videtur, illo suasore Adamannum ab erroribus Britonum reuocatum, Catholicos ritus maximè in celebratione Paschatis suscepisse. Testatur Beda illum fuisse litteratum, & litteratorum hominum Mæcenatem optimum. Scripsit maximè de controuersijs celebrandi Paschatis, & contra alios Scotorum & Britonum errores, licet ipse in Scotia educatus

Epistolarum ad Colomannum & suos, *Librum vnum.*
Ad Adamannum Colludium, *Epistolam vnam.*
Ad Hildam Abbatissam, *Epistolam vnam.*

Et alia multa, quorum vel ipsi tituli perierunt. Tandem anno Domini 705, naturæ debitum soluit Drisfeldiæ, vbi etiam eum regaliter sepultum ferunt. Vide nostros de Apostolicis Angliæ viris, & de Northumbriæ regibus Catalogos.

De S. Aldhelmo.

709.
84.

SANCTVS Aldhelmus vel Aldelinus, natione Anglus, & Inæ Occidentalium Saxonum Regis ex fratre Kenteno nepos. Ab ipsa pueritia litterarum studijs addictus, adolescẽs missus est primùm in Galliam, deindè in Italiam, vt artes liberales disceret, atque vt videret *multorum mores, & multas viseret vrbes.* Iuuenis in patriam reuersus, primùm ibi præceptorem habuit Maildulphum Scotum eremitam, sub cuius disciplina vixit iuxta Bladum fluuium in monasterio Bladunensi. Locus posteà Maildulphesburg, & tandem contractiùs, Malmesburg dictus est. Successu temporis Aldhelmus magistrum habuit Theodorum Græcum, Archiepiscopum Cãtuariensem, & cooperatorem eius Adrianum Abbatem, vt ab illo litteras Græcas, ab hoc Africanam elegantiam perdisceret. His etiam monitoribus, factus est ordinis S. Benedicti monachus, & ædificato apud Malmesburg tanquam primo nouitiatus sui loco, monasterio cum Ecclesia, constitutus est ibi primus (vt videtur) Abbas. Nec multò pòst electus est primus Occidentalium Saxonum in oppido Shirburnensi Episcopus.

Ioannes à Bosco in libro quem collegit ex vetustis M. M. S. S. bibliothecæ Floriacensis scribit hunc nostrum Aldhelmũ fuisse primò Malmesberiensem Abbatem, tum Episcopũ primum Salesberiensem in Anglia anno Domini 704, eum vocat virum omni sanctitate repletum, doctrinæ laude insignem, & tam liberalium quàm Ecclesiasticarum rerum eruditione mirandum. Addit scripsisse de laude sanctorum, & tandem

obijsse anno Domini 709. & erat sanè communi omnium testimonio pietatis cultor mirificus, bonarum litterarum studijs impensè deditus, omnibusque melioris notæ disciplinis insigniter excultus. Carmine, prosa, Saxonicè, Latinè, Græcè doctissimus, in re oratoria facundissimus. De illo versum hunc sequentem scriptum reperi, *Aldhelmus cecinit millenis versibus odas.* Ex his bonam partem scripsit ad Heddium Episcopum Vvintoniensem, pleráque ænigmaticè, & per prosopopœias; rerum naturales & qualitates sub quibusdam inuolucris adumbrare gestiebat, vt ex suis scriptis in Bibliotheca sanctorum Patrum, in carmine præsertim quod composuit de S. Victoria, de S. Anatolia, & alijs facilè apparet.

Omnis generis Musicam, & instrumentalem & vocalem summo in precio habuit, optiméque ipse canebat, omnium denique tam diuinarum quàm humanarum scientiarum erat peritissimus; vt illa ætate vix quemquam habuerit orbis Christianus doctiorem. Hunc & venerabilem Bedam inter Anglicanæ nationis eruditissimos meritò posuit antiquitas. Erat autem nonnihil antiquior quàm Beda. Dum adhuc presbyter & Abbas esset, vnanimi totius Anglicanæ synodi consensu electus est, vt scriberet contra errores Britonum & Scotorum circa celebrationem Paschatis, & alios ritus Ecclesiasticos, super qua materia opus exarauit tam doctum, tam solidum, omnibusque suis numeris tam perfectum, vt eius lectione multi ad saniorem mentem conuersi, salubriorem doctrinam amplexi fuerint; vt auctor est Beda libro quinto historiæ Anglicanæ. Scripsit etiam carmine heroico de laude virginum cum stupenda planè præfatione ad Maximam Abbatissam, etiam heroico versu quadro, *Vt capiat laudem quadrato carmine virgo.* Nam versus sequens, *Metrica tyrones nunc promant carmina castos*; Inuento planè ad miraculum ingenioso, & forsan non minùs laborioso, triginta sex alios versus heroicos sic in quadro vndique includit, vt idem semper resultet primus, si recto ordine, vltimus si retrogrado, acrosticos si descendendo, telosticos si ascendendo decurras; in modum qui sequitur:

M	*etrica tirones nunc promant carmina casto*	S
E	*t laudem capiat quadrato carmine virg*	O
T	*rinus in arce Deus, qui polles sæcla creaui*	T
R	*egnator mundi regnans in sedibus alti*	S
I	*ndigno conferre mihi dignetur in æthr*	A
C	*um sanctis requiem, quos laudo versibus isti*	C
A	*rbiter altithronus, qui seruat sceptra supern*	A
T	*radidit his cæli per ludum scandere lime*	N
I	*nter Sanctorum cuneos, qui laude perenn*	I

R	*ite glorificant moderantem regna tonante*	M
O	*mnipotens Dominus, mundi formator & aucto*	R
N	*obis pauperibus confer ſuffragia cert*	A
E	*t ne concedas trudendos hoſtibus iſtin*	C
S	*ed magis exiguos defendens dextera tanga*	T
N	*e pr.edo pellax cælorum claudere lime*	N
V	*el Sanctos valeat noxarum fallere ſcen*	A
N	*e fur ſtrophoſus foueam detrudat in atra*	M
C	*onditor à ſummo quos Chriſtus ſeruat Olymp*	O
P	*aſtor ouile tuens ne poßit rabula rapto*	R
R	*egales vaſtans caulas bis dicere pup pu*	P
O	*mnia ſed cuſtos defendat ouilia iamnun*	C
M	*axima præcipuum quæ geſtas numine nome*	N
A	*ddere præſidium mater dignare precat*	V
N	*am tu perpetuum promſiſti lumine lume*	N
T	*itan quem clamant ſacro ſpiramine vate*	S
C	*uius per mundum iubar alto ſplendet ab ax*	E
A	*tque polos pariter replet vibramine fulme*	N
R	*ex Regum & Princeps populorum dictus ab æu*	O
M	*agnus de magno, de rerum regmine recto*	R
I	*llum nec terræ nec poſſunt cingere cæl*	I
N	*ec mare nauigerum ſpumoſo gurgite valla*	T
A	*ut Zonæ mundi, quæ ſtipant æthera celſ*	A
C	*larorum vitam, qui caſtis moribus iſti*	C
A	*uxiliante Deo vernabant flore perenn*	I
S	*anctis aggrediar ſtudijs edicere paupe*	R
T	*anta tamen dignè ſi pauper præmia proda*	T
O	*mnia cùm nullus verbis explanet apert*	E
S	*otſac animractnamorp Cnun Senorita Cirte*	M

Sed nunc operum titulos more nobis conſueto ſubijciamus. Scripſit quem dixi

De celebratione Paſchatis contra Britones, *Librum vnum.*

De laude virginum verſu heroico, *Librum vnum.*

Omnipotens genitor mundi. M. S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Extat Oxonij in publica. M. S. etiam apud Heluetios in monaſterio S. Galli. Vndè vetus amicus meus Henricus Caniſius exemplar ſumpſit, & ad commune reipublicæ litterariæ bonum in lucem emitti fecit Ingolſtadij anno 1608.

De Virginitate, carmine, *Librum vnum.*

De Virginitate oratione soluta, *Librum vnum*. *Reuerendissimis Christi virginibus*. Hunc librum misit Cuthburgæ, Ethelburgæ, Hildelithæ, & reliquis Berkingiæ virginibus. M. S. Cantabrigiæ in Collegio Caij & Gonellij, & in priuatis Bibliothecis Baronis Lunleiani, & Gualteri Copi. Extat Parisijs apud Michaëlem Somnium anno 1576. Venerabilis Beda loco superiùs citato vtriusque operis de virginitate mentionem facit. Quod etiam vtrumque M.S. haberi dicitur Oxonij in pub.

De laude sanctorum carmine, *Librum vnum. Metrica si libeat.*

De vita monachorum carmine, *Librum vnum. Quid deceat monachum.*

Aenigmatum versus mille, *Librum vnum. Altrix cunctorum sapientia.* Extat Basileæ anno 1557.

Super Aenigmatibus, *Librum vnum. Symphosius versificus Poëta.*

De octo vitijs principalibus, *Librum vnum. Digestis igitur sanctorum.* M.S. apud Heluetios in monasterio S. Galli. In lucem emitti curauit Henricus Canisius Ingolstadij anno 1608. Oxoniæ in pub. *Polyantheam flores vtriusque Testamenti libros duos.*

De septenarij dignitate, *Librum vnum.*

De charitate mutua, *Librum vnum.*

De admonitione fraterna, *Librum vnum.*

De pugna vitiorum, *Librum vnum.*

De natura insensibilium, *Librum vnum.*

De Philosophorum disciplinis, *Librum vnum.*

De Arithmetica, *Librum vnum.*

De Astrologia, *Librum vnum.*

De Metaplasmo, *Librum vnum.*

De Scematibus, *Librum vnum.*

Homeliarum ad populum, *Librum vnum.*

Dialogum metricum, *Librum vnum.*

Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Hymnorum & Odarum, *Librum vnum.*

Carminum diuersi generis, *Librum vnum.*

De metrorum generibus, *Librum vnum. Aonio rediens deducam vertice.* Tandem ex hac vita ad meliorem migrauit octauo calendas Iunij anno Verbi incarnati 709, & in monasterio Malmesberiensi honorificè sepultus est, sub Ina Saxonum Occidentalium rege. Vide illos quos composuimus de Schirburnensibus Episcopis, & de viris Apostolicis nostræ nationis Catalogos.

De sancto Vuilfrido Ripponensi.

SANCTVS Vuilfridus Ripponensis, id est ex oppido Rippon, in Septentrionalibus Angliæ partibus natus. Vir omnibus tum sacris, 710. 85.

tum profanis litteris insigniter excultus. Nam præter accuratam, quam habuit sacrarum scripturarum scientiam, erat etiam omnis humanioris litteraturæ, & Mathematicarum scientiarum peritissimus. Poëta, Rhetor, Arithmeticus, Astronomus, Musicus, & in Græcis disciplinis expertissimus. De quo Beda libro tertio historiæ Anglicanæ capite vicesimo quinto sic scribit; *Alcfrid Magistrum habuit eruditionis Christianæ Vvilfridum virum doctissimum.* Sed prolixior quàm par est, hic instituendus esset discursus, si vel quæ pij doctique viri proferunt in huius laudem; vel hæretici & impij in eiusdem effutiunt vituperium, in medium afferrem. Vnicum hic omnium bonorum calumniatorem audiamus Balæum. Hic enim in centuria prima scriptorum Britanniæ, Vvilfridum reprehẽdit, quòd contra Britones, Scotos, & Pictos senserit in celebratione Paschatis, in clericorum tonsura, in cælibatu, & similibus. Quod ad propugnandam celebrationem Paschatis secundum ritum Romanum, calculationes Mathematicas ex quatuor Euangelistis didicerit. Et inter irrisores numerat, quod contra Quartodecimanos (quos pios ille vocat homines) in Synodo publicas disceptationes habuerit. Quod circa collum, reliquiarum, quas Roma tulerat, capsulam quandam gestauerit. *Quod bis quadraginta quinque annorum spatio, ob suam temeritatem, impiam arrogantemque simultatem, ac nequitias adhuc alias, Archiepræsulatu pulsus fuerit. Etheldredam namque inuito rege marito Egfredo, homine satis pio, sed ob id meretrices alente,* (pietas Balæi) *stultum emittere votum, diuortium ab eo quærere, & in cænobio quàm otiose latitare, præter id quod in herba latet, iniqua persuasione fecit.* Hæc Balæus affectu magis nocendi quàm effectu. Cur enim vocat Quartodecimanos pios homines, eorúmque impugnatores irrisores, cum ab eo tempore, vbique per Europam expulsus & explosus fuerit Quartodecimanorum in celebratione Paschatis & alijs ritibus error, nec vnquam ipse Balæus Pascha illo ritu celebrauerit, vel celebrandum docuerit? & quid tantoperè temeritatem, simultatem, & nequitias in Vvilfrido incusat, quòd castæ fæminæ suaserit, potius diuortium petere, votum castitatis emittere, cœnobium intrare, quàm cum marito adultero, & meretrices alente cohabitare? Sed ad nostram rem redeamus. S. Vvilfredus in insigni cœnobio sanctæ Hildæ quod Streneshalcense vocabatur, monachum induit, vbi inter Scotos bonas litteras, & monasticam viuendi rationem solerter didicit. Inde Romam non multo post tempore pergens, cùm esset acris ingenij breui tempore multum profectum fecit. Ibi enim edoctus est computum Paschatis, ceremonias Ecclesiasticas, intellectum etiam quatuor Euangeliorum, & præcipua quæque religionis Catholicæ capita accuratè didicit, quibus ita peractis in patriam denuò reuersus est. Cumque anno Domini 664. sub Rege Olvvin celebraretur Synodus contra errores Britonum & Scotorum, Vvilfridus ita doctè copioséque Colmannum Scotorum Episcopum, eiusque errores confutauit, vt sermonis elegantia, & argumentorum firmitate,

mitate, ipsam quodammodò veritatem seipsa reddiderit illustriorem.

Hic doctissimum Regem Alfredum aliquando habuit discipulum. Propter dictas & alias similes causas, quotquot de illo scribunt historici, testantur illum fuisse virum doctrina & sanctitate valdè eminentem. Nam præter quatuor sacrorum Euangeliorum libros, quos ex religioso animi affectu aureis characteribus describi curauit, scripsit etiam contra Colmannum Scotum & alios eiusdem farinæ Doctores

De Catholico celebrandi Paschatis ritu, *Librum vnum.*
De Clericorum tonsura, *Librum vnum.*
De regulis monachorum, *Librum vnum.*
De actis & decretis Streneshalcensis Concilij, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum. Et alia plura.* Laboribus tandem & senio confectus sanctissimè diem suum obijt octauo calendas Maij, anno ætatis suæ septuagesimo quinto, natiuitatis filij Dei secundùm carnem 710. Sepultus est primùm in Imdalo Monasterio. Sed paulò pòst à monachis translatum est corpus eius in Ripense suum cœnobium Diuo Petro sacrum. Quomodo autem ad Archiepiscopatum Eboracensem euectus fuerit, & quid aliàs gesserit, suis locis dicetur fusiùs. Claruit regnante in Northumbria Osredo. Vide nostros de Archiepiscopis Eboracensibus, & de viris Apostolicis Angliæ Catalogos.

De sancto Egvvino Vviccio.

716. 86.

SANCTVS Egvvinus Vviccius, natione Anglus, Merciorum Regum sanguine satus, ordinis S. Benedicti monachus, & tandem Episcopus Vvigorniensis tertius. Vir sanctitate vitæ conspicuus, & doctrina multum celebris, de quo pulchra memoriæ prodidit S. Berciualdus Archiepiscopus Cantuariensis in eius vita. Eruditionis autem & ingenij sui nonnulla post se monimenta reliquit, quibus nomen suum posteris commendauit. Scripsit enim

De suis apparitionibus, *Librum vnum. Ego Egvvinus.*
De primordijs sui cœnobij, *Librum vnum.*
De vita S. Aldhelmi Episcopi Schirburnensis, *Librum vnum.*
De vitis variorum sanctorum, *Librum vnum. Et alia non pauca.*

Ex ergastulo sui corporis ad cælestem Paradisi libertatem euolauit anno post descensum filij Dei ad terram 716, & in suo cœnobio Eueshamensi requiei locum corpori elegit, regnante apud Mercios Ceolredo. Vide quem scripsimus de Episcopis Vvigorniensibus Catalogum.

De Heddio Stephano.

720. 87.

HEDDIVS, Stephanus cognominatus, natione Anglus, ordinis S. Benedicti monachus Cantuariensis Congregationis Giribennæ, à teneris annis ita in bonarum litterarum studijs enutritus, vt iam vir fa-

ctus omnium scientiarum genere euaserit instructissimus. Multa quidem, quantum inuenire potui, non scripsit, sed illa tamen pauca puro, terso, & elegante stylo exarata. Musicus insignis, & primus teste Beda, præter vnum Iacobum, cantandi Magister in Nordamhumbrorum Ecclesijs. Illuc enim ex Cantia vocatus à Vuilfrido venit & psalmodiam docuit. Ratione virtutis & eruditionis multiplicis, erat omnibus litteratis & pijs illius temporis viris charissimus. Hortante Acca Hagustaldensi Episcopo soluta oratione politè scripsit

De vita S. Vuilfridi Episcopi, *Librum vnum.*

De vita Eatæ & Tumberti, *Librum vnum. De alijs mihi nihil certi constat.* Claruit anno salutis restauratæ 720, regnante in Northumbria Osrico.

De Eremita Britanno.

720. 88. EREMITA Britannus, incerti nominis in Cambria natus & educatus, post imbibitas humaniores litteras, Historiarum & Astronomiæ studijs impense se dedidit, & de gestis Britonum multa collegit, sed ita vt non raro miscuerit. *Seria nugosis, pia prauis, sacra profanis.* Fabulosa denique veris. Sic enim ex Vincentio in historiali speculo colligi facilè potest. Scripsit opus quoddam de Iosepho Arimathensi ad Vualliuanum quendam, quod inusitato titulo insigniuit, in quo nugacis magis quam subtilis ingenij specimen dedisse mihi videtur. Opus enim sic vocat

Sanctum Graal. *Librum vnum.*

De Rege Arthuro & rebus eius gestis, *Librum vnum.*

De mensa rotunda & strenuis equitibus, *Librum vnum. Et alia pleráque nugis mixta.* Claruisse dicitur anno gratiæ 720, Ina apud Vuestsaxones regnante.

De Ioanne Beuerlacio.

721 89. SANCTVS Ioannes Beuerlacius apud Anglosaxones illustribus parentibus in Harpeham Deiræ Pago natus. Monachus primum, deinde Abbas in Monasterio S. Hildæ. Vir mitis ingenij, linguæ facundæ, miri zeli, multiplicis eruditionis. Adhuc adolescens à parentibus missus est in Cantiam, vt à Theodoro Græco tum Archiepiscopo Cantuariensi Græcas litteras cum Latinæ linguæ cognitione coniungeret. Successu itaque temporis Græcis & Latinis litteris, diuinis & humanis scientijs insigniter instructus, inter eruditissimos sui sæculi viros non immeritò computabatur. Vndè Alfredus Nordamhumbrorum Rex doctissimus eum anno Domini 686. ad Episcopatum Hagustaldensem, & posteà eiecto Vuilfrido, ad Archiepiscopatum Eboracensem euexit. Bedam aliquando habuit discipulum, Accam amicum & familiarem, imò cum omnibus sui temporis doctissimis viris multa illi intercessit necessitudo, ex quibus etiam non pauci eius hortatu inducti

varios præsertim in sacras scripturas in lucem emiserunt tractatus. Testimonia doctrinæ eius sufficientia sunt opera quæ post se reliquit. Scripsit namque maximè ad venerabilem Bedam, vt ex Sixto Senensi & alijs colligo,

Pro S. Luca exponendo, *Librum vnum.*
Homiliarum in Euangelia, *Librum vnum.*
Epistolarum ad Hildam Abbatissam, *Librum vnum.*
Ad Andoënum Bertinum, *Epistolas duas.*
Ad Herebaldum discipulum suum, *Epistolam vnam. Et alia plurima.* Tandem hanc vitam cum meliore commutauit Nonis Maij anno gratiæ 721, regnante in Northumbria Osrico. Vide quem composuimus de Archiepiscopis Eboracensibus Catalogum.

De Geolfrido Bernicio.

GEOLFRIDVS, natione Anglus, patria Bernicius, Christianis parentibus ortus, ordinis S. Benedicti primùm monachus, deinde post Benedictum Biscopium Monasteriorum SS. Apostolorum Petri & Pauli Vvirmoutensi & Girvicensi Abbas. Vir doctus, deuotus, & regularis disciplinæ maximè studiosus. Ad annos triginta & quinque duobus præfatis Monasterijs præfuit. In hoc sanè felix & memorabilis quòd Bedam puerum septennem, posteà septiformis Spiritus sancti gratiæ in Ecclesia præcellentem dispensatorem, à Benedicto Biscopio susceptum, tam sollicitè instituerit, tam sanctè educauerit, vt Ecclesiæ Christi in terris singulare lumen, & quasi luna inter stellas omnes suo tempore minores euaserit. Romam profectus aliquot antiquorum Doctorum libros acquisiuit, & secum in patriam retulit ad ornandas & augendas suorum cœnobiorum Bibliothecas. Erat errorum Scoticorum impugnator acerrimus. Suis scriptis omni eruditionis genere refertis Naitanum Pictorum Regem cum suo populo ab illis erroribus ad ritus Catholicos perduxit, adductis ex veteri & nouo testamento argumentis claris, ex Mathematica demonstrationibus, ex omni denique Philosophiæ genere congruentibus & ad rem subiectam appositissimis rationibus, non omissis etiam mysticis conuenientijs ex spirituali sacrarum litterarum sensu sublimissimè depromptis. Titulos librorum eius hos sequentes hactenùs inueni. De obseruatione Paschatis, de baptizando secundùm ritum Romanam, de Ecclesiastica & monastica tonsura ad Naïtanũ Pictorum Regem prolixam Epistolam. Domino excellentissimo & gloriosissimo Regi Naïtano Geolfridus. Habetur apud Bedam libro quinto cap. 22.

724.
90.

Homeliarum solemnium, *Librum vnum.*
De sua peregrinatione, *Librum vnum.*
Testamentum ad Humbertum (melius puto ad Vvicbertum) Librum vnum.
Epistolarum ad monachos suos, *Librum vnum. Et alia plura.*

Roma tandem secunda vice rediens, in itinere apud Lingonensem, vul-

gò Langres Galliæ ciuitatem obijt septimo calendas Octobris anno ætatis suæ octogesimo quarto, reparationis humanæ 724, regnante in Northumbria Ceolfrido. Vitam eius scripsit S. Vvicbertus. Vide quem scripsimus de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

De Tobia.

726. 91. TOBIAS illustri Anglorum familia in Cantia natus, ordinis S. Benedicti Monachus. A teneris annis in virtutis & bonarum litterarum studijs diligenter enutritus, Cantuariæ sub disciplina Theodori Græci & Adriani Afri ab ijs Græcam & Latinam linguam adeò perfectè didicit, vt vtramque æquè ac natiuam calluerit, & elegantiùs in vtraque quàm in materna scribere potuerit. Vt non immeritò venerabilis Beda historiæ libro quinto capite nono, eum *virum Latina, Græca, & Saxonica lingua, atque eruditione multiplici instructum* pronunciauerit. Hinc propter eximiam doctrinam cum eminente virtute coniunctam factus Episcopus Roffensis, magna cum diligentia & pari cum fructu verbum Dei populo suo prædicauit. Ex ijs autem quæ pereleganter scripsisse perhibetur, perierunt pleráque cum ipsis titulis nisi quòd inueniamus eum edidisse

Homiliarum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Sanctissimè diem suum obijsse dicitur eodem anno quo mortuo Vvithredo Cantuariorum Rege, successit Egbertus, hoc est, anno gratiæ 722, vel rectiùs secundùm alios 726. sepultúsque est in Ecclesia sua Roffensi. Vide Catalogum nostrum Episcoporum Roffensium.

De Ina Rege.

728. 92. INAS Anglus & Anglorum Occidentalium Rex, non tam propter sanguinem euectus, quàm propter sanctitatem electus, quamuis & ipse de regali esset progenie. Vir belli pacisque artibus inclytus, vitæ etiam integritate & eruditione clarus. Postquam annis aliquot non minùs potenter quàm prudenter regnum suum administrasset, sæcularium negotiorum pertæsus, Deo militare constituit. Romam itaque peregrinatus est, illic scholam Anglorum posuit: & ibidem monachum induens in illa vocatione vsque ad vitæ periodum constanter perseuerauit. Dum autem auctoritate regali præfuit, vt populum suum non solum exemplis ad studium virtutis excitaret, sed etiam legum seueritate à vitijs deterreret, optimas condidit leges, quæ fortè modo nec typis exprimuntur, nec moribus. Scripsit enim & posteris reliquit

Legum religiosarum, *Librum vnum. Ego Inas Dei gratia Vvestsaxonum Rex.*
Statutorum municipalium, *Librum vnum.*
Ad Gregorium Papam secundum, *Librum vnum. Et id genus alia quædam.*

Romæ tandem sanctissimam vitam optimo fine conclusit anno salutis reparatæ 728. Vide nostros Apostolicorum Angliæ virorum, & Regum Vvestsaxonum Catalogos.

De Egberto Monacho.

EGBERTVS Monachus Anglus in Southſaxia non ignobili loco natus iuuenis ad Septentrionales Anglos cõtendens, in Monaſterio Lindisfarnenſi ſe totum pietatis & bonarũ litterarum ſtudijs dedit. Ingruente autẽ fame & peſte, indè traiecit in Hiberniã, poſteà in Scotiam, tandem in Friſiam ad Chriſtum illis gentibus prædicãdum traijcere volens, tẽpeſtate repulſus in Angliam, interpretatus eſt diuino nutu ſe monitam ne infidelibus exteris annunciaret Chriſtũ, ſed potiùs vt inſulares noſtros Britones & Scotos à ſuis erroribus reuocaret. Itaque ad Hyenſis cœnobij reformationẽ ſe accinxit. Et alios ad opus Euangelij deſtinauit in Germaniam. Vbique ſemper & ab alijs diſcens, & alios docens. Erat errorum Scoticorum vehemens impugnator. Et ſuis prædicationibus, diſputationibus, libris etiam ſcriptis, virtutum denique exemplis plurimos ab illis erroribus reuocauit, & ad ritus Catholicos perduxit, & in his Monachos Hyenſes, apud quos tredecim annos laborans, tandem in ſuam ſententiam adduxit, & vt Catholicos ritus per omnia amplecterentur, effecit. Eruditionis ſuæ monimenta hæc poſt ſe reliquit, teſte Arnoldo Vion & alijs

629. 93.

De Paſchali obſeruatione, *Librum vnum.*
De ritibus Catholicorum, *Librum vnum.*
Variarum concionum, *Librum vnum. Et alia non pauca.*

In Hyenſi Monaſterio mortuus & ſepultus eſt octauo calendas Aprilis anno poſt Chriſtum natum 729, regnante apud Saxones Occidentales Athelardo. Plura vide in noſtro Apoſtolicorum Angliæ virorum Catalogo.

De S. Vvicberto.

SANCTVS Vvicbertus, Vvinbertus, vel Vvicebertus, (Hunebertũ aliqui corruptè vocant) natione Anglus, patria Deirus, ab ipſa adoleſcentia in ſtudijs bonarum litterarum optimè educatus, factus eſt primùm Canonicus Eboracenſis, deindè ordinis S. Benedicti Monachus in Hiberniam diſcendi cauſa profectus eſt. Domum autem reuerſus, cùm iam multum, tum in litteris, tum in pietate, & Monaſtica diſciplina profeciſſet, factus eſt Abbas Vvirmouthenſis & Giruicenſis, loco Ceolfridi, qui iam iterum Romam profectus erat. Othlonus eum Vvimbertum vocat, & teſtatur, quòd partim in Riponenſi Monaſterio, partim in Hibernia docuerit S. Vvillibrordum bonas litteras & Monaſticam diſciplinam. Surius etiam ex Othlono ſcribit eum aliquando fuiſſe Abbatem Nuiſcellenſem, & ibi docuiſſe grãmaticam, poëſim, & tandem ſacras litteras habuiſſe illic inter alios celebres diſcipulos Vvinfridum, poſteà dictum Bonifacium, Germaniæ totius Apoſtolum. De quo idem Bonifacius in epiſtola ad Danielem Epiſcopum Vvintonienſem loquens, vocat eum Abbatem & Magiſtrum ſuum, & petit ſibi mitti

730. 94.

quendam librum, quem ille moriens reliquit. Vbi, inquit, *sex Propheta in vno corpore claris & absolutis litteris scripti reperiuntur.* Quomodo autem Germaniam posteà petierit, quid ibi præstiterit, suo loco dicitur. Nam hic de ijs quæ ad doctrinam eius spectant potissimùm agendum est. Scripsit autem maximè ad Gregorium Papam secundum

De vita Ceolfridi Abbatis, *Librum vnum.*

Epistolarum ad diuersos, Librum vnum. De alijs mentionem non inuenio. In Fostlandia Martyrio coronatus est circa annum gratiæ 730, regnante apud Northumbrios Ofrico. Corpus eius Hereffeldensi cœnobio magna in veneratione seruari dicitur. Reliqua vide in eo quem de Apostolicis Angliæ viris scripsimus Catalogo.

De Felice Cronlandensi.

730.
95.

FELIX natione Anglus, patriam habuit Merciam, id est, Mediterraneam Angliam, ordinis S. Benedicti Monachus Croulandensis. Hic iuuenis ad Orietales Anglos studiorū causa profectus est. Iactísque sub optimis præceptoribus bonis in re litteraria fundamentis, ad Monasterium Croulandense palustri loco, inter insulam Eliensem, & fluuium Niuam situm contendit, & ibi Monachum induit. Vbi ad summam in litteris & pietate perfectionem peruenit, Rhetor & Poëta insignis. Cuius rei testes satis locupletes sunt eius elegantes lucubrationes, & versu & oratione soluta scriptæ, quas instigante Abbate Vvilfrido, & Cissa presbytero, in lucem emisit, & Orientalium Anglorum Regi Alfualdo tanquàm Mecænati optimo & protectori benignissimo honoris ergô dedicauit. Ex quibus multa adhuc partim typis mandata extare, partim M. S. In Bibliothecis antiquis inueniri dicuntur. Titulos autem eorum quæ Felix feliciter sanè scripsit, hos saltem sequentes legi apud Vion & alios

De vita S. Guthlaci anachoritæ, *Librum vnum.*

Jussionibus tuis obtemperans. Puto eumdem esse librum qui M. S. Cantabrigiæ seruatur in Bibliotheca Collegij S. Benedicti, qui descriptus fuisse notatur ante aduentum Normannorum in Angliam. In eadem etiam bibliotheca dicuntur haberi alia huius auctoris opera M S. characteribus Saxonicis

De miraculis S. Guthlaci, *Librum vnum. Quodam tempore iucundæ res.*
De eiusdem Translatione, *Librum vnum. Erigite charissimi aures omnes.*
Epitomen vitæ eiusdem, *Librum vnum. Vitam beati Guthlaci Confessoris,*
De rebus gestis Abbatum Croulandensium, *Librum vnum.*

Et alia plura tum versu, tum prosa. Claruit anno partus virginei 730, regnante apud Mercios in Anglia Ethelbaldo.

De Vvithredo Presbytero.

730.
96.

VVITHREDVS seu Vvicreda presbyter Anglus, venerabili Bedæ morum similitudine, & amicitiæ necessitudine coniunctis-

simus. Erat enim pietatis & bonarum litterarum strenuissimus cultor. Qui, vt tempus nullum iners elaberetur, ingenium grauioribus studijs fatigatum, non otio, sed facilioribus & iucũdioribus exercitijs recreabat. Theologicas scientias ita cum Mathematicis temperabat, vt ad summam in vtrisque perfectionem peruenerit. Dum illas per sudores & laborem, has per ludum & iocum addisceret, eum multa in vtroque genere scripsisse, mihi non est dubium, quæ tamen ipsa temporum vel absumpsit iniquitas, vel antiquauit antiquitas, & ipsa posteris inuidit vetustas. Ad eum tanquam ad Theologum solidum, & Mathematicum peritum scripsit Venerabilis Beda super controuersia, quæ temporibus illis agitabatur, de celebratione Paschatis, eique de hac materia librum dedicauit. Ipse verò, præter doctissima eius scripta, quæ perierunt plurima, scripsit ad Venerabilem Bedam

De celebratione Paschatis, *Epistolas plures.*

Claruit anno à plenitudine temporis 730, cum in Northumbria rerum potiretur Egbertus.

De Egberto Episcopo.

EGBERTVS vel Eadbertus in Australibus Angliæ partibus natus. Vir integritate morum conspicuus, & teste Beda in sacris litteris nobiliter eruditus. De quo libro quarto historiæ gentis Anglorum capite vicesimo nono sic loquitur. *Eadbertus vir scientia scripturarum diuinarum, simul & præceptorum cælestium obseruantia, ac maximè eleemosynarum operatione insignis.* Crescentibus itaque virtutum meritis, ad Episcopatum Lindisfarnensem euectus est. Erat enim modestus, grauis, sobrius, castus, temperãs, in pauperes ità misericors & liberalis, vt eleemosynarius vulgò cognominaretur. In suis passionibus domandis seuerus & rigidus, in eo tamen reprehendendus, quòd in alienis vitijs reprehendendis & corrigendis, ex nimia leuitate, penè nullam, vel planè laxam, & nimis remissam teneret in suis subditis disciplinam. Super quo defectu venerabilis Beda ad eum scripsit epistolam non quidem comminatoriam, sed nonnihil asperè commonitoriam, ad quam epistolam humiliter respondens Egbertus, scripsit [730. 97.]

Gratificationis responsa, *Librum vnum.*
De ritibus Catholicorum, *Librum vnum.*

De Translatione S. Cudberti carmen elegiacum. *Quis Domini.* de Latino in Anglicum vertit sacræ scripturæ libros plures, vt est testis Butlerus. Mortuus dicitur secundùm nõnullos, anno Domini 698, sed rectiùs secundùm alios anno 730, regnante in Northũbria Osvvico. Vide illum quem scripsimus de Episcopis Lindisfarnensibus Catalogum.

De Cimberto.

CIMBERTVS vel Cinbertus, Cumbertum nonnulli, Rinebartum etiam aliqui vocant, illustribus in regno Merciorum natus paren- [736. 98.]

tibus, patria Lindisseius ordinis S. Benedicti Monachus Reidfordensis. Vir pius, doctus, prudens, omnibúsque tum virtutum, tum scientiarum ornamentis splendidè insignitus. Non ausim affirmare hunc fuisse Cimbertum illum S. Cudberti Cantuariensis Archiepiscopi Diaconum, per quem misit acta synodi de Cliff seu de Clouesho celebratæ ad S. Bonifacium Archiepiscopum Maguntinum anno Domini 744, vel secundùm alios, 747. Quicquid sit, hic noster virtutis & eruditionis meritis Episcopatum Dorcestrensem, Lindisfarorum inquit Beda sub finem historiæ gentis Anglorum. Et ex huius scriptis idem Beda multa se accepisse, & historiæ suæ inseruisse non diffitetur. Hæc inducunt vt credam, hunc nostrum Cimbertum Diacono illo fuisse antiquiorem, quàm vt eundem esse certò iudicem. Pauca admodũ eius scripta nũc inuenimus; tractauit tamen breuiter de multis Martyribus, Episcopis, Doctoribus, item de Romanis Pontificibus. Operi titulum præfixit

Compendium Annalium suæ gentis, *Librum vnum.*
Epistolarum maximè ad Bedam, *Librum vnum.*

Claruit anno gratiæ 730, regnante apud Mercios Ethelbaldo. Vide quem composuimus de Dorcestrensibus Episcopis Catalogum.

De S. Brithvvaldo.

731.
99.

SANCTVS Brithvvaldus vel Bertvvaldus, non longe à Glasconiensi Monasterio in Anglia natus. Ibi adolescens factus ordinis S. Benedicti Monachus, bonas litteras, regularem disciplinam, & omnem pietatem summa cum industria didicit. Ostenditque etiam ante annos iuueniles, quantus vir esset futurus, & quàm ad res magnas natus. Beda sanè in historiæ libro quinto capite nouo testatur quod fuerit *vir scientia scripturarum imbutus, & Ecclesiasticis simul & Monasterialibus disciplinis summè instructus.* Sunt qui scribunt eum fuisse Abbatem Glasconiensem. Venerabilis Beda loco iam citato Abbatem fuisse dicit, *in Monasterio quodam iuxta ostium Aquilonare fluminis Geulad. Quod Raculf nuncupatur.* Tandem factus est Archiepiscopus Cantuariensis ex Monachis cœnobij Glasconiensis omnium primus. Vir magnæ sanctitatis, nec eruditionis contemnendæ. In eo maximè laudandus, quòd sacras scripturas nocte dieque diligenter meditaretur. Magis occupatus in Ecclesiæ regimine, quàm in libris conscribendis, pauca litteraria monimenta post se reliquit, ex quibus hæc sequentia posteritas excepit

Vitam & res gestas S. Egvvini Vvigorniensis Episcopi, *Librum vnum.*
De origine Eueshamensis cœnobij, *Librum vnum. Et alia non pauca.*

Obijt anno Verbi incarnati 731, regnante apud Occidentales Saxones Ethelardo. Vide nostrum de Archiepiscopis Cãtuariensibus Catalogũ.

De Tatvvino.

734.
100.

TATVVINVS natione Anglus, patria Mercius, ordinis S. Benedicti Monachus & Sacerdos cœnobij Bruidum in Mercia. Verbis

Bedæ laudem hominis prædicabo. Is enim sub finem historiæ gentis Anglorum de Tatvvino sic scribit: *Vir religione & prudentia insignis, sacris quoque litteris nobiliter instructus.* Paucis multa. Quod magnorum est ingeniorum. Porrò Tatvvinus virtutum intuitu, ad Archiepiscopatum Cantuariensem meritò assumptus est, de quo suo loco. Quod ad hominis doctrinam attinet, multa tum sacra, tum profana, tum libera, tum ligata oratione scripsisse dicitur, quæ penè omnia, maximè per Danorum furores interciderunt, ne titulis quidem operum ad nos peruenientibus. Pauca tamen maximè versibus heroicis conscripta, accepimus interitum euasisse

Carminum varij generis,	*Librum vnum.*
Aenigmatum,	*Librum vnum.*

Tandem sanctissimè spiritum Deo reddidit, eodem, quo Beda venerabilis anno, hoc est, anno postquàm verbum caro factum est 734, regnante apud Cantianos Egberto. Vide quem composuimus de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Venerabili Beda.

SANCTVS Beda, cognominatus Venerabilis, inferioris cõditionis parentibus in Anglia natus, in pago Girvico seu Iarn, quatuor circiter milliaribus ab Orrea, nunc Nouũ Castrũ dicitur. Anno ætatis suæ septimo, sancto Abbati Benedicto Bpiscopio traditus est educãdus ad regulã S. Benedicti, quam suo tempore amplexus, habitu indutus, & votis obstrictus, professus est. Et in duobus monasterijs Giruicensi, & Vvirmonthensi, vix ad quinque milliaria Anglicana à se inuicẽ distantibus, inter alios sexcentos eiusdem instituti monachos omnẽ exegit ætatem. Nec mirandum quod ad tantam doctrinam in suo monasterio peruenerit. Nam antiquitus in Anglia in insignioribus quibusque cœnobijs, ad instar Academiarum, docebantur & discebantur non solum humaniores litteræ, verum etiam omnes liberales artes, omnis Philosophia, atque etiam Theologia. Et quod ad Bedam attinet, præterquàm quòd ipse fateatur se semper inter suos, aut discere, aut docere solitum: constat eum aliquando discipulos habuisse, præclara paulò pòst Ecclesiæ lumina, Alcuinum Caroli Magni præceptorem, & Claudium & Clementem Parisiensis, & Ticinensis Academiarum fundatores.

734. 101.

Illud sanè dolendum videtur, quòd Beda noster tam doctus, pius & prudens, Ecclesiæ publicis negotijs minùs fuerit occupatus, sed id diuinæ prouidentiæ tribuendum, quæ illum priuatis mœnibus manere voluit inclusum, vt communi vtilitati docendo & scribendo liberiùs inseruiret. Romam quidem à Sergio Papa primo vocatum fuisse, non me latet. Hoc enim constat ex epistola eiusdem Papæ ad Ceolfridum Abbatem, in hunc ferè sensum: vt sine omni contradictione Bedam Dei famulum ad limina destinaret Apostolorum, eò quòd eius præsentia in arduis causis fidei, Ecclesiæ Dei valdè vtilis esset, vel potiùs necessaria.

Similiter volunt nonnulli eumdem Bedam à Gregorio Papa secundo Romam vocatum. Sed hæc arguunt famam hominis, non ipsum hominem Romam peruenisse. Nam nullibi scriptum inuenio Bedam Angliæ fines vnquam egressum.

Hîc me libenter in admirabilis viri laudes effunderem nisi meus breuitatis mos me comprimeret, compertumque haberem omnem humanam laudem diuinis eius donis ac dotibus longe esse inferiorem. Si tamen in tam singulari materia parum excedam vulgarem meum dicendi morem & modum, non ægrè feret beneuolus lector. Itaque mediocritati studens, nec omnia dicam, nec nihil. Illud enim non possum, hoc non debeo.

Erat sanè noster Beda vir omni eruditionis genere tam insigniter instructus, vt eo vix quemquam in omnibus scientijs doctiorem vnquam Europa protulerit. De quo sic loquitur in primo libro de gestis Regum Anglorum Guilhelmus Malmesberiensis: *Vir quem mirari facilius, quàm dignè prædicare possis, qui in extremo natus orbis angulo, doctrinæ corusco terras omnes perstrinxerit.* Et quidam Poëta postquam eum diuinum virum vocasset, quasi similem aut æqualem illi non habuerit vniuersus terrarum orbis, addit,

Tam varias vnus benè qui cognouerat artes.

Doctiores etiam illorum temporum homines hoc sequens & alia huic similia de illo protulerunt elogia: *Anglum in extremo orbis angulo natum, vniuersum orbem suo superasse ingenio. Venerabilis* titulo & in vita & post mortem semper insignitus est, vt omittam fabulosa, vel à morum grauitate & modestia singulari, vel, quod mihi videtur probabilius, quoniam illius scripta, eo adhuc viuente, & noua penè quotidiè scribente, tanti nominis & auctoritatis erant, vt Anglicana Synodo primùm ordinante, deinde tota Catholica Ecclesia approbante & suscipiente, in officio Ecclesiastico publicè legerentur, & vbique (vti adhuc fit) in Ecclesijs solemniter canerentur. Itaque cum titulum lectioni præfigerent, & eum adhuc in carne viuentem prædicare sanctum non auderent (*ante obitum nemo supremaque funera fælix*) saltem venerabilem prædicabant, & sanctum futurum prædicere satagebant. Qui titulus ita vniuersalem vsum tum obtinuit, vt in vulgari adhuc sermone ab omnibus adhibeatur, & homelijs eius quæ in Ecclesia leguntur aut cantantur vsque in hodiernum diem præfigatur.

Erat ab ipsa pueritia vitæ integritate, & bonarum litterarum studijs adeò delectatus, vt quasi naturæ quodam pondere ad doctrinam & virtutem ferri videretur. Cùm insitis etiam virtutum seminibus relucebat in illo præter humani vires ingenij, radius quidam assistentiæ Spiritus sancti. Numquam ad studia nisi à precibus, & rarò ad preces nisi à studijs veniebat. Nam quascumque horulas ab assiduis monasticæ disciplinæ exercitationibus, & continua noctu diuque in templo orandi, cantandi, psallendique cura liberas habuit, illas bonarum artium stu-

stijs diligentissimè impendere consueuit. Vnde factum est vt hac auidi ingenij sedulitate omnium penè scientiarum penetrauerit arcana. Græcas & Latinas litteras à primis exordium sumens rudimentis accuratè didicit. Calluitque perfectissimè Poësim, Rhetoricā, Logicam, Physicam, Metaphysicam, Astronomiam, Arithmeticam, omnem computum Ecclesiasticum, Musicam, Geometriam, Cosmographiam, Chronographiam, Historias, omnes scientias liberales, omnem Mathematicam, omnem Philosophiam, omnem Theologiam. Omnes denique bonas artes & scientias laudabiles exactè didicit, solidè nouit, firmiter tenuit, explicatè docuit, vt ego planè existimem, orbem Christianum illo sæculo (quod fuit doctissimorum hominum ferax) illi conferendos perpaucos, superiorem profectò omninò habuisse neminem. Hoc de illo testantur historici non pauci, hoc res ipsæ, librique ab eo doctissimè in omni eruditionis genere conscripti clarè loquuntur. In lectionibus Magistrorum audiendis & dictatis excipiendis, vsque ad tricesimum ætatis suæ annum se humiliter exercuit, maiorum mandatis semper obediens. Posteà sacerdos ordinatus iussu superiorum ad docendum & scribendum se applicauit. Et primùm hortatu Accæ Episcopi, & sui monasterij fratrum rogatu, in vniuersam sacram scripturam diuersos explicationum libros edere aggressus est.

Sed audiamus ipsius de seipso modestissimum testimonium, & quàm suauis in eo loquatur Spiritus, quàm dulcis ab eo procedat sermo, paucis experiamur. In fine enim historiæ, ante Catalogum quem posuit suorum operum, sequentem habet epilogum. *Hæc de historia Ecclesiastica Britonum, & maximè gentis Anglorum, prout vel ex litteris antiquorum, vel ex traditione maiorum, vel ex mea ipse cognitione scire potui, Domino adiuuante, digessi Beda Dei famulus & Presbyter monasterij beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quod est ad Vvirimudam & Ingiruum. Qui natus in territorio eiusdem monasterij, cùm essem annorum septem, cura propinquorum datus sum educandus Reuerendissimo Abbati Benedicto, & deinde Ceolfrido, cūctumque ex eo tempus vitæ in eiusdem monasterij habitatione peragens, omnem meditandis scripturis operam dedi, atque inter obseruantiam disciplinæ regularis, & quotidianam cantandi in Ecclesia curam, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui. Nono decimo autem vitæ meæ anno diaconatum, tricesimo gradum presbyteratus, vtrumque per ministerium Reuerendissimi Episcopi Ioannis, iubente Ceolfrido Abbate, suscepi. Ex quo tempore accepti presbyteratus vsque ad annum ætatis meæ quinquagesimum nonum, hæc in scripturam sanctam, meæ meorumque necessitati, ex opusculis venerabilium patrum breuiter annotare, siue etiam ad formam sensus & interpretationis eorum superadijcere curaui.* Huic epilogo subiungit Beda Catalogum suorum saltem præcipuorum operum, quæ vsque ad illum tempus scripserat. Catalogum etiam multorum operum eius apud Henricum Huntingdonensem libro quarto historiarum inuenio. Quod & nos in ampliori forma hîc fa-

ciemus. Scripsit igitur admirandus hic Doctor, & Spiritus sancti selectum organum

Hexameron, siue de Creatione sex dierum ad Accam. *Librum vnum.* *De principio libri Genesis.*

Hexameron siue de Creatione sex dierum ex patribus, *Librum vnum.* *Istud capitulum omnium librorum.*

In Genesim expositionem, *Librum vnum.* *Vtique non in principio temporis.*

In Genesim Dialogum quæstionum inter Magistrum & Discipulum ex patribus, *Librum vnum.* *Discipulus. Primo omnium præceptor mi.*

De Arca Noë & linguis gentium libellum. Arca Noë sine dubio Eccles.

In Exodum expositionem, *Librum vnum.* *Hæc sententia Esræ Prophetæ.*

In Exodum quæstionum Dialogum ex patribus, *Librum vnum.* *Discipulus.* Exodus iuxta fidem historiæ, quæ describitur?

In Exodum à capite vicesimo quarto vsque ad tricesimum, *De tabernaculo & vasis eius, & vestibus sacerdotum libros tres. Locuturi iuuante Domino.* M.S. Oxonij in Bibliotheca publica, & in Collegio Merton. & Orialensi. Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij & Gonellij. Et in Aula Pembrochiana. Necnon in priuatis Bibliothecis Baronis de Lunleio, & Gualteri Copi.

De figura vtensilium, vasorum & vestium, *Librum vnum.* *Moyses in montem Domini cum Iosua.* M. S. Oxonij in publica.

In Leuiticum expositionem, *Librum vnum.* *Ab aliquibus interrog.*

In Leuiticum quæstionum Dialogum ex patribus, *Librum vnum.* *In exordio Leuitici quatuor genera.*

In Numeros expositionem, *Librum vnum.* *In exordio Numeri Dominus.*

In Numeros quæstionum Dialogum ex patribus, *Librum vnum.* *Discipulus.* Prima nobis oritur quæstio.

In Deuteronomium expositionem, *Librum vnum.* *Sciendum sanè est quod in Deuteronom.*

In Deuteronomium quæstionum Dialogum ex patribus, *Librum vnum.* *Discipulus.* Deuteronomium iuxta fidem historiæ.

In Iesu Naue quæstionum Dialogum ex patribus, *Librum vnum.* *Post mortem ergo Moysi.*

In librum Iudicum quæstionum Dialogum ex patribus, *Librum vnum.* *Historia Iudicum, non parua mysteria.*

In librum Ruth quæstionum Dialogum ex patribus, *Librum vnum.* Videamus nunc de Ruth; habet enim

In Samuelem, vel primum librum Regum Allegoricam expositionem libros quatuor. Prima beati Samuelis lectio typicè designat.

In libros Regum quæstionum triginta ad Nothelmum, *Librum vnum.* *Quæ de libris Regum dilucidanda.*

In quatuor libros Regum quæstionum Dialogos ex patribus, *Libros quatuor.* Post librum Iudicum sequitur liber Regum.

De Templo Salomonis, *Librum vnum.* *Prologus. Hortatur nos vas.*

Domus Dei quam ædificat. M S. Oxoniæ in Collegio Merton. & Orialensi. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.

In Paralipomenon, Libros duos.

Super verbis dierum, Librum vnum.

In capita quædam Esdræ, Librum vnum.

In Nehemiam ad Accam, Librum vnum. Nehemias interpretatur Latinè.

In Esdram & Nehemiam Allegoricè etiam ad Accam libros tres. Præfatio. Eximius sacræ interpres. Cunctis legentibus liquet.

In Tobiam Allegoricè, Librum vnum. Liber sancti patris Tobiæ. M S. Oxoniæ in Collegio Balliolensi.

In Iob ad Nectarium, Libros tres. Adhortante. Sanctus Iob vir.

In librum psalmorum commentarios fusissimos. In primo Dauid filius.

Vocabulorum psalterij expositionem, & de diapsalmate collectionem.

Et aduersus Christum eius.

In psalmum quinquagesimum secundum sermonem & commentarios prolixos. Eum plures clericos. Omnipotentis Dei gratia.

In Parabolas Salomonis expositionem, Libros tres. Parabolæ Græcè, Latinè dicuntur similitudines. M S. Oxonij in Collegio Balliolensi.

In Ecclesiastem, Librum vnum.

In Cantica Canticorum contra Iulianum expositionem libros septem. Scripturus iuuante gratia superna. M S. Oxonij in Collegio Mertonem.

De muliere forti, Librum vnum. Mulier fortis Ecclesia Catho. Fragmenta quædam Allegoricæ expositionis in Prouerbia Salomonis, & in quosdam psalmorum versus, Librum vnum. Omnis quippe hæreticus virili sensu carens.

De mansionibus filiorum Israël, Libros nouem.

In Isaiam Prophetam, Libros duos.

Super quodam Isaiæ dicto Librum vnum. Et claudentur ibi in carcerem.

In Hieremiam, Libros duos.

In eundem distinctiones, Librum vnum.

In Ezechielem, Librum vnum. Scripturus iuuante gratia.

In Danielem, Librum vnum.

In duodecim minores Prophetas, Libros duodecim.

In Canticum Baruch, Librum vnum. Canticum Bruch quod tibi.

In Euangelium S. Matthæi, Libros quatuor. Mos etenim est scr.

In Euangelium S. Marci ad Accam Episcopum, Libros quatuor.

Expositionem Euangelij secundùm Marcum. M S. Oxoniæ in Collegio Balliolensi & Mertouensi.

In Euangelium S. Lucæ etiam ad Accam, Libros sex. Beatus Euangelista Lucas de omnibus quæ M S. Oxoniæ in pub. biblioth.

In Euangelium S. Ioannis expositionem fusissimam. Hic est Ioannes. Scire debetis omnibus.

In Acta Apostolorum ad eundem Accam. Accepi celeberrimas Deo omnibus se dicit. MS. Oxoniæ in pub. & in Col: Ballio.

De explicandis nominibus locorum & ciuitatum, quæ in Actis Apostolorum

leguntur, Librum vnum. Acheldemach, hoc est ager sanguinis. MS. ibidem, & in Collegio Mertonensi.

Quæstiones quinque in Acta Apostolorum. Interrogatio, quid iudicat illud.

Retractationes in Acta Apostolorum. Scimus eximium.

Quod ait primum quidem. M S. Oxoniæ in Collegio Mertonensi.

Collectanea Bedæ ex S. Augustino in epistolas S. Pauli. M S. Oxoniæ in Collegijs Balliolensi & Mertonensi.

Collectanea eiusdem in epistolas Canonicas. M S. Oxoniæ in Collegij Balliolensi, Lincolniensi. Et Cantabrigiæ in bibliotheca publica.

In Epistolam ad Romanos comment: Paulus Apostolus, qui cum Saulus.

In primam ad Corinthios. Paulus primò Saulus, hoc est primò superbus.

In secundam ad Corinthios. Amat Paulus dici à nobis peccata sua.

In epistolam ad Galatas. Priores sunt cæteri Apostoli per Christum.

In epistolam ad Ephesios. Elegit Deus in Christo ante mundi constitutio.

In epistolam ad Philippenses. Sicut sunt duo timores qui faciunt duo.

In epistolam ad Colossenses. Tunica illa Domini desuper texta, quæ sig.

In primam ad Thessalonicenses. Iudæorum propriè Synagoga dici solet.

In secundam ad Thessalonicenses. Hoc dixit ne fortè de tanti.

In primam ad Timotheum. Quod iste profanas & aniles fabulas.

In secundam ad Timotheum. In hoc Apostoli testimonio cauere debemus.

In epistolam ad Titum. Dicit Apostolus tempora æterna, nec futura.

In epistolam ad Philemonem. Ad Philemonem scripsit Apostolus, vt non.

In epistolam ad Hebræos. Erat ille Dominus Prophetarum.

In epistolam S. Iacobi. Dixit de hoc, Iacobo Apostolus. MS. in Lumleiana.

In primam S. Petri. Aduenæ Latinè, Græcè dicuntur proseliti.

In secundam S. Petri. Scriptum est in sequentibus.

In primam S. Ioannis. Hanc epistolam beatus Apostolus Ioannes.

In secundam S. Ioannis. Quidam putant hanc & sequentem.

In tertiam S. Ioannis. Qui vel qualis fuerit iste.

In epistolam S. Iudæ. Iudas Apostolus quem in Euangelio. Et hæc omnia in septem epistolas Canonicas à Beda scripta. MS. habentur Oxoniæ in bibliotheca publica.

In Apocalypsim S. Ioannis, Libros tres. Fundata per Apostolos Ecclesia cui commentario præfixum legi de S. Ioanne Epigramma non inelegans. Cuius initium est

Exul ab humano dum pellitur orbe Ioannes, &c.

Quæstionum variarum, Librum vnum. Putant quidam Magos qui ad Dominũ.

In parabolas Euangeliorum, Librum vnum.

Interpretationes nominũ Hebræorum & Græcorũ in sacris Biblijs. Librum vnum. Has apprehendens vel apprehensio.

Homelias æstiuales. { *De tempore triginta tres. Vigilias nobis huius* / *De sanctis triginta duos. Sicut ex lectione sancti.* }

Homelias hyemales. { *De tempore quindecim. Betphage erat viculus sacerd.* / *De sanctis sedecim. Tanta ac talis est diuinæ scripturæ.* }

Et hæ pleræque homiliæ sunt. M S. Oxoniæ in Coll. Balliol. Merto-

nensi, Lincolniensi, & in priuata Lunleiana.

Homelias. { *Ad populum plures. Laudate & exultate in Domino.*
Quadragesimales viginti duas. Non hoc præceptū esse putandum.

Homelias in S. Lucam. Librum vnum. MS. Cantabrigiæ in publica bibliotheca, & in aula Pembrochiana.

In capitula lectionum veteris Testamenti, Librum vnum.
In capitula lectionum noui Testamenti, Librum vnum.
Scintillarium vel scintillas, seu loci communes, Librum vnum. Maiorem hac dilectionem nemo habet. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De officijs ex patrum dictis libellum. Dominicum diem Apostoli ideò.
De septem verbis Christi orationem. Benedictum sit dulce nomen.
Meditationes paßionis Christi per septem diei horas. Septies in die.
De remedijs peccatorum, Librum vnum. De remedijs peccatorum.
Commentariorum in Boëtium de Trinitate, Librum vnum. In titulo solent duo proponi. MS. in bibliotheca Baronis Lunleiani.
De gratia Dei, Librum vnum.
De laude charitatis, Librum vnum.
Defensorium gratiæ Dei, Libros septem.
De Christo & Ecclesia, Libros duos.
De die iudicij Lamentationes, Librum vnum versu. Inter florigeros fæcundi cespitis. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De celebratione Paschatis ad Vvichredam presbyterum, Librum vnum. Libenter accepi litteras tuæ benignitatis.
De ordinatione feriarum Paschalium libellum. Post Resurrectionem.
Canones ad inueniendum Pascha, Librum vnum.
Exceptiones, collectanea, flores, quæstiones, & parabolas ex patribus, Librū vnum. Dic mihi quæso quæ est illa mulier.
De situ Jerusalem, & de locis sanctis libellum vel epitomen ex Adamanno. Situs vrbis Jerusalem. MS. In bibliothecis priuatis Baronis Lunleij & Gualteri Copi.
De veritate temporum diuinorum, Librum vnum. Ad veritatem annorum.
Chronicon à condito mundo, Librum vnum. Adam annorum centum & trig.
De obitu sanctorum patrum, Librum vnum. Adam pater generis huma.
Hymnorum diuerso carmine, Librum vnum. Primo Deus globum cæli.
De Scriptoribus Ecclesiæ, Librum vnum. Quem ab interitu vindicauit Honorius Augustodunensis.
De sancta Trinitate, Librum vnum. Omnipotens Deus pater & filij.

Gentis Anglorum Ecclesiasticam historiam libros quinque, quam historiam finiuit anno Domini 731, & Clealuolfo Regi nuncupauit. Britannia Oceani insula. MS. Oxoniæ in publica, & in Collegijs Balliol. Mertonensi, Lincoln. Magdalenæ, omnium animarum. Cantabrigiæ in publica, in Collegio S. Benedicti, & in priuata Gualteri Copi.

Epitomen Ecclesiasticæ Anglorum historiæ, Librum vnum. Utrum ea quæ temporum distinctione.

De situ & mirabilibus Britanniæ cum quibusdam alijs, *Librum vnum.* *M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.*

Martyrologium per singulos dies totius anni. Circumcisio Domini nostri Iesu Christi.

De festiuitatibus sanctorum, *Librum vnum. Festiuitates sanctorum Apost.*

De passionibus sanctorum, *Librum vnum.*

De vita S. Cudberti ad Edfridum Episcopum prosa, *Librum vnum. Quia iussistis.*

De vita eiusdem versu, *Librum vnum. Principium nobis scribendi.*

De virtutibus seu miraculis eiusdem ad Ioannem presbyterum versu heroico, *Librum vnum. Multa suis Dominus fulgescere.* Hebetur MS. apud Heluetios in Bibliotheca S. Galli. Et extat apud Henricum Canisium in promptuario Ecclesiastico. Vitam & passionem S. Felicis Episcopi Nolani ex metrico Paulini opere in prosam transtulit. Fœlicissimum beati felicis triumphum quem in Nola Campaniæ.

De vita SS. Cudberti & Iuliani, *Librum vnum. M S. Oxonij in pub.*

Vitam S. Uedasti, *Librum vnum. Postquam Deus & Dominus noster.*

Vitam S. Columbani Abbatis, *Librum vnum. Columbanus qui & Columba ortus est in Hibernia.*

Vitam S. Alberti Episcopi, *Libros duos.*

Vitam Abbatis sui Ceolfridi, *Librum vnum.*

Vitas Abbatum monasterij sui Benedicti, Ceolfredi, & Uuertberti, *Libros duos.*

Vitam sancti Anastasij monachi ex Græco malè versam correxit, *Librum vnum.*

Quinque Abbatum gesta, *Libros quinque. Religiosus Christi famulus.*

Vitam S. Gregorij Papæ primi, *Librum vnum. MS. Oxoniæ in Colle. Merton.*

De vita & virtutibus S. Augustini Apostoli Anglorum, & de socijs eius ingens volumen. M S. in priuata bibliotheca G. Copi.

De S. Laurentio secundo Archiepiscopo Cantuariensi, *Librum vnum. MS. ibidem.*

Vitam Attalæ Abbatis, *Librum vnum. Cùm venerabilis pater Columbanus de hac vita migrasset.*

Vitam S. Patricij Episcopi, *Librum vnum. S. Patricius qui & Sochet.*

De miraculis & obitu eiusdem, *Librum vnum. Domini & Apostolici viri patris nostri Patricij.*

Vitam S. *Eustasij Abbatis,* *Librum vnum. Venerabilis Eustasius disci.*

Vitam S. *Bertolfi,* *Librum vnum. Quàm præclara sint monimenta.*

Vitam S. Arnolfi, *Librum vnum. Beatus Arnolfus Episcopus.*

Iustini martyrium versu. Quando Christus Deus noster natus est ex.

Vitam S. Burgundeforæ Abbatissæ. Berta Burgundofora Monasterium.

De S. Etheldreda carmen. Alma Deus Trinitas quæ sæcula.

Vitam S. Barnabæ Apostoli quam Græcè scripserat S. Marcus Euangelista, vertit in sermonem Latinum.

Vitam, res gestas, & miracula S. Andreæ Apostoli apud Scotos.

De subiectione Candidæ Casæ, *Librum vnum.*

Super Sibyllæ oracula interpretationem. Sibyllæ generaliter omnes.

Epistolarum ad diuersos. *Librum vnum.*

De Schematis sacræ scripturæ, Librum vnum. Solet aliquoties in script.
De tropis sacræ scripturæ, Librum vnum. Tropus est dictio translata. Et hi duo libri habentur M.S. Cantabrigiæ in Coll. S. Petri, & in Aula Pembrochiana.
De natura rerum, Librum vnum. Operatio diuina quæ sæcula creauit. M.S. Oxoniæ in pub. & in Collegijs Mertonensi, Magdalenensi, Lincolniensi, necnon in priuata Gualteri Copi.
De temporum ratione, Librum vnum. Quem consummauit anno Domini 700. Tempora igitur à temperando nomen accipiunt. M.S. Oxoniæ in Coll. Magdalenensi. Cantabrigiæ in Coll. S. Benedicti. Et in priuata Copi.
De sex ætatibus mundi, siue chronicon, Librum vnum. De sex huius mundi. M.S. Oxoniæ in Collegijs Mertonensi & Magdalenensi.
De temporibus, Librum vnum. Tempora momentis, horis, diebus, mensibus. M.S. Cantabrigiæ in Coll. S. Benedicti.
De Cyclo, luna, calendario, & canonibus tractatum. Cyclus idem Paschalis. M.S. ibidem, & Oxoniæ in publica Bibliotheca.
De diuisionib: s temporum, Librum vnum. Diuisiones temporum quot sunt.
De argumen.is lunæ, Librum vnum. Argumentum est velox approbatio.
Ephemerim seu computum vulgarem, Librum vnum. Quadratus hic æquilaterus.
De Embolismorum ratione computus, Librum vnum. Ianuarius primus mensis.
Decem nouales circulos secundùm S. Cyrillum & Dionysium Romanum.
De mundi cælestis & terrestris constitutione, Librum vnum. Mundus est.
De circulis sphæra & polo. Sphæra est species quædam in rotundo.
De planetarum signorumque ratione. Saturnus in quo signo moretur.
De tonitruis ad Herenfridum libellum. Litteras dilectionis vestræ des.
Prognostica temporum libellum. Si prima feria fuerint Calendæ Ianuarij.
De mensura horologij libellum. Si quem delectat horologium.
De Astrolabio libellum. In compositione Astrolabij.
De natiuitate infantum libellum. Qui in septem nascitur mensibus.
De minutione sanguinis libellum. Omni tempore die ac nocte.
De septem mundi miraculis libellum. De septem miraculis mundi.
Hymnos de anno, Librum vnum. Bissena mensis vertigine voluitur annus.
De ratione computi libellum. Vnde dicta sunt tempora? resp. à Temperam.
Prouerbia ex sacris litteris collecta ordine Alphabetico, Librum vnum. Adiutorium nostrum in nomine Domini.
De substantijs libellum. Substantia igitur, quæ per se sine vllius.
De elementis Philosophiæ libros quatuor. Philosophia est eorum quæ.
Sententias ex omnibus Aristotelis operibus ordine Alphabetico collectas. A Deo dependet cælum.
Sententias ex omnibus operibus Ciceronis collectas. Nulla enim vitæ pars.
De Musica Theorica. Notandum est quòd omnis ars in ratione continetur.
De Musica practica. Quoniam circa artem Musicam necessaria quædam.
De Arithmeticis numeris, Librum vnum. Numerus est multitudo ex vnita.
De computo Dialogum. Augustinus dixit de quatuor diuisionibus.

De Arithmeticis propositionibus, *Librum vnum. Quomodo numerus à quolib.*
De ratione calculi, *Librum vnum. Vnitas illa vnde omnis multitudo numero.*
De numerorum diuisione, *Librum vnum. Vis amicitiæ penè impoßibilia redig.*
De loquela per gestum digitorum libellum. De natura rerum & ratione.
De ratione vnciarum libellum. Vnciarum quoque diuisionem nosse, qua non.
Iterum de natura rerum, & ratione temporum, Libros duos.
De quatuor difficilibus, *Librum vnum.*
Contra Iulianum Episcopum, Librum vnum. Primo admonendũ duco Iulianum.
De duodecim lapidibus preciosis, *Librum vnum.*
Chronicon sui cœnobij, Libros duos.
Ad fautores principes, *Librum vnum.*
Breuiarium chronicorum Eusebij, *Librum vnum.*
Pœnitentiale quoddam, *Librum vnum.*
Cunabula Grammatices ex Donato. Partes orationis quot sunt? octo.
De arte metrica ad Vuigbertum Leuitam. *Qui notitiam artis metricæ habere.* M S. *Cantabrigiæ in Collegio* S. *Petri.*
De syllabarum quantitate, *Librum vnum.*
De Orthographia, *Librum vnum. Ausculto suasori.*
Epigrammata versu heroico, *Librum vnum.*
Barbarismum, *Librum vnum.* M S. *Oxoniæ in Collegio corporis Christi.*

Ioannes Lelandus & alij quidam auctores non improbandi existimant hæc opera sequentia falsò Bedæ fuisse ascripta.

De situ orbis, *Librum vnum.*
De Topographia mundi, *Librum vnum.*
De ponderibus & mensuris, *Librum vnum. Ponderum & mensurarum iuuat.* M S. *Oxoniæ in Collegio Mertonensi.*
De imagine mundi, *Librum vnum.* M S. *Oxonij in Collegio Mertonensi. Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij & Gouellij.*
De naturis bestiarum, *Librum vnum.*
De similitudinibus, *Librum vnum.*
De differentijs vocabulorum, *Librum vnum.*
Physicam de simplicibus, *Librum vnum.*
Scutum Bedæ, *Librum vnum.* M S. *Oxonij in publica Bibliotheca.*

Ferunt etiam illum lectulo decumbentem & morti iam vicinum ex Latino *in Anglicum vertisse sermonem Euangelium sancti Ioannis.*

Eius etiam historiam Saxonicè M S. *vsque hodie Cantabrigiæ seruari dicunt in Bibliotheca Collegij sancti Benedicti.*

Numerum & nomina librorum quos edidit M S. *haberi ferunt in priuata Bibliotheca Gualteri Copi.*

Multa etiam alia partim transtulit, partim scripsit tum Angliè, tum Latinè, *tum versu, tum oratione soluta.*

Opera eius pleráque varijs in locis excusa circumferuntur octo vt plurimum tomis in folio.

Sed nunc ad genus, tempus, locum mortis & sepulturæ hujus san-

ctissimi Doctoris veniamus. Vulgò dici solet, rarò benè moritur, qui semper malè vixit. Et econtra; nunquam malè moritur, qui semper benè vixit. Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Ex quorum numero credimus indubitanter esse hunc virum sanctum. Qui in studijs bonarum litterarum omniúmque virtutum senescens, tanquam alter Solon de se meritò dicere potuit γηράσκω ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Iam enim senio confectus, & cum morbo conflictans, cum æger lectulo decumberet, nunquam à suis discipulis desertus, nunquam eos deseruit. Sed tum etiam & verbo docuit & exemplo. Nam vsque ad extremum habitum semper aut Deum precibus inuocauit, aut discipulos in amore & timore Dei instruxit. Multus erat in illo Apostoli dicto: Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. A somno animæ esse resurgendum, vltimã horam semper expectandam. Quoddam etiam S. Ambrosij dictum frequenter repetebat: non sic vixi vt me pudeat inter vos viuere. Sed nec mori timeo, quia bonum Dominum habemus. Feria tertia ante Ascensionem Domini grauius inualuit morbus, exiguus dolor, maior languor, crebrior & difficilior Anhelitus, modicus in pedibus tumor. Nihil tamen de lectione vel oratione remisit, etiam tum nec docere nec discere cessans. Suisque discipulis dixit, præuidens instare obitum suum: discite cum festinatione, quia nescio quàm diù subsistam, & post modicum tollet me factor meus. Ipso tandem Ascensionis Dominicæ die, feria videlicet quinta, se omnium orationibus & sacrificijs deuotè commendans, & gloria Patri, & Filio & Spiritui sancto, &c. decantans, animam sanctam Creatori reddidit in Giruicensi Monasterio, anno ætatis suæ septuagesimo secundo, vel vt alijs placet, nonagesimo, redemptionis autem humanæ 734. in eodem tum cœnobio sepulturam accepit, cum hoc epitaphio, vt mihi sanè videtur, ab aliquo pigro ventre pingui Minerua incompositè composito, & inconditè condito:

Presbyter hîc Bedas requiescit carne sepultus,
Dona Christe animam in cælis gaudere per æuum,
Daque Sophiæ illum debriari fonte, cui iam
Suspirauit ouans intento semper amore.

Deinde translata sunt ossa eius Dunelmum, vbi cum capite Regis Osvvaldi, & ossibus Celvulfi monachi Lindisfarnensis, in S. Cudberti Mausolæo in sacco lineo reperta sunt, tempore Regis Guilhelmi secundi, quando Ranulphus Episcopus Dunelmensis septimus, corpus S. Cudberti è veteri in nouam, quam ædificauerat Ecclesiam, transtulit. Vbi cum hoc epitaphio, ad tam doctum virum satis indocto, eius reliquiæ tum repositæ fuerunt:

Beda Dei famulus Monachorum nobile Sidus,
Finibus è terræ profuit Ecclesiæ.
Solers iste patrum scrutando per omnia sensum,
Eloquio viguit, plurima composuit.

Annos in vita ter duxit vita triginta
Presbyter officio, maximus ingenio.
Iunij septenis viduatur carne calendis,
Angligena Angelicam commeruit patriam.

Nullo modo ferendi sunt, qui corpus eius Genuam vrbem Liguriæ transportatum comminiscuntur. Nam hactenùs apud nullum probatum auctorem hoc scriptum inuenio. At non pauci scribunt eum nunquam Britanniæ fines viuum egressum: & dicere mortuum in exteras terras exportatum, mihi videtur portentum in vltimas terras exportandum.

De sancto Vvillibrordo.

736. 102. SANCTVS Vvillibrordus natione Anglus, patre Vvilgisio, in Northumbria, in territorio Ripponensi ortus, & in cœnobio Ripponensi ordinis S. Benedicti monachus. Postquam in dicto cœnobio per decennium sub optimis præceptoribus monachis Vvigberto & Egberto in bonis litteris & regulari disciplina fœliciter laborasset; cum ijsdem eumdem in finem Hiberniam inuisit, vt studijs tum litterarum, tum virtutum, & cælestium rerum contemplationibus, longius à suis remotus, & propinquior Deo factus, liberiùs vacare posset. In his igitur omnibus tantos fecit progressus, vt ad alios in pietate & doctrina instruendos iudicatus sit aptissimus, & ad infideles conuertendos non multo post tempore sit destinatus. Sed Apostolatus officium ad suum locum referamus, & hic de doctrinæ monimentis agamus. Ad nominis sui memoriam & posteritatis vtilitatem hæc sequentia scripta reliquit

Ecclesiasticorum canonum,	*Librum vnum.*
De sua peregrinatione,	*Librum vnum.*
Homeliarum,	*Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos,	*Librum vnum. Et alia non pauca.*

Vitam eius carmine scripsit Alcuinus. Diem suũ sanctissimè obijt anno incarnationis Dominicæ 736. vel 739. quomodo autem creatus fuerit Archiepiscopus Vltraiectensis, & quid apud Frisios atque vicinas regiones gesserit, vide nostrum de Apostolicis Anglicanæ nationis viris Catalogum.

De sancto Acca Hagustaldensi.

736. 103. SANCTVS Acca vel Accas, natione Anglus, ordinis S. Benedicti monachus. Vir omni virtutum genere insignis, & eruditionis multiplicis varietate ornatissimus. Ab adolescentia, imò penè à pueritia in clerum adoptatus, & apud Bosam Archiepiscopum Eboracensem in fide Catholica, bonis litteris, & regulari disciplina egregiè instructus. Deinde S. Vvilfridi discipulus presbyter, & post mortem in Episcopatu Hagustaldensi successor. Cum illo Romam aliquando profectus

est, vbi multa solerter didicit, quæ ad promouenda litterarum studia, & ad Ecclesiasticam vitam rectè instituendam illi plurimùm profuerunt. Vuilfrido semper ita familiaris, vt omnium consiliorum eius esset particeps. Venerabilis Bedæ contemporaneus, illi auctor fuit, vt vniuersam sacram scripturam explanare aggrederetur. Ecclesiastici cātus peritissimus, rei litterariæ studiosissimus. Eruditissimorum tum Latinorum, tum etiam Græcorum Doctorum scriptis vndique conquisitis nobilissimam apud Hagulstaldiū instruxit bibliothecam, quā etiam accessione suarum lucubrationum auxit, & illustrauit. Scripsit vitas, res gestas, & passiones illorum sanctorum, quorum reliquias

In Ecclesia sua reconditas habebat, *Librum vnum.*
De Ecclesiasticis sui chori officijs, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*
Ad Bedam pro illustrandis sacris scripturis, maximè, Euangel. S. Lucæ, Epist. vnam.
Varijs carminibus præsertim Ecclesiasticis, *Librum vnum. Et alia.*

Demùm obijt anno Domini, 740, sepultus in Monasterio Dunelmensi, & in magna veneratione habitus est. Vide nostros de Episcopis Hagulstaldensibus, & de Apostolicis Angliæ viris Catalogos.

De Nothelmo.

NOTHELMVS natione Anglus, patria Londinensis, ordinis S. Benedicti, vt videtur, Monachus, Londini presbyter creatus, & ibidem posteà, secundùm nonnullos, Episcopus, & tandem Archiepiscopus Cantuariensis. Vir pius, grauis, eruditus, & qui mirè amauit decorem domus Dei, magnóque zelo honori patriæ consuluit. Inter alios vnus erat qui Bedam ad Ecclesiasticam nostræ gentis historiam conscribendam instigauit, eumque in illa consarcinanda varijs modis iuuit. Nam dum adhuc Londini presbyter esset, magna diligentia congessit res gestas Monachorum qui à beato Gregorio Papa primo in Angliam prædicandi diuini verbi causa missi fuerant; illa præcipuè colligens, quæ ab ijs acta sunt in Cantia, & prouincijs vndique Londino adiacentibus. Quæ omnia Bedæ partim viua voce retulit, partim in scriptis exhibuit. Deindè Romam profectus permissu beati Gregorij Papæ secundi summorum Pontificum epistolas, & alia quæ gentem nostram concernebant, diligenter scrutatus est, omnia accuratè notauit, descripsit, in ordinem redegit, & rediens in patriam secum ad Bedam, vt historiæ suæ, quæ vellet ex ijs inserere posset, pertulit. Scripsit itaque Doctor iste non incelebris

739.
104.

De vita S. Augustini Apostoli Anglorum, *Libros duos.*
De miraculis eiusdem, *Librum vnum.*
De Translatione eius & sociorum, *Librum vnum.*
Homeliarum, *Librum vnum.*
Epistolarum maximè ad Bedam & Alcuinum, *Librum vnum. Et alia.*

Ipse etiam Beda illi tanquam homini doctissimo & amicissimo dedicauit

triginta in libros regum quæstiones. Porrò Nothelmus anno partus virginei 739, vniuersæ carnis viam ingressus est, regnante in Cantia Alrico. Vide nostrum de Archiepiscopis Cantuariensibus Catalogum.

De S. Lebuino.

740. 105. SANCTVS Lebuinus natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Ripensis in Northumbria. Vir multæ pietatis, magnæ doctrinæ, incredibilis zeli. Vndè tandem quod vehementer cupiebat, cum pluribus alijs missus est ad prædicandum infidelibus Euangelium per Germaniam. In quo præsertim opere Magistros habuit S. Vvilibrordum, & postea Gregorium, illum Episcopum, hunc quasi coadiutorem Vltraiectẽsem. S. autem Marcellinum habuit collegam & laborum socium. Sed de his suo loco. Ex varijs historijs, & ex egloga Ecclesiastica S. Rabdodi Episcopi Vltraiectensis, constat Lebuinum multa eruditè scripsisse

Commentarios in quosdam sacrorum Bibliorum locos, *Librum vnum.*
Concionum vel piarum exhortationum, *Librum vnum.*

Et alia quædam. Obijt 740, regnante in Northumbria Alfredo Notho. Vide nostrum de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

De Cuthberto Geruicio.

740. 106. CVTHBERTVS natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus, primùm Londinensis, deinde Giruicensis, & Venerabilis Bedæ in eodem cœnobio discipulus, posteà præceptori iam grandæuo quasi baculus senectutis, & officiosus in infirmitate minister. Cùm enim senescenti Bedæ calligarent oculi, manus tremerent, & pedes ad gressum vix sufficerent, ipse tamen animo valens & ingenio, de consuetis studijs parum aut nihil remitteret: hic ei semper astitit, libros prælegendo, &, quæ Beda dictabat, scriptis excipiendo. Cùm autem Beda iam in Domino obdormiuisset, hic ei in prælectoris officio successit, & monachos alióſque magna diligentia docuit. Erat enim vir miræ pietatis & eruditionis, paris etiam industriæ. Paucas tamen eius lucubrationes vidit posteritas. Saltem præterquam quòd opera Bedæ omnia laboriosè congessit, & in bonum ordinem digessit; scripsit maximè ad Cuthvvinum Monachum amicum suum

De vita & obitu Bedæ, *Librum vnum. Dilectißimo in Christo lect.*
Epistolarum familiarium, *Librum vnum.*

Claruit anno gratiæ 740, Egberto in Northumbria regnante.

De Pleguino.

640. 106. PLEGVINVS natione Anglus, patria Northumbrensis. Vir ab ipsa natura ad litterarum studia factus. In perscrutandis abstrusis rerum qualitatibus, causis, effectis, in linguis etiam perdiscendis diù magno cum fructu versatus. Nec solum ipse in his exercitijs ingenij sui

neruos intendere solebat, sed etiam aliorum consilium & iudicium adhibebat. Et quia Bedam illorum temporum lumen singulare fuisse probè nouerat, eum in dissoluendis difficillimis nodis sæpè consulebat, cum eo multa hoc in genere, vel præsens viua voce, vel absens per litteras cōferebat. Ortis inter cœtera quibusdam grauibus dubijs circa sex ætates mundi, hic ad Bedam scripsit super ijs quæstionibus, ab eo petens accuratam harum difficultatum explicationem. Beda pro sua humilitate, postulatis acquieuit, & pro singulari doctrina egregium opus super hac re composuit, quod & Pleguino dedicauit. Scripsit autem ad Bedam Pleguinus

Super dictis quæstionibus & alijs epistolarum, *Librum vnum.*
Ad Monachos eruditos epistolarum, *Librum vnum.*

Et alia, quæ Danorum rabie perierunt, vt ex Beda & Lelando colligo. Claruit autem Pleguinus anno salutis humanæ 740, regnante in Northumbria Egberto.

De Hemoaldo Prouido.

740. 108.

HEMOALDVS cognomine Prouidus, natione Anglus, vir eruditionis non vulgaris, Venerabilis Bedæ contemporaneus, eique multum familiaris, iuuenis exteras regiones discendi studio petijt. Et quia Mathematicis scientijs valdè delectabatur, ad Bedam in his disciplinis exercitatissimū venit, cum Beda per litteras de his contulit. Hinc Beda ad illum epistolam scripsit de ratione quadrantis anni; seu de bissexto. Nihil lucubrationum eius inuenio præterquam ad Bedam

De rebus mathematicis, *Librum vnum.*

Claruit anno Christi 740, regnante apud Visisaxones Cuthredo.

De Iglaco.

704. 109.

IGLACVS ordinis S. Benedicti Monachus Anglus. Hic postquàm iuuentutis florem in profanarum litterarum studijs optimè collocasset, miro feruore animum ad sacras litteras appulit, & vti erat ingenij fœlicis, in breui multum profecit. Itaque percrebrescente per Nordamhumbrorum cœnobia celebris viri fama; Seginus Abbas S. Petri in finibus Berniciorum eum accersiuit, in suum cœnobium suscepit, & ibidem Monachis prælectorem constituit. Ibi multa legit, docuit, scripsit, & posteritati reliquit, quæ postea simul cum ipsis Monasterijs & bibliothecis per rabiem Danicam in cineres abierunt. Huius eximij Doctoris sæpè meminit in suis scriptis Ethelvvolfus Monachus & Poëta insignis, qui eius in sacris litteris scientiam, inuictu parcimoniam, in moribus integritatem, in omni congressu modestiam, & alias virtutes summis in cœlum effert laudibus. Vnum & alterum disticon hîc exempli causa ponere, planè operæpretium iudicaui.

Tempore quo lector præclarus gaudia dicti
Accumulat patris, Iglacus nomine dictus,

De quo iamdudum perstrinxi pauca relatu
Anglorum de gente, pios dum carmine quosdam
Concinerem. Quondam fuit inclytus ille Magister.

Ex ijs tamen quæ scripsit hic Iglacus, nihil inuenio quod interitum euaserit, præter vnicum opus, videlicet

De vita Sigvvini Abbatis, *Librum vnum.*

Claruit anno mundi per Christum redempti 740, dum in Northumbria regnaret Egbertus.

De Daniele Episcopo.

746. 110. DANIEL apud Occidentales Saxones in Anglia natalium splendore clarus, Maildulfi quandóque discipulus. Vir cultissimo ingenio, & ad bonas litteras capessendas aptissimo. Post absolutum studiorum curriculum, & vberrimum in re littteraria factum progressum; Aldhelmo conterraneo suo inseparabiliter adhæsit, & cum eo propter morum similitudinem, studiorum communionem, & omnium meliorum disciplinarum æqualitatem, indissolubile contraxit amicitiæ vinculum. Et licet Aldhelmus Danielem nonnihil tum ætate, tum doctrina, tum etiã virtute superaret; conditiones tamen quas modò dixi similes, ipsas etiam personas inter sese reddiderunt pares & æquales. Daniel enim Aldhelmum vt optimum senem venerabatur, eius contemplatus eruditionem, suspiciens virtutem: Aldhelmus Danielem in ætate florente grauem, modestum, & moderatum summè admirabatur, & impensè colebat. Atque ita sese vel mutuis præueniebant honoribus, vel æmulis prosequebantur obsequijs. Ambo, vt lucuples testis est Venerabilis Beda, in rebus Ecclesiasticis, & scientia sacrarum scripturarum insigniter instructi. Ita tandem vnanimes fuerunt, vt Episcopatus Vvintoniensis, qui vsque ad illud tempus, non nisi vnicum tantùm agnouerat Episcopum, iam in duas sedes diuisus, hos duos, tanquàm animis vnum simùl susceperit Episcopos. Ex huius Danielis scriptis multa desumpsit Venerabilis Beda, quæ se suæ historiæ inseruisse testatur. Porrò doctrinæ monimenta quæ Daniel ex erudito sui pectoris scrinio deprompsit, hæc saltem habemus sequentia

De rebus gestis Australium Saxonum, *Librum vnum.*
Historiam suæ prouinciæ, *Librum vnum.*
De insula Vecta, *Librum vnum.*
De vita sancti Ceddæ Episcopi, *Librum vnum.*
De obitu sancti Aldhelmi, *Librum vnum.*
Epistolarum ad Sanctimoniales, *Librum vnum.*

Catechesim pro instituendis infidelibus ad S. Bonifacium Anglum Apostolum Germaniæ, *Librum vnum. Extat apud Card. Baron. tom. 9. an. 724* Epistolas ad eumdem, & litteras commendaticas in fauorem eiusdem ad Gregorium Papam secundum. Reliquorum operum vel ipsi tituli siue hominum incuria, siue temporum iniuria omninò periisse dicũtur.

Daniel

Daniel autem sanctissimè diem suum obijt anno post aduentum Messiæ 746, sub Sigeberto Saxonũ Occidentalium Rege. Vide illum quem collegimus de Vvintoniensibus Episcopis Catalogum.

De Ethelvvolfo Monacho.

ETHELVVOLFVS siue Lupus, natione Anglus, patria Bernicius, ordinis S. Benedicti Monachus in cœnobio S. Petri, sub Sigvvino Abbate. Vir pietate & doctrina celebris, versu & oratione soluta benè eruditus. In dicto Berniciorum Monasterio primum præceptorem habuit Eadfridum, postea Lindisfarnensem Episcopum. Secundum, & maximè in sacris litteris Doctorem audiuit Iglacum, in cuius laudibus multus erat bonus discipulus, vt in Iglaco suprà notaui. Erat enim Ethelvvolfus Poëta, Rhetor, Philosophus, atque etiam Theologus non incelebris. Multa scripsit versu heroico. Frequens in sui Monasterij præconijs, nec primum eius Abbatem, nec suos in bonis litteris magistros, nec præcipuum loci reparatorem Ducem Edmundum silentio prætermittit. Scripsit autem pleraque ad Egbertum (in fallor) Archiepiscopum Eboracensem

750.
111.

De origine sui cœnobij,	*Librum vnum.*
De illustribus Monachis,	*Librum vnum.*
Super suo somnio,	*Librum vnum.*

Claruit anno postquam Verbum caro factum est 750, sub Osvvolfo Nordamhumbrorum Rege.

De Strabone Monacho.

STRABO vel Strabus ex Anglosaxonum genere in Anglia natus, Venerabilis Bedæ siue frater, siue (quod ego verisimilius iudico) consanguineus, & Haymonis Germanus frater, ordinis S. Benedicti Monachus, primùm Londinensis in Anglia, deinde Fuldensis in Germania. Fuit aliquando Alcuini discipulus. Quo magistro simul cum pietate bonas litteras imbibit. Angli per illa tẽpora diuinæ gloriæ zelo incensi, ad Germanos, ex quibus sumus oriundi, ad Christum ab idolis conuertendos, per totam Alemanniam magno numero dispersi fuerunt. His sese adiunxerunt Strabus & Haymo fratres carnales, & patria relicta ad idem opus in Germaniam dicuntur profecti, simulque in cœnobio Fuldensi, quod S. Bonifacius Anglus Germanorum Apostolus ædificari fecerat, recepti fuerunt, vt hinc inde emissi pro occasione, verbum Dei Paganis prædicarent. Erat sanè Strabus ingenij fœcundissimi, & vir in omni genere scientiæ tum sacræ, tum profanæ excellenter eruditus. In dicendo facundus, in scribendo clarus. In omnibus plerumque Bedam & Haymonem fideliter imitatus, nisi quod in plerisque magis studuerit breuitati. Scripsit penè in omnes veteris, & in multos noui Testamenti libros, commentarios breues. Omnium primus Glossam, quam vocant, ordinariam, ex antiquis patribus colle-

750.
112.

ctam sacris Biblijs adiunxit, quam alij posteà paulatim copiosius auxerunt. Scribit Trithemius eum aliquandò Fuldæ sacras litteras docuisse, & inter alios, discipulum Ruthardum monachum doctissimum habuisse. Sed iam operum quæ ad sui nominis immortalem memoriam, & posterorum vtilitatem publicam reliquit, catalogum hîc attexamus. Composuit eruditos commentarios, sed eos breues

In Genesim, *Librum vnum. In principio creauit Deus cælum & terram.*
In Exodum, *Librum vnum. Huius libri quam subitam cernis explic.*
In Leuiticum, *Librum vnum. Libri Leuitici breuissimam habent.*
In Numeros. *Librum vnum. Synai interpretatur rubus.*
In Deuteronomium. *Librum vnum. Deuteronomium dicitur secunda lex.*
In libros Regum, *Libros quatuor.*
In Iudith, *Librum vnum.*
In Hester, *Librum vnum.*
In Sapientiam, *Libros tres.*
In Ecclesiasticum, *Libros decem.*
In Hieremiam, *Librum vnum.*
In Machabæos, *Libros duos.*
In Acta Apostolorum, *Librum vnum.*
In Apocalypsim S. Ioannis, *Librum vnum. Sicut in sæcularibus litteris.*
Homeliarum, *Librum vnum.*
Sacrorum Hymnorum, *Librum vnum. Oxonij in Bibliotheca publica.*
De officijs Ecclesiæ, *Librum vnum.*
De exordijs & incrementis rerum Ecclesiasticarum, *Librum vnum. Ibidem.*
Ad Ludouicum Cæsarem, *Librum vnum.*

Dicitur obijsse anno salutis 750, regnante in Anglia apud Occidentales Saxones Cuthredo. Vide nostrum de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

Nota.

FATEOR circa hos duos auctores Strabonem & proximè sequentem Haymonem multa mihi esse dubia. Quia præter hos fuerunt etiam alij duo scriptores Monachi Germani centum circiter annis posteriores, ijsdem nominibus insigniti. Inde facta est apud plerosque auctores tanta confusio, vt quid cuique tribuere, vel non tribuere debeamus, difficile sit iudicare. Nec mihi integrum est modo rem scrutari, ad fundum penetrare, & ad veritatis normam examinare.

De Haymone Monacho.

753. 113. HAYMO Anglosaxo, hunc nonnulli Dionistanum vocant, Venerabilis Bedæ non frater, sed potius consanguineus, ordinis S. Benedicti Monachus. Hic postquàm in Anglia sub Alcuino præceptore optimas quasque disciplinas auidè hausisset, instructus iam multiplici scientia, Germaniam prædicandi diuini verbi causa petijt, & alijs An-

glis Doctoribus se in Germanorum infidelium conuersione adiunxit cooperatorem. Perrexit autem vsque ad Monasterium Fuldense in Diocesi Maguntinensi, quod S. Bonifacius Doctor Anglus, & Germanorum Apostolus extrui curauerat. Inde enim tanquam ex equo Troiano prodierunt in Messem Germanicam Angli nostri omni virtutis & eruditionis genere instructissimi. Ibi disciplinæ Monasticæ, precibus, ieiunijs, vigilijs, rerum diuinarum contemplationi, lectionibus, concionibus, & alijs sibi omnique populo vtilibus exercitijs strenuè incubuit, nunquam benè faciendo fatigatus. In his omnibus Bedam imitari summoperè contendebat. Nec incassum sanè. Nam quod volebat, in plerisque consecutus est. In concionibus gratiam habebat penè singularem, in lectionibus publicis cum doctrinæ soliditate coniunctam elegantiam, in illustrandis & exponendis sacris scripturis miram perspicuitatem. Ducibus igitur virtute atque eruditione electus est successu temporis Abbas Hirsfeldensis, & demùm Episcopus Halberstatensis. Vtrobique magno cum animarũ lucro præfuit. Sed nũc ad hominis monimenta litteraria veniamus. Scripsit commentarios

In Genesim, *Librum vnum.* *M S. Oxoniæ in Collegio Lincolniensi.*
In Exodum, *Librum vnum.*
In Leuiticum, *Librum vnum.*
In Numeros, *Librum vnum.*
In Deuteronomium, *Librum vnum.*
In Iosue, *Librum vnum.*
In Iudicum, *Librum vnum.*
In Ruth, *Librum vnum.*
In Regum, *Libros quatuor.*
In Paralipomenon, *Libros duos.*
In Tobiam, *Librum vnum.*
In Esdram & Nehemiam, *Libros quatuor.*
In Iudith, *Librum vnum.*
In Job, *Librum vnum.*
In Psalterium, *Librum vnum. Hymni vocantur singuli Psalmi.* Friburgi. 1533.
In Cantica Canticorum, *Librum vnum.*
In Hester, *Librum vnum.*
In Isaiam Prophetam, *Libros tres. Isaias Propheta nobili prosapia.* *M S. Oxoniæ in Collegio Balliolensi.*
In Hieremiam Prophetam, *Librum vnum.*
In Ezechielem, *Librum vnum. Et factum &c. Dicit beatus Hieronymus.*
In Danielem, *Librum vnum.*
In duodecim minores Prophetas, *Libros duodecim. Verbum Domini quod fact.*
In quatuor Euangelistas, *Libros quatuor.*

In omnes epistolas D. Pauli. M S. Oxoniæ in pub. item in Collegijs Balliol. Magdalemensi, & Cantabrigiæ in pub. Scripsit autem in D. Paulum

Ad Romanos, Librum vnum. A Corintho Metropoli Achaiæ.
Ad Corinthios, Libros duos. De nomine Pauli in epistola.
Ad Galatas, Librum vnum. Quod nomen suum in omnibus.
Ad Ephesios, Librum vnum. Multi quærunt quare Apostolus.
Ad Philippenses, Librum vnum. Quare posuit nomen suum.
Ad Colossenses, Librum vnum. Mysterium quod absconditum fuit.
Ad Thessalonicenses, Libros duos. Nomen suum suorumque ponit.
Ad Timotheum, Libros duos. Paulus Apostolus Iesu Christi.
Ad Titum, Librum vnum. Cum Dominus ac redemptor noster.
Ad Philemonem, Librum vnum. De nomine Apostoli sæpius in.
Ad Hebræos, Librum vnum. Omnis intentio beati Apostoli.
In Epistolas Canonicas, Libros septem.
In Acta Apostolorum, Librum vnum.
In Apocalypsim S. Ioannis, Libros octo. Planior fit sensus myster.
Homelias in Euangelia, Librum vnum. Consulens Dominus humanæ.
MS. Oxoniæ in Collegio Balliol. Extat Parisijs anno 1545.
Homelias Hyemales, Librum vnum. Non solum opera & virtutes.
Homelias æstiuales, Librum vnum. Commendat nobis hæc sacratiss.
De Christianarum rerum memoria, Librum vnum. Quantum eruditionis, quantum diuinarum.
Breuem expositionem Canonum, Librum vnum. MS. in Biblioth. G. Copi.
De sancta Trinitate, Librum vnum.
De Amore cælesti, Librum vnum.
De mundi voluptate, Librum vnum.
De varietate librorum, Libros tres. Cùm sis vnicum & sanctissimum. Extat Parisijs anno 1531.

Scripsit etiam tractatus, epistolas, & opuscula alia plurima. Postquam autem Episcopatui suo tredecim annos præfuisset, senio & laboribus confectus in viuis esse desijt anno salutis plus minus 753, vel secundùm alios 853, & vt habet Bruscius Halberstati in Ecclesia S. Stephani sepultus est, imperante Anglis siue Ethelulfo, siue Alfredo. Vide nostrum de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

De his duobus Doctoribus mihi plurima sunt dubia, atque ideò lectori relinquo omnia libera. Fuisse duos sic appellatos Doctores Anglos Bedæ seu fratres seu consanguineos, eosdémque scriptores, non incelebres, apud omnes penè nostros historicos constat. Sed vtrum hæc omnia sint illis tribuenda, non ausim certò affirmare.

De sancto Bonifacio.

755. 114.

SANCTVS Bonifacius, sic mutato nomine dictus, quia semper bona faciens, nam alioquin proprium ei nomen erat Vvenefridus. Regio in Anglia genere prognatus, & à natura ad pietatem & bonas litteras formatus. In ipsa pueritia φιλομαθὴς, tota reliqua ætate πολυμαθὴς & in senectute maximè φιλόβιβλος. Anno ætatis suæ plus minus quinto

diuinis se consecrauit obsequijs, duodecimo circiter, Monasticis, sub regula Diui Benedicti, se obstrinxit votis, & Abbati Vvolshardo apud Aldescancaster se in regularem tradidit disciplinam. Postquam autem cum pietate, & morum integritate, vitæque innocentia sacrarum litterarum studium coniungere decreuisset, & in eo Monasterio non haberet, à quo, pro desiderio discere posset; ad cœnobium Nuiscellense missus, sanctissimo simul & doctissimo Abbati Vvimberto, à quo tum in pietate, tum in bonis litteris instrueretur, & accurata sollicitudine educaretur, traditus est. Sub quo præceptore, tamquam ab ouo rursus exorsus, repetitis denuò principijs, Grammaticam, Poësim, omnemque humaniorem litteraturam affatim percepit. Deinde ad sacrarum scripturarum studium se conferens, tam vberes fecit progressus, vt fama scientiæ eius percrebrescente, multi ad eum discendi causa confluerent. Sed ille magis cupidus discendi, quàm docendi, elegit potiùs sub alterius institutione humiliter agere, & maturus fieri discipulus, quàm superciliosè sibi arrogare magisterium, & immaturus prodire Doctor.

Anno ætatis suæ tricesimo Sacerdos ordinatus, confestim de annuntiando infidelibus Euangelio, & de conuertendis ad Christum paganis, vir verè Apostolicus cogitare cœpit. Quid autem in eo genere præstiterit, quot animas à potestate dæmonis liberauit, quomodo Archiepiscopus Maguntinus, & totius Germaniæ Primas creatus, & Germanorum Apostolus vocatus fuerit, suo loco fusiùs dicetur. Nam hîc de ijs quæ ad doctrinam eius spectant, potissimùm agere nostri est instituti. Postquam ad sacrarũ litterarum studium accessisset, & cœlestem in diuinorum mysteriorum meditatione suauitatem gustasset, numquàm ab illa dulcissima cõtemplatione potuit auelli. Non longis peregrinationibus, non multiplicibus laboribus, non ipsa rigida & frigida senectute, in qua nec refriguit ardor legendi, nec extingui potuit feruor contemplandi, nec diminui desiderium ad sublimiora semper perueniendi, adeò in meditatione eius exarsit ignis. Gregorius Papa secundus, qui multa de illo scripsit, inter cœtera hæc habet: *Experimur te ab infantia sacras litteras didicisse, profectúsque indolem ad augmẽtum talenti cœlitus crediti, prospectu diuini timoris, extendere, videlicet gratiam cognitionis cœlestis oraculi, in laborem salutiferæ prædicationis expendere.* S. etiam Vvillibaldus in eius vita capite tertio, de illo scribit: *Ab infantia sua vsque ad decrepitam ætatis senectutem, præteritorum non mediocriter Patrum sapientiam imitatus est, dum Prophetarum iugiter & Apostolorum verba stylo sanctitatis conscripta, & gloriosam Martyrum passionem litterarum apicibus insertam, sed & Euangelicam Domini Dei nostri traditionem quotidiè commendabat memoriæ.* Argumento etiam esse potest, quòd toties, ex Anglia maximè per epistolas libros varios ab amicis petierit & acceperit, in decrepita etiam senectute cõstitutus, licet ferè quotidianis itineribus impeditus, & Apostolicis prædicationibus atque alijs Christianæ charitatis officijs semper implicatus: Ad Danielem Episcopum Vvintoniensem scripsit, *vt librum Prophetarum, quem venerandæ memoriæ*

Vvimbertus Abbas & Magister quondam meus, de hac vita ad Dominum migrans dereliquit, vbi sex Prophetæ in vno corpore claris & absolutis litteris (quia, vt in eadem epistola scribit, iam seniori calligarent oculi) *scripti reperiuntur.* In alia item epistola petit S. Petri epistolas aureis litteris, sua, vt videtur, manu, propter summã erga primum Pontificem Romanum obseruantiam, conscriptas. In alia epistola commentarios quosdam venerabilis Bedæ, & alios sanctorum patrum tractatus ad se mitti postulat. In alia sanctorum martyrum acta. In alia S. Gregorij Papæ primi epistolas. In alia eiusdem responsa ad S. Augustinum Anglorum Apostolum, vnà cum ipsius Augustini quæstionibus seu dubijs. Denique percussores S. Bonifacij quid illo occiso in eius tentorijs inuenerunt thesauri, præter libros? quorum pars magna miraculo, vel à sacrilegis manibus conseruata, vel paulò pòst inter paludes & syluas inuenta fuit. Quæ omnia satis conuincunt S. Bonifacium bonarum litterarum studijs fuisse mirificè delectatum.

Ferunt adhuc in sacrario Fuldensis Ecclesiæ partem aliquam eius bibliothecæ seruari: videlicet noui Testamenti harmoniam, & canonem per tabulas & numeros digestum. Item librum, de quo in eius Martyrio scripsi, martyrij cicatricibus insignem. In quo leguntur epistolæ Leonis Papæ ad Theodorum Episcopum Foroliuiensem. Disputatio beati Cerealis cõtra Maximinum Ariomanitan de Trinitate & vnitate. Epistola Agnelli ad Arminium de ratione fidei. Libellus S. Fausti Confessoris. Sermo S. Ambrosij Episcopi de Spiritu sancto. Testimonia de Patre, & Filio, & Spiritu sancto. Regula fidei Catholicæ. Libellus S. Ambrosij de bono mortis. Sinonymorum Isidori libros duos. Noticia regionum & ciuitatum, in quibus sanctorum Apostolorũ & Euãgelistarum corpora requiescunt. Inueniri etiam ibidem dicitur Euangeliorum liber in Pergameno descriptus. In cuius fine litteris aureis recentiore scriptura sic haberi ferunt: *Hoc Euangelium S. Bonifacius Martyr Domini gloriosus, vt nobis seniorum relatione compertum est, proprijs conscripsit manibus. Quod etiam venerabilis Abbas Huggi obnixis precibus à Rege pijssimo Arnolfo impetrauit, & sanctæ Fuldensi Ecclesiæ honorabiliter restituit, &c.*

Hominis præterea doctrinam, fideique Catholicæ zelum declarant quædam eius quæ frequenter habere consueuerat in ore dicta. Quorum vnum erat, *Papam à mortalium nemine iudicari debere.* Quo dicto debitam suam in sedem Apostolicam obseruantiam satis ostendit. Et Catholicæ doctrinæ imprimis congruit. Nam cùm Marcellinus Papa in immani Diocletiani Imperatoris persecutione terrore victus, instar S. Petri, grauiter lapsus fuisset; pœnitens & lacrymans Senuessanum Concilium ingressus, scelus suum palàm confessus est. Cui responderunt Episcopi & Doctores ibi congregati: *Tuo te ore, non nostro iudicio iudica. Nam prima Sedes à nemine iudicatur.* Habitum est autem hoc Concilium circa annum Christi trecentesimum. Tempore etiam Constantini Magni sub Syluestro Papa Romæ habitum est Concilium ducentorum & octoginta

Episcoporum, in cuius vltimo canone sic legitur: Neque ab Augusto, neque à regibus, neque ab omni clero, neque à populo iudicabitur prima Sedes.

Alterum eius dictum fuit: *Quondã Sacerdotes aurei ligneis calicibus vtebantur, nunc econtrà, lignei sacerdotes aureis vtuntur calicibus.* Quæ sententia posteà recitata fuit in Concilio Triburiensi capite decimo octauo. Celebratum est autem hoc Concilium in villa Triburia non longè Maguntia, mense Maio, anno Dominicæ Incarnationis 895. Hoc suo dicto significare voluit S. Bonifacius, in tractandis mysterijs auro mundioribus, magis requiri mundos sacerdotes, quàm mundos calices. Et quanuis in vtrisque mundities auri requiratur, tamen si in altero desit, deesse potiùs debere in calicibus quàm in Sacerdotibus.

Sed iam ad litteraria Doctoris istius monimenta veniamus. Scripsit imprimis

Suæ fidei, religionis, & doctrinæ professionem coram Gregorio Papa secundo, Librum vnum.

Epistolarum ad summos Pontifices Gregorios secundum & tertium.
Ad Zachariam primum, ad Stephanum secundum, Librum vnum.
Domino excellentißimo Gregorio. Ex his epistolis aliquæ extant in secundo tomo Conciliorum. Nonnullæ etiam impressæ fuerunt Maguntiæ anno Domini 1605, aliæque denique dicuntur adhuc asseruari M S. Cantabrigiæ in bibliotheca publica.

Epistolarum etiam ad Tatvvinum Archiepiscopum Cantuariensem, ad Danielem Episcopum Vvintoniensem. Item ad Nothelinum, Plechelmum, Cuthbertum, Dudonem, Fubrardum, Lullum, & alios tum Episcopos tum Abbates, *Librum vnum.*
Ex eius etiam epistolis habentur multæ M S. Ingolstadij in bibliotheca publica. Viennæ Austriæ in bibliotheca Cæsarea. Et ad S. Gallum in Heluetia. Scribit Baronius Ecclesiasticæ historiæ tomo nono se vnum epistolarum eius volumen ex bibliotheca Dominicanorum S. Mariæ super Mineruam Romæ, alterum ex bibliotheca cuiusdam Antonij Augustini accepisse

De suis in Germania laboribus, Librum vnum. Per Dei gratiam Germa.
Ad Ethelbaldũ Merciorũ Regẽ, Librum vnũ. Domino charißimo, & in Christi.
De quo vide Guilhelmũ Malmesburiensem de gestis Regum Angliæ, Libro primo.
De vita Leuini Episcopi & Martyris, Librum vnum. Tempore quo Carlo.
De religionis sanctitate, Librum vnum.
De rebus Ecclesiæ, Librum vnum.
Statutorum Synodalium, Librum vnum.
De vnitate fidei Catholicæ ad clerum, Librum vnum. Cuius honorificam mentionem facit Zacharias Papa in epistola ad S. Bonifacium, quæ incipit; Sacris liminibus.
Contra hæreticos, Librum vnum. M S. in Monasterio Fuldensi.
De vita Lebuini *Monachi, & aliorum sanctorum, Librum vnum.*

Ad S. Cudbertum Archiepiscopum de reformatione cleri epistolam.
De virtutibus & vitijs carmine, Librum vnum. *De hu & similibus.*
Vide Arnoldum Vion libro quinto ligni vitæ. Tandem apud Doccum in Frisia cum alijs quinquaginta & quatuor à barbaris trucidatus glorioso Martyrio cursum vitæ consummauit Nonis Iunijs, anno ætatis suæ sexagesimo, nati Christi 755, apud Mercios in Anglia regnante Offa. Vide nostrum de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

De Cudberto Mageseto.

760.
115.

CVDBERTVS Magesetus, illustri apud Anglos loco natus, morum suauitate, vitæ integritate, & singulari doctrina, splendorem generis non æquauit modò, sed etiam superauit. His nominibus mirè gratus erat Regi Merciorum Ethelbaldo, omnibúsque sui temporis doctis & pijs viris. Hinc primum electus est Episcopus Herefordensis, deinde crescentibus meritis, Archiepiscopus Cantuariensis. Quem primatum dum tenuit anno Domini 747, hortatu maximè S. Bonifacij Maguntinensis Archiepiscopi, de reformandis cleri populique deprauatis moribus Concilium celebrauit apud Cliff in Cantia, non longè à ciuitate Roffensi. De quo plura suo loco. Nunc ea quæ doctrinam eius concernunt tractemus. Scripta post se reliquit tum versu tum prosa non inelegantia

Decretorum synodalium, Librum vnum.
Ad Zachariam Papam, Librum vnum.
Epistolarum ad præfatum S. Bonifacium, Librum vnum.
De tumulis illustrium virorum, Librum vnum.
Epigrammatum sacrorum, Librum vnum.
Carminum diuersi generis, Librum vnum. *Et alia plura.*

Obijt anno gratiæ 760, & in Ecclesia Saluatoris Cantuariæ tumulatus est, regnante apud Occidentales Saxones Kenulpho. Vide quem scripsimus de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De S. Marcellino.

761.
116.

SANCTVS Marcellinus Marchelmi frater germanus natu minor, de gente Anglorũ, vt scribit non semel S. Ludgerus, patria Brigantius, ordinis S. Benedicti Monachus Eboracẽsis, posteà S. Saluatoris Traiecti discipulus SS. Vvillibrordi & Simberti, & tandẽ Gregorij Traiectensis Episcopi. Vnus erat ex duodecim Apostolicis viris, quos anno Domini 690, Egbertus Abbas misit in Germaniam, maximè ad Vvestfalos & vicinos paganos conuertendos. Vir à natura planè ad virtutem & bonas litteras capessendas factus & formatus. Vndè & optimis vsus præceptoribus, in vtroque genere magnam perfectionem consecutus est. De vita, quam duxit Apostolica, suo loco. Quod ad eius attinet doctrinam, de rebus doctis piè, de pijs doctè scripsit, præsertim de gestis eorum qui ex Anglia missi fuerunt ad Germaniam conuertendam. Ad quod opus scribendum

scribendum ætate penè decrepita, postquam multis annis fuisset omnium oculatus testis, se accinxit, hortatu maximè Gregorij Traiectensis Episcopi, cui pleráque sua scripta dedicauit. In vita S. Simberti capite sexto, ponens eorum nomina, qui prima vice ad prædicandum infidelibus Germanis ex Anglia ablegati fuerunt, de se sic loquitur: *Ego minimus omnium Marcellinus qui hanc historiam, sicuti & S. Vuillibrordi, conscripsi.* Eius opera pleráque magnæ sunt apud me auctoritatis, quia vt præfato libro capite decimo quinto ipse testatur, quod ferè omnibus quæ scripsit, inspector interfuit. Et quia de eo libro Rixfridus Archiepiscopus Traiectensis in procemio libri de canonizatione S. Suiberti sic scribit: *Habemus & reuerenter possidemus libellum continentem gesta & legendam sanctissimi Suiberti, &c. editum à S. Marcellino Presbytero.* Et post pauca, *quem librum gloriosus Albricus, siue Albertus Traiectensis Pontifex, natione Anglicus, Eboracensis diocesis, & consanguineus S. Suiberti Episcopi in eodem conuentu* (Doccum) *honore debito custodiri & seruari decreuit, voluit, præcepit.* Scripsit autem hic noster Marcellinus, vt partim ipse testatur, partim etiam Suffridus Petrus in libro de Frisiæ scriptoribus, & alij

De vita & miraculis S. Suiberti, *Librum vnum.*

Venerabili & dilecto in Christo. MS. in Ecclesia Collegiata Cæsaris insulæ. Extat Coloniæ apud Henricum de Nussia anno 1508, vt vidi & perlegi in Bibliothecis Crucigerorum Dusseldorpij, & Carthusianorum Cantauiæ iuxta Iuliacum.

De vita S. Vuillibrordi, *Librum vnum.*
De vita S. Uvilleici, *Librum vnum.*
Concionum, *Librum vnum.*
Epistolarum, *Librum vnum.*
De tyrannide Radbodi Regis Frisiæ, *Librum vnum. Et alia nonnulla.*

Claruit anno partus virginei 761, regnante in Northumbria Alfredo. Vide quem composuimus de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

De Egberto Archiepiscopo.

EGBERTVS vel Eadbertus Egberti Nordãhumbrorũ Regis frater germanus, Alcuini viri doctissimi aliquando præceptor. Ordinis S. Benedicti Monachus, Cõgregationis Giribennæ. Vir qui ad splendorem generis magnam pietatem, & singularem adiunxit eruditionem. Ipse ad bonas litteras factus & formatus, ad industrios etiam studiosorum conatus promouẽdos natus. Hunc quidam ex nostris historicis vocant omnium liberalium artium armarium, tum quia viros doctos fouebat ipse doctissimus, tum quia nobilissimam Bibliothecam instruxit Eboraci. De qua scribit discipulus eius Alcuinus in epistola ad Eambaldum Archiepiscopum Eboracensem, & in alia ad Carolum Magnum, in hæc verba; *Date mihi eruditionis libellos, quales in patria mea Anglia, per industriam magistri mei Egberti habui.* Quæ Bibliotheca longo tempore stetit, videlicet vsque ad Stephanum Angliæ Regem,

766.
117.

qua tempestate cum magna Eboracensis vrbis parte fortuito incendio conflagrauit. Egbertus porrò virtutum & multiplicis eruditionis intuitu tandem factus est Archiepiscopus Eboracensis. De quo suo loco. Ex hoc autem omnium bonarum artium armario sequentes hos habemus doctrinæ thesauros depromptos, qui ostendunt quod fuerit in diuina scientia vir ad plenum eruditus. Verba sunt Matthæi Vvestmonasteriensis.

De pœnitentia, *Librum vnum. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Est puto, scintillarium quod ibi habetur* M S. *Saxonicis characteribus.*

Constitutionum Ecclesiasticarum, *Librum vnum. Quem Hucarius Leuita in compendium redegit.*

Excerpta de Canonibus sanctorum Patrum, *Librum vnum.* M S. *ibidem. Et Oxoniæ in Bibliotheca publica.*

Homiliarum & lectionum, *Librum vnum.*
Ad erudiendos discipulos, *Librum vnum.*
Ad pastores suæ prouinciæ, *Librum vnum.*
Ad Zachariam Papam pro Pallio, *Epistolam.*
Ad fratrem suum Egbertum Regem, *Epistolas plures.*
Ad Alcuinum Diaconum discipulum suum & alios, *Epistolas plures.*

Claruit anno Verbi incarnati 766. Eboraci tandem mortuus & sepultus est, regnante in Northumbria Ethelvvaldo. Vide quem fecimus de Archiepiscopis Eboracensibus Catalogum.

De SS. Rictruda & Gisea.

770. 118.

SANCTORVM Rictruda & Gisea ordinis S. Benedicti sanctimoniales Anglæ, Virgines prosapia nobiles, sed multo magis virtutibus & eruditione illustres. Ab ipsa adolescentia bonas litteras, & elegantiam Latinæ linguæ sub Alcuino præceptore gnauiter didicerunt. Post cuius ex Anglia discessum Cantuariæ dicuntur in suo Monasterio, tum in studijs litterarum, tum in exercitijs virtutum strenuè perrexisse, multum profecisse. Mariam Magdalenam contemplatione, Martham actione diligenter imitatæ. Sibi ipsis primùm per mortificationes, & spirituales meditationes, deinde proximis per externa charitatis opera vigilanter attendebant, afflictos maximè consolando. Vnde præter opuscula quædam spiritualia, quorum titulos ignoro, teste Arnoldo Vion libro secundo ligni vitæ, saltem Rictruda Latinè scripsit ad Alcuinum, & quosdam alios

Epistolas consolatorias, *Librum vnum. Postquam Venerande Magister.*

Ex quibus epistolis quasdam Londini in priuatis Bibliothecis diù seruatas ferunt. Clarueruunt hæ virgines anno gratiæ 770, sub Alrico Cantiæ Rege.

De Marchelmo.

MARCHELMVS natione Anglus, S. Marcellini frater natu maior. Primùm S. Vvillibrordi, deinde S. Gregorij Traiectensis Episcopi discipulus. Vir magnæ sanctitatis, & plus quàm vulgaris eruditionis, quique in prædicatione Verbi diuini, & in conuertendis ad Christum infidelibus, maximam ætatis suæ partem posuit. Quibus titulis magnam apud homines laudem, & abundantius apud Deum meritum consecutus est. Spiritu prophetiæ creditur imbutus fuisse. Quoddam somnium S. Ludgeri inter alia quondam ita exposuit, vt expositionis veritatem ipse rei euentus comprobauerit. Literísque rem consignauit sub hoc titulo

772. 119.

Interpretationem somnij Ludgeri, *Librum vnum*. De alijs eius scriptis nihil mihi constat. Claruit anno gratiæ 772, regnante apud Cantianos Alrico. Vide nostrum quem de Apostolicis Angliæ viris scripsimus Catalogum.

De sancta Vvalburga.

SANCTA Vvalburga vel Vvalburgis natione Angla, SS. Vvinibaldi & Vvillibaldi soror, S. Bonifacij neptis. Virgo in omnibus pietatis Christianæ officijs insigniter instructa, & quantum sexus requirebat, in bonarum litterarum studijs diligenter educata. Horum intuitu cum quibusdam alijs virginibus ex Anglia vocata est in Germaniam, vt in conuersione infidelium sacerdotibus cooperaretur, quibus poterat pijs ministerijs. Maximè vt virtutum exemplo, priuatísque colloquijs sexum fœmineum, in ijs quæ fidei sunt Christianæ instrueret, & Christo lucrifaceret, quod illa strenuè præstitit, vt suo loco dicetur. Nunc quod ad eius eruditionem attinet, scripsisse dicitur omnem fratris Vvillibaldi peregrinationem: operi titulum præfixit

780. 120.

Hodiporicon S. Vvillibaldi, *Librum vnum*.
Claruit anno Domini 780, regnante apud occiduos Saxones in Anglia Sigeberto. Vide illum quem de Apostolicis Angliæ viris composuimus Catalogum.

De sancto Vvillebaldo.

SANCTVS Vvillibaldus *Anglus & Anglorum regali sanguine natus*, in Comitatu Deuoniensi, S. Bonifacij Maguntinensis Archiepiscopi ex sorore Bonna nepos, & aliquando discipulus, optimè ab eo in omni pietate, & bonarum litterarum studijs educatus. Quibus munitus præsidijs, cum fratre Vvinebaldo, sorore Vvalburga, & quibusdam alijs, exteras regiones prædicandi diuini verbi causa petijt. Successu temporis crescentibus meritis, anno Domini 747. factus est ab auunculo Bonifacio primus Eichstatensis Episcopus. Vir multum do-

781. 121.

ctus, sed magis humilis, & ingenij sui tam modestus æstimator, vt sibi parum, alijs multum semper deferret, & omnes suas lucubrationes alieno subijceret examini. Maximè autem in hoc negotio SS. Lullum & Megengaudum adhibuit censores, nec vllum opus suum publica luce dignum iudicauit, nisi illis approbantibus. Scripsit autem

De vita & paßione S. Bonifacij auunculi, *Librum vnum. Illustrem ac verè beatum.* Dicitur haberi in Bibliotheca Fuldensi, & Oxoniensi publica.

De vita S. Vualburgæ sororis, *Librum vnum.*

Epistolarum partim ad Anglos & Britannos, partim ad Gregorium Papam tertium, & Zachariam primum, *Librum vnum. Et alia.* Eicstadij tandem sanctissimè diem suum obijt, & sepulturam accepit Nonis Iulij anno Christi 781. sub Rege Saxonum Occidentalium in Anglia Sigebertol. Vide illum quem fecimus de viris Apostolicis Anglicanæ nationis Catalogum.

De sancto Lullo.

787. 122.

SANCTVS Lullus vel Iulius illustri apud Anglos familia natus. De quo Breuiarium Maguntinum sic habet: *Apud Anglosaxones in Britannia natus, à primis annis Christum cum litteris imbibit. Nam adhuc septennis cuiusdam Monasterij patribus* (vnde puto fuisse ordinis S. Benedicti Monachum) *commendatus, nihil omisit, quod ad promerendam Dei gratiam pertinere posset. Corpus, cùm adoleuisset, aßidua edomans abstinentia, spiritui subijciebat. In sanctarum verò scripturarum meditatione tanta diligentia versabatur, vt omnes in admirationem sui conijceret.* Et paulò pòst additur, quod ex quo venerat in Frisiam, à sanctissima vita, affluente doctrina, & ardente diuinæ gloriæ zelo semper laudabilis extiterit. Denique quod Archiepiscopus Maguntinus creatus, acriùs quàm priùs institerit diuini Verbi prædicationi, & gentium conuersioni, in decrepitam vsque ætatem docendo. Honorificè de illo scribit inter alios Guilhelmus Malmesberiensis libro primo de regibus Anglorum. Inter hæc etiam in Frisia studia litterarum non neglexit. Nam in epistola ad Gregorium Abbatem Vltraiectensem, eum præceptoris nomine compellat. Certè vel quod sub eo bonis litteris operam dederit, vel cum eo de re litteraria contulerit. Scripsit

Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Alia eius scripta ne nominata quidem inuenio. Heresfeldiæ in Hassia Confessor obdormiuit in Domino, & ibidem tumulatus est anno Verbi incarnati 787. Vide quem de Apostolicis Angliæ viris fecimus Catalogum.

De Alcuino Diacono.

790. 123.

ALCVINVS vel Flaccus Albinus vocatus Diaconus, quoniam vltra illum ordinis Ecclesiastici gradum nunquam ascendit. In An-

glia in prouincia Eboracensi natus, & ordinis S. Benedicti Monachus, Congregationis Girebennæ. Discipulus primùm Venerabilis *Bedæ*, deinde *Egberti* Eboracensis Archiepiscopi. De cuius viri laudibus apud varios varia legi. Erat ingenij fœlicissimi, mitis animi, facundæ linguæ, miræ modestiæ, moderatæ grauitatis, maturi iudicij, magnæ pietatis, singularis eruditionis, tersi sermonis, styli succincti, simplicis, puri. Politè tum versu, tum prosa scripsit. Cum Latinarũ litterarum scientia, Græcarum etiam & Hebraicarum cognitionẽ coniunxit. Nam has linguas & perfectè calluit, & publicè docuit. Omnes denique scientias Mathematicas, Philosophicas, & Theologicas accuratè tenuit atque etiãdocuit. Demũ testimonio Vincẽtij Bellouacẽsis in speculo historiali, & nostrorum historicorum, imò communi penè omnium sententia, erat Anglorum omnium post beatum Aldhelmum, & Venerabilem Bedam planè doctissimus. Ad quas etiam laudes addunt quidam, tres antiquos auctores fuisse, vt ita dicam, Hyppiæ similes, hoc est, omniscios, videlicet D. Heronymum, Isidorum, & hunc nostrum Alcuinum.

Quamprimùm emergere cœpit, ferunt eum paruulo cuidam Monasteriolo præfuisse, quo non multo ante tempore ædificauerat Vvilgisius pater S. Vvillibrordi iuxta mare in quodam ad Hubrum flumen promontorio. Posteà venisse in Cantiam, & in Monasterio S. Augustini Cantuariæ sub Adriano Abbate exactè complexum regularem disciplinam, & cœlestium rerum meditationem, omnisque Christianæ perfectionis integritatem ita impensè coluisse, vt omnes suos commilitones multis gradibus in virtute præcesserit, sicuti eos longo interuallo in eruditione superauit. Argumento est non leui quod cum iam eius Magister, Abbas eiusdem Monasterij lucis huius vsura priuatus, in viuis esse desineret, is vnus in tanto esset apud omnes precio, vt nemine hæsitante, communi planè omnium suffragio melior & dignior alijs Monachis habitus, & præ cæteris omnibus electus fuerit in Abbatis munere successor. Ab Egberto tamen Archiepiscopo Eboracensi posteà vocatus Eboracum litteras Græcas, Hebræas, Philosophiam, & Theologiam docuit. Vbi tantum eius fama percrebuit, vt ad eum non solum ex Anglia reliqua, sed etiam ex partibus transmarinis auditores plurimi confluerent. Nam ibi habuit discipulos Ludgerum Frisium, posteà primum Episcopum Monasteriensem; & Rabanum Maurum ciuem & Monachum Fuldensem, posteà Maguntinũ Archiepiscopum. Ludgerus quidem apud hunc Magistrum tres continuos annos & sex menses moratus, præter quosdam alios sæcularis litteraturæ libros, totum cum eo vetus & nouum Testamentum perlegit. Rabanus autem, vt scribit Trithemius in chronico Hirsangiensi, & ipsa res loquitur tantum profecit, vt ex discipulo celebris tandem factus fuerit Magister.

Alcuinus porrò ob Offa magno Merciorum Rege legatus missus in Galliam ad Carolum Magnum de pace componenda, & alijs reipublicæ negotijs conficiendis, ita benignè susceptus, & honorificè à tanto Im-

peratore habitus est, vt ibi remanserit, & Abbas S. Martini apud ciuitatem Turonensem creatus, Congregationísque Fuldẽsis factus, in Cæsaris diliciosum præceptorem assumptus fuerit. Atque ita, vt quidam scribit, Carolus in Franciã flores transtulit Britãniæ, tum vt testis est Eginhartus, egregiè dictum Imperatorẽ docuit Dialecticam, Rhetoricam, Astronomiam, & omnes scientias Mathematicas, præceptis etiam pietatis, & sapientiæ disciplinis mirificè regalem excoluit animum, & mores ad omnem virtutem insigniter formauit. Nec tam præclara personæ principis & publicæ institutione contentus, ad totam rempublicam ornandam animum adiecit. Nam Carolum induxit vt Parisijs Academiam erigeret. Ipseque ex Anglia vocauit ex præcipuis discipulis suis Ioannem Scotum, Claudium, Clementem, & alios ordinis S. Benedicti doctissimos Monachos. Quos Lutetiæ primos constituit Magistros, qui nobilissimos totius Galliæ iuuenes, & primorum adeo principum filios pietate, fide, religione, bonis moribus, & omni meliore litteratura imbuerent. Vnde quod Galli in litteris humanioribus politum, in Philosophiæ studijs acutum, in morum elegantia cultum, in Theologia, omníque fidei doctrina solidum habẽt; id Anglis, & imprimis huic delitioso Imperatoris Magistro, suisque discipulis, tanquam primis institutoribus & præceptoribus, acceptum ferant, necesse est. Vndè non ineleganter poëta quidam

Quid non Alcuino facunda Lutetia debes?
Instaurare bonas ibi qui fœliciter artes,
Barbariémque procul solus depellere cœpit, &c.

Cui consentit etiam illud Eustachij Pruteni.

Ecce senex quidam varijs agitatus ab Austris
Attulit optatos ad loca Galla pedes.
Nomen adhuc memini, quamuis cariosa vetustas:
Alcuinus meritum posteritatis habet, &c.

Præterea non dissimili industria fuit auctor Cæsari, vt Pauiæ ad Ticinum etiam Academiam institueret. Et eò Ioannem Scotum misit, eumque primum ibidem professorem constituit. Hæc sunt quæ præstitit eximius in doctrinæ doctorúmque hominum fauorem. Iam quos ingenij felicis fœtus ediderit, & quàm insignia eruditionis monimenta posteris reliquerit, videamus. Nam certè tanta sunt & talia, vt immortalem nominis sui gloriam comparauerit, laudémque nullis sæculis vnquam interituram meritò consecutus fuerit. Scripsit autem multa viuente adhuc primo præceptore suo Beda. Dicitur enim summa diligentia collegisse, & litterarum monimentis consignasse res gestas S. Augustini Monachi, & aliorum S. Gregorij Papæ primi discipulorum, ea præ cœteris accuratè describens, quæ in Cantia locísque circum vicinis præstiterunt. Ex quibus ipse Beda fatetur se multum adiumenti accepisse ad Ecclesiasticam suam Anglorum historiam ornandam, augendam, perficiendam.

Item cùm ſuo ſæculo impugnarent hæretici ſacroſanctæ Trinitatis myſterium, hic Doctor Spiritus Sancti inſtinctu, & S. Bonifacij Maguntinenſis Archiepiſcopi rogatu, *Miſſam de ſanctiſsima Trinitate compoſuit*, quam vſque hodiè ſancta mater Eccleſia retinet, & in ſolemnitate ter ſanctæ Trinitatis quotannis ſaltem cantari præcipit, cuius initium ſic habet;

Benedicta ſit ſancta Trinitas & indiuiſa vnitas, &c. Eiuſdem rogatu *compoſuit etiam Miſſas, quas habemus* adhuc in vſu, votiuas, per hebdomadam, cuilibet feriæ propriam aſſignans.

Item alias vndecim Miſſas de beata Maria virgine, Et quibuſdam alijs ſanctis.

Præterea Miſſam pro amore ſapientiæ.

Miſſam pro pœnitentibus.

Miſſam pro charitate perfecta.

Collegit etiam maximè ex ſuis libris de Trinitate & fide integrum tam nocturnum, quàm diurnum de feſto Auguſtiſsimæ Trinitatis officium Eccleſiaſticum.

Totum officium S. Stephani protomartyris, quo vſque hodiè vtimur, ab eo fuit ordinatum. Sicuti & alia multorum ſanctorum officia, vel poſt flammas & furores hæreticorũ & Barbarorum reſtituta ab illo, vel de nouo compoſita fuiſſe multi Scriptores teſtantur. Quæ penè omnia Catholica Eccleſia ſemper auctoritate ſua recepit, approbauit, confirmauit, & vſque hodiè pleraque habet in vſu.

Scripſit etiam de diuinis officijs ſecundùm feſta & ferias, *Librum vnum.* Sanctiſſima huius diei. Pariſijs apud Michaëlem Sonnium anno 1579.

Annotationes morales in quindecim Cantica graduum, id eſt, *à pſalmo centeſimo decimo nono, vſque ad pſalmum centeſimum triceſimum tertium.*

Annotationes in pſalmum centeſimum decimum octauum. Pariſijs 1568. 1547.

Sermonem notabilem de vndecim oneribus Iſaiæ prophetæ. Tempus eſt, fratres chariſsimi. Legi in bibliotheca Carthuſianorum Cantauiæ prope Iuliacum.

Super Geneſim ad litteram, *Librum vnum.*

Quæſtiones in Geneſim, vel *commentarios breues expoſitionis interpolatæ ex Patrum ſententijs in modum dialogi ad Sigulphum,* *Librum vnum.* Dilectiſſimo in Chriſto Sigulpho, MS. Oxoniæ in Collegio Mertonenſi, in bibliotheca Baronis Lunleiani. Extat Pariſijs apud Sonnium anno 1579, cum bibliotheca Patrum Bignæi.

In Cantica Canticorum libros quinque. MS. in Lunleiana, Pariſijs anno 1568. *Commentarios in Eccleſiaſtem,* *Librum vnum.* Dilectiſſimis in Chriſto filijs. MS. Oxonij in pub. & in Collegijs Mertonenſi, & Magdalenenſi.

Enchiridion quorumdam pſalmorum, *Libros duos.*

In Euangelium S. Ioannis, Libros ſeptem. Extant Argentinæ anno 1527.

In omnes S. Pauli Epiſtolas, *Libros quatuordecim.*

Iterum in S. Paulum ad Hebræos, *Librum vnum.*

In Apocalypſim S. Ioannis, *Librum vnum.*

Commentariorum in vtrumque Testamentum. *Libros plures.*

De Genealogia Christi *Librum vnum.*

De veritate & Christi Incarnatione, *Librum vnum.* Denique ad veram beatitudinem. M S. Cantabr. in Aula Pembrochi, & in Lunleiana biblio.

Sententias scripturarum, *Librum vnum.*

De summa Trinitate & fide Catholica ad Carolū Magnum, *Libros tres.* *Dum dignitas Imperialis à Deo* Extat tomo tertio bibliothecæ sanctorum Patrum.

De fide Catholica, *Librum vnum.* Quoties occurrit animo.

Orationem Dominicam.
Symbolum Apostolorum. } Vertit in carmina.
Canticum Te Deum laudamus.

De Ecclesiasticis dogmatibus, *Librum vnum.* Credimus vnum Deum.

De adoptione filiorum Dei, *Librum vnum.* Venerabili & in Christo.

Manifestationem sanctißimæ Trinitatis, *Librum vnum.*

Historiam Trinitatis, *Librum vnum.* Quamuis alius sit Pater. Parisijs 1576.

De Trinitate & Vnitate quæstionum, *Librum vnum.*

Quem illum esse puto, qui est ad quæstiones Fridigisi. Placuit prudētiæ vestræ fili. MS. Cantabrigiæ in aula Pembrochi & in priuata Lunleiana.

De virtutibus & vitijs ad Guidonem Comitem, *Librum vnum.*

Dilectissimo filio Guidoni. M S. Oxonij in publica. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Et in priuatis Lunlei, & Gualteri Copi.

De animæ vtilitate ad eumdem, *Librum vnum.*

Memor petitionis tuæ, & ex ijs quæ ad Guidonem scripsit quædam habentur M S. Oxonij in bibliotheca publica. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Et in priuata Baronis de Lunleio.

Ad *Dauidem, hoc est, ad Carolum Magnum de discrimine inter æternum & sempiternum*, epistolam. Extat tomo tertio bibliothecæ sanctorum Patrum.

Ad *Eulaliam de natura & immortalitate animæ*, *Librum vnum.*

Sanctæ sollicitudini vestræ. M S. in priuata biliotheca Baronis Lunlei,

Ad eamdem virginem de ratione animæ, *Librum vnum.* M S ibid & in S. Gallo.

Ad *Oduvinum presbyterum de baptismi ceremonijs*, epistolam. Extat.

De diuinis officijs, *Librum vnum.* Extat tomo tertio bibliothecæ SS. Patrū.

De proprietate nominum Dei, *Librum vnum.* Domino Deo rectori optimo.

Speculum humanæ vitæ, seu de vera simplicitate, *Libros septem.*

Reuerēdissimo in Christo Patri. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.

Grammaticam. *Librum vnum.*

Audiuimus doctissime Magister. M S. in bibliotheca S. Galli. Extat in Promptuario Canisij

De sanctuario diuino, *Librum vnum.*

Argumentum suæ fidei, *Librum vnum.*

Responsiones ad interrogata, *Librum vnum.*

Confeßionem fidei, seu doctrinam de Deo, *Librum vnum.* Satis benignè suscipio. Extat Parisijs 1579.

Dialogorum inter se & Carolum, *Librum vnum.* Natura enim ipsa sumus.

De

De virtutibus ad eundem Carolum, *Librum vnum.* Benedictus Deus & Dominus. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Categoriarum ad eumdem, *Librum vnum.* Cùm omnis scientia & disciplina sit.

Ad Caroli orationem, *Librum vnum.*

Dogmata ad Carolum ex dictis & canonibus veterum, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De Rhetorica ad eumdem, *Librum vnum.* Domino glorioso Carolo Imperatori.

De Antichristo ad eumdem, *Librum vnum.* Imprimis illud præcipuè est.

De gestis eiusdem Caroli Magni, *Librum vnum.*

Chronicorum suorum, *Librum vnum.* Anno Dominicæ incarnationis 449.

De septem artibus liberalibus, *Librum vnum.* Domino meo Venerabili.

Disputationum cum Pipino, *Librum vnum.* Quid est littera, si ad prin.

Speculum paruulorum, *Librum vnum.* In scriptura diuina legimus.

Ad Ecclesias Anglorum, *Librum vnum.*

Correctiones diuinorum, *Librum vnum.*

De officijs per ferias, *Librum vnum.*

De vita & virtutibus S. Martini, *Librum vnum.* Postquàm Dominus.

De vita S. Vedasti Atrebatensis, *Librum vnum.* Vide Surium mense Februario.

De gestis discipulorum S. Gregorij Papæ, *Librum vnum.*

De doctrina S. Basilij, *Librum vnum.*

Ad Athelardum Archiepiscopum Cantuariensem, *Librum vnum.*

De vita S. Vvillibrordi ad Beonradum Archiepiscopum, *Libros duos.* Alterum versu, alterum prosa. De quo etiam defuncto habuit homeliam. Et hæc pleraque habentur M S. Oxonij in publica. Vide Surium die septimo Nouembris.

Dialogorum ad discipulos, *Librum vnum.*

De proprietatibus rerum & sermonum, *Librum vnum.*

Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Extat apud Henricum Canisium tomo primo.

Sermones elegantes, *Librum vnum.*

Ad Gislam & Rictrudem, *Librum vnum.* Charissimis in Christi charitate.

De veneratione Imaginum, *Librum vnum.*

De benedictionibus Patriarcharum, *Librum vnum.*

De martyrio S. Bonifacij Maguntinensis Archiepiscopi, & de pago Doccumensi, versu heroico, *Librum vnum.*

De vita S. Richarij Abbatis, *Librum vnum.* Vide Surium vicesimo sexto Aprilis.

Prognosticon de sæculo futuro, *Librum vnum.*

De auriculari confeßione, *Librum vnum.*
Precationes in Missa, *Librum vnum.*
Disputationem cum Carolo Magno de Rhetorica & virtutibus. M S. in Monasterio S. Galli. Extat Parisijs, & alibi anno 1539.
Dialecticum per Dialogum cum Carolo Magno. Quia mentionem Philosophiæ. M S. in Monasterio S. Galli. Extat apud Henricum Canisium in Promptuario Ecclesiastico.
De ratione Septuagesimæ, Sexagesimæ, Quinquagesimæ ad Carolum Magnum epistolam. Extat tomo tertio Bibliothecæ SS. Patrum.
De octo vitijs principalibus, Librum vnum. Extat ibidem.
De confeßione peccatorum ad pueros S. Martini, Epistolam Dilectissimis in Christo filijs. Quæ dicitur haberi M S. in Bibliotheca S. Galli in Heluetia. Et extat apud Henricum Canisium tomo quinto antiquæ lectionis.
De Sapientia, *Librum vnum.*
De veteris Ecclesiæ ritibus & ceremonijs, *Librum vnum.* Quem aliqui non rectè ascribunt Carolo Magno.
De Astronomia, *Librum vnum.*
De Orthographia, *Librum vnum*
Didascalicon, *Librum vnum.*
Carminum ad diuersos, *Librum vnum.*

Scripsit prætereà varias Institutiones Rhetoricas, Dialecticas, Grammaticas, Politicas, Imperiales, & verè Heroicas Duaci anno 1568. cum scholijs Matthæi Galeni. Et habentur apud Canisium loco dicto. Denique in gratiam Caroli Magni collegit, & in vnum volumen per ordinem redegit veterum Patrum, & præstantissimorum Doctorum homelias in Euangelia Dominicarum, Festorum, & Feriarum totius anni ducencos quinquaginta quatuor. Desideratissimo in Christi charitate. Desumptæ sunt autem ex

Sancto Augustino, quadraginta octo.
Sancto Hieronymo, sex.
Sancto Ambrosio, decem.
Sancto Hilario, vna.
Sancto Seueriano, vna.
Sancto Fulgentio, duæ.
Origene, quatuor.
Beda, quadraginta octo.
Sancto Leone, viginti & vna.
Haymone, septem.
Sancto Chrysostomo, vndecim.
Sancto Maximo, septemdecim.
Sancto Gregorio, triginta nouem.
Sancto Anselmo, vna.
Sancto Isidoro, vna.

Henrico, triginta septem.
Extant Coloniæ apud Maternum Cholinum anno 1517. 1539. 1569. Parisijs anno 1535. Et suspicor esse thesaurum concionum, qui à Cholino auctus & denuò recusus dicitur Coloniæ 1604. Opus vidi in Bibliotheca Prioratus Canonicorum regularium S. Augustini in Lotharingia propè S. Romarici montem, qui locus Ereuallis, vulgò Eruo, dicitur. Eratque editio Lugdunensis anno Domini 1539. Extant etiam istæ homeliæ tomo tertio Bibliothecæ sanctorum Patrum. Horum multa nuper edidit vir doctissimus D. Andræas Quercetanus Turonensis Lutetiæ Parisiorum, 1617.

Sed inter eius opera præcipuam laudem meretur ingens illud opus (vt Cardinalis Baronij verbis vtar tom. 9. an. 778.) ab eodem Alcuino siue Albino elaboratum; quo totius diuinæ scripturæ tam veteris quam noui Testamenti vulgata editio emendata est. Acciderat enim vt ipsa multiplicum librariorum exscribentium vitio mendis obsita iam vilesceret; quod periniquo ferens animo Carolus Magnus, vt quàm emendatissima ederetur, in pristinámque vindicaretur integritatem atque splendorem studio propensiori curauit. Vt vero quod omnes refugerent ob nimiam difficultatem, omnino perficeretur, opus delegauit Alcuino, vt absolueret. Qui in idipsum viribus totis inuigilans, vniuersam diuinam Scripturam è vetustioribus ac verioribus fontibus descriptam, recognitã & emẽdatam eidẽ Carolo Magno obtulit. Extat (inquit idẽ Cardinalis Baronius) eiusmodi vetus Bibliorũ codex, Alcuini labor, in Vallicellana nostra Bibliotheca, vbi velut ingens thesaurus asseruatur: vtpote quod viri eruditi qui in emendatione vulgata iterum nostro tempore laborarunt, eo vt antiquiori vsi sunt, cui & plurimùm detulerunt. Hactenus sunt verba Cardinalis Baronij, qui & quædam Epigrammata his subdit, ab eodem Alcuino ad calcem eiusdem operis apposita.

Demùm eximius hic Doctor in cœnobio Cormaricensi, quod ad S. Paulum dicitur, & situm est in ditione Turonensi, animam efflauit, corpus deposuit, & ad meliorem vitam transiuit, decimo quarto calendas Iunij circa annum Verbi incarnati 790, Offa apud Mercios in Anglia regnante. Vide illum quem de Apostolicis Anglicanæ nationis viris conscripsimus Catalogum.

De Sigvvolfo Monacho.

SIGVVOLFVS ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, vt videtur, Transabrinus patria. Vir qui in pietate & studijs, & potissimùm in sacrarum scripturarum lectione, fœlicem collocauit operam. Nec dubium est, quin multa eruditè scripserit, quantumuis pauca admodum ad nos peruenerint. Argumento esse poterit, quòd inter legendum, in quædam Geneseos difficilia loca inciderit, quæ explicare non præsumpsit. Signum est igitur faciliora saltem commentarijs illustrasse. Hanc

790. 124.

etiam existimo fuisse causam, cur Alcuinus ad eum scripserit suam in Genesim interpolatam quæstionũ expositionem, illa videlicet loca explicans, quæ Sigulfus victus rerum difficultate, explicare non est ausus, & ab Alcuino sibi explicari petijt. Sed vt coniecturas omittam, ex ipso Alcuino & Lelando manifestè colligo, Sigulfum scripsisse ad Alcuinum

De exponendis quibusdã difficilibus super Genesim quæstionibus, Librum vnum.

Cætera, si qua scripsit, mihi sunt in obscuro. Claruit anno Domini 790, regnante in Northumbria Alfvvaldo.

De sancto Burchardo.

791. 125. SANCTVS Burchardus ordinis sancti Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Nuisscellensi, S. Bonifacij discipulus. Vir pietatis & doctrinæ laudibus insignis, solidus iudicio, facundus eloquio. Missus in Germaniam per annos plus quàm quadraginta Christi fidem gentibus illis infidelibus prædicauit, multósque populos conuertit. Tandem factus est Herbipolensis seu Vvirtceburgensis Episcopus primus. Multa proculdubiò scripsit, quæ penè omnia cum ipsis suis titulis perierunt. Nam apud historicos inuenio eum, quo tempore, præ infirmitate & senio, relicto Episcopatu suo, se in Monasterium Hohemberg recepit, secum accepisse omnes libros, quos ipse conscripserat, eosque ibi cum fratre suo Siguino reliquisse, vt ex Capgrauio, Lelando, & alijs colligo. Verùm vbi nunc illi libri sint inueniendi, vel quinam fuerint eorum tituli, me latet. Illud vnum constat, quòd cùm iam Episcopatum esset resignaturus, habuerit ad clerum & populum simul congregatum

De substituendo successore prolixam & elegantem orationem.

Senex tandem in cœnobio Hohemburgo, quod ipse construxerat, in pace quieuit die secundo mensis Februarij anno post Christum natum 791, regnante in Northumbria Alfvvaldo. Vide nostrum de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

ÆTAS NONA.

De Eambaldo Iuniore.

800. 126. EAMBALDVS Iunior vel secundus, senioris in Archiepiscopatu Eboracensi successor, natione Anglus. Prædecessori similis in eruditione, omnisque litterariæ supellectilis meritissimus hæres. Erat enim vir pietate, prudétia, doctrina celebris. Sed quod ad eius eximiam scientiam attinet, magis certè apparet ex alijs argumentis, quàm ex libris ab eo scriptis, quos penè nullos inuenimus. Hoc tamen constat, eum habito super Ecclesiæ reformatione Concilio edidisse ad perpetuam rei memoriam

Decretorum Synodalium, Librum vnum.

Claruit anno redemptionis humanæ 800, inchoante Monarchiam

Anglorum Rege Egberto Magno. Vide quem coaceruauimus de Archiepiscopis Eboracensibus Catalogum.

De Kenulpho Rege.

KENVLPHVS regali in Anglia natus prosapia, & ipse Merciorum Rex decimus quartus. Vir belli pacisque artibus mirè florēs, quippè cuius animum regiū disciplinæ liberales insigniter excoluerant. Ecclesiasticorum Doctorum, & præsertim Episcoporum consilio se duci prudenter patiebatur. Et in his venerandus senex Eambaldus Archiepiscopus Eboracensis auctor ei fuit vt scriptis ad Leonem Papam tertium epistolis Archiepiscopatum Cantuariensem ab Offa Rege Merciorum grauiter mutilatum, antiquo restitueret splendori. Scripsit igitur primum per Vuadam Abbatem, deinde per ipsum Archiepiscopum Cantuariensem Athelardum, vt ex nostris historicis & Baronio tomo nono colligo, ad Leonem Papam tertium epistolas plures. Domino beatissimo & verè amantissimo Leoni. Et alia quæ me latent. Claruit anno gratiæ 830. Vide nostrum de regibus Merciorum Catalogum.

830. 127.

De Ethelulfo Rege.

ETHELVLFVS vel Athelulfus Egberti Magni Regis Angliæ filius, & tandem patris in regno successor. Ab ætate tenera in bonis moribus & pietate institutorem habuit Helinstanum, & posteà in litterarum studis præceptorem S. Suithunum Episcopos successiuè Vvintonienses. Quibus Magistris ita educatus est, vt ne vitam quidem regalem Ecclesiasticæ præferret, nec vllum ludum cum litterario conferret. Et planè nunquam hoc institutum, cuius amorem iam imbiberat, deseruisset; nisi necessitas deserere coëgisset. Nam patre mortuo, cùm non esset præter illum regia proles mascula, quæ regni thronum ascenderet, proceres eum compulerunt, vt sceptrum regale susciperet. Et sanè sibi & populo fœliciter regnasset hic Philosophus, vel philosophatus fuisset hic Rex, nisi furores Danorum regni regísque pacem miserè perturbassent. Dum regnauit, Romam peregrinatus est, & sedi Apostolicæ magnam regni sui partem fecit tributariam, reparauítque ibi denuò scholam Anglorum non multo ante tempore fortuito incendio planè in cineres redactam, quam etiam multis donarijs auxit. In Angliam autem reuersus, sua bona filijs & propinquis adhuc viuēs distribuit, & vt omnis eius donatio vim eo defuncto haberet, ipse scripsit in fauorem Apostolicæ sedis

857. 128.

Legum vectigalium, *Librum vnum.*
Testamentum bonorum distributorum, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia.
Vniuersæ carnis viam ingressus est anno Dominicæ Incarnationis 857. Vide nostrum de regibus Angliæ Catalogum.

De Gilda Quarto.

860.
129.

GILDAS post supradictos tres huius nominis, cognominatus Quartus, Britannorum sanguine natus, ordinis S. Benedicti Monachus, Congregationis Banchorensis. Ab ipsa iuuentute eruditionis laude clarescere cœpit, & viros litteratos mirè coluit. Historijs legendis & scribendis, antiquitatibus etiam curiosè inuestigandis multum delectatus, nec minùs occupatus. Sed cùm apud Scotos & Hibernos studeret, eorúmque nimia familiaritate vteretur, eorum se contaminauit erroribus, & implicauit se stultis vanitatibus. Vndè multa fabulosa, prodigiosa, & nonnulla planè falsa & mendacia suis scriptis immiscuit. Quo fit vt eius historiæ licet de rebus valdè antiquis, quorum periucunda est cognitio, tractent, nullam tamen fidem, auctoritatem nullam apud viros cordatos consequuntur, quia sæpè mentienti rarò creditur etiam veritatem dicenti. Feruntillum cùm iam esset ætate maturiore, solidiore iudicio, errorem suum agnouisse, & corrigere tentasse, imò iam operi manum benè admouisse, morte tamen præuentum, vix pauca emendasse: quicquid sit, constat hominem fuisse eruditum, licet parum veracem. Eiusmodi etiam res tractasse, vt si abfuisset illa prodigiosa fingendi temeritas, imò mentiendi libido, laudem nullis vnquam sæculis obscurandam obtinuisset. Scripsit autem vt habet Vion

Breuiarium Gildæ, Librum vnum. A principio mundi vsque ad Diluuium.
De mirabilibus Britanniæ, Librum vnum. Primum miraculum est stagnũ.
De primis habitatoribus Britanniæ, Librum vnum.
De milite Leonis, Librum vnum.
De esse periculoso, Librum vnum.
De milite quadrigæ, Librum vnum.
De Rege Arthuro, Librum vnum.
De sepulchro eius incognito, Librum vnum.
De Perceuallo & Lancelotto, Librum vnum.
De Galguano & quibusdam alijs, Librum vnum. Et alia plura.

Clatuit senex anno post aduentum Messæ 860, regni Anglicani habenas tenente Ethelbritho.

De Burchardo Dorcestrio.

870.
130.

BVRCHARDVS natione Anglus, patria Dorcestrius, primùm clericus, deinde ordinis S. Benedicti Monachus Congregationis Giribennæ. Tandem ad altiorem sanctitatis gradum aspirans, solitudinem petijt, & eremiticam vitam amplexus, rerum cœlestium contemplationi se totum dedidit. Cuius fama motus, & instituto delectatus Fremundus Offæ Regis filius, in ipso iuuentutis flore, eamdem viam & vitam secutus est. Erat autem Burchardus iste non solùm integritate morum, sed etiam doctrinæ laude clarus, quamuis propter perpetuam meditandi cõsuetudinem, & continuam rerum diuinarum contemplatio-

nem perpauca scriptis consignauerit. Edidit tamen

De vita & Paßione S. Fremundi principis & Martyris, *Librum vnum.*

Claruit senex anno redemptionis nostræ 870, Ethelredo Rege in Anglia de summa rerum cum Danis hostiliter depugnante.

De Bristano Croylandensi.

BRISTANVS vel Bricstanus natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Croylandensis, & ibidem Præcentor. Vir ingenij cultissimi. Humaniores disciplinas studiosè amplexus, mathematicarum etiam scientiarum non erat ignarus. Hominis autem litteraria laus præcipua in Poësi & Musica enituit. Ingulphum in historia testem habeo, qui sic loquitur; *Bristanus quondam Cantor Monasterij, Musicus peritißimus, & Poëta facundißimus.* Hic inuadentibus Croylandense Monasterium Danis, & omnia ferro flammáque vastantibus, fuga elapsus euasit, & luctuosam hanc cladem posteà flebiliter discripsit. Nam iuuenis quidam Monachus nomine Turgarus, cui soli ex illic deprehensis barbari pepercerāt, omnium quæ gesta fuerāt, testis oculatus, omnia Bristano fideliter retulit, & Bristanus omnia versibus eleganter narrauit. Scripsit igitur, vt Ingulfus testatur

870.
131.

In cineres Monasterij Croylandensis threnos, *Librum vnum.*

Principium sic habet,

Quomodo sola sedes dudum Regina domorum,
Nobilis Ecclesia & nuper amica Dei.

De alijs eius scriptis nihil habeo. Claruit circa annum Domini 870, dum Ethelredus in Anglia contra Danos imperium ægrè tueretur.

De S. Neoto Aldulphio.

SANCTVS Neotus Aldulphius apud Orientales Anglos nobili ortus prosapia, ordinis S. Benedicti Monachus in cœnobio Harinstoco, alij volunt in Glasconiensi. Vir qui in pusillo corpore magnū animum, ingentes gessit spiritus. Ad eminentem in sanctitate & doctrina peruenit gradum. Post imbibitas in cœnobio liberales artes, & sacrarum litterarum degustata principia, secessit in quandam Cornubiæ solitudinem, & non longè à S. Petroco per integrum septennium eremiticam egit vitam, in perpetuo ferè silentio, summa continentia, maximis vigilijs, & indefessa sacrarum scripturarum meditatione. Posteà virtutibus omnibus instructus, ad hominū conuictum, & socialem vitam, quasi postliminio reuersus, virtutes & bonas litteras, quas didicerat, alios docuit, & omnē quam potuit, promouendis studijs, & suis & alienis adhibuit operam. In gratiam Regis Alfredi Magni se insinuauit, eique fuit auctor, vt scholas Oxonienses, nobilissimas illas Anglorum Athenas, anno Domini 873, repararet, & ereptas Marti Musis restitueret, quod Rex munificè præstitit. Ædificatis (vt alibi fusiùs dictum est) tribus studiosorum Collegijs. Ab ipso autem Neoto hæc saltem inuenimus profluxisse scripta

883.
132.

Ad Martinum Papam secundum pro confirmatione Oxoniensis Academiæ epist.
Ad Alfredum Regem de viuendi ratione, *Librum vnum.*
Sermonum & exhortationum, *Librum vnum. Et alia plura.*

Sanctissimè diem suum obijt pridiè calendas Augusti anno à plenitudine temporis 883, regnante in Anglia Alfredo. Vide quem de Apostolicis Angliæ viris scripsimus Catalogum.

884. 133.

De Ioanne Erigena.

IOANNES Erigena, vel Eurigena vt habet Suffridus Petrus ex MS. codicibus Genblacensi & Affliginiensi, genere Britannus, patria Demeta, vrbe Meneua, quæ & S. Dauidis vocatur, genitore Patricio natus. Hic perperàm à quibusdam cognominatur Scotus, & Bedæ discipulus fuisse asseritur. Quæ tamen constare non possunt. Nam ille Ioannes Scotus Senior, qui Bedæ discipulus fuisse perhibetur, non potuit superuixisse à tempore Bedæ vsque ad tempus quo constat hunc Ioannem Erigenam floruisse. Nam vixisset ad minus centum & quinquaginta annos. Beda etenim non multum superauit annum Christi 730, hic autem floruit anno 880, sub Imperatore Carolo Caluo, & Ludouico Balbo. Nam Nicolaus Papa primus de hoc nostro Eurigena in epistola ad Carolum Cæsarem sic scribit: *Relatum est Apostolatui nostro, quòd opus beati Dionysij Areopagitæ, quod de Diuinis Nominibus, vel cœlestibus ordinibus Græco descripsit eloquio, quidam vir Ioannes Scotus genere* (Scotum ex aliorum relatione vocat) *nuper in Latinum transtulerit, quod iuxta morem nobis mitti, & nostro iudicio debuit approbari; præsertim cùm idem Ioannes, licet multæ scientiæ esse prædicetur, olim non sanè sapere in quibusdam frequenti rumore dicatur.* Porrò fuit noster Erigena vir ingenij pacati, & ad capessendas bonas litteras satis fœlicis. Qua tempestate Dani in Anglia complebant omnia flammis & rapinis, hic Martis osor, & diligens Musarum cultor, tranquillas quærens sedes, & ab omni tumultu longè abesse cupiens, vsque in Græciã perrexit, Athenas petijt, litteras Græcas, Chaldæas, & Arabicas didicit, omnemque arcanam Philosophiam ita penetrauit, vt in omni meliore doctrina vix sui similem quemquam in illa ætate per terrarum orbem habuerit. His fœliciter paractis post annos plures primùm in Italiam, deinde in Galliam venit, multiplicis eruditionis nomine Carolo Caluo, & posteà Ludouico Balbo mire charus extitit, quorum rogatu præfatos S. Dionysi libros Græcos in Latinum vertit. Tandem pacatis in Britannia rebus domum redijt, natale solum reuisit, & in ipsa vrbe sua, at Meneuensi Monasterio, vt suprà dixi, Monachum induit. Tamen eruditionis eius fama cœlari non potuit. Indè namque eum euocauit Rex Alfredus, eumque sibi & liberis suis adhibuit præceptorem. Qui Rex auctor illi fuit, vt è Græca transferret in linguas Chaldaicã, Arabicam, & Latinam Aristotelis moralia de secretis secretorum, seu de regimine principum. Hunc Doctorem Rex Oxonium misit, iussitque vt Academia iam restituta, omnium primus ibi bonas litteras publicè

doceret.

doceret. A fœcundo huius hominis ingenio fructus istos accepimus

De Corpore & Sanguine Domini, *Librum vnum.*
De immaculatis mysterijs, *Librum vnum.*
De fide contra Barbaros, *Librum vnum.*
Homiliarum, *Librum vnum.*
De instituenda iuuentute, *Librum vnum.*
Versiones S. Dionysij, *Librum vnum.* Gloriosissimo Catholicorum Regum.
In eiusdem Hierarchias, *Libros quatuor.* Omne datum optimum & omne donum.
In Theologiam mysticam, *Librum vnum.*
Paraphrasticos tomos, *Librum vnum.*
In Moralia Aristotelis, *Libros nouem.* Non reliqui locum nec templum.
Dogmata Philosophica, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum. Et alia quedã.*

Tandem in cœnobio Malmesberiensi hunc insignem Magistrum inter docendum ipsi discipuli scalpellis præacutis interemerunt anno postquam verbum caro factum est 884, regnante apud Anglos Alfredo.

ÆTAS DECIMA.

De Alfredo Magno.

ALFREDVS cognomento Magnus, natione Anglus, patria Bercheriensis, in villa regia apud oppidum Vanatingum in lucem editus, quartus & vltimus Ethelulphi Regis filius, & ipse tandem Angliæ Rex. Virâ natura ad bonas litteras & virtutes formatus, & his nominibus, parentibus, vt quidam Beniamin longè charissimus. A pueritia in pietatis & eruditionis exercitijs educatus, illam etiam tenellam ætatem versibus rithmicis componendis exercuit pro captu, & paulatim quasi per gradus, studiorum grauiorum amor cum annis creuit, cum ætate coaleuit, adeò vt nunquam in tota vita se inerti dediderit otio. In Regem sublimatus, alios non asciuit sibi consiliarios, quàm viros pietate & doctrina insignes. In his erant eruditissimi ferè illius ætatis, S. Neotus, Asserius, Ioannes Erigena, Grimbaldus, Donvvolfus, Vverefrithus, & similes, quos ex omnibus Angliæ prouincijs euocauit, & apud se nutriuit. Horum lectionibus, præceptis, colloquijs, consilijs, & quotidiana consuetudine, breui temporis spacio incredibiles in bonis litteris, & in omni virtute fecit progressus, adeò vt omnium ferè, quæ tunc extabant, librorum notitiam habuerit. De eo scriptum legi, quod etiam postquàm Rex esset, ex viginti quatuor horis, quæ diem naturalem complent, octo quotidie scribendo, legendo, & orando consumeret. Atque hac doctrina, his virtutibus regnum suum ita tractauit, vt tum belli, tum pacis tempore semper floruerit. Tandem postquàm humaniores litteras, omnes liberales, Mathematicas, & Philosophicas

901.
134.

ſcientias, atque hiſtorias non percurriſſet ſolum, verum etiam ſatis accuratè perdidiciſſet, hortatu præcipuè S. Neoti & collegarum eius, extructis Oxonij tribus Collegijs, Academiam illuc, poſt longum Muſarum exilium, reduxit, vt in Oxonienſi Academia fuſiùs dictum eſt. Doctiſſimis porrò ſcriptis ſuis apud omnem poſteritatem laudes immortales, nomenque nunquam interiturum conſecutus eſt. Multa enim ipſe ſcripſit, multa aliena ex Latino in patrium idioma vertit. Nihil autem eorum quæ ſcripſit, in vulgus emanare permiſit, niſi prius viſum, examinatum, & approbatum ab Archiepiſcopo Cantuarienſi Pleimundo, & à quibuſdam alijs Epiſcopis, atque Doctoribus eruditiſſimis. imprimis ex omnibus legibus, quæ vnquam in inſula noſtra vim habuerunt, flores collegit in vnum volumen, vocauitque

Breuiarium legum, *Librum vnum.*

Legum Occidentalium Saxonum, *Librum vnum.* Locutus eſt Dominus ad Moyſen. Et habetur M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Inſtitutorum, *Librum vnum.* Hæc ſunt pacis agenda, quæ

Scripſit etiam contra iudices iniquos, *Librum vnum.*

Acta Magiſtratuum ſuorum, *Librum vnum.*

Regum varias fortunas, *Librum vnum.*

Ex dictis ſapientum, *Librum vnum.*

Parabolas & ſales, *Librum vnum.*

Collectiones chronicorum, *Librum vnum.*

Aſſerius addit eum ſcripſiſſe teſtamentum ſuum.

Item epiſtolarum ad Vvulſſigium Epiſcopum, *Librum vnum.*

Manuale meditationum, *Librum vnum.* Quem Handbooke vocauit.

Multa etiam ex Latina in Anglicam linguam vertit.

Dialogos S. Gregorij Papæ. Sed liber M S. Horum Dialogorum Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, aſſerit hos Dialogos iuſſu quidem Regis Alfredi, ſed opera Vverefrithi Vvigornienſis Epiſcopi in linguam Saxonicam fuiſſe verſos. Ex Aſſerio colligi poteſt & Regem & Epiſcopum vertiſſe

Paſtorale eiuſdem Gregorij, *Libros duos.* Quos etiam tranſtulit Vverefertus Epiſcopus.

Hormeſtam Pauli Oroſij, *Libros ſeptem.*

Boëtium de Conſolatione, *Libros quinque.*

Aſſerij ſententias, *Librum vnum.*

Leges Martianas, *Librum vnum.*

Leges Molmutinas à Gilda ex Britannico in Latinum verſas, ex Latino in Anglicum vertit ſermonem.

Hiſtoriam Bedæ, *Libros quinque.* M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica. Cum hoc diſtico:

Hiſtoricus quondam fecit me Beda Latinum,
Alfred Rex Saxo tranſtulit ille pius.

Pſalterium Dauidis Regis Rex iſte in Anglicam linguam vertere cæ-

pit, sed morte præuentus rem non absoluit. His & alijs litterarijs monimentis post se relictis, viam vniuersæ carnis ingressus, Vvintoniæ sepultus est circa annum humanæ salutis per Christum reparatæ 901. Vide illum quem composuimus de regibus Angliæ Catalogum.

De Vverefrido Episcopo.

VVEREFRIDVS vel Vverefrithus, Vverefricum vocat Guilhelmus Malmesberiensis, natione Anglus. Vir satis apud Historicos nostros celebratus, & à bonis artibus quas calluit, & à religiosa vitæ sanctimonia, quam impensè coluit, multum laudatus. Maximè quòd in vtroque genere ea tempestate pænituerit, quando Danorum, nec locum Musis tutum barbaries, nec Christianæ religioni suam dignitatem integram relinqueret Paganismus. Sanctitatis itaque & eruditionis titulis Alfredo litteratissimo Regi charissimus extitit: adeò vt Rex eum ad suam Aulam vocauerit, honorificè susceperit, benignè habuerit, & post multiplicem animi beneuoli testificationem, tandem illum ad Vvigorniensem Ecclesiam Episcopali auctoritate regendam promouerit, vt hominis eximij nec doctrinæ, nec morum integritati deesset præmium. Certò mihi persuasum habeo præclarum hunc Doctorem laudatissima scripta, nec illa pauca edidisse, quæ tamen penè omnia, vel flammæ voraces in furoribus bellicis (neque enim mors plerumque est sine Vulcano) sustulerunt, vel obliuio longinqui temporis obscurauit. Hoc saltem testatur præfatus Guilhelmus Bibliothecarius & Monachus Malmesberiensis libro secundo de gestis Regum Anglorum hunc nostrum Vverefridum iussu Regis Alfredi è Latina in Saxonicam linguam transtulisse

901.
135.

S. Gregorij Papæ primi Dialogorum Libros. Qui, vt suprà notaui, M S. sunt Cantabrigriæ in Collegio S. Benedicti. Hæc ferè Capgrauius & Lelandus. Cæterùm diem clausit extremum Vverefridus anno Verbi incarnati 901. dum rerum apud Anglos potiretur Alfredus. Vide nostrum quem de Vvigorniensibus Episcopis exarauimus Catalogum.

De Ioanne Asserio.

IOANNES Asserius vel Asserio genere Britannus, patria Demeta, nam in Australi Vvallia, vbi nunc est Comitatus Pembrochiensis, natus est. Ordinis S. Benedicti Monachus Meneuensis, seu ad S. Dauidem, vbi etiam erat Scriba vel Cancellarius Asserij senioris ibidem tunc Episcopi. Vterque varias tulit persecutiones sub Heymeydo tyranno, illius prouinciæ regulo. Vnde iste ab Alfredo Rege peroportunè vocatus è Vvallia in Angliam, bona suorum cum venia, se ad dictum Regem contulit, eiusque filios instituendos suscepit. Cumque deprehenderet Regem ipsum & litteratum, & litteratorum hominum singularem fuisse fautorem, cum S. Neoto, & quibusdam alijs Doctoribus auctor regi fuit, vt Oxoniensem Academiam bellicis furoribus iam

909.
136.

penè deletam pristinæ dignitati restitueret. Erat vir felicis ingenij, miræ modestiæ, multiplicis doctrinæ, integerrimæ vitæ. Quorum omnium intuitu euectus est ad Episcopatum Shirburnensem. Rempublicam porrò litterariam sequentibus his ingenij doctrinæque monimentis locupletauit. Imprimis in gratiam Regis Alfredi, vt is faciliùs Boëtium de Consolatione in Anglicum sermonem vertere posset, pereruditè scripsit

Commentarios in Boëtium, *Librum vnum.*

Vitam & res gestas Regis Alfredi Latinè, *Librum vnum.* Anno Dominicæ incarnationis 849. MS. in Bibliotheca Baronis Lunleiani. Extat anno 1602.

Annales Britanniæ, *Librum vnum.* Ad quos auctor quidam antiquus fecit additiones eruditas, & scribit eum obijsse anno Domini 909.

Aurearum sententiarum enchiridion, *Librum vnum.*

Homeliarum, *Librum vnum.*

Epistolarum, *Librum vnum.* Alios prætereà libros plures è Latino in Anglicum vertit sermonē. Claruit anno postquam virgo mater peperit Deum infantem 909, dum in Anglia rerum potiretur Alfredus. Vide illum quem composuimus de Episcopis Shirburnensibus Catalogum.

De Blegabrido Languarido.

914. 137. BLEGABRIDVS Languaridus, in Cambria natus, & ab ipsa penè pueritia bonarum litterarum studijs addictus, postquam omnem illam doctrinam quæ ad excolendos mores pertinet, accuratè percepisset, libris legum voluendis & meditandis delectatus, se totum iuris contemplationi atque praxi immersit. Quo in genere cum vbertim profecisset, fama doctrinæ eius per omnes vicinas regiones percrebuit, & ad eum vndique multi concurrebant, iurísque difficiles controuersias ei proponentes, illius in suis litibus dirimendis vtebantur consilio, acquiescebant iudicio. Tam dexter in decernendo, tam fœlix in determinando, vt & inter diffidentes non rarò componeret pacem, & hoc nomine sibi populi beneuolentiam, magnatum fauorem, & maximorum nonnunquam principum conciliaret gratiam. Tandem Landauensis Ecclesiæ factus Archidiaconus, summa auctoritate in illo munere fungendo apud omnes vicinos viguit. Scripsit tamen sua non vsque adeò multa, sed aliena non pauca collegit, atque pulcra methodo ad certa capita referens, omnia præclaro ordine disposuit. Edidit igitur ex doctorum hominum diuersis scriptis

Locorum communium, *Libros plures.*

Vertit etiam ex Britannica lingua in Latinam.

Hovveli principis leges, *Librum vnum.*

Claruit anno postquam filius Dei factus est homo & habitauit in nobis 914, dum summa rerum in Anglia penes Edvvardum, quem vocant Seniorem, resideret.

De Ethelvardo Seniore.

ETHELVVARDVS cognominatus Senior, quoniam ex tribus principibus qui hoc nomine censebantur, tempore fuit antiquior, Alfredi Regis filius, non tamen omninò Regni, sed eruditionis ex parte hæres. Fratre Edvvardo minor quidem ætate, sed æqualis vel potiùs superior doctrina. Hunc enim Guilhelmus Malmesberiensis, hunc Ioannes Vvarvvicensis, quibus etiam astipulatur Lelandus, inter viros eruditissimos numerant, & in omnibus melioribus disciplinis mirificè profecisse scribunt. Scriptorum tamen eius parcissima, imò nulla ferè mentio, nisi quòd ex præfatis auctoribus non obscurè colligitur, eum in lucem emisisse

920. 138.

Chronicorum, *Librum vnum.*

Vvintoniæ mortuus & sepultus est anno Domini 920, regnante in Anglia fratre Edvvardo cui cognomentum fuit Senior.

De Ehelvvardo Iuniore.

ETHELVVARDVS Iunior Edvvardi Senioris filius ex Elfreda Regina. Fuit hic etiam, teste Malmesberiensi, bonis litteris apprimè instructus. Alfredum auum vultu, moribus, ingenio referebat. Scribit Marianus Scotus eum Oxonij diù studuisse, atque ibidem non multo post patrem tempore, tanquam, inter Musas mortuum & sepultum, quod etiam non obscurè insinuat Lelandus. Scripsisse dicitur

925. 139.

Historiarum, *Librum vnum.*

In viuis esse desijt anno postquam verbum caro factũ est 925, inchoante regnum Athelstano.

De Athelstano Rege.

ATHELSTANVS, Regis Edvvardi illius qui cognominatus est Senior filius, & post patrem in Angliæ regno successor. Vir belli pacisque artibus florentissimus. A doctis quibusdam Hebræis in regno suo ad fidem cõuersis, vetus Testamentum ex Hebræo in sermonẽ Anglicũ verti curauit. Scripsit etiam ipse non pauca. Quæ pleraq; tum Anglicè tum Latinè vsque hodiè MS. dicũtur inueniri Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Inter eius lucubrationes hos sequẽtes titulos inuenio

939. 140.

De correctione legum antiquarum, *Librum vnum.*
Nouarum legum, *Librum vnum.* Ego Athelstanus consilio.
Ad suos subditos, *Librum vnum.* Athelstanus Rex notifico vobis.
De constitutionibus ad clerum, *Librum vnum.*
De rebus Astrologicis, *Librum vnum.* Et alia plura.

Glocestriæ tandem viuendi finem fecit anno post impletum de Messia promissum 939. Corpus eius ad cœnobium Malmesberiense delatum, regalem ibi habuit sepulturam. Vide quem collegimus de regibus Angliæ Catalogum.

De Odone Seuero.

959. 141.

ODO Seuerus ex Danico sanguine oriundus, in Orientali Anglia natus, parentes habuit paganos, qui videntes eum conuentus Christianorum frequentantem, in adolescentia penitùs illum deseruerunt. Is autem Aulam Edvvardi Regis senioris petijt, vbi ab Etheluno Duce susceptus, optimis præceptoribus erudiendus traditur. Qui cùm indolis esset egregiæ, breui temporis spacio multum in bonis litteris profecit, & tum Latinam, tum Græcam linguam ità accuratè didicit, vt in vtrâque, versu & oratione soluta scriberet. Suscepto tandem baptismo, successu temporis fit clericus, & indies Edvvardo Regi propter eximiam pietatem, ingenij fœlicitatem, & singularem doctrinam charior factus. Rege demùm mortuo, in summa apud Athelstanum regni successorem gratia esse cœpit, à quo primùm ad Episcopatum Shirburnensem, deindè ad Archiepiscopatum Cantuariensem sublimatus est. Quod autem ad rem litterariam attinet, postquam ordinem S. Benedicti ingressus est, scripsit ad Monachos Floriacenses in Gallia

Pro nepote suo Osvvaldo, *Librum vnum.*
Pro reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, *Librum vnum.*
De vita S. Vvilfridi, *Librum vnum.*
Statutorum synodalium, *Librum vnum.*
Epistolarum, *Librum vnum.*

In quibus vna est ad suos suffraganeos. Mirabili, extat apud Guilhelmum Malmesberiensem.

Diuersorum poëmatum, *Librum vnum.* Et alia plurima.

Cantuariæ mortuus & sepultus est anno Domini 959, sub magnificentissimo Rege Edgaro. Vide eum quem de Cantuariensibus Archiepiscopis composuimus Catalogum.

De Fridegodo Diacono.

959. 142.

FRIDEGODVS Diaconus, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Cantuariensis ad fanum Saluatoris. Vir teste Guilhelmo Malmesberiensi, Græcè Latinéque doctus, pietate etiam & obseruátia regulari probatissimus. Varias lucubrationes, & illas sanè non inelegantes edidit, in eo tamen non laudandus, quòd nescius vti sua scientia, adeò Græca Latinis miscuerit, vt qui linguam vtrámque non calluerit, pleráque eius scripta nequaquam intelligere poterit. Cùm anno Domini 956, Odo Cantuariensis Archiepiscopus transferri curasset corpora sanctorum Vvilfridi & Audoëni Cantuariam, hunc Fridegodum rogauit, vt aliquod de illorum laudibus scriptum ederet. Edidit ille versibus heroïcis & quidem tum piè tum doctè

De vita S. Vvilfridi, *Librum vnum.*
De vita S. Audoëni Monachi, *Librum vnum.*
De peccatrice in Euãgelio, *Librum vnum.* Dum pietate multimoda Deus.

De visione beatorum, *Librum vnum*.
De superna Ierusalem, *Librum vnum*. Ciues cœlestis patriæ Regi.
Contemplationum variarum, *Librum vnum*. Et alia nonnulla.
Claruit anno ex quo Virgo peperit 959, sub Edgaro fortunatissimo Anglorum Rege.

De Serlone Dorouernensi.

SERLO natione Anglus ordinis S. Benedicti Monachus Dorouernensis, id est, Cantuariēsis in cœnobio S. Augustini. Vir mira animi moderatione, & qui seipsum, atque suos, ipsúmque adeò, quod incoluit cœnobium, totum denique ordinem suum reddidit omnibus amabilem. Poëta acutus, Rhetor elegans, omni humaniore litteratura, imò omnibus artibus liberalibus sufficienter saltem instructus. In sacris litteris plus quam mediocriter versatus, diuini verbi concionator insignis. Qui licet natura mitis esset & humanus, bonæ tamen conscientiæ testimonio nixus, & Odonis Archiepiscopi Cantuariensis auctoritate fultus, eiusdémque fauore & gratia fretus; vbi opus erat, vt ex Lelando colligi potest, nō solum virtutis studium populo commendabat, sed etiam verbis & scriptis acriter omnium vitia reprehendebat. Promotus est tandem ad Episcopatum, non, vt aliqui malè sentiunt, Shirburnensem, sed Cornubiensem potius. Scripsit

960.
143.

Commentariorum in Pentateuchum. *Libros quinque*.
Homeliarum, *Librum vnum*.
De prouerbijs, *Librum vnum*.
Contra malos Monachos, *Librum vnum*. Et alia non pauca.

Vixit anno Domini 960, dum summa rerum in Anglia penes Édgarum Regem potentissimum esset. Vide quem fecimus de Cornubiensibus Episcopis Catalogum.

De Saliphilace.

SALIPHILAX natione Britannus; hunc in nostro Catalogo locum habebit, quia puto eum circa hæc tempora floruisse, certitudinis enim hac in re nihil habeo. Perhibetur certè fuisse vir omni politiore doctrina insigniter ornatus, & antiquis maximè suæ gentis historijs vehementer delectatus. Sedulam igitur nauauit operam, vt maiorum suorum res gestas ab obscuritate vindicaret, in luce poneret, & condignis, quantū fieri posset, laudibus efferret. Itaque postquàm ad multos annos vndique scrutatus fuisset aduersaria, & omnes, quos inuenire potuit, voluisset veteres chronographorum codices, collectis & coniectis in vnū corpus omnium floribus, magnū inde volumen composuit de stirpibus & successionibus regum Britāniæ, & opus hoc titulo præsigniuit

960.
144.

De genealogia regum Britannorum, *Librum vnum*.

Vti Lucas Euangelista Dominicam generationem. De alijs nihil habeo comperti. Existimo eum claruisse circa annum redemptionis humanæ

960, sub præfato florentissimo Rege Edgaro.

De Vnvvono.

970. 145. VNVVONVS in Cambria natus, linguam Britannicam maternam habuit. Anglicam, Latinam, & Græcam diligenter didicit. Ita vt propter linguarum cognitionem, celebris, & apud suos magni nominis fuerit, Vsque ad senilem tamen ætatem sibi vixisse videtur, & parum aut nihil alijs de sua scientia communicauit. Tandem senex ab Cadmero primo nominis huius apud S. Albanum Abbate Verolamium vocatus, & honesto stipendio conductus, antiqua in eo Monasterio monimenta Britannicè scripta, partim in Latinam, partim in Anglicam linguas vertit. Erant autem inibi codices antiqui, tum sacri, tum profani, de vita, rebus gestis, & passione S. Albani. De consuetudinibus & legibus ciuitatis Verolamiensis, & eiusmodi profana etiam monimenta inueniebantur non pauca. De ritibus, sacrificijs, & alijs Romanorum Ethnicorum ceremonijs. Quæ penè omnia Britannico sermone conscripta, vel Anglicè vel Latinè reddidit Vnvvonus. Qui & ipse alia non pauca scripsit. Quæ Abbas vel famam auctori, vel operum vtilitatem inuidens posteritati, suppressit pleráque, vt auctor est Lelandus. Tamen saltem acceperunt posteri ab hoc auctore vel translatore

Sancti Albani Britanniæ protomartyris vitam, *Librum vnum.*

Claruit anno post Christi natiuitatē 970, dum potens Rex Edgarus fœliciter ad Anglicani regni gubernaculum sederet.

De Edgaro Rege.

975. 146. EDGARVS Regis Edmundi filius natu minor, & ipse tandem Angliæ Rex. Hic à sanctissimis simul & doctissimis Monachis Dumstano, Ethelvvaldo, & Osvvaldo in bonis litteris, & omni pietatis genere insigniter instructus, vniuersō religiosorum ordini impensē fauebat. Et vti erat vnus ex magnificentissimis, quos vnquàm habuit Anglia, regibus, in eò splendorem suum, simùl & religionem satis declarauit, quod quandiù regni sceptrum tenuit, singulis annis Monasterium aliquod vel de nouo à fundamentis extruxit atque fundauit, vel aliquod collapsum suis sumptibus reparauit. Sed de his suo loco fusiùs. Eò porrò perfectionis in omni eruditionis melioris genere peruenit, vt scripserit constitutionum, sanctionum, & legum volumen cui titulum hunc ascribere solent auctores

Constitutionum Edgari, Librum vnum. Hoc est institutum quod Edgarus. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Epistolarum, *Librum vnum.* Ex quibus vna habetur SM. ibidem.

Ad Angliæ clerum epistolarum, *Librum vnum.*

Quoniam magnificauit Dominus.

Tabulas donationum Ecclesijs & Monasterijs factarum, *Librum vnum.*

Fœliciter ex hac vita transiuit ad meliorem anno post reparatum genus humanum

humanum per Dei filium hominem factum 975, & apud Monachos Glasconienses, quos viuus mirificè dilexit, mortuus in tumulo requieuit. Vide illum quem de regibus Angliæ composuimus Catalogum.

De Fuldeberto.

FVLDEBERTVS, eundem planè existimo, quem aliqui Fulbertum vocare solent, quamuis vtroque nomine plures alij censeantur. Fuit autem hic noster ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, & successu temporis Monasterij Pershorensis Abbas. Quam dignitatem ei virtus & eruditio contulerunt. Erat quippe talis qui iure quodam suo hunc vel etiam sublimiorem honoris gradum meruit, & in hoc nostro catalogo sibi locum vendicat inter litteratos. Nam & erudita eius opera, vt ex imaginibus chronicorum Radulphi de Diceto testatur noster Ioannes Lelandus, à multis scriptoribus mirificè commendantur, & in varijs Angliæ potissimùm Bibliothecis, vsque in hodiernum diem reperiuntur, imò diligenter custodiuntur. Scripsit autem

980.
147.

Homeliarum, *Librum vnum.*

Epistolarum, *Librum vnum.* Ex quibus vna est quòd tria sint ad perfectionem necessaria. Extat Oxonij in Bibliotheca publica, & habetur M S. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.

De quadam consuetudine hostiæ, quam accepit sacerdos quandò ordinaretur ab Episcopo. M S. ibidem. Sed in his duobus M S. auctor vocatur Fulbertus, qui forsan fuit ille Episcopus Carnotensis. Floruit autem noster Fuldebertus anno postquam Verbum caro factum est, & habitauit in nobis 980, dum regnum Angliæ sub deside & degenere Rege Ethelredo miserè languesceret.

De Bridfertho Ramensiensi.

BRIDFERTHVS ordinis sancti Benedicti Monachus & Doctor Anglus, in cœnobio Ramesiensi. Vir in Philosophia Aristotelica benè versatus, & Mathematicarum scientiarum apprimè peritus, cui veritati locupletissimum præbent testimonium eruditissima quæ in eo genere composuit opera. Erat Abboni Floriacensi Abbati familiarissimus, qui & ipse inter aliam qua laudatissimus extitit, multiplicem eruditionem, in Mathematicis etiam disciplinis non mediocrem habuit peritiã. Et videbatur esse inter eos acerrima quædã æmulatio, vter eorum in hac litteraria palæstra alterum superaret, quæ causa fuit, vt vterque doctior, & in his scientijs accuratior euaderet. Porrò scripsit noster Bridfertus & quidem eruditè, lucidissimos commentarios in varia Venerabilis Bedæ opuscula, de circulo Paschali, de Abbaco, de Asse & eius partibus, & de pluribus alijs, quorum vel ipsi tituli interciderunt. Expressos autem operum quæ posteritati reliquit, saltem hos sequentes titulos in probatis scriptoribus nuncupatos inuenimus, quicquid sit de alijs quibusdam quæ dubitanter ei tribuuntur,

980.
148.

Scholia in Venerabilem Bedam de temporibus, Librum vnum.
Spiraculo vitæ humanum genus.
In Bedam de natura rerum, Librum vnum. Duobus modis dicitur Deus.
In libellum Bedæ de loquela per gestum digitorum, Librum vnum.
In libellum eiusdem de ratione vnciarum, Librum vnum.
Extant pleraque cum operibus Bedæ, Basileæ anno 1563.
Scripsit etiam de Principijs Mathematicis, Librum vnum.
De Institutione Monachorum, Librum vnum.
Et alia non pauca. Vixit hic auctor anno gratiæ 980, regnitante in Anglia Ethelredo.

De Lamfrido Vintoniensi.

980. 149. LAMFRIDVS ordinis sancti Benedicti Monachus Anglus in veteri cœnobio Vintoniensi, Congregationis Giribennæ. In præfato Monasterio tam accuratè cum Monastica disciplina bonas literas hausit, vt ab excellente doctrina vulgò Doctor eximius appellaretur. Qui etiam vt ad altiores in omni perfectionis genere gradus ascenderet, neglectis & contemptis omnibus rebus terrenis soli cælestium rerum contemplationi se dedidit. Vndè pauca, & illa spiritualia soluta oratione scripsit
De vita & miraculis sancti Suithuni Vintoniensis Episcopi, Libros duos.
M S. in Bibliotheca illustris Baronis Lunleiani. De alijs hactenus nihil inuenio. Floruit anno Christi 980, dum in Anglia languidè regnauit Ethelredus.

De sancto Ethelvvoldo.

984. 150. SANCTVS Ethelvvoldus in Occidētalibus Angliæ partibus natus ordinis sancti Benedicti Monachus Glasconiensis, sub sancto Dunstano Abbate simul cum bonis litteris regularis vitæ viam arctam didicit. Successu temporis ita profecit, vt euaserit Confessor sanctitate & miraculis clarus, sapientia etiam & doctrina celebris. Magnus fautor eorum qui religiosum sequebantur institutum. In omni vita puritatem & castimoniam ipse seruauit, & in alijs summè amauit; luxuriam omnémque illam immunditiem tanquam pestem exosam habuit. Elucescentibus virtutibus primùm factus est Abbas Abindonensis, & tandem Episcopus Vintoniensis. Inter alia suæ sanctitatis & doctrinæ argumenta reliquit
De sua in Presbyteros potestate ad Ioannem Papam decimum quartum, Librum vnum.
Contra presbyteros fornicarios & eorum concubinas, Librum vnum.
De Abbatibus Lundisfarnensibus, Librum vnum. M S. Cantabrigiæ in Vniuersitatis publica Bibliotheca.
De regibus, regnis, & Episcopatibus totius Angliæ, Librum vnum. MS. ibid.
De tempore regum Britannorum, Librum vnum. M S. ibidem.

De suis visitationibus, *Librum vnum*. Sed opus est Etheliuoldi Monachi Vintoniensis.

De planetis & mundi climatibus, *Librum vnum*. Et alia non pauca. Tandem ex hac vita migrauit ad meliorem Vintoniæ, vbi & sepultus fuit Calendis Augusti, anno postquam Verbum caro factum est 984, languide apud Anglos regnante Ethelredo. Vide illum quem de nostris Episcopis Vintoniensibus composuimus catalogum.

De sancto Dunstano.

SANCTVS Dunstanus claris in Anglia natus parentibus, ab Hibernis Monachis in timore Dei, & bonarum literarum studijs optimè educatus, successu temporis factus est ordinis sancti Benedicti in cœnobio Glasconiensi primùm Monachus, deindè Abbas. Vir Græcè Latinéque doctus, & omnibus artibus liberalibus egregiè instructus, Musicus præsertim insignis, & statuarius non contemnendus. Monachorum & sanctimonialium sanctè Deo seruientium mirificus fautor, ipse Monasticæ disciplinæ cultor eximius. Erat etiam tum in vita, tum post mortem miraculis tanquam expressis sanctitatis signis clarus. Atque his nominibus vt amicus Dei bonis omnibus fiebat amabilis, summóq; in precio habitus est. Primùm itaque ad Episcopatum Vigorniensem, deinde ad Londinẽsem, & tandem ad Primatum Cantuariensem euectus est. Quos autem ingenij doctrinæque fœtus protulerit, hic locus est dicendi. Scripsit

988.
151.

Formulam benedictionum Archiepiscopalium, *Librum vnum*.
Dunstanus misericordia Dei Archiep.
In regulam sancti Benedicti tractatum paruum. Extat in Belgio in octauo.
De regula vitæ Monasticæ, *Librum vnum*.
Contra malos sacerdotes ad Papam, *Librum vnum*.
De Eucharistia, *Librum vnum*.
De decimis, *Librum vnum*.
De occulta Philosophia, *Librum vnum*.
De ordinatione cleri, *Librum vnum*.
Epistolarum contra Edvvinum, *Librum vnum*.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum*. Et alia multa. Senio tandem confectus sanctissimè diem obijt extremum decimo quarto Calendas Iunij, anno ætatis suæ septuagesimo nono, Præsulatus vicesimo octauo, redemptionis humanæ 988, dum sub molli Ethelredo res Anglica miserè vacillaret. Alij tamen mortem eius referunt ad annum Domini 1001. Vide illum quem de Cantuariensibus Archiepiscopis fecimus catalogum.

De Alfredo Malmesberiensi.

ALFREDVS ordinis sancti Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Malmesberiensi, vbi etiam eodem tempore fuit Abbas,

990.
152.

quo S. Dunstanus Glasconiense Monasterium regere incepit. Erantq; hi duo multùm inter se familiares. Et Alfredus sanè plus quàm vulgariter doctus, sed suprà quàm dici potest rebus Ecclesiasticis delectatus, impensè dilexit decorem domus Dei. Cantum tam vocalem, quàm instrumentalem libenter inter Missarum solemnia, & alia officia diuina adhibuit. Laudans Deum in chordis & organo, & in cymbalis benè sonantibus. Ecclesiam suam splendidè semper ornari voluit, omnia ibi munda, nitida, bono ordine disposita libenter contemplabatur, altaria benè apparata, vestes sacras, speciosas, simul & pretiosas, candelabra, cruces, calices ex auro & argento gemmis fulgentes. Denique quicquid cultum diuinum promouere & augere, mentésque hominum ad cælestis gloriç contemplationem aut gustum aliquem incendere posset, illud omne summoperè illi fuit cordi. His pietatis & eruditionis titulis, ad Cridiensem Episcopatum promotus est. Sed nunc lucubrationum eius titulos subijciamus. Scripsit teste Malmesberiensi & alijs

De naturis rerum, *Librum vnum.*
De rebus sui cœnobij, *Librum vnum.*
De S. Aldhelmo, *Librum vnum.* Et alia quædam. Claruit anno Domini 990, sub languido Ethelredi regno. Vide quem fecimus de Cridiensibus Episcopis catalogum.

De Osvvaldo Odonio.

992.
153.

OSVVALDVS, ab auunculo Odone Cantuariensi Archiepiscopo cognominatus Odonius. Vintoniensis primùm Canonicus, posteà Decanus, deindè Abbonis, Abbatis Floriacẽsis in Gallia discipulus, & ibidem sub eodẽ Monachus ordinis S. Benedicti. Sed indè in patriam reuersus, Osbetillo Dorcestrensi Episcopo fuit à secretis, postea Vigorniensis factus Episcopus, & demùm Archiepiscopus Eboracensis. Vir acutus ingenio, maturus iudicio, prudens consilio, pietate etiam & doctrina clarus, necnon piorum & doctorum hominum maximus fautor. In palustribus Ramesiæ locis Monasterium ædificauit, & præfatum Abbonem ibi primùm prælectorem constituit. Praxi magis deditus quàm contemplationi, pauca admodum scripsit

Ad Odonem auunculum, *Epistolas plures.*
Ad Abbonem, *Epistolam vnam.* Præscientia Dei Monachus Osvvald.
Ad sanctos dum egit Floriaci, *Librum vnum.* Osvvaldus supplex Monac.
Statutorum synodalium, *Librum vnum.* Et alia quædam. Vigorniæ sanctissime mortuus & sepultus est anno post natiuitatem Seruatoris 992, dum Ethelredus regnare conaretur. Vide nostrum de Archiepiscopis Eboracensibus catalogum.

ÆTAS VNDECIMA.

De Vvolstano Vvintoniensi.

VVOLSTANVS Vvintoniæ in Anglia natus, & ibidem ordinis S. Benedicti Monachus fuit Cõgregationis Giribennæ, Ethelvvoldi Monachi & Vvintoniensis Episcopi discipulus, tandem etiam in Monasterio suo factus est Magister, & suorum confratrum tum in cantu, tum in litteris institutor. Erat enim vir pius & plus quàm mediocriter doctus. Quem Guilhelmus Malmesberiensis libro secundo de gestis Regum Anglorum vocat virum eruditum, hominem etiam bonæ vitæ, & eloquentiæ castigatæ. Poësi ab ipsa adolescentia ita delectatus, vt vix, aut ne vix quidem ab ea etiam in ætate maturiore potuerit auelli. Vnde oratione soluta nunquam politè scripsit. Dicitur vocem habuisse claram & sonoram, & accuratè artem canendi calluisse. Cùm dictus Ethelvvoldus Episcopus anno Domini 970. S. Suithuni corpus transferri faceret, hic versibus non incomptis scripsit & Elphego dedicauit: 1000. 154.

De S. Suithuni translatione, *Librum vnum.*
De miraculis eiusdem, *Librum vnum.*
Ethelvvoldi Episcopi vitam, *Librum vnum.*
Ethelvvolfi Regis vitam, *Librum vnum.*
De tonorum harmonia, *Librum vnum.* Et alia plura. Floruit anno gratiæ 1000, socorde illo Rege Ethelbredo de summa rerum in Anglia contendente

De Haymone Eboracensi.

HAYMO ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Eboracensi, congregationis Floriacensis, vel, vt alijs placet, Giribennæ. Vir integritate vitæ, & multiplicis doctrinæ laude clarus. Sed felicis eius ingenij plerique labores infeliciter perierunt. Constat tamen eum scripsisse 1010. 155.

De martyrio S. Abbonis Floriacensis, *Librum vnum.* Et alia quorum ne titulos quidem inuenio. Vixit anno post verbum Dei carnem factum 1010, Danis omnia per Angliam sub deside Rege Ethelredo vastantibus.

De Osvvaldo Vvigorniensi.

OSVVALDVS ordinis S. Benedicti Monachus Vvigorniensis. Ab ipsa adolescentia magnum ingenij demonstrauit acumen, fuitque bonarum litterarum semper auidus, & in indagandis rebus abstrusis nonnihil curiosus. Non contentus doctrina domestica, &, vt ipsi videbatur, nimis vulgari, simulque existimans nullũ Prophetam acceptum esse in patria sua; in Galliam Belgicam nauigauit, & in transmarinis partibus pleraque celebriora Monasteria studiorum causa visitauit, li- 1010. 156.

beralitate Osvvaldi Episcopi Vvigorniensis in tota illa peregrinatione sustentatus. Inuisit autem inter cætera Monasterium S. Bertini, S. Vedasti, & Corbeiam. Deinde S. Dionysij cœnobium non longè à Parisiensi ciuitate situm, & Latiniacum Fursæi Collegium. Tandem Floriacense Monasterium, vbi præceptorem habuit Constantinum ibidem Monachum, Grammaticum planè insignem. Denique ex multiplici doctrina varijs in locis collecta, quædam tandem edidit opera

Precationum sacrarum, *Librum vnum.*
De conscribendis epistolis, *Librum vnum.*
De componendis versibus, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia plurima. Vidit annum post partum Virginis 1010, quo Danis Angliam miserè vexantibus, languidè sceptrum regni tenuit Ethelredus.

De Alfrico Abindonensi.

1016.
157.

ALFRICVS vel Elfricus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, Ethelvvaldi discipulus, & proximus post Magistrum suum Abbas Abindonensis. Vir pius, & supra vulgarem hominum morem eruditus. Erat autem tam immoderatè Grammaticis studijs addictus, vt penè totam ætatem in ijs consumpserit. Vnde & Grammatici cognomen consecutus est. Successu tamen temporis ad Episcopatum Vviltunensem, imò tandẽ ad Archiepiscopatũ Catuariensem assumptus est. Quamuis autem præcipuam operam posuerit in rebus Grammaticis, aliarũm tamen scientiarum non erat ignarus. Nam ex occasione dignitatum Ecclesiasticarum, quibus supremis ornatus fuit, senior factus etiam Theologicis studijs se dedidit, & in ijs fructus non contemnendos fecit; quod ex libris, quos in lucem emisit, satis manifestum euadit. Scripsit enim vt ex Lelando colligere est

Grammaticæ, *Librum vnum.* Ego Alfricus vt minus sapiens.
Sermonum lingua Saxonica centum & octoginta, *Libros duos.* Qui adhuc habẽtur M S. characteribus Saxonicis Cãtabrigiæ in Bibliotheca publ.
Epistolam de consuetudine Monachorum. M S. ibidem in Collegio S. Benedicti.
Transtulit Canones Concilij Niceni in linguam Saxonicam. M S. ibidem.
Chronica Saxonica maximè de Ecclesia Cantuariensi. Quæ anno ætatis suæ vicesimo tertio scripsisse dicitur. M S. ibidem.

Multa etiam excerpsit ex Prisciano Minore, quæ lingua Saxonica M S. habentur Cantabrigiæ ibidem. Et in Bibliotheca Lunleiana.

Dictionarium Latinum, *Librum vnum.*
Translationem in Genesim, *Librum vnum.*
Super Dialogos S. Gregorij Papæ primi, *Libros quatuor.*
Translationem Donati, *Librum vnum.* Et alia plura. In viuis esse desijt anno post Christum natum 1016, & Cantuariæ sepultus est, regnante in Anglia languido illo Ethelredo. Vide illum, quem de Cantuariensibus Archiepiscopis ordinauimus, Catalogum.

De Andræa Leucandro.

ANDRÆAS Leucander, aliàs Vvhitemam, inquit Lelandus, exteri corruptè Lernandrum vocant, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, Congregationis Cluniacensis, & tandem apud Giruios Abbas Ramesiensis tertius. Postquàm ad aliquot annos, bonis litteris strenuam operam noctes & dies nauasset; & respondentes laboribus produxisset litterarios fructus: mirè tandem inflammatus desiderio videndi loca sancta vrbis Ierosolymitanæ, eò peregrinatus est; vt ad animæ consolationem illa corporeis oculis lustraret, quæ priùs non nisi mentis lumine, & intuitu spirituali, in pijs meditationibus, & sacrarum scripturarum lectione eminùs quodammodò cõtemplatus fuerat. Postquàm autem piè reuerentérque Christum adorasset in loco vbi steterunt pedes eius, in patriam reuersus scripsit

1020.
158.

De sua peregrinatione, Librum vnum.
De vita, actibus, & translatione S. Joannis Episcopi Persarum, Librum vnum.

Vixit Leucander anno partus Virginei 1020, regnante in Anglia Canuto Dano.

De S. Achelnoto.

SANCTVS Achelnotus vel Egelmotus natione Anglus, secundùm aliquos ordinis S. Benedicti Monachus & Abbas Cantuariensis, secundùm alios Glasconiensis, secundùm nonnullos denique Sacerdos, vt vocant sæcularis. Plerique constanter affirmant eum fuisse Decanum Cantuariensem, & ibidem tandem Archiepiscopum extitisse constat. Erat vir in quo pietas cum eruditione, mãsuetudo cum humilitate contendebant vtra magis emineret. Canutus Rex hominem multo prosequebatur amore, & in consilijs intimum adhibebat. In cuius laudibus illud non vltimum ponitur, quod dictum Regem illis litteris ac disciplinis imbuerit, quæ ferum ac trucem eius animum mansuetiorem paulatim reddiderunt, & ad humanitatem egregiè excoluerunt. Fuit etiam in pauperes valdè liberalis, cuius exemplo & monitu Rex non rarò largas eleemosynas erogare consueuit. Studia tum sacra, tum profana illi fuerunt cordi, & vtrisque benè instructus euasit. Romam profectus pro accipiendo Pallio Archiepiscopali, in reditu apud Papiam ad Ticinum, vno auri, & centum argenti talentis coëmit brachiũ S. Augustini Hipponensis in Affrica olim Episcopi, celebris Ecclesiæ Doctoris. Quod in Anglia secum deferens, misit ad Leofricum Cestriæ Consulem, & Couentriæ Comitem. Super qua re scripsit

1038.
159.

Ad dictum Comitem, Librum vnum.
Item ad Fulbertum Episcopum Carnotensem de laudibus beatæ Mariæ Virginis, Librum vnum.
Epistolarum ad diuersos, Librum vnum.

Et alia nec pauca, nec indocta. Ex ergastulo corporis sancta eius anima

migrauit tertio calendas Nouembris anno salutis reparatæ 1038, regnante apud Anglos Haraldo primo. Vide illum quem de Cantuariensibus Archiepiscopis scripsimus Catalogum.

De Hucario Leuita.

1040. 160.

HVCARIVS Leuita, natione Anglus, patria Cornubiensis, & ibidem ad S. Germanum in studijs bonarum litterarũ educatus, atque Leuita factus est. Vir fœlicis ingenij, magnæ industriæ, & qui propter sacrarum litterarum scientiam plus quàm mediocrem, apud suos celebre nomen consecutus erat. Decerpsit hic ex decretis Egberti Archiepiscopi Eboracensis

Ecclesiasticarum Constitutionum flores, — *Librum vnum.*
Scripsit etiam homelias centum & decem, — *Librum vnum.*

Floruit anno æternæ redemptionis inuentæ 1040, occupante regnum Angliæ Haraldo primo.

De Ioanne Garlandio.

1041. 161.

IOANNES dictus Magister Ioannes Garlandius, seu Garlandia, in Anglia natus, & ibi à teneris annis in litterarum studijs diligenter educatus, Grammaticam & Poësim accuratè didicit, & Rhetorices fontem haurire cœpit, ad eloquentiã Romanam gnauiter aspirans. Sed inimica Musis rabies bellica, & penè quotidianus Danorum incursus vix in Anglia quemquam per illa tempora quietum consistere patiebatur. Quod vbi deprehendit Garlandius, relicta patria transmarinas Academias inuisit, vt scientias liberales in libertate securiore pleniùs imbiberet, vel saltem liberior libris incumberet. In hac igitur Palæstra suos commilitones ad vnum omnes multis gradibus superauit, vt eorum prorsus nemo illum multo interuallo consequeretur. Hinc odor boni nominis illius, vnius ciuitatis vel Academiæ terminis contineri minimè potuit, eiusque fama in illis, quibus vixit regionibus longè latéque se diffundere cœpit. Illum in poësi politum, in oratione soluta facundum, ingenio acutum, in colloquio & cõmuni congressu suauem, mãsuetum, modestum, & per omnia moribus vrbanum multi prædicauerũt. Vndè nobiliores quique cõditionibus honestis hominẽ ad sese allicere conati sunt, vt liberos in pietate, litteris & bonis moribus instituẽdos susciperet. Quam viam tandem ingressus, eam sibi & alijs vtilem esse deprehendit. Sed nè sibi solum & discipulis seruirent eius lucubrationes, scriptis multa tum versu, tum prosa mandauit, & teste Bostono Buriensi in maiore Catalogo, posteris hæc sequentia transmisit

De mysterys Ecclesiæ, — *Librum vnum.* Anglia quò tendis, tua dum.
Commentarium in idem opus, — *Librum vnum.*

MS. Cantabrigiæ in Coll. Caij & Gon.

De miraculis D. Mariæ Virginis, — *Librum vnum.* Fecit Deus miras mirum.
Epithalamium eiusdem, — *Librum vnum.* Nobilis erigitur mundi præfecta.

Compendium

Compendium Grammaticæ, Librum vnum. MS. Cantabrigiæ in Archiuis.
Morale scholarium, Librum vnum. MS. ibidem.
Dictionarium de dictionibus obscuris cum commentario. Dictionarius ad res explicandas. MS. ibidem.
Accentarius vel de accentibus, Librum vnum,
Ecclesiæ sacræ normam qui noscere. MS. ibidem
Vnum omnium, Librum vnum. Commoda neglectis dum quærunt.
Satyricum opus, Librum vnum. Scribo nouam tandem Satyram.
Synonymorum opus, Librum vnum. Ad Mare ne videar latices.
Æquiuocorũ opus, Librum vnum. Augustus, Augusti, Augusto Cæsar, vel
Computum, & tabulam, Librum vnum.
Ortolanum, Librum vnum.
Cornutum siue disticha, Librum vnum.
Auream gemmam, Librum vnum.
De pœnitentia, Librum vnum. Et alia plurima.
Claruit teste dicto Bostonio, anno Virginei partus 1041, sub Angliæ Rege Haraldo primo.

De Marbodo Britanno.

MARBODVS seu Marbottus, Marbadum nominat Sixtus Senensis, cognominatus Euanx, Cambrobritannus natione. Postquã bonas artes vsque ad annos iuueniles in patria diligenter didicisset, Danis per Angliam grassantibus circa annum Domini 1020, cedens, in Galliam se contulit, & ad S. Albinum in Andegauensi ciuitate factus est ordinis S. Benedicti Monachus, & successu temporis in Armoricam Britanniam vocatus, propter eximias virtutes & doctrinam singularem, creatus est Episcopus Redonensis. Hunc auctorem in suis scriptis nonnumquam citat Vincentius, & alij probati scriptores. De eius etiam laudibus multa habet Syluester Giraldus Cambrobritannus libro quarto capite decimo sexto speculi Ecclesiæ, vbi & elegantem poëtam, & oratorem, politum in verbis, grauem in sententijs fuisse insinuat, vt nihil de eius scientia Theologica dicam. De illo etiam non dissimilia scribit Lilius Giraldus Italus. Porrò Marbodus partim versu, partim prosa, hæc saltem sequentia scripsit, imprimis versu secundùm sensum anagogicum & moralem

1050.
162.

In Salomonis Cantica Canticorum, Librum vnum.
De passione Thebæorum Martyrum metricè, Librum vnum.
De passione S. Laurentij metricè, Librum vnum.
In his secutus Eucherium Lugdunensem, inquit Sigebertus.
De vita S. Magnoboldi Episcopi Andegauensis Gallicè, Librum vnum.
Quem Latinum fecit Paschalis Robinus.
Sententias multas carmine, Librum vnum.
Lapidarium, seu de preciosis gemmis, id est, de virtutibus lapidum versu, Lib. j. qui continet capita sexaginta vnum. Annulus vt gemmam. MS. Canta-

briæ in Collegio S. Benedicti, & Oxonij in Collegio Balliolensi. Extat Parisijs anno 1531, habeo in mea bibliotheca cum cõmentario Pictorij Villingensis, qui tamen asserit eum fuisse Gallũ. Porrò Marbodus mortuus & sepultus dicitur in ciuitate Andegauensi, iacétque in cœnobio S. Albini cum epitaphio quod posuit Ogerius Episcopus Andegauensis quadragesimus octauus. Obijt autem circa annum Christi 1050, sub Angliæ Rege Edvvardo Confessore.

De Haymone Archidiacono.

1054.
163.

HAYMO honestis in Anglia parentibus natus, & ab ipsa penè pueritia sub optimis preceptoribus in litterarijs disciplinis liberaliter educatus. Cùm maturior factus videret otium litterarium, quod ardenter sitiebat, cum tumultubus Danicis, Angliam per illa tempora crudeliter infestantibus consistere non posse, solum vertit, Gallias petijt, ad S. Dionysium Monachum induit, sacrarũ scripturarum lectioni se dedidit, & tandem Parisijs publicè Theologiam docuit. Sed pacatis nonnihil post aliquot annos in Anglia rebus, affectum iam tædio diuturni exilij

Rursus amor patriæ ratione valentior omni, domum reuocauit.

Vbi posteà factum eum ferunt Archidiaconum Cantuariensem. Scripsit autem partim dum ageret in Gallijs, partim post reditum in patriam libros numero multos, & eruditione insignes, omnes ad Theologiam vel practicam & moralem, vel speculatiuam & spiritualem pertinentes, vt in suis Catalogis testes sunt Petrus Equilinus, & Bostonus Buriensis:

In Pentateuchum Moysi, *Libros quinque*. Ex quibus qui in Genesim sunt, vsque hodie MS. habentur Oxònij in Collegio Lincolniensi.

Super Isaiam, *Libros duos*. Isaias propheta magnus.
Super Machabæos, *Libros duos*.
In epistolas D. Pauli, *Libros quatuordecim*.
In Apocalypsim S. Ioannis, *Libros octo*. Planior fit sensus mysteriorum.
Homelias in Euangelia, *Librum vnum*. Legitur Genesis vicesimo octauo.
Homelias in epistolas, *Librum vnum*. Ad Romanos Apostolus scribens.
De reuelatione corporis S. Dionysij, *Librum vnũ*. Liquet nobis ex veterũ tradi.
De rebus Monachorum, *Librum vnum*. Vt enim ad res Monachorum.
De fructu Incarnationis Christi, *Librum vnum*.
De Sanctorum imitatione, *Librum vnum*.
De memoria rerum Christianarum, *Libros decem*.
De pugna virtutum & vitiorum, *Librum vnum*.
De quibusdam Martyribus, *Librum vnum*. Et alia plura.

Cantuariæ tandem diem clausit extremum die nono Octobris, circa annum Incarnationis Dominicæ, vt testis est Bostonus, 1054, apud Anglos regnante S. Edvvardo Confessore, Regum Anglicanæ stirpis postremo.

De Oliverio Malmesberiensi.

OLIVERIVS, Vincentius Elmerum vocat, nonnulli etiam Egelmerum, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Malmesberiẽsis, & in ipsius Monasterij territorio natus. Vir acris quidẽ, sed nimis præfidentis, imò temerarij fuit ingenij. Post humanioris litteraturæ decursa stadia, studijs se dedidit curiosis. Ex naturalium rerum causis, effectus qui naturæ transcendunt ordinem, deducere & concludere conabatur, de futuris contingentibus mira conijcere, multa prædicere audacter præsumebat. Per Mathematicarum rerum scientiam, artem collegit, imò exercuit iudiciariam. De quodam cometa sui temporis fertur suum iudicium protulisse, & sententiam in hæc verba dixisse: *Venisti? Venisti? multis matribus lugendum malum? Dudum te vidi, sed multo iam terribilius, Angliæ minans prorsus excidium.* Poëticis etiam fabulis occultam aliquam subesse suspicatus veritatem, multa, quæ poëtæ scripta reliquerunt, experiri gestiebat, fictanè essent an facta. Nec ab his phanaticis desijt imaginationibus, donec, vt inquit ille, cœlum ipsum stultitia peteret. Manibus enim & pedibus aptauit arte Dedalæa pennas, conscensóque celsissimæ turris fastigio, vt alter Icarus, auibus (sed infaustis auibus) similis, *tentans per inane volatum*, corporis grauitate deficientibus pennis, ingeniosæ leuitatis luit pœnas, emensóque (vt fertur in aëre stadio) præceps cecidit, crura confregit, nec diù post infortunium superuixit, Britanniæ talem & tantam insipientiæ suæ notam relinquens, qualem, & quantam Icarum Cretæ reliquisse poëtæ comminiscuntur. Sed dum vixit, ferunt eum de poësi & Philosophia naturali, sed maximè de scientijs Mathematicis scripsisse

1060.
164.

De signis planetarum, *Librum vnum.*
De Astrologorum dogmatibus, *Librum vnum.*
De geometria, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia.

Malmesberiæ tandem volando ex hac vita euolauit circa annum Domini 1060, sub Angliæ Rege S. Edvvardo Confessore.

De S. Edvvardo Confessore.

SANCTVS Edvvardus Confessor, Anglorum Rex huius nominis tertius, & regalis Anglorum stirpis vltimus, Ethelredi mollis Regis ex Emma Normanna filius. Vir pius, doctus, iustus, mitis, humilis, innocens, temperans, & qui tota vita virginitatem, integram seruasse perhibetur. Se partim precibus, partim bonarum litterarum studijs, alijsque pijs exercitijs dedidit. In ijs maximè occupatus, quæ gloriã Dei, salutem animæ suæ, bonum Ecclesiæ Catholicæ, vel regni administrationem spectabant. Vndè ex omnibus legibus, quæ vnquàm in Britannia vim habuerunt, siue Troianis, siue Britannis, siue Romanis, Anglis, aut Danis imperantibus floruerunt, florum electione facta, vnum corpus collegit, vnum volumen confecit, & titulum operi præfixit

1066.
165.

Leges populares, *Librum vnum.*
Immunitates Vvestmonasteriales, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos Romanos Pontifices, *Librum vnum.* Et alia. Tandem pridiè Nonas Ianuarij anno redemptionis nostræ 1066, vitam hanc cum meliore mutauit, & Vvestmonasterij regalem accepit sepulturam. Vide quem fecimus de regibus Angliæ catalogum.

De Folcardo.

1206. 166. FOLCARDVS ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in cœnobio Saluatoris Cantuariæ, Congregationis Cluniacensis. Vir vitæ religiosæ, & multæ doctrinæ, vtpotè qui omnem adolescentiā in regulari disciplina, & litteraria palęstra posuit. Nam cùm bonæ indolis specimen præberet, & ad ingenij dexteritatem industriam adiungeret, Aldredum Archiepiscopum Eboracensem egregium studiorum suorum inuenit fautorem, cuius monitu pleraque sua scripsit Folcardus, vt auctor est Lelandus,
De vita S. Ioannis Beuerlacij, *Librum vnum.*
De miraculis eiusdem, *Librum vnum.* Et alia quædam. Fuit etiam huius nominis quidam Doctor Belga qui scripsit vitas S. Bertini Abbatis, & Confessoris, item S. Audomari Episcopi. Peruenit autem noster Folcardus ad annum gratiæ 1066, quo anno adhuc in Anglia regnauit Sanctus Edvvardus Confessor.

De Sulcardo Vestmonasteriensi.

1070. 167. SVLCARDVS honesto loco in Anglia natus, ordinis S. Benedicti Monachus Vestmonasteriensis, Congregationis Cluniacensis. Vir elegantis ingenij, natura mitis, modestus, candidus, vrbanus. In suo Monasterio sub Abbate Eadvvino plurimùm in litteris & pietate profecit. Et cùm per omnia præcellentes animi dotes haberet, omnibus bonis mirificè charus extitit. Sancto Edvvardo Regi & Confessori aliquando familiaris & intimus. Si rem litterariam spectes, antiquitates Angliæ multas fideliter posteris tradidit. Sed in eo maximè laborem suum posuit, vt populum verbo Dei, bonæque vitæ exemplo pasceret. Scriptis autem commisit, vt ex Ioanne Stoo, & alijs colligo,
Chronicorum, *Libum vnum.*
Sermonum, *Librum vnum.*
Epistolarum, *Librum vnum.*
Opuscula varia, *Librum vnum.* Et aliqua quorum vel ipsi tituli turbulentis illis temporibus perierunt. Vestmonasterij tandem mortuus & sepultus est. Et adhùc ferunt in Ecclesiæ paruimento videri lapidem cum hac inscriptione: *Sulcardus Monachus & Chronographus.* Obijt autem circa annum salutis 1070, regnante apud Anglos Guilhelmo primo.

De Continuatore Bedæ.

CONTINVATOR historiæ Venerabilis Bedæ, anonymus, quem sanè Britannum vel Anglum esse constat, ex eo quòd Britones suos, Gallos vicinos subindè vocet. Monachum etiam ordinis S. Benedicti fuisse, mihi non est dubium; tum quia Bedæ Historiam excipit, & producit, tum quia illum in miraculis recensendis nonnunquam imitetur. Scripsit additamentum ad historiam Bedæ sub hoc ferè titulo.

1070. 168.

De gestis Anglorum, Libros tres. Anno ab Incarnatione Domini 440. Hoc opus extat cum historia Bedæ anno 1587. Habeo & perlegi. De alijs eius scriptis nihil explorati habeo. Vixit anno salutis 1070, regnante in Anglia Guilhelmo primo.

De Osberno Cantuariensi.

OSBERNVS natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus, & Præcentor Ecclesiæ Cantuariensis, Congregationis Cluniacensis. Lanfranco Cantuariensi Archiepiscopo familiaris, imò intimus & omnium consiliorum particeps. Vir planè ad pietatem & bonas litteras natus. In conuictu & communi colloquio lepidus & iucundus, acutus etiam in dicterijs, sed mirè simul vrbanus. Artis Musicæ peritissimus. In sacris etiam & profanis quibusq; scientijs valdè versatus. Qui teste Guilhelmo Malmesberiensi, *Romana scripsit eloquentia vitam S. Dunstani Cantuariensis Archiepiscopi, Librum vnum.*

1074. 169.

Vitam Odonis etiam Cantuariensis Archiepiscopi, Librum vnum. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Vitam S. Elphegi Archiepiscopi, versu, Librum vnum. Vt super omne melos M S. ibidem.

Vitam eiusdem prosa, Librum vnum. M S. ibidem.

Vitam S. Martini, Odilonis, Maiolæ & aliorum, Librum vnum. M S. ibid.

Epistolarum familiarium, Librum vnum.

De re Musica, Librum vnum.

De Vocum consonantijs, Librum vnum.

Hæc ferè Bostonus Buriensis, qui & testatur eum vitam produxisse vsque ad annum incarnationis Dominicæ 1074, dum in Anglia & Normannia regnaret Guilhelmus primus.

De *Stephano Vvittebiensis.*

STEPHANVS Vvittebiensis natione Anglus, apud Northumbrenses in Vvittebiensi cœnobio D. Benedicti regulam amplexus, tandem Eboraci in Monasterio beatæ Virginis Mariæ factus est primus Abbas, Congregationis Cluniacensis. Vir ingenij cultissimi, & omnis melioris litteraturæ cupidissimi. Hic teste Lelando, vti pium Prælatum decuit, non solùm ipse in pietate & studijs assidua profecit in-

1080. 170.

dustria, sed etiam alijs auctor fuit, vt ijsdem insisterent vestigijs. Et quoniam per illa tempora, propter frequentes Danorum in Northumbriam incursiones, disciplina Monastica nonnihil elanguit, & laxior in plerisque Monasterijs esset obseruantia regularis: Stephanus labore, industria, prudentia, auctoritate, monitionibus, &, quod caput est, exemplis integerrimæ vitæ, rem in ijs regionibus restituit, & inuiolatam deinceps conseruauit, effecitque vt rei Monasticæ pristinus suus honos constaret. Quantas autem in eo negotio passus fuerit difficultates, posteà mundo patefecit, in opere quod scripsit

De reparato monachatu, *Librum vnum*. Quamuis sancta & vna. Quod opus diù ferunt asseruatum Vvestmonasterij.

De fundatione cœnobij, *Librum vnum*. Claruit anno gratiæ 1080, dum Anglicani regni sceptrum teneret Guilhelmus primus.

De Ethelvverdo Patricio,

1090. 171. ETHELVVERDVS, Elvvardum illustrem vocat in prologo regum Guilhelmus Malmesberiensis, Elfvvardum Lelandus in suo de viris illustribus opere. Non desunt etiam qui Edvvardum eumdem perperàm appellent. Ipse in titulo præfixo epistolæ quam ad Mathildam consobrinam scribit, his nominibus, & cognominibus se indigitat: *Patricius, Consul, Fabius, Quæstor Ethelvverdus*. Hæc ad distinctionem, quoniam suprà duos alios Ethelvverdos posui. Sed quicquid de his sit, erat iste regio Anglorum sanguine procreatus. Ipse enim historiæ suæ libro quarto capite secundo prope finem, Etheredum Regem Athelulfi regis filium quartum asserit fuisse suum atauum. Vir quidem vtcumque doctus, sed, vt videtur, ingenio nonnihil vano. Nam in scriptis suis elatum & turgidum affectans stylum, & emendicatis verbis magnificis luxurians, ad naufragosi sermonis scopulos impegit. Et dum sobriè (quæ non mediocris historiæ laus est) suam narrationem instituere deberet, econtrà iuxta dictum illud Horatianum: *Proijcit ampullas & sesquipedalia verba*. Rem itaque præstitit patriæ magis vtilem, quàm sibi laudabilem. Quoniam elegantiæ Latinæ, & historiæ, cuius virtutem professus est, verbis fastidiosis violauit modestiam, offendit grauitatem, læsit maiestatem. Sic ferè scribit de eo Guilhelmus Malmesberiensis loco citato. Alioquin sanè fuit in eo laudabilis hominis labor, quòd res gestas Anglorum proximè post obitum Bedæ secutas ita diligenter notauit, vt quædam apud eum inueniantur, quorum alibi ante eum vix vspiam facta est mentio. Quare illa certè magna ex parte perijssent, nisi hic auctor ea scriptis mandasset. Sollicitus de conseruanda suæ prosapiæ memoria, de sua progenie scripsit

Ad Mathildam consobrinam, *Epistolas plures*. Dilectissimæ & verè Christi.

Historiam breuem ab origine mundi, vsque ad finem regni Edgari, Lib. quatuor. Exordio sui continet principium mundi. Extat anno Domini 1601. Ha-

beo. Legi. Scribit Lelandus loco dicto eum pertenisse vsque ad annum Domini 1090, sub Anglorum Rege Guilhelmo secundo.

De Honorio Monacho.

HONORIVS S. Benedicti regulam amplexus in Anglia natali solo, Monachus extitit vitæ sanctitate, & eruditionis laude conspicuus. Hic, vt liberiùs Deo diuinarúmque rerum contemplationi vacare posset, pro Christi amore (sic de illo plerique scribunt) inclusus diù vixit, omni hominum colloquio & commercio se penitùs abdicans. Hæc ferè Arnoldus Vion versus finem primæ partis ligni vitæ, qui & addit eum scripsisse satis eruditè quædam, quorum vel tituli pietatem & cælestes speculationes redolent, 1090. 172.

Deuotarum quæstionum & responsionum, *Librum vnum.*
Epistolarum maximè de compunctione peccatorum, *Librum vnum.*

Claruit anno Filij Dei in carne apparentis 1090, inchoante apud Anglos regnum Guilhelmo secundo.

De Vvarnero Homeliario.

VVARNERVS, Vvarmerum vocat Vion in suo ligno vitæ, cognominatus Homeliarius, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Vvestmonasteriensis, & ibidem, opinor, tandem Abbas. Vir qui meritò dici potuit *integer vitæ scelerisque purus*, solidè etiam doctus, & in concionibus, quas habere consueuit benè frequentes, non inelegans. Vtilitati posterorum consulens, suamque famam immortalitati consecrare satagens, teste Bostono Buriensi, scripsit 1092. 173.

Fasciculum temporum, *Librum vnum.*
Homeliarum doctissimarum, *Librum vnum.*
Deflorationes sanctorum patrum, *Librum vnum.* Opus extat Basileæ anno Domini 1494. Claruit anno Verbi incarnati 1092, sub prædicto Guilhelmo Rufo.

De sancto Vvolstano.

SANCTVS Vvolstanus natione Anglus Vvigorniensis, Ingulpho teste, in cœnobio Burgi ordinis S. Benedicti Monachus primùm, deinde etiam Prior, postmodùm Abbas Glauorniæ, & tandem duce virtute, comite doctrina, Vvigorniensis cathedræ dignissimus Antistes. Fuit à teneris (vt aiunt) vnguiculis, in bonis artibus & omni munerum Ecclesiasticorum exercitio, necnon pietatis officio tam insigniter instructus, vt ad maturam iam ætatem peruenienti, nihil ad summam Christianæ vitæ perfectionem desuerit. Moribus vrbanus, conuersatione modestus, victu temperans, castimonia purus, loquela grauis, iudicio maturus, consilio prudens & solidus, in omni tum actione, tum sermone candidus & innocens, verè Israëlita in quo dolus non erat. Illam habens, quam Christus Dominus tantoperè suis commendauit, 1095. 174.

columbinam simplicitatem vt neminem læderet, cum serpentina prudentia coniunctam, vt ne à quoquam læderetur, sibi cautè prospiceret. Dominicis & festiuis diebus ad populum sermones habere solitus, posteris reliquit

Homeliarum, *Librum vnum.*
Admonitionum ad diuersos, *Librum vnum.* MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Tandem dierum plenus, meritis diues, & miraculorum gloria coruscans, ab hac vita ad meliorem migrauit decimo quarto calendas Februarij, ætatis suæ anno octogesimo septimo, Præsulatus tricesimo quarto, redemptionis humanæ 1095, regnante apud Anglos Guilhelmo secundo. Vide quem composuimus de Vvigorniensibus Episcopis Catalogum.

ÆTAS DVODECIMA.

De Godfrido Monacho.

1107. 175. GODFRIDVS ad institutum S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio S. Suithuni ciuitatis Vvintoniensis, & ibidem tandem Abbas. Priorem tamen semper, & numquam Abbatem, vocat Guilhelmus Malmesberiensis libro quinto de regibus Angliæ, non multum à fine libri. Vbi laudes eius, maximè litterarias, in hæc verba prædicat; *Nec memoria Godfridi Prioris Vvintoniensis ire debet in perditum, qui temporibus his litteratura & religione insignis fuit. Litteraturam protestantur libri plures, & epistolæ familiari illo & dulci stylo editæ, maximéque epigrammata, quæ Satyrico modo absoluit: prætereà versus de primatum Angliæ laudibus. Quid? omne diuinum officium, quod agresti quadam vetustate obsoletum, per industriam suam natiua excultum venustate fecit enitescere.* Indissolubilem amicitiæ consuetudinem contraxit cum Serlone Normanno, eiusdem instituti, paris eruditionis & pietatis Abbate Glaudiocestrensi. De quo iam defuncto scripsit non ineleganter hoc sequens octosticon, vt habet loco citato Malmesberiensis:

Ecclesiæ murus cecidit Serlone cadente,
Virtutis gladius, buccina iustitiæ.
Vera loquens, & non vanis sermonibus vtens,
Et, quos corripuit, principibus placuit.
Iudicium praceps, contrarius ordinis error,
Et leuitas morum non placuêre viro.
Tertius à Iano mensis, lux tertia mensis,
Cum nece suppressum vita leuauit eum.

In sensu non multum dissimili de morte huius scriptoris scribi non immeritò potest. Fuit enim & ipse non solùm ciuitatis in qua vixit, sed etiam totius ordinis, cuius professionem fecerat, ornamentum non vulgare. Quod & signo desuper ostenso in die obitus eius declaratum est. Nam quo die magnus hic Doctor fatis concessit, turris maioris Ecclesiæ

clesiæ Vvintoniensis corruit, vt de illo secundùm litteram etiam, non iniuria simile octosticon initiare possim in hunc modum: *Godfrido cecidit turris moriente cacumen*: cætera qui voluerit, prosequatur. Nos ad eius lucubrationes iam veniamus. Scripsit teste Malmesberiensi, & alijs

De Primatum Angliæ laudibus, *Librum vnum.*
De diuersis hominum moribus, *Librum vnum.*
Epigrammata Satyrica, *Librum vnum.* Vndique susceptum quia miscuit.
Nummi descriptionem, *Librum vnum.* Nummũ descripsit nũmo quoque.
Disticha moralia, *Librum vnum.* Discendi Damiane, modum.
Tetrasticha moralia, *Librum vnum.* Miramur Rupilum.
Hexasticha moralia, *Librum vnum.*
Octasticha moralia, *Librum vnum.*
Epistolarum familiarium, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia non pauca.

Hanc vitam cum meliore commutauit anno post filium Dei hominem factum 1107, & in Ecclesia maiore Vvintoniæ sepulturam accepit, regnante apud Anglos Henrico primo.

De Ingulpho Abbate.

INGVLPHVS Londini in Anglia natus patrem habuit aulicum in obsequijs S. Edvvardi Regis & Confessoris. Et cùm aliquando, vt patrem inuiseret, ad aulam veniret, illi sæpè disputandum fuit cum Regina Editha, vti ipse scribit. Vvestmonasterij Grammaticis, Oxonij Philosophicis studijs operam dedit. Iam vir factus in Normanniam transfretauit, apud Guilhelmũ Ducem se insinuauit, eique secretarius factus est. Sed desiderio Hierosolymitanæ peregrinationis captus, obtenta Ducis licentia, sacrum illud iter suscepit, & vt ipse scribit, Constantinopoli salutauit Imperatorem Alexim, Ierosolymis Patriarcham Sopphronium. Reuersus per Romam in Normãniam, in Abbatia Fountanil factus est ordinis S. Benedicti Monachus, ex quo loco anno Domini 1075, à Duce Guilhelmo qui iam Angliæ Rex factus erat, vocatus in Angliam, creatus est Abbas Croylandensis. Ibi legendis historijs se dedidit, potissimùm Ecclesiasticis nostræ gentis, diligens antiquitatum scrutator. In eo sanè multum laudandus, quòd gratia, qua pollebat apud principes plurimùm, vsus sit nõ tam ad suum priuatum, quàm ad publicum ordinis sui commodum. Vnde inter alia à Rege Henrico primo amplissima priuilegia pro suo Monasterio partim de nouo obtinuit, partim vetera confirmari fecit, vt ipse testatur. Scripsit

1109.
176.

De vita & miraculis S. Guthlaci, *Librum vnum.*
Historiam sui Monasterij, *Librum vnum.* Cùm ego Ingulphus. Extat anno 1601. Habeo. Legi. Obijt anno Domini 1109, sub Angliæ Rege Henrico primo.

De Guilhelmo Cestriensi.

1110.
177.

GVILHELMVS ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Cestriensi. Vir litterarũ scientia, morumque probitate valdè conspicuus, atque his nominibus Anselmo Cantuariensi Archiepiscopo mirè charus. Quare vt erga tantum patronum aliqua grati animi testificatione se declararet, cùm esset Poëta non inelegans, carmine in eius laudem varia scripsit. Partem tamen illorum operum tribuere volunt nonnulli Eadmero Monacho Dorouerniensi. Scripsit

S. Anselmi laudes, *Librum vnum.*
Iterum in eius laudem elegiacos versus, *Librum vnum.*
Epicedion de eius morte versus ducentos & decem. Hæc ferè Lelandus, qui addit eum floruisse circa annum incarnationis Dominicæ 1110, dum in Anglicani regni solio sederet Henricus primus.

De Turgoto Dunelmensi.

1115.
178.

TVRGOTVS, Tothadum aliqui vocant, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in cœnobio Dunelmensi, & in toto Comitatu ibidem sub Episcopo Guilhelmo Vicarius aliquando generalis. Vir grauis, modestus, sobrius, temperans, prudens, magnæ auctoritatis nec inferioris pietatis, insignis eruditionis. Huius viri vitam altiùs repetere libet, quoniam & illustri natus est prosapia, & multis virtutibus claruit. Hic eo tempore quo Guilhelmus Normannus Angliæ regnum occupauit, in iuuentutis flore constitutus vnus erat inter obsides qui pro tota Lindisseia, & castro Lincolniensi tradebantur, qui corruptis pecunia custodibus fugit in Noruegiam, vbi Olauum Regem piè docuit, & in multis ad obsequium diuinum pertinentibus diligenter instruxit, simulque ipse ad vitam Monasticam animum adijcere cœpit. Illos tamen diuinos instinctus sequi distulit. Vnde, vt in talibus vsu euenire solet, conceptus ardor paulatim deferbuit, desiderium refriguit, & tandem voluntas mutata est. Sed Deus hominem, qui suauiter vocatus venire noluit, vi quadam attraxit, & suo nutui parere fecit. Nam cùm post aliquot annos in patriam cum omnibus suis bonis (erat autem diues valdè) nauigio redire voluisset, facto naufragio, & omnibus præter vitam amissis, venit Dunelmum ad Episcopum Vvalcherium, eique omnia quæ contigerant, ordine exposuit. Vvalcherius confestim omni conatu suasit, & licet difficulter, tandem persuasit, vt primum propositum renouaret, & Monachus fieret. Qui cùm consensisset, ab Episcopo missus est Vviremoutham ad virum sanctum Alvvinum Abbatem, vt habitum ab eo susciperet, & sub eo Monasticam disciplinam addisceret. Monasterium autem ingressus, tantum in virtute profecit, vt Alvvino defuncto in cœnobij regimine succederet. In quo Magister suus Guilhelmus Episcopus Dunelmensis, qui in eo præsulatu Vvalcherio successit, eum non mediocriter iuuit. Monasterium autem sibi

commissum strenuè rexit Turgotus ad annos viginti, minus duodecim diebus. Eratque ijs temporibus Malcolmo Scotorum Regi, eiusque sanctissimæ coniugi Margaritæ à confessionum secretis. Tandem anno Domini 1107. ab Henrico primo Angliæ Rege ad Episcopatum S. Andreæ in Scotia euectus, à Rege Scotiæ ibidem receptus, & calendis Augusti Dominico die Eboraci ab Archiepiscopo Thoma & Vlfrico Cardinali consecratus est. Eius hortatu Scotiæ Rex cœnobium Dunelmense reparauit, & ad Dunfremilem, templum in Regum sepulturam extruxit. Hæc pro maiore parte habet in historia sua Rogerus Houedenus in priore parte de Guilhelmo Seniore ad annum Domini 1073. Porrò veracissimus in scriptis suis reputatur hic Turgotus, & qui propter singularem modestiam nihil vnquam cartis mandauit, cuius non habuerit certam scientiam, veritatem perspectam. Scripsit Regis & Reginæ Scotiæ vitas, quorum pios mores, & quotidianos in virtute progressus, ex longa & intima cum ijs familiaritate, & exacta conscientiarum inspectione probè nouerat. Scripsit, si Hectori Boëtio credimus, pleraque lingua quidem materna, sed eloquentia quadam Demostheniana, veritate sincera

De vita Malcolmi Regis, *Librum vnum.*
De vita Margaritæ Reginæ, *Librum vnum.*
De Regibus Scotorum, *Librum vnum.*
Annales sui temporis, *Librum vnum.*
Chronica Dunelmensia, *Librum vnum.* Et alia plura.

Mortuis tandem Rege & Regina Scotorum, statim ad Monasterium suum Dunelmense reuersus, non multo post tempore sanctissimæ vitæ finem optimum imposuit, & ibidem in capitulo medius inter Vvalcherium & Guilhelmum Episcopos Dunelmenses sepulturam accepit anno post Christum natum 1115, dum rerum in Anglia potiretur Henricus primus.

De Ioanne Pico.

IOANNES Picus historicus Anglus, & antiquitatum inuestigator diligentissimus. Ad patriæ potissimùm gloriam & laudem Historicas suas lucubrationes referebat. Quo suo labore iucundo, dum in eo versabatur, percipiebat quandam voluptatem, dum in lucem scripta emisit, patriæ conciliauit honorem, posteris scientiæ suæ reliquit fructum, sibi tandem nominis famam acquisiuit nullis sæculis interituram. Eius historias lectu tum vtiles, tum iucundas longo post tempore diligétissimè relegit, & in epitomen redegit Etonensis Scholæ Magister inferior Guilhelmus Hormannus. Scripsit autem Picus noster

1115. 179.

De Regibus Anglosaxonum, *Librum vnum.*
De Danis in Anglia dominantibus, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Claruit anno à plenitudine temporis 1115, dum Angliam Regem agnosceret Henricum primum.

De Gilberto Abbate.

1117. 180. GILBERTVS, Gislebertum Sixtus Senensis, Giselbertum vocat Vion, sub regula S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Vvestmonasteriensis iuxta Londinum, vbi posteà fuit præpositus, & tandem secundùm nonnullos Abbas. Vir ingenio, pietate, doctrina cum præcipuis quibusque sui temporis Doctoribus meritò comparandus. Nam in Monasterio suo litteras humaniores, imò omnes artes liberales, & Philosophicas scientias accuratè didicit. Deinde in studijs Theologicis Magistrum & Doctorem habuit S. Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem, cuius ductu intimos sacrarum Scripturarum penetrauit recessus. Posteà Gallicanas inuisit Academias, & Italia demùm peragrata, Romam venit, atque indè per Germaniam redijt in patriam. Nec desunt, qui scribant eum sub vitæ finem in Hiberniam profectum, atque ibi Lunicensem creatum Episcopum. Auidum hominis ad doctrinam ingenium quicquid erat vbiuis gentium scientiæ sitiebat ardenter, imò imbibebat diligenter. Redeundo Roma per Germaniã in ciuitate Maguntina incidit in quendam Iudæum veteris legis & Hebraicæ linguæ peritissimum, contra quem habuit doctissimam disputationem, quam optima forma posteà redegit in dialogum, in lucem emisit, & S. Anselmo nuncupauit. Opus hunc titulum gestat

De fide Ecclesiæ contra Iudæos, *Librum vnum.*

Venerabili Patri & Domino. Quod opus MS. habet illustris Baro de Lunleio in suo incomparabili antiquitatum thesauro, & bibliotheca splendidissima.

Homelias super Cantica, *Librum vnum.* MS. Cantabrigiæ in Col. S. Petri.
Super Isaiam Prophetam ad beatum Anselmum, *Librum vnum.*
Super Hieremiam Prophetam, *Librum vnum.*
In prologos S. Hieronymi super biblia, *Librum vnum.* MS. ibidem.
De casu diaboli, *Librum vnum.* De Angelo illo qui non per.
De anima, *Librum vnum.* Vndè infanti contigerit.
De statu Ecclesiæ, *Librum vnum.* MS. Cantabrigiæ in bibliotheca pub.
Homeliarum quadraginta septem, *Librum vnum.*
Epistolarum ad Anselmum, *Librum vnum.* Anselmo Dei gratia Anglorum.
Contra peccata cogitationis, locutionis, & operis, *Librum vnum.* MS. in bibliotheca Gualteri Copi.
An Cantorem Sagiensem, *Librum vnum.* Et alia plura.

Mortuus & inter suos Vvestmonasterij sepultus est anno post apparitionem Messiæ in carne 1117, sub Angliæ Rege Henrico primo.

De Florentio Vvigorniensi.

1119. 181. FLORENTIVS Vvigorniensis seu Brauonius Anglus, & in Anglia in Vvigorniensi Monasterio S. Benedicti regulam professus, religiosæ disciplinæ, pietati & bonis litteris sedulam nauauit operam, euasit-

que tandem in sacris & profanis litteris eruditus, & historiarum tum lectione, tum scriptione clarus. Has enim & similes laudes ei tribuũt eius imitatores Gualterus Couentriensis, Ranulphus Higedenus, & Ioãnes Rossus Vvarvvicensis. Ex Mariano Scoto & quibusdam alijs chronica scripsit, in quibus agit de Pontificibus & Imperatoribus Romanis, de Angliæ Franciæque regibus, Marianum quidem abbreuians, quodammodò, sed res plures paucioribus verbis complectens, & multa, de regibus præsertim Angliæ superaddens. Deduxítque historiam ab initio mundi vsque ad finem vitæ suæ, hoc est, ad annum Domini 1119. Operi titulum indidit, vt scripsit eius continuator

Chronicon chronicorum, Librum vnũ. Britannia insula habet in longitudine.
De regali Anglorũ prosapia, Librum vnum. Adam primus homo genuit fil.
Appendices ad Marianum Scotum, Librum vnum.
De memorabilibus sui cœnobij, Librum vnum.
De genealogijs regum, Librum vnum. M S. Cantabrigiæ in Collegio. S. Benedicti.

Ad eius autem historiam eo defuncto, quidam Monachus Vvigorniensis, cuius nescitur nomen, adiecit annos plus minus quinquaginta. Porrò Florentius scribendi simùl & viuendi finem fecit Nonis Iulij anno mundi per Christum redempti 1119, dum Anglicani Regni sceptrum teneret Henricus primus.

De Hereberto Losinga.

HEREBERTVS cognomento Losinga, nonnullis Cosinga, natione Anglus, patria Suffolcensis, patre Roberto in pago Oxunensi procreatus. Successu temporis ordinis S. Benedicti Monachus Congregationis Cluniacensis. Vir omnium virtutum, & bonarum litterarum studijs impensè deditus, mitis, affabilis, corpore venusto, vultu decoro, moribus candidus, vita integer. Qui tamen posteà miram passus est mutationem. Nam ambitione honorum, & cupiditate captus diuitiarum (omnium enim malorum radix cupiditas) in execrabile Simoniæ crimen incidit. Primùm enim non sine interuentu pecuniæ factus est Prior Fiscanensis in Normannia, tum Abbas Ramesiensis in Anglia, & tandem Episcopus Tetfordiensis. De quibus suo loco. Hæc crimina posteà precibus, eleemosynis, ieiunijs, lacrymis, & alijs prolixis operibus pœnitentiæ redemit. De quo Guilhelmus Malmesberiensis libro quarto in Guilhelmo secundo sic inter cœtera scribit; *Præ se semper (vt aiunt) ferens Hieronymi dictum, Errauimus iuuenes, emendemus senes.* Henricus Huntingdonensis eum virum doctum fuisse asserit, & multa scripsisse testatur. Titulos sequentes producunt aliqui

1120. 182.

Ad S. Anselmum contra malos Sacerdotes, Librum vnum.
Sermonum octodecim, Librum vnum. Conuenistis dilectissimi fratres.
De constitutionibus Monachorum, Librum vnum.
De fine mundi, Librum vnum.

De prolixitate temporum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Et alia plura.
Animam creatori reddidit anno gratiæ 1120, & in Ecclesia Norvvicensi sepultus est, dum in Anglia regnauit Henricus primus. Vide nostrum quem congessimus de Episcopis Norvvicensibus Catalogum.

De Gualtero Calenio.

1120.
183.

GVALTERVS Calenius Cambrobritannus genere, Archidiaconus Oxoniensis, senex iuuenem familiarem habuit Henricum Huntingdonensem. Vir facundus & in historijs multum versatus, quique à sui temporis scriptoribus ab elegante doctrina passim laudatur. In quo etiam cōmendatur industrius in perquirēdis antiquitatibus conatus, & sedula omnium, quos inuenire poterat, veterum librorum lectio. Hoc enim inter alios de illo perhibet testimonium Lelandus. Vetustas Britannorum historias mira diligentia perquirens, tandem in Armorica Britannia codicem antiquum Britannicè conscriptum inuenit, quem ad suos in patriam transuexit, vt in sermonem Latinum verti posset, vti factum est, rogatu multorum nobilium, & opera Galfredi Monachi Monimetensis, quod ipse in operis epilogo expressè testatur. In illo scripto veteri continentur res gestæ regum Britannorum, & series à primo Rege illorum Brito vsque ad Cadvvaladrum postremum. Cuius historiæ, quibusdam eam impugnantibus, patrocinium inter alios quodammodò suscepit Ponticus Virumnius Italus, eique conciliauit auctoritatis non parum dum illam in epitomen redegit. Ipse autem Gualterus, teste Ranulpho, eidem historiæ tempora proximè subsequentia adiecit, & rerum gestarum narrationem vsque ad suam ætatem, per quadringentos & eò ampliùs annos traduxit, operique titulum dedit
Auctuarium Annalium Britannorum, *Librum vnum.*
De rebus gestis sui temporis, *Librum vnum.*
Epistolarum familiarium, *Librum vnum.* Et alia plura.
Sunt qui scribunt hunc Gualterum tandem factum Episcopum Exoniensem. Claruit anno post aduentum Messiæ 1120, sub Anglorum Rege Henrico primo.

De Alexandro Cantuariensi.

1120.
184.

ALEXANDER ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in quodam cœnobio Cantuariæ Congregationis Cluniacensis. Vir bonarum litterarum & pietatis amans. Contemporaneus S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi, eique multum charus, de cuius etiam laudibus quædam scripsit. Et inter alia, teste Arnoldo Vion libro secundo de ligno vitæ, ad Anselmum iunorem senioris nepotem, edidit quoddam opus nouemdecim capitibus comprehensum, cui titulum fecit
Dicta Anselmi Archiepiscopi, *Librum vnum.* Compellis me venerabilis Abba.

Claruit Alexander iste anno Domini 1120, solium Anglicani regni tenente Henrico primo.

De Edmundo Monacho.

EDMVNDVS ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, Congregationis Cluniacensis apud Cantuariam S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi aliquandò discipulus. Vir longa exercitatione in sæcularibus & Ecclesiasticis litteris insigniter expertus. Scripsit, vt Vion & alij testantur,

1120.
185.

De discordia inter Anselmum & Regem, *Librum vnum.*
De libertate Ecclesiastica, *Librum vnum.* Et alia quædam. Claruit anno Verbi incarnati 1120, dum in Anglia rerum potiretur Henricus primus.

De Eadmero.

EADMERVS, vel Edinerus cognominatus Cantor, in Anglia natus, in Cantia educatus, ordinis S. Benedicti Monachus Cantuariensis, in cœnobio Seruatoris Congregationis Cluniacensis. Posteà propter eximias virtutes, & doctrinam singularem factus est Abbas S. Albani, & tandem Episcopus S. Andreæ in Scotia. Fuit S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi primùm auditor & discipulus, deindè conuictor & amicus, tandem exilij comes, & omnium consiliorum particeps. Romam cum eo profectus, vrbanè ab Vrbano secundo susceptus, & in honore magno habitus est. Hunc Guilhelmus Malmesberiensis in prologo regum Anglorum, & alibi frequenter laudat, meritóque laudandum affirmat à sobria sermonis festiuitate, ab orationis elegantia, ab historicæ veritatis sinceritate. Breuiter & stilo sobrio ab Edgaro Rege vsque ad Guilhelmum primum historiam perstrinxit. Deinde latiùs euagatus, res gestas multorum regum & principum ad suum penè tempus deduxit, secuti ex Lelando, Simeone Dunelmensi, & alijs colligere est. Docti viri non pauci ad hunc varias scripserunt epistolas, quæ M S. seruantur Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Ipse autem totam illam discordiam inter Angliæ regem Guilhelmum secundum, & sanctum Anselmum Archiepiscopum Cantuariensem magno volumine fusè scripsit, quod opus hunc titulum præ se fert

1121.
186.

De Ecclesiastica libertate, *Librum vnum.*
Historiam nouorum in Anglia, *Libros sex.* Cum præsentis ætatis diuersis casibus. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Historiarum Collectanea, *Librum vnum.*
De vita S. Anselmi, *Libros duos.* Quoniam multas & antecessorum M S. ibidem.
De rebus gestis S. Anselmi, & S. Elphegi Archiepiscoporum versu, *Librũ vnum.*
De vita S. Vuilfridi Archiepiscopi, *Librum vnum.* Anno qui ab Incarnatione.

Querelam super morte S. Anselmi carmine elegiaco, *Librum vnum.*
De institutis Christianæ vitæ, *Librum vnum.*
De Laudibus Sanctæ Mariæ Virginis, *Librum vnum.*
De gestis sui temporis, *Librum vnum.*

Collegit etiam maximè ex præfato Anselmo de monte humilitatis, & septem gradibus eius, & de duobus eiusdem montis custodibus, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Opusculorum, *Librum vnum.* M S. ibidem.
De S. Dunstano versu. *Librum vnum.* M S. ibidem. Et alia.

Claruit anno salutiferæ redemptionis 1121, rerum in Anglia potiunte Henrico primo.

De Petro Bladunio.

1.0£1 188. PETRVS Bladunius ordinis S. Benedicti in cœnobio Malmesberiensi Monachus Anglus, quem Guilhelmus Malmesberiensis libro secundo de Pontificibus sodalem suum vocat, & vt egregium versificatorem laudat. Erat enim vir omnis humanioris litteraturæ insigniter peritus, & cum præcipuis sui temporis poëtis non immeritò conferendus, altioris etiam disciplinæ nequaquam ignarus. Quod Malmesberiensis loco citato non obscuris verbis plus quam insinuat. Ponens enim initium cuiusdam poëmatis illius, sic loquitur; *Erit ergo hic experimentum eius eloquentiæ duntaxat exiguum; cæterum ipse aliàs in pluribus assecutus est famam altioris gloriæ.* Ergo & plura & altiora scripsit. Ferunt enim eum ad honorem suæ professionis & ordinis, selectorum quorundam Monachorum vitas scribere tentasse maximè versu heroïco, & in eo genere multa non contemnenda edidisse. Sed pauca iniuriam temporis effugerunt. Scripsit saltem teste Malmesberiensi

De laudibus Faritij Tusci Abindonensis Abbatis versu heroico, Librum vnum. Vir probus & prudens, vir verè consiliorum, &c. Aliorum, quantum hactenus inuenio, ne nomen extat. Claruit anno post misericordiam humano generi factam 1130, dum sceptrum Anglicani regni teneret Henricus primus.

De Athelardo.

1130. 189. ATHELARDVS vel Adelardus, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Bathonensis. Ab ipsa penè pueritia alti & magnifici ingenij semina se insita habere demonstrauit. Egregiam autem, quam ei natura dederat, indolem scientijs posteà mirificè excoluit. Virente etenim iuuenilis ætatis flore, studiorum causa patriam reliquit, exteras regiones petijt. Galliam, Germaniam, Italiam, Hispaniam peragrauit. Ægyptum tandem & Arabiam penetrauit, & vbique, quod disceret, inuenit. Cúmque esset ingenij nonnihil curiosi, naturas rerum abstrusiores, & à sensibus humanis magis remotas neruosè perscrutatus est. Et summo vsus labore, diligentia, industria, quasi

onustus

onuſtus ſupellectile litteraria, omniúmque naturalium rerum cognitione, mercator diues ingenioſo lucro domum ad ſuos reuerſus eſt. Poëta, Rhetor, Mathematicus, Philoſophus, Medicus, omnium denique liberalium artium, & multarum linguarum peritiſſimus. Vnde & multos antiquos auctores partim in Anglicam, partim in Latinam linguam ex alijs idiomatibus conuertit. Scripſit de rerum naturalium initijs, progreſſibus, incrementis, effectibus, conſequentibus, dependentijs ab inuicem, & alijs paſſionibus atque proprietatibus; omnia ferè poſt reditum à peregrinationibus in Angliam, & pleraque Richardo Baiocenſi Epiſcopo dedicauit. Titulos autem operum quæ ſcripſit hos ſequentes inuenio

Quæſtiones de naturis rerum, Librum vnum. Cùm in Angliam nuper red.

De cauſis naturalium compoſitorum, Librum vnum. Enucleat cauſas liber iſte. M S. Oxonij in Collegio corporis Chriſti.

De ſeptem artibus liberalibus, Librum vnum. Sæpenumerò eſt à Philoſ.

De ſic, & non ſic, Librum vnum. Meminiſti ex quo incepimus.

Erichiaſarim ex Arabico tranſtulit, Librum vnum. Liber iſte ſeptem Planetarum.

Libros Euclidis de Geometria tranſtulit ex Arabico in Latinum. M S. Oxonij in Collegio Trinitatis.

De Aſtrolabia, Librum vnum.

Problematum, Librum vnum. Et alia quædam de re medica. Ex præfatione operis eius de rerum naturalium initijs patet eum claruiſſe anno poſt aduentum Meſſię 1130, regnante in Anglia Henrico primo.

De Ailmero.

AILMERVS vel Elmerus ſub regula S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Seruatoris Cantuariæ, vbi etiam ad annos octodecim fuit Prior, quod in ſuis epiſtolis ipſe non ſemel innuit. Vir cui valdè cordi fuit regularis diſciplina, & cæleſtium rerum contemplatio, nec inter hæc neglexit vnquàm ſacrarum litterarum ſtudium, & antiquorum Eccleſiæ Doctorum lectionem, quos tanquàm normam intelligendæ ſacræ ſcripturæ ſemper adhibuit, vt apud Lelandum inuenio. Et abundius teſtantur eius ſcripta omni pietate & eruditione referta, quibus nomen ſuum poſteritati, imò verò æternitati commendauit. Scripſit

1130.
188.

De inquiſitione Dei, Librum vnum. Sua Domino atque chariſſimo Nicolao.

De abſentia vultus Dei, Librum vnum. Non ſufficit Domine, non ſufficit.

Exercitia vitæ ſpiritalis, Libros quinque. Redemptor noſter Ieſus Chriſtus.

De bono vitæ clauſtralis, Librum vnum. Domino meritò honorabili &c.

Cc

Recordationes beneficiorum Dei, *Librum vnum.* Euigila anima mea, euigila.

Contra mundi miserias, *Librum vnum.* Venerabili Archidiacono Trustano.

Homeliarum, *Librum vnum.* Supernæ patriæ feruentissimo desiderio.

Epistolarum ad diuersos, *Libros duos.* Tertius credo iam annus est.

Compilauit etiam, *Librum scientialem & sacramentalem.* M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica. Et alia plurima composuit. Cantuarię tandem in viuis esse desijt circa annum Christi nati 1130, sub regno Henrici primi.

De Stephano Hardingo.

1133. 190.

STEPHANVS Hardingus, Arduinum non rectè vocat Vion libro primo ligni vitæ capite quadragesimo secundo, nobili in Anglia familia natus. Ab ipsa adolescentia S. Benedicti regulam amplexus est in Monasterio Shirburnensi, quod erat Congregationis Cluniacensis. Ex Anglia studiorum causa primùm in Scotiam, deindè in Franciam contendit. Iactisque tum bonarum litterarum, tum multò magis pietatis & religionis solidis fundamentis, post aliquot annos, cum quodam bono clerico studiorum socio perrexit in Italiam, & Romam tandem peruenit. Nec longitudo vel difficultas itineris, nec rerum ad victum necessariarum inopia, nec alia incommoda pios iuuenes impedire potuerunt, quo minus, vt testis est Malmesberiensis, quotidiè totum psalterium & euntes, & redeuntes cantarent. Postquam autem Romæ limina Apostolorum reuerenter visitassent, & sua vota piè soluissent, in Burgundiam reuersi sunt. Ibi Stephanus in magno tum recenter extructo Molesmensi Lingonensis agri Monasterio ordinis S. Benedicti subsistens, adductis quibusdam Monachis in suam sententiam, arctiorem viuendi rationem amplexus est. Nam ex eo Monasterio exiuerunt circiter viginti in vastam Cistertij solitudinem anno Domini 1098, & ædificata Ecclesiola paruisque casis strictam & rigidam ibi vitam egerunt. Elapsis autem annis plus minus decem, mortuo Alberico Abbate, Stephanus auctor ordinis electus est ductor gregis & Abbas eorum tertius. Sed de his suo loco. Erat vir vitæ sanctitate, cælestium rerum contemplatione, doctrina etiam & prudentia planè mirabilis, & in quo (vt verbis Guilhelmi Malmesberiensis loquar) *scientia litterarum cum religione quadraret.* Et infra, *sermone comis, facie iucundus, animo semper in Domino lætus.* Hæc & his similia in hominis laudes scribit Malmesberiensis libro quarto de regibus Anglorum capite primo.

Hic operæ precium iudicaui aliquid adiungere ex vetusto quodam codice M S. quem officiosè mihi communicauit *Reuerendus D.* Ioannes Martinus Abbas ad Clarum locum in Lotharingia non longè Nācæo,

vbi ad verbũ ſic habetur: *D. Stephanus natione Anglicus religionis, pauperta-
tis, diſciplinæque regularis ardentißimus amator, fidelißimus æmulator.* Et infra:
*Venerabilis Pater Stephanus ſagacitate peruigil, mirè prouiderat in diſcretionis ſcri-
ptum, tanquamputationis ferramentũ, ad præcidendos videlicet ſchiſmatum ſurculos
ſuccreſcentes mutuæ pacis exoriturum præfocare poterunt fructum. Vndè & ſcri-
ptum illud cartam charitatis competenter voluit nominari. Quod ea tantum quæ
ſunt charitatis, tota eius ſeries redoleat. Ita vt nil penè aliud vbique proſequi videa-
tur, quàm nemini quicquam debeatis, niſi vt inuicem diligatis. Quæ quidem carta,
ſicut ab eodem patre digeſta, à præfatis Abbatibus viginti confirmata, ſigilli quo-
que Apoſtolici auctoritate munita eſt.* Hæc pleráque etiam penè ad verbum
habet in ſuo chronico Sigebertus Gemblacenſis ad annum 1107: Con-
firmatio autem ſtatutorum ordinis Ciſtercienſis quæ compoſuit Ste-
phanus, ab aliquibus tribuitur Vrbano Papæ ſecundo, ab alijs Calixto
ſecundo, ab alijs denique Eugenio tertio. Et omnes forſan rectè ſentiũt.
Nam cùm Stephanus per multos annos Abbas fuerit, potuit varijs tem-
poribus varia ſtatuta condidiſſe, & eorum confirmationem à varijs
Pontificibus accepiſſe. Præfatus D. Abbas Nancæi communicauit
mihi quoddam reſcriptum ſuper hoc negotio datum anno Domini 1119,
quod ſic incipit; *Calixtus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſsimis in Chriſto
filijs Stephano Venerabili, &c.* Ex his & alijs colligo Stephanum ad po-
ſteros tranſmiſiſſe quædam ſcripta non contemnenda, maximè ſi pieta-
tem, religionem, & animarum zelum ſpectes. Quorum hîc habes titu-
los

Cartam charitatis, Librum vnum.
Exhortationum priuatarum ad Monachos, Librum vnum.
Vitæ Monaſticæ ritus & vſus, Librum vnum.

Tandem ſenex & cæcus abdicauit ſe Abbatis officio, & non multo poſt
tempore ſanctiſſimè obdormiuit in Domino anno ſalutiferæ natiuita-
tis plus minus 1133, regnante in Anglia Henrico primo. Vide illum
quem de Apoſtolicis Anglicanæ nationis viris condidimus Catalogum.

De Henrico Bello-clerico.

HENRICVS cognominatus Bello-clericus Angliæ Rex huius no-
minis primus. Ab ipſa ætate tenera bonis artibus, & eloquentiæ
potiſſimùm ſedulam nauauit operam, & vt Thomas Radburnus teſtis
eſt, in liberalibus artibus in Vniuerſitate Cantabrigienſi ſuum primum
protriuit tyrocinium. Tandem in litteris adeò profecit, vt multa non
ineleganter exarauerit, ex quibus quædam Lelandus ſe vidiſſe teſta-
tur Cantuariæ in Monaſterio S. Auguſtini. Titulos ſaltem hos ſequen-
tes apud probatos ſcriptores inuenimus

1135.
191.

De publicis regni decretis, leges appellant Henricianas, Librum vnum.
Epiſtolarum maximè ad S. Anſelmum, Librum vnum.

Obijt anno reparationis humanæ 1135. Vide quem ſcripſi de regibus
Angliæ Catalogum.

De Alfredo Beuerlaceo.

1136. 192. ALFREDVS in Septentrionalibus Angliæ regionibus natus & educatus, sacerdos fuit sæcularis, & Ecclesiæ Beuerlacensis Canonicus & Thesaurarius. Vir in sacris & profanis litteris apprimè doctus, vtpote qui Cantabrigiæ fertur multo tempore omnibus artibus liberalibus, Philosophicis & Theologicis scientijs non inutilem operam impendisse. Qua multiplici supellectile litteraria coaceruata, ad suos reuersus magni fiebat, multique ad eum confluebãt, & eius consuetudine plurimùm delectabantur. Nam & iudicium solidum, & facundiam habuit elegantem. Ab officio quod in Ecclesia sua gessit, Thesaurarij cognomen viuus & post mortem semper retinuit. Sed quod ad rem nostram attinet, ingenium & doctrinam opera, quæ post se scripta reliquit, satis declarant de Regum rebus gestis & continua successionis serie à Brito vsque ad suam ætatem scripsit

Deflorationes Galfredi, *Libros quinque.* Britannia maior, quæ nunc Anglia.

De gestis Regum Britanniæ, *Librum vnum.* Aggressus sum laborem. Itaque mihi.

De gestis Regum Angliæ, *Librum vnum.* Finito regno Britonum, Britan.

Historiam ampliorem, *Librum vnum.* In diebus silentij nostri occur.

De vita & rebus gestis S. Ioannis Beuerlacensis, Eboracensis Archiepiscopi & Confessoris, *Librum vnum.*

Beuerlaci tandem rebus humanis exemptus, & Christianæ sepulturæ traditus est, circa annum humanæ redemptionis 1136, sub inquieto Stephani in Anglia regno.

De Osberto Clarentio.

1136. 193. OSBERTVS Clarentius, vel de Stoc Care, Anglus, in Comitatu Suffolcẽsi natus in pago qui à præterlabente Clarentio flumine, Clarentia dicitur. Alumnus S. Benedicti Londini ad D. Petrum, vulgò Vvestmonasterium, Congregationis Cluniacensis. Vir bonis litteris, & Monasticis disciplinis egregriè excultus, & per omnia talis, quem assiduum virtutis studium, morumque integritas, & innocentia vitæ bonis omnibus de meliore nota commendauerant. Quibus tandem ducibus, teste Lelando, euectus fuit ad illius nobilissimi Monasterij Prioratum. Multum in legendis nec minùs in scribendis, & maximè in imitandis sanctorum vitis se exercuit & oblectauit. Et quoniam in obsequio Dei sub regula Monastica nutritus erat in præfato cœnobio, quod fundatum, vel certè ad multò ampliorem dignitatem exaltatum fuerat à S. Edvvardo Rege & Confessore, committere noluit, vt tam celebre & magnificum pij regis factum posteros lateret. Vnde accurata diligentia, pari elegantia, nec dispari fide dicti regis vitam & res gestas

descripsit, & Alberico sedis Apostolicæ apud Anglos pro Innocentio Papa secundo, legato dedicauit. Titulum autem præfixit

De vita S. Edvvardi Regis & Confessoris, *Librum vnum.*

Reuerendissimo Domino Alberico. Suspicor idem opus esse cuius abbreuiatio reperitur M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De vita S. Ethelberti Regis & Confessoris, *Librum vnum.*

Gloriosus Orientalium Anglorum Rex. M S. ibidem.

De miraculis S. Edmundi Regis & martyris, *Librum vnum.*

Cùm Laureatus Dei martyr Edmundus.

De vita S. Edburgæ virginis, *Librum vnum.*

Fidelibus in Christo sororibus.

Epistolarum religiosarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Præclaros virtutum titulos. M S. in Bibliotheca Lunleiana.

Epistolarum familiarium ad diuersos, *Librum vnum.*

Innocentij summi Pontificis.

Bostonus Buriensis in maiore Catalogo testis est eum claruisse anno postquàm Verbum caro factum est 1136, dominante vtcumque in Anglia Stephano.

De Bernardo Morlanensi.

BERNARDVS Morlanensis, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Cluniacensis. Vir in humanioribus disciplinis benè versatus, oratione tum ligata, tum soluta non ineleganter multas lucubrationes composuit, & in lucem emisit. Theologiam etiam supra vulgarem studiosorum morem tenuit. Sed, quod omnium caput est, inter suos vitæ sanctimonia quasi lucidum quoddam sidus resplenduit. Et per cælestium rerum continuam contemplationem, suam in supernis cum Deo, Angelis, & sanctis, conuersationem habere visus est. Omnem suam eruditionem, omne studium, omnem conatum eò retulit, vt mundi, rerumque mundanarum contemptum, Dei diuinarumque rerum amorem, suo imprimis pectori altè insereret, deinde aliorum mentibus, quantum posset, imprimeret. Quod ex eius scriptis satis manifestum euadit. Scripsit enim ad Petrum Abbatem Cluniacensem

1140.
194.

De contemptu mundi, *Libros tres.* Hora nouissima, tempora pessima.

De mundo, versu, Librum vnum. Vita mori mundo est, sed mors est.

De Verbi incarnatione colloquiũ inter Gabrielem & Mariam, *Librum vnum.*

Fit caput exangue.

Scripsit etiam alia plura, vt testis est Bostonus Buriensis in suo maiore Catalogo. Et floruit anno reparatæ salutis 1140, summa rerum in Anglia sub Rege Stephano miserè fluctuante.

De Roberto Claudiocestriæ Duce.

ROBERTVS Claudiocestriæ Dux, Henrici primi Regis Angliæ filius nothus. Vir verè cordatus, & belli pacisque artibus florentis-

1140.
195.

simus. Huic erudito principi suum opus de Britonum origine nuncupauit Galfredus Monimetensis, eumque in prooemio sic alloquitur: *Opusculo meo, Roberte Dux Claudiocestriæ, sic faueas, & te monitore, teque præside, sic corrigatur, vt non ex meo fonticulo censeatur exortum, sed sale Mineruæ tuæ conditum: illius æstimetur editi quem Henricus illustris Anglorum Rex generauit, quem Philosophia liberalibus artibus erudiuit, quem innata probitas in militia præfecit.* Nec dissimilia scribit de eo Ponticus Virumnius. Porrò ferunt eum durante ciuili bello in Anglia frequentes & perelegantes ad suum exercitum habuisse orationes, ad regni principes & ad quasdam ciuitates eruditas scripsisse epistolas, demùm in talibus libenter & diù versatum posteris reliquisse ad doctrinæ perpetuum testimonium

Opusculorum, *Librum vnum.*

Claruit anno gratiæ 1140, sub languido in Anglia Stephani regno.

De Trustano Archiepiscopo.

1140. 196.

TRVSTANVS vel Trustinus clericus Anglus, & ob merita virtutum successu temporis ad Archiepiscopatum Eboracensem assumptus. De quo alibi fusiùs. Vir grandis ingenij, miræ constantiæ, mediocris doctrinæ, summus doctorum hominum fautor. Scripta quæ edidit laudabilia, pleraque dicauit Guilhelmo Corboïlo Archiepiscopo Cantuariensi. Senex Archiepiscopatum resignauit, Cisterciensem ordinem intrauit, & in eodem vsque ad mortem perseuerauit. Primùm Monachis Cisterciensibus in Anglia Monasteriũ iam antè fundauerat apud Rippon oppidum Eboracensis agri, quod Fontanense seu de fontibus vocari voluit. Vnde & inter alia scripsit

De origine cœnobij Fontanensis, Lib. vnum. Reuerendissimo in Christo cha.
De suo Primatu ad Calixtum Papam secundum, *Librum vnum.*
Contra Anselmum iuniorem, *Librum vnum.* Et alia plura.

Eboraci tandem mortuus & sepultus est anno salutis nostræ 1139, vel 1140, sub iniusto Stephani in Anglia regno. Vide quem scripsimus de Archiepiscopis Eboracensibus Catalogum.

De Roberto Salopiensi.

1140. 197.

ROBERTVS Salopiensis, vulgò de Schrosbery, natione Anglus, ordinis S. Benedicti primùm Monachus, deindè Salopiensis Abbas Cõgregationis Cluniacẽsis: Vir pari affectu ad integritatem vitæ & bonarum litterarum studia raptus, in vtróque genere clarus euasit, vt testis est Lelandus. Postquam factus est Abbas, ex Cãbria transtulit in suum Salopiense cœnobium reliquias S. Vvenefridæ Virginis & Martyris, & vt vno opere in eam suæ pietatis affectum, & in re litteraria suum declararet progressum, de vita & rebus eius gestis, de Tresonte loco eius natalitio, de Carodoco importuno eius amatore, de Elerio Virginis præceptore, denique de eius Martyrio perelegans opus composuit, &

Abbati Vvigorniensi Guarino dedicauit. Sic ferè Ioannes Capgrauius in Catalogo de sanctis Angliæ. Vide super hac re Surium tomo sexto, die tertio Nouembris. Porrò præfatum opus auctor indigitauit

De vita S. Vvinefridæ Virginis & Martyris, *Librum vnum.*

De alijs eius scriptis nihil mihi constat. Claruit Capgrauio teste, anno salutiferæ natiuitatis 1140, dum Stephanus Angliæ Regnum malè acquisitum, peiùs administraret.

De Osberno Claudiano.

OBSERNVS Claudianus seu Claudiocestrensis ad normam S. Benedicti Monachus Anglus. Hic primùm cura parentum optimis præceptoribus traditus, humaniores disciplinas accuratè penetrauit. Posteà Monachus factus mira floruit eloquentia. Philosophus etiam fuit acutus, Theologus profundus. Ad quas scientias incredibilem attulit ornatum summa vitæ innocentia, morum integritas, in agendo dexteritas, in loquendo elegans affabilitas, in iudicando constans soliditas, in explicandis sacræ scripturæ recōditis mysterijs, & abstrusis sensibus perspicua claritas. Denique affluente sua facundia rebus difficilibus facilitatem, obscuris lucem, horridis & incultis dedit splendorem. Alia autem scripsit oratione continua, alia per inter locutores quasi interpolata. In vtróque genere mirificè elegans, & eloquio facundus, nonnumquam etiam gratiosè lepidus. Stylo continuato scripsit ad Gilbertum Episcopum tunc Herefordensem, posteà Londinensem optimum patronum suum

1140.
198.

Super librum Iudicum, *Libros quinque.*
De Incarnatione Christi, *Librum vnum.*
De Natiuitate eius, *Librum vnum.*
De Paßione, *Librum vnum.*
De Resurrectione, *Librum vnum.*
Panormiam quasi vocabularium, ingens opus ad Hamelinum Abbatem suum, Librum vnum. Cum in nocte hyemali.

Per dialogos oratione interpolata.

In Genesim, *Librum vnum.*
In Exodum, *Librum vnum.*
In Numeros, *Librum vnum.*
In Deuteronomium, *Librum vnum. Et opuscula plura.*

Vixit anno post partum Virginis 1140, sub ambiguo in Anglia Stephani Regno.

De Henrico Saltereiensi.

HENRICVS Saltereiensis cœnobij Monachus, Anglus ordinis Cisterciēsis. Hic in Huntingdonēsi Comitatu natus, & ibidē ab ipsis teneris vnguiculis sub optima disciplina educatus, partim in suo Monasterio partim à Florentiano Hibernorum Episcopo, & à Gilberto de

1140.
199.

Luda Cistercienſium Monachorum Abbate, bonas litteras, & optima benè viuendi præcepta didicit. Ipſe etiam iam edoctus, alios docere ſolebat, initium ſapientiæ timorem Domini. Et quia videbat homines plerúmque magis pœnæ timore, quàm virtutis amore à vitij deterreri, populo idétidem inculcare conſueuerat, nihil inquinatum intrare poſſe in regnum cœlorum, atque adeò omni peccato debitam eſſe ſuam pœnam, & priùs ſecundùm diuinam iuſtitiam ſatisfaciendum pro delictis, vel in hoc ſæculo benè faciendo, vel in purgatorio ſupplicia patiendo, quàm cuipiam, qui peccati maculam aliquando contraxit, pateat aditus in æternum cœleſtis beatitudinis refrigerium. Vndè & ſcripſit ad Henricum Abbatem de Sartis

Super purgatorio S. Patricij, *Librum vnum*. Patri ſuo in Chriſto pr.

De pœnis purgatorij, *Librum vnum*. Iuſſiſti pater venerande, vt.

De alijs eius ſcriptis nihil habeo comperti. Claruit anno gratiæ 1140, Stephano cum Mathilda de ſumma rerum in Anglia hoſtiliter contendente.

De Nicolaö Albanenſi.

1140. 200. NICOLAVS natione Anglus, ad S. Albanum Benedictinæ profeſſionis primùm Monachus, deinde Abbas Congregationis Cluniacenſis, vt habet Vion in adiunctis. Præfati Oſberni Claudioceſtrenſis teſtimonio, vir magnæ pietatis, ingenij copioſi, iudicij perſpicacis, multiplicis eruditionis, & qui apud ſuos plurimùm auctoritate pollebat. Sic etenim ex Oſberno refert Lelandus. Hic cùm partim à viris doctis didiciſſet, partim propter pium in beatam Virginem Mariam affectum, & in Chriſtum Seruatorem reuerentiam, crederet matrem filij Dei ſine originali peccato fuiſſe conceptam, nec conuenire vt aliter conciperetur: ad hanc in illa prærogatiuam probandam nonnumquam diſceptationes habuit, & efficaces rationes, validáque argumenta ad hanc ſuam ſententiam corroborandam indagauit. Super qua re tandem ſcripſit, & Hugoni ad S. Remigium Abbati dedicauit

De conceptione beatæ Mariæ Virginis, *Libros duos*.

Sæpenumerò dulciſſimæ fraternitati.

Epiſtolarum ad eumdem, *Librum vnum*. Venerabili Patri Domino Hugoni.

Londini anno poſt Chriſti in carne apparitionem 1140, ſub miſerando in Anglia Stephani Regis dominio.

De Guilhelmo Malmesberienſi.

1142. 201. GVILHELMVS cognomento Somerſetus, vulgò dictus Malmeſberienſis, quia fuit in cœnobio Malmeſberienſi ordinis S. Benedicti, Congregationis Cluniacenſis Monachus Præcentor, & Bibliothecarius. Hic iuueniles annos in ſtudijs humaniorum litterarum; in alijs liberalibus artibus, & in omnibus profanis ſcientijs non infœliciter

liciter collocauit. Et semper optimis vsus præceptoribus, tandem in virum omni genere doctrinæ melioris instructissimum euasit. Cùm autem ei cura Bibliothecæ demandaretur, inter libros officij ratione quotidie versatus, magis & magis affici cœpit ad studia. Vidit ibi in vetustis codicibus multa antiquitatis monimenta, quæ ad nostræ gentis priscum splendorem pertinebant, à blattis exesa, & penè consumpta; quæ ille pia quadam commiseratione motus, ab interitu liberauit, è tenebris eruit, in luce posuit. Nec satis officio factum putauit si solum vetera & aliena conseruaret, nisi etiam noua & sua addijceret. Ad scribendum igitur animum appulit, calamum acuit, omnesque liberas horas in hoc conatu sedulo posuit. Nec fefellit enim sui sementis speratus fructus. Copiosam enim tandem litterariam messem collegit. Huius opera dum voluo, & ex ijs vtilitatem cum voluptate percipio, nec hominis diligentiam pro merito laudare, nec ingentes labores satis mirari possum. Nam adeò accuratè nostras historias tractauit, vt vix quisquam in eo genere sit illi conferendus, nemo anteferendus. Ab Anglosaxonum in Britanniam ingressu per series Regum & Pontificum nostrorum deduxit historiam vsque ad annum vicesimum octauum Regis Henrici primi. Et pleraque sua scripta dedicauit Roberto Claudiocestriæ Duci, præfati Regis filio notho, vel Henrico Soliaco Episcopo Vvintoniensi Stephani Regis fratri. Scripsit autem

De Regibus Angliæ, *Libros quinque*. Res Anglorum gestas Beda. M S. in Bibliotheca Lunleiana. Extat anno 1601. Habeo, & perlegi.

Historias nouellas, *Libros duos*. Domino amantissimo Roberto filio. M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica. Extat 1601. Habeo. Perlegi.

De gestis Pontificum, *Libros quatuor*. Prima sedes Episcoporum. M S. Oxonij in Bibliotheca publica. Extat anno 1601. Habeo. Perlegi. Huius porrò auctoris *super hac materia libri quinquaginta nouem dicuntur haberi* M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica. Item in Collegio S. Benedicti. Et in priuata Lunleiana.

Collegit ex gestis Haymonis Floriacensis de Imperatoribus, *Librum vnum*. Cuius abbreuiatio habetur M S. Oxonij in Collegio Balliolensi.

Genealogiam Regis Henrici secundi, *Librum vnum*. Cùm igitur cla.

Chronicorum fragmenta, *Librum vnum*. Domino venerabili & sa.

Antiquitatum Glasconiæ, *Librum vnum*. Ad Henricum Soliacum Episcopum Vvintoniensem. M S. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti.

In Threnos Hieremiæ Prophetæ, *Libros quatuor*. Sæpè monuisti.

De Euangelistarum serie, *Libros quindecim*.

Itinerarium Ioannis Abbatis, *Librum vnum*.

Principium & processum Malm.

Vitam S. Aldhelmi Episcopi, *Librum vnum*. Beatus Aldhelmus Saxon.

De miraculis S. Andreæ, *Librum vnum*. Inclyta sanctorum Apostolorũ.

De miraculis S. Mariæ, *Libros quatuor*. Multi miracula Virginis.

Vitam S. Dunstani Archiepiscopi, *Libros duos.*
Vitam S. Patricij, *Libros tres.*
Vitam S. Indracti discipuli eius, *Librum vnum.*
Vitam S. Benigni, *Librum vnum.*
De virtutibus sanctorum, *Librum vnum.*
De gente Vvidenorum, *Librum vnum.*
De antiquitatibus Malmesberiæ, *Librum vnum.*
Sermonum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum. Et alia plura.*

Senex Malmesberiæ diem suum obijt, & ibidem sepulturam sortitus est, anno Christi nati 1142, sub inquieto in Anglia Stephani regno.

De Roberto Ketenensi.

1143. 202. ROBERTVS Ketenensis in Anglia natus, & Anglicus sæpè, nonnunquàm etiam Britannus cognominatus. Vir copiosi quidem, sed vagi & curiosi ingenij. Postquàm in patria linguam Latinam vtcumque didicisset, inuisit studendi gratia regiones transmarinas, cumque Galliam, Italiam, Dalmatiam & Græciam peragrasset, in Asiam peruenit: ibi multo labore cum vitæ etiam discrimine, inter truculentissimos Saracenos diù vixit, & Arabicæ linguæ perfectam cognitionem acquisiuit. Deinde in Hispaniam nauigio reuersus, cum quodam Hermanno Dalmata indiuiduo suarum peregrinationum comite studijs Astrologiæ se totum dedidit. Tandem vbi innotuit hominis eruditio, factus est Archidiaconus Papilonensis, & magno stipédio conductus à Petro Cluniacensium Monachorum Abbate, in epitomen redegit, ex Arabica in Latinam linguam transtulit, vt ex Nicolao Cusano in cribratione Alchorani libro primo patet.

Mathumeti Alchoranum, *Libros quatuor.*

Domino suo Petro diuino. Extat Norimbergæ 1543.

Super doctrina Mahumeti, *Librum vnum.*
De Achorani versione, *Librum vnum.*

Extant hæc omnia Basilææ apud Ioannem Operinũ anno Domini 1550.

Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia non pauca. Papilonæ mortuus & sepultus est circa annum incarnationis Dominicæ 1143, Stephano apud Anglos regnum perturbante potiùs, quàm possidente.

De Roberto Pulleinio.

1146. 203. ROBERTVS Pulleinius seu Pulleinus in Anglia natus & ibidem vsque ad iuuentutem educatus. Posteà fugiens ciuiles, qui fuerunt sub Rege Stephano, tumultus, vt ex Bostono Buriensi colligi potest, studiorum causa Galliam petijt, vt Parisijs multo tempore strenuam operam litteris dedit, omnesque scientias, tum sacras, tum profanas, tum diuinas, tum humanas & didicit, & ex parte docuit. Erat enim ad

bonas litteras non solum discendas, sed etiam docendas, & omni ratione promouendas quodammodo factus, & à natura comparatus. Cùm itaque ad singularem doctrinam accessisset ætatis maturitas, iudicij firmitas, & patriæ iuuandæ zelus, iam sacerdos ordinatus, domum ad suos reuersus est, & contemplatus miseram Academiarum faciem bellis domesticis deformatam, statim commiseratione motus, Oxoniensem Academiam iam penè collapsam, denuò erigere, & Musis iterùm restituere deliberauit. Ipse ibi scholas apperuit, optimas scientias gratis docuit, auditores & discipulos, Professores & Magistros ex alijs regni partibus illuc euocauit, ex quibus non paucos suis sumptibus aluit, alios omnibus humanitatis officijs sibi & Musis obstrinxit. Ipseque interea multa docere, dictare, scribere perseuerauit. Quibus suis actionibus planè generosis magnam famam acquisiuit, quæ vsque ad curiam Romanam, & ipsius summi Pontificis aures peruasit. Romam igitur vocatus creatus est S.R.E. Cardinalis & Cancellarius. At ne tum quidem à studijs cessauit, sed multa scripsit. Hoc enim testimonium illi perhibet Ioannes Rossus in libro de Academijs, & non dissimilia scribit Ioannes Lelandus. Ex scriptis autem Pulleinij saltem hæc sequentia monimenta inuenimus

Sententias de S. Trinitate, *Libros octo*. Vt in hoc volumine lectori facilè. M S. in priuata Bibliotheca Gualteri Copi.

In Apocalypsim S. Joannis, *Librum vnum.*

Sopitam plerumque concupiscentiam.

Super aliquot Psalmos, *Librum vnum.*

De contemptu mundi, *Librum vnum.*

Chare frater considera quæ dicit.

Super Doctorum dictis, *Libros quatuor.*

Hostis humani generis vndique.

Suorum sermonum, *Librum vnum.*

Prælectionum suarum, *Librum vnum. Et alia multa.*

Floruit anno post aduentum Messiæ 1146, Stephano & Mathilda hostiliter de regno Angliæ contendentibus.

De Henrico Huntingdonensi.

1148. 204.

HENRICVS Huntingdonensis patre Nicolao in Anglia genitus, Lincolniensis Ecclesiæ Canonicus, & Alexandro magnifico illius sedis Episcopo mirè charus, à quo etiam propter virtutes & multiplicem eruditionem, & quia Romam cum eo profectus, in omnibus negotijs ei fideliter adhæsit, factus est Archidiaconus Huntingdonẽsis. Erat autem Henricus à iuuentute poëta elegans, orator facundus, historiarum diligens scrutator, & antiquitatum strenuus inuestigator. Quibus nominibus à Polidoro Virgilio & Ioanne Lelando multũ laudatur. Albinum Andegauensem Lincolniensis etiam Ecclesiæ Canonicum virum doctum, amicum & familiarem habuit, cui propter eximiam eruditio-

nem, & ætatem nonnihil prouectiorem defert hunc honorem, vt eum in scriptis suis præceptoris nomine compellet. Porrò accedente ad elegantem doctrinam experientia rerum, simúlque crescente maturitate tum ætatis, tum iudicij, ad scribendum se contulit, & maximè in antiquitatibus peruestigandis, & posteritati mandandis suam operam posuit. Historias edidit æterna laude dignas, in quibus & sibi & patriæ famam acquisiuit, quam nulla ætas conticescet, nulla obscurabit obliuio. Hanc igitur saltem laboris mercedem accepit, vt dum aliorum res gestas à tenebris vindicauit, suum ipsius nomen immortalitati cõsecrauit. Egit autem maximè de Saxonibus ex quo Britanniam ingressi sunt. Scripsit enim potissimùm ad Alexandrum Episcopum Lincolniensem

De rebus gestis regum Angliæ, *Libros decem.* Qui dicuntur haberi MS. Cantabrigiæ in bibliotheca publica. Item in priuatis Lunleiana, & Gualteri Copi. Ex quibus suspicor esse illos octo qui extant anno 1601, quorum initium est: Cùm in omni ferè litterarum studio. Habeo, perlegi. Et puto esse illa chronica quæ eum terminasse scribit Matthæus Vvestm. anno 1135.

Chronicon, *Librum vnum.* MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Historiam breuiorem. *Librum vnum.* Hic est annus qui comprehendit.

Seriem Regum orbis, *Librum vnum.* Cùm maximè notitia gestorum.

Seriem Regum Britanniæ ad Vvarinum, *Librum vnum.* Quæris charissime frater. MS. Cantabrigiæ in bibliotheca publica.

De prouincijs Angliæ, *Librum vnum.* MS. ibidem.

De imagine mundi, *Librum vnum.* Henrico septiformi spiritu. MS. Oxonij in Collegio Magdalenæ, S. Trinitatis. Et Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De appetitu mundi, *Librum vnum.* Mundus dicitur quasi vndique.

De contemptu mundi, *Librum vnum.* Gualtere quondam decus iuuenum.

De fine mundi, *Librum vnũ.* MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De vitæ miserijs, *Librum vnum.*

De sanctis Angliæ, *Librũ j.* De viris illustribus Anglorũ. MS. Antuerpiæ in Collegio Societatis Iesu. Vt scripsit ad me P. Herebertus Rosvvida.

Super Beati immaculati, *Librum vnum.* Sanctissimo conuentus nostri.

De summitatibus rerum, *Libros octo.* Anno tricesimo quinto Regis H.

De origine rerum Britanniæ, *Librum vnum.*

Prosecutiones historiæ Bedæ, *Librum vnum.*

De lege Domini ad Petroburgenses, *Librum vnum.*

De laudibus Alfredi Magni, & Elfledæ filiæ versu, *Librum vnum.*

Ad consortem Gualterum, *Librum vnum.*

Epigrammatum, *Libros octo.*

De ponderibus & mensuris, *Libros duos.*

Lusus amatorios, *Libros octo.*

De herbis, aromatibus, & gemmis, *Libros octo.*

Carminum diuersi generis, *Librum vnum.*

Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum. Et alia plura.* Vixit anno salutis humanæ 1148, sub ambiguo Stephani in Anglia regimine.

De Radulpho Albanio.

RADVLPHVS Albanius, vel de S. Albano, natione Anglus, ordinis S. Benedicti primùm Monachus, deindè Abbas ad S. Albanum. Hunc Ioannes Frumentarius in libro de viris illustribus inter scriptores eruditos numerat. Tam multæ lectionis fuisse dicitur, vt ex antiquis Scriptoribus pleròsque selectiores perlegerit, & ex multis flores collegerit historiarũ. Quidquid melioris eruditionis siuè in ordinis sui celebrioribus cœnobijs, siuè in Anglicanis Academijs reperire potuit, quasi in suum thesaurum coaceruauit. Et licet ad nos pauca eius scripta peruenerint; illa tamen partim versu, partim oratione soluta, multiplici florent elegantia. Nec defuit eruditioni cõiuncta comes virtus, seu potius magistra ad omnia vtilis pietas. Quibus nominibus vnanimi capituli sui consensu tandem ad præmium virtutum electus est Abbas. Quod ad hominis attinet scripta, Ioannes Lelandus tribuit ei vitam S. Albani versibus Heroïcis pereleganter descriptam. Quod opus tanquam constans, tersum, canorum, rotundum mirificè commendat. Item historiam Alexandri Macedonis. Et ego sanè Lelando assentior. Quamuis non ignorem quosdam Galfredum Henlingtonum ibidem Monachum huius posterioris operis auctorem facere. Tamen Gualterus ibi Monachus & bibliothecarius expressè testatur quod Radulphus noster ex plurimis antiquis auctoribus tum sacris, tum profanis collegerit

1150. 205.

Historiam Alexandri Macedonis, *Libros quinque.*
Macedonia ante à nomine Emathi.
Vitam S. Albani versu heroico, *Librum vnum.*

Alia eius opera non inuenio. In Monasterio suo naturæ debitũ persoluit, & ibidem sepulturam accepit anno ex quo humano generi salus illuxit 1150, dum adhuc Stephanus Angliæ regnum possidebat, dicam, an potius obsidebat?

De Ioanne Mercio.

IOANNES Mercius sic cognominatus, vel quia in Regno Merciorum natus fuit, vel, vt putat Lelandus, quia de regibus Merciorum ex professo, idque accuratè scripserit. Vir doctus & multæ lectionis, chronographus laudatissimus, vtpote qui in perscrutandis antiquitatibus fuit solers, & in suis relationibus verax, quod imprimis historico conciliat, fidem, & multam apud posteros auctoritatem. Hunc tanquam firmissimum veritatis testem in suo de Vvigorniensibus Episcopis libro non semel citat Ioannes Rossus, & multa eum scripsisse memorat. Quæ penè omnia perijsse videntur. Saltem vel ferè solus, vel certè præcipuus est, qui optimè res gestas Regum Merciorum posteritatis memoriæ prodidit. Scripsit enim ad Eustachium Stephani Regis filium

1150. 206.

De Regibus Merciorum, *Librum vnum.*

Claruit postquàm filius Dei & Virginis venit in hunc mundum anno 1150, sub fluctuante apud Anglos Stephani regno.

De Andræa Victorio.

1150. 207. ANDRÆAS Victorius, id est ad sanctum Victorem Parisijs in Gallia sub ordine S. Augustini Canonicus regularis, in Anglia parentibus Anglis natus, & ab adolescentia in bonarum literarum studijs educatus. Cùm esset acuto & perspicaci ingenio, paucis annis litteras humaniores, liberales artes, & omnem sæcularem Philosophiam accuratè didicit, & adhuc iuuenis ad sacrarum litterarum studium se contulit. Nam pro ingenio pio, sanctis contemplationibus mirificè delectabatur. Hugonem de sancto Victore è Saxonia vlterioris Germaniæ temporibus illis virum celebrem in studijs habuit præceptorem. Sub quo tanta industria Theologiam didicit, quanta posteà laude & applausu publicitùs eandem docuit. Æmulum habuit Richardum de Sancto Victore, id est, eiusdem cœnobij & instituti Monachum Scotum, qui & in hunc Andræam satis mordacia quædam edidit scripta. Quibus Andræas pacis amantior quàm contentionis, silentio respondit & patientia, nec placidum ingenium suum à tranquillitate meditationum Theologicarum abstrahi passus est, & ad rixas ac inutiles verborum pugnas transferri. Parum curans si Victor an victus cedendo discederet. Porrò dicitur scripsisse super omnes ferè vtriusque instrumenti libros. Bostonum saltem Buriensem, Sixtum Senensem & alios habemus testes, quod commentarios penè super totum vetus Testamentum exarauerit

In Genesim ad litteram, *Librum vnum.* Difficile fuerit omnem rerum ordinem.
In Exodum, *Librum vnum.* Iste secundus liber Moysi tradit.
In Leuiticum, *Librum vnum.* Liber Leuiticus sacrificiorum obl.
In Numeros, *Librum vnum.* Quoniam multitudo numerum fa.
In Deuteronomium, *Librum vnum.* Deuteronomij liber vltimus.
In Iosue. *Librum vnum.* A nomine Israelitici Ducis.
In librum Iudicum, *Librum vnum.* Prima tempora in præcedentibus.
In libros Regum, *Libros quatuor.*
In Paralipomenum, *Libros duos.* In hac vltima dispositione.
In Ecclesiastem, *Librum vnum,*
In Parabolas Salomonis, *Librum vnum,*
In Isaiam Prophetam, *Librum vnum.* In explanando tam sancto Proph.
In Hieremiam, *Librum vnum.* Frequens est ijs qui Prophet.
In Danielem, *Librum vnum.* Ad commendationem Danielis.
In Ioelem, *Librum vnum.*

Claruit anno nati Messiæ 1150, languescente sub Stephano Angliæ regimine.

De Carodoco Lancaruanensi.

CARODOCVS Lancaruanensis conterraneus & contemporaneus Galfredi Arthurij, de quo infrà dicemus. Nam vterque fuit natione Britannus, vterque etiam similibus studijs deditus, vterque elegans Poëta, eloquens Rhetor, Historicus non contemnendus. Indè de conscribendis rebus Britannicis, & Regulorum successionibus sumpsit exordium, vbi Galfredus fecit finem, vt ipse Galfredus in historiæ calce memorat. Nam scripsit de regibus Vvalliæ, qui regnare vltra montes cœperunt, postquam è reliqua Britannia per Anglos & Saxones expulsi fuerũt; incipiénsque ab Idvvalla primo post Cadvvalladrum Venedotarum Regulo, scripsit res gestas Britãnorum per annos quadringentos circiter & sexaginta, vsque ad suam ætatem. Iuxta disticon,

1150.
208.

Historiam Britonum doctus scripsit Carodocus,
Post Cadvvalladrum regia sceptra notans.

Historiam Britonum, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De situ orbis, *Librum vnum.*

Commentarios in prophetias Merlini, *Librum vnum.* Nondum autem ad hunc locum.

Vitam Gildæ Albanij, *Librum vnum.* Nauus fit rex Pictorum nobil. Quem librum hoc sequente distico conclusisse perhibetur:

Historiæ veteris Gyldas luculentus arator,
Hæc retulit, paruo carmine plura notans.

Claruit Carodocus anno gratię 1150, sub perturbato in Anglia Stephani regno. Huius Carodoci vitam scripsisse proditur Sylvester Giraldus Cambrensis.

De Galfredo Hemlingtono.

GALFREDVS Hemlingtonus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus ad Sanctum Albanum. Vir, vt scribit Lelandus in suis collectaneis, dignus qui in Doctorum catalogum referatur. Græcè Latinéque insigniter doctus, historicus expertus, & antiquitatum scrutator diligentissimus. Historiographos tum Græcos, tum Latinos multo labore peruoluit, plurima collegit, per ordinem disposuit, historiam indè contexuit, quam in lucem tandem emisit, & Abbati suo Radulpho dedicauit. Licet Gualterus eiusdem Monasterij religiosus & Bibliothecarius existimet potiùs ipsum Abbatem illius historiæ fuisse auctorem. Sed quid obstat vtrumque de eadem materia scripsisse? Saltem Gualterus iste, seu dictam historiam composuerit, siuè non, alia certè non pauca composuisse memoratur, licet eorum quicquam vix iam extet. Historiæ præfatæ titulum prefixit auctor quisquis ille fuerit,

1158.
209.

Historiam Alexandri Macedonis, *Libros quinque.*

Claruit Galfredus anno salutis humanæ 1150, turbatis in Anglia sub Stephano rebus.

De Geruasio de Parco.

1150. 210. GERVASIVS de Parco ordinis S. Benedicti Monachus Eboracensis in cœnobio beatæ Mariæ Virginis. Vir qui tam ardente perfectionis Christianæ flagrabat amore, vt de virtute in virtutem procedens, semper se melior fieri contenderet. Tandem cùm inuenisset quosdam instituti sui viros similibus desiderijs inflammatos, ita & sibi & illis stimulos addidit, vt ex eo Monasterio duodecim religiosi arctioris vitæ viam amplectentes, apud fontes iuxta Schellam fluuiolum regulæ Cisterciensis strictissimæ obseruantiæ sese consecrauerint. Bonis tandem litteris & eximijs virtutibus ducibus, successu temporis designatus est cœnobij Parchensis ad oppidum Ludam primus Abbas. Ex quo tempore Calredo Abbati Rieuallensi paris pietatis & maioris eruditionis viro cœpit esse familiaris, eique fuit auctor, vt in lucem emitteret opus quoddam eruditum, *cui titulus speculum charitatis.* In quod opus ipse Geruasius scripsit teste Lelando

Elegantem & prolixum prologum.

Ad eundem etiam Ealredum & alios epistolarum, *Librum vnum.*

Aliorum operum titulos non inuenio. Claruit anno post aduentum Messiæ 1150, sub turbulento in Anglia Stephani regno.

De Richardo Fastolpho.

1150. 211. RICHARDVS Fastolphus, natione Anglus, patria Eboracensis, ordinis Cisterciensis, Clareuallensis Monachus & Præcentor, tandem Abbas in Anglia Fontanus. Propter vitæ sanctitatem, & eminentem doctrinam Sancto Bernardo Clareuallensi, & Henrico Murdachio Fontano Abbatibus mirè charus. Vnde quando Murdachius ab Abbatia Fontana ad Archiepiscopatū eueheretur Eboracensem, hunc Richardum sibi surrogari curauit Fontanum Abbatem. Hæc ego ex Lelando, Lelandus ex opere Hugonis Kircostallensis de origine & notabilibus Monasterijs Fontanensis decerpsimus. Porrò Richardus eruditionis laudatæ sequentia posteris reliquit monimenta

Homeliarum, *Librum vnum.* Quod opus se vidisse scribit Lelandus.

De Musica vel de Harmonia, *Librum vnum.*

Alia me latent. Claruit anno à plenitudine temporis 1150, sub vacillante apud Anglos Stephani regno.

De

De Galfredo Arthurio.

GALFREDVS cognomento Arthurius, quia de Rege Arthuro multa ſcripſit, natione Britãnus, Archidiaconus Monimetenſis. Vir in Eccleſiaſticis diſciplinis inſigniter inſtructus, doctus etiam maxime in omni genere humanioris litteraturæ, chronographus etiam non contemnendus. Quòd ſi in hiſtoria Britonum ficta nonnunquam factis, falſa veris, fabuloſa ſinceris miſcuiſſe videatur, id ei vitio vertendum non eſt. Nam hiſtoriam illam ipſe non compoſuit, ſed ex Britannico in Latinum ſermonem tranſtulit, *interpres fidus*, vt ſcribit Matthæus Paris ad annum 1151. Hoc enim erat antiquorum plurium vitium, vel potius quædam ſine iudicio ſimplicitas, vt in clarorum virorum geſtis ſcribendis, ſe minus exiſtimarent elegantes, niſi ad ornatum (vt putabant) ſermonis poëticas fictiones, vel aliquid eorum ſimile admiſceret, & conſequenter veris falſa committerent.

1152. 212.

Hæc autem talia Britannica aduerſaria ope & opera Gualteri Archidiaconi Oxonienſis accepit Galfredus, & ſimpliciter vertit, veritatem vel falſitatem, quæ penes auctorem eſſe debet, nequaquam examinans. Certè ego homini multum tribuo. Neque enim in Britannicis hiſtorijs hoc teſtimonio eius, vix aut ne vix quidem aliquid antiquius grauius, veriſimilius habemus.

A Brito Troiano Britonum Rege primo vſque ad Caduualladrum, qui vltimus ex illa progenie totius vel maioris partis Britanniæ tenuit imperium, vel ius tenendi prætendit, hiſtoriam deduxit, hoc eſt, vſque ad annum Chriſti 690. Has itaque antiquitates quod cognoſcamus, huius Galfredi diligentiæ debemus acceptum referre. Nam intercidiſſent niſi ipſe conuertendo conſeruaſſet.

Præterea Ponticus Virumnius Italus vir doctus, hoc opus, quaſi præciſis pilis & vnguibus, id eſt, detractis quibuſdam ſuperfluis, dignum iudicauit in epitomen redigi, & poſteritati commendari. Quod factum apud me non parum auctoritatis tribuere videtur, & ipſi operi, & operis auctori, & Galfredo tranſlatori. Denique ſi talis fabulator eſſet Galfredus, qualem apud ſeſe fingunt eum quidam obtrectatores, ſanè nunquam intuitu meritorum ſuorum, & imprimis laudatæ doctrinæ, ad Epiſcopatum Aſſaphenſem aſſumptus fuiſſet. Sed iam ad monimenta eruditionis eius veniamus. Multa enim & proſa ſcripſit & verſu, non pauca etiam ex Britannico in Latinum vertit. Vertit autem imprimis & Roberto Duci Claudioceſtrenſi dedicauit hiſtoriam, quam dixi, Britonum. Cuius prima & ſimplex verſio libros tantum quatuor comprehendens, nunquam typis mandata, ſed Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti M S. dicitur haberi. Idem etiam opus forſan ſecundùm quædam mutatum typis mandatum eſt libris octo, & operis proœmium incipit: Cùm mecum multa de multis. Principium operis, Britannia inſularum optima. Et dicitur haberi M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca

publica. Secundùm ampliorem denique editionem imprimunt nonnulli sub hoc titulo (nam idem opus esse existimo)

Chronicon vel historiam Britonum, *Libros duodecim*. Descriptio quantit.
Vertit etiam prædictiones Ambrosij Merlini, *Librum vnum*. Ad Alexandrum Episcopum Lincolniensem. Coëgit me Alexander Lincolniensis.
Item de exilio Ecclesiasticorum, *Librum vnum*.
Composuit etiam quandam aliam historiam, quæ habetur M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Et in priuata Bibliotheca Gualteri Copi.
De Corpore & Sanguine Domini, *Librum vnum*. Galfredus peccator in præsenti tractatu. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
In fragmentum Gildæ, *Librum vnum*. Gildas vir grandis auctoritatis.
Vitam Merlini Caledonij, *Librum vnum*.
Commentarios in Prophetias vtriusque Merlini, *Librum vnum*.
Ad Gualterum Oxoniensem, *Librum vnum*.
De rebus gestis Regis Arthuri, *Librum vnum*.
Carmina diuersi generis, *Librum vnum*.

Claruit anno post Verbum carnem factum 1152, Stephano de Anglicani regni sceptro cum Mathilda belligerante. Vide quem fecimus de Episcopis Assaphensibus Catalogum.

De Nicolao Hastifrago.

1159. 213.

NICOLAVS Hastifragus, Anglicè Breakspeare, Onuphrius Panuius de Malmesberia cognominat, natus in villa rusticana Langley, quæ pertinebat ad ius & territorium cœnobij S. Albani, in quo cœnobio pater Nicolai Robertus in vilioribus ministerijs seruiebat. Mortua tandem vxore, Robertus intuitu præteritorum obsequiorum, quæ diù fideliter & laboriosè præstiterat, factus est in eodem Monasterio frater conuersus seu laicus. Vndè & Nicolaus ad panem lucrandum, quotidie Monasterium frequentabat, adhuc puer sordidis & vilissimis ad omnium nutum fungens officijs. Vbi autem adoleuit, tam seruilis conditionis ingenuum tæduit animum, & paternum propter se ruborem erubuit, illiusque pudoris eum puduit. Itaque aspirans ad meliora, petijt vt in Monasterium ad vitam regularem admitteretur. Sed Richardus tum Abbas, eum dedignatus abiecit. Quam repulsam animus ad altiora formatus, ferre quidem voluit, sed non potuit patienter. Erat adolescens corpore pulcher, facie venustus, incessu compositus, ingenio acutus, lingua promptus, eloquio facundus, sermone cautus, iudicio iam penè maturus, in actionibus prudens & dexter, moribus vrbanus, comptus, elegans, zelo diuinæ gloriæ, idque secundùm quandam scientiam, plenus, omnibus denique tum corporis tum animi melioribus dotibus ita præditus, vt in eo dona Dei naturam, pietas educationem, iudicij maturitas & aliæ perfectiones superarent ætatem.

Iam sibi derelictus, & duro necessitatis telo percussus, diutiùs in Anglia fodere noluit, & mendicare erubuit. In Galliam igitur transfre-

tauit, Parisios, inquit Lelandus, studiorum causa petijt, ibi laboriosè pauperem vitam in bonarum litterarum studijs egit, & præstantissimum, quod ei natura dederat, ingenium liberalibus artibus mirificè excoluit. Sed inter hæc mansit ei semper animus ad religiosum statum pronus. Itaque relicta Lutetia, studijsque nonnihil intermissis, in illam Galliæ regionem, quæ Prouincia dicitur, profectus, primùm, vt auctor est Onuphrius Panuinus, ordinatus est clericus Ecclesiæ S. Iacobi in Melgorio Magalonensis Diœcesis, deinde prope Valentiam in Monasterio S. Rufi factus est ad normam S. Augustini Canonicus regularis, vel vt putat Arnoldus Vion ex Trithemio ad normam S. Benedicti. Quicquid de eo sit, ibi certè in Monastica disciplina, litteris, & pietate, exiguo temporis spatio multum profecit, & propter ingenium acre, expeditam linguam, copioséque fluentem eloquentiam, magnam apud suos conciliauit gratiam, & apud omnes non minorem famam. Tandem Abbate defuncto, ipse vt omnium doctissimus, prudentissimus, sanctissimus vnanimi Monachorum consensu constitutus est Abbas. Sed non multo post tempore, pœnitentia ducti, quòd hominem externum & peregrinum sibi præfecissent, instructis calumnijs, eum apud Eugenium Papam tertium accusauerunt, & deponi postulauerunt. Super hoc negotio Romam itum est, ventilata causa, sanctissimus simul & sapientissimus Pontifex, deprehensa accusantium stulta malitia, & accusati perspecta innocentia, eruditione, iudicio, & prudentia singulari, illos cum reprehensione domum remisit, vt alium sibi similem Abbatem eligerent. Hunc innocentem declaratum cum honore retinuit, vt in grauioribus Apostolicæ sedis negotijs opera eius vteretur, tam prauos & refractarios filios tanto ac tali patre indignos esse dictitans. Sed de his fusiùs in nostro de Apostolicis Angliæ viris Catalogo. Nunc ad ea, quæ doctrinam eius concernũt, veniamus. Doctorum hominum magnus erat fautor. In quibus vsus est familiarissimè Ioanne Salisberiensi Episcopo Carnotensi, qui inter eruditissimos illius ætatis viros meritò numerabatur. Porrò Nicolaus ingenij doctrinæque suæ laudatissima & ea non pauca monimenta posteritati reliquit, quæ pleraque ante Pontificatum scripsit

Ad Petrum Pontiniacum, *Librum vnum.*
De sua legatione, *Librum vnum.*
Homiliarum, *Librum vnum.*
Decretalium epistolarum, *Librum vnum.*
Ad Fredericum primum Imperatorem, *Epistolam vnam.* Lex diuina sicut parentes. Extat Francofordiæ anno 1585.
Ad Angliæ Regem Henricum secundum pro expeditione Hiberniæ epistolam. Laudabiliter & satis fructuosè.

Anagniæ tandem in Hernicis diem clausit extremum Calendis Septembris, anno reparationis humanæ 1159, postquàm in Pontificatu sedisset annos tres, & menses decem. Corpus eius Romam delatum, in

Basilica S. Petri sepultum est, non longè à tumulo Eugenij Papæ tertij. Nam iuxta illum voluit post mortem deponi, à quo in vita contigit eum ad Cardinalitium honorem eleuari. In Anglia tum regnabat Henricus secundus. Vide illum quem de Apostolicis Anglicanæ nationis viris scripsimus Catalogum.

Nota.

HACTENVS fides & Catholica religio, quam Angli à Gregorio Papa primo per S. Augustinũ Monachum & socios acceperāt, salua, sana, integra apud eos permansit, & Normannis quasi hæreditario quodam iure obuenit, ad eos vnà cum imperio transfusa, ad centum circiter annos inter eos pura viguit, & ab omni hæresi libera atque immaculata. Iam autem circa annum Domini 1160, & regni conditio nonnihil mutari cœpit, & Catholica fides pestilentis maculæ discrimen subijt. Nam extincto in generatione vna Normannorum Regum sanguine masculino, Henricus secundus cognomento Plantagenet ex Ducum Andegauensium progenie masculina, & Normannorum fœminina, post magnas turbas, multumque sanguinem effusum, ex funestissimis intestinis bellis, ad Angliæ regnum materno iure suoque sudore tandem difficulter peruenit, peruenit tamen.

Quod autem ad fidem Catholicam attinet, certè mors Adriani Papæ quarti Angli, quæ eodem ferè tempore, anno videlicet Domini 1159. accidit, vt cum Tragico loquar, *nescio quod Anglis grande præsagijt malum.* Nam anno proximè insequente ad Catholicæ religionis in Anglia virginitatem corrumpendam, triginta falsi Prophetæ indutis ouium vestimentis, cùm essent intrinsecus lupi rapaces, ex Germania, vel, vt alijs placet, ex Gasconia venientes, & non per ostium, sed per fenestram intrantes, vt fures & latrones, gregem Dominicum inuadere conati sunt. Hi, nescio quibus titulis, quo colore, ex septem Ecclesiæ sacramentis, impugnabant, imò detestabantur tria, videlicet Baptismum, Eucharistiam, & Matrimonium. Sed in Anglia vniuersa vnicam tantummodò mulierculam in fide adulterauerunt, & ad suam sectam traxerunt. Quæ & paulò pòst se deceptam cernens, hæresim abiurauit, & ad Ecclesiæ gremium, pœnitens reuersa est. Illi autem perfidi homines detecti, omnesque capti, eodem anno 1160, vel sequente, pro hæreticis condemnati, in frontibus cauterio notati, tanquam portenta in vltimas terras exportanda, ex insula eiecti sunt, interminato, si redire præsumerent, capitis supplicio. Atque hæ post sublatam ex insula Arrianam & Pelagianam hæresim, extinctósque Scotorum & Britonum errores, primæ fuerunt machinationes quæ labefactare tentarunt etiam Anglorum fidem. Sed de istis deinceps altum silentium. Nihil enim eorum quæ nequiter moliti sunt, ad effectum perducere valuerunt. Hos, si velint, pro suis primis Doctoribus, ducibus, & antesignanis capiant nostrates hæretici. Nam nos eos, aut eorum similes infames, vagabun-

dos, notatos, cauteriatos, damnatos, reiectos & eiectos habere pro nostris nec possumus, nec solemus, nec volumus, nec debemus.

Post hos explosos & expulsos anno quarto quadruplo deteriores istis, in Angliam irrepserunt. Hi alijs Vvaldenses, alijs publicani, alijs pauperes de Lugduno vocabantur. Hi ab ipso initio sese certissima nota, quæ omnium hæreticorum est communis detexerunt. Docentes Ecclesiam Romanam esse meretricem Babylonicam, ficum sterilem cui Christus maledixit: obediendum non esse Papę, non Episcopis, Ordines Ecclesiasticos esse characteres magnæ bestiæ. Multa item docebant contra Monachos, Missas, Purgatorium, Ecclesiarū Dedicationes, Sanctorum venerationem, Mortuorū suffragia, quæ omnia tanquàm diabolicas damnabant inuentiones. Et hi sanè peiores prioribus, iam proficere cœperant in deteriùs. Vndè etiam maiore in precio habetur apud nostros aduersarios eorum tum primùm exorta doctrina pestilens, vt hinc non immeritò Ecclesiæ suæ primatiuæ exordia repetere posse videantur. Sed has impias nouitates in Anglia perpauci, vel penè nulli tum admiserunt. Nam post biennium res detecta est, & ex ijs plures capti, atque Oxoniam perducti, coram Rege & Episcopis multis, ab Oxoniensibus Doctoribus examinati, conuicti, condemnati, & cauterijs in frontibus vsti, ex Angliæ Regno fuerunt exportati. Super quo toto negotio legi possunt historici nostrates, & in his Matthæus Paris in Henrico secundo. Et hos infames Ecclesiæ pacísque publicæ perturbatores, & nouorum errorum inuentores aduersarij nostri tamquam primitiuos suæ Synagogæ Doctores, & in cathedra pestilentiæ Magistros, nunc in inferis habitantes, suis in cœlum efferunt laudibus. Sed in his satis sit lectorem breuiter monuisse, vt intelligat ijs temporibus horum & similium errorū disseminatores & propugnatores fuisse, resistentes etiam & expugnatores non defuisse. Nunc ad Doctorū Ecclesiæ Anglicanæ seriem redeamus, quorū continuam successionem hi nugatores nequaquam interruperunt.

De Laurentio Dunelmensi.

LAVRENTIVS natione Anglus ordinis S. Benedicti in cœnobio Dunelmensi primùm Monachus, deindè etiam ibidem Præcentor, & vt aliqui volunt, tandem Abbas. Vir, siue pietatem, siue regularem obseruantiam, siue doctrinam spectes, cum primis illius sæculi viris meritò conferendus. In carmine, inquit Lelandus, se mediocrem probat poëtam; in oratione soluta vehementem planè Rhetorem. In iuuentute dicitur fuisse politissimus aulicus, quo etiam tépore lepidissimis lusit versibus, quos & scriptis mandauit, & posteritati tradidit. Postquam autem Monachum induit, sacrarum scripturarum studijs se totum addixit, in quibus successu temporis profundam consecutus est scientiam. Cum Ealredo & Radulpho viris ea tempestate doctissimis multa ei intercessit necessitudo. Propter singulares denique virtutes & multipli-

1160.
214.

cem eruditionem fama eius per vniuersam Angliam maximè apud principes & magnates percrebuit. Per idem tempus Geruasius Stephani Regis ex fratre nepos Abbas Vvestmonasteriensis, aulicæ magis quàm monasticæ vitæ amans, Monasterij bona in sæculares & profanos vsus, imò planè in abusus prodigè dilapidabat, omnem disciplinam Monasticam dissolutè negligebat. Propter quas causas ab officio depositus est. Habita igitur matura deliberatione, quis omnium aptissimus esset, qui eius loco substitutus, obseruantiam regularem ibi collapsam restitueret, Monasterij bona alienata recuperaret, omnia denique meliore ordine & ratione administraret; omnium suffragio electus est, & ad hoc munus Henrico secundo Rege iubente destinatus Laurentius iste, qui non solùm conceptæ spei, bonisque piorum desiderijs illic abundè satisfecit, sed etiam omnium expectationem longè superauit. At, ad monimenta doctrinæ eius veniamus. Scripsit partim versu partim oratione soluta multa eadémque laudatissima, & ex ijs quædam ad Geruasium

Hypognosticon versu, *Libros nouem.* Principium rerum sine tempore tempora. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Sermonum de Christi natali, *Librum vnum.* Audistis fratres charissimi.

De aduentu, sermonum *Librum vnum.* Vt tota cum deuotione Domini celebr. MS. Oxoniæ in Collegio Balliolensi.

De Assumptione beatæ Mariæ Virginis, *Librum vnum.* Virgo hodiè gloriosa cœlos ascendit.

Orationum de S. Laurentio, *Librum vnum.*

De S. Cudberto Episcopo, *Librum vnum.*

Vitam S. Brigidæ, *Librum vnum.*

De Confessoribus, *Librum vnum.*

De Virginibus, *Librum vnum.*

Homeliarum, *Librum vnum.*

De morte amici, *Librum vnum.* Sæpè & supra modum multis aux.

Excusationem pro Milone, *Librum vnũ.* Multis Pater pro Milone vti verbis.

Inuectiuam in detractorem Malgerium, *Librum vnum.* Quænam hæc est intentio?

In detractorem Malgerium, *Librum vnum.* Non possum socij mei vel admirari.

Pro naufragis, *Orationem vnam.* Frustra boni ciues illud offerre.

Pro iuuenibus compeditis, *Orationem vnam.* Difficile satis princeps inuicte.

Ad Hathevvisam, *Librum vnum.* Tua sunt præcipuè meditanda.

Dialogorum versu, *Libros quatuor.* Carmina constitui nunc pandere.

De conscribendis epistolis, *Librum vnum.*

Vvestmonasterij demùm mortuus & tumulatus est circa annum Redemptionis humanæ 1160, dum in Anglia rerum potiretur Henricus secundus.

De Guilhelmo Rieuallensi.

GVILHELMVS Rieuallensis natione Anglus, & apud Rusheforดam seu Ruffollam Monachus ordinis Cisterciensis. Vir pietate & doctrina celebris, ab historicis nostris propter historiarum & aliarum rerum multiplicem cognitionem mirè laudatus, cuius encomia frequentiora, quàm scripta inuenimus: vel quia ex multis quæ sciuit, pauca scripsit: vel quia ex ijs quæ scripsit, multa perierunt. Richardus & Ioannes Hagustaldenses, Ranulphus Higidenus, Guilhelmus Hormannus, & alij ponunt eum inter præcipuos gentis nostræ scriptores. Magno sanè cum labore coaceruauit, partim ex probatis auctoribus, partim ex aliorum relationibus fide dignis, partim etiam ex ijs quæ ipse viderat, chronicorum volumen magnum, quod Ealredo Rieuallensi Abbati dedicauit, cui titulum indidit

1160.
215.

Historiam Anglorum, Librum vnum. Reuerendissimo Patri & domino. Aliud ipsius nihil, quod sciam, memoriæ proditum est. Peruenisse dicitur vsque ad annum post Messiæ Natiuitatem 1160, qua tempestate clauum Anglici Regni tenuit Henricus secundus.

De Radulpho Eleemosynario.

RADVLPHVS Eleemosynarius natione Anglus, professione Monachus, & Benedictinæ regulæ diligens obseruator in cœnobio Vvestmonasteriensi. Bonarum litterarum studijs impensè deditus. Præcipuam sacris scripturis nauauit operam, & ex præscripto Abbatis sui Laurentij frequentes ad populum conciones habuit, quas in vnum postea volumen compilauit, & bono ordine disposuit, vt suo labore non solùm tunc viuentibus, viua voce, sed etiam posteris futuris edito scripto proficuus esse posset. Sic enim ex nostris Bostono Buriensi, & Ioanne Lelando colligo. Scripsit igitur & Abbati Laurentio dedicauit

1160.
216.

Homeliarum in Euangelia, Librum vnum. In illo tempore cùm appropinq.
Homeliarum in epistolas, Librum vnum. Ecce dies veniunt dicit Dominus.
De peccatore, Librum vnum.

Vvestmonasterij viuendi finem fecit, & sepulturam accepit circa annum gratiæ 1160, sub Regno Henrici secundi.

De Ioanne Serlone.

IOANNES Serlo dictus Magister Serlo, à professione cognominatus Grammaticus, natione Anglus (quamuis & alius fuit Serlo Normannus) fratrem habuit Radulphum virum pium & eruditum Abbatem Parchorensem. Erat autem Serlo noster suo tempore Poëta non inelegans, Rhetor disertus. Sed nimiùm grãmaticis studijs immersus in alijs minùs emersit. Ex Eboracensi Canonico factus est ordinis Cisterciensis Fontanus primùm Monachus, deindè Abbas. Vir corpore, animo, ingenio magnus. Ex huius notis & quibusdã dictatis Hugo de Kir-

1160.
217.

chested Monachus & discipulus eius multa decerpsit de rebus in Fontanensi Monasterio gestis, item de initio & incremēto Cisterciensis ordinis in Anglia. Ex quotidianis ad suos discipulos lectionibus, vt testes sūt Bostonus & Lelandus, hæc saltem sequentia scripsit & posteritati reliquit (nisi fortè quædam ex ijs tribuantur Serloni Normanno)

De bello inter Scotiæ Regem & Angliæ Barones Latinis Rithmis, Librum vnum.
Dauid ille manu fortis, sceptrū. MS. Cantabr. in Collegio S. Benedicti.
De differentijs verborum, Librum vnum. MS. Cantab. in Collegio S. Petri.
De morte Sumerledi Regis Manniæ, Librum vnum.
Dauid Rege mortis lege clauso.
In Orationem Dominicam, Librum vnum. Protector noster Dominus Iesus. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De dictionibus dissyllabis, Librum vnum. Dactile conueniens digitis.
De dictionibus æquiuocis, Librum vnum. Est vates arator, cultor telluris.
De dictionibus vniuocis, Librum vnum.
Vixit anno Dominicæ Incarnationis 1160, sub Angliæ Rege Henrico secundo.

De Rogero Salesberiensi.

1160. 218.

ROGERVS Salesberiensis, natione Anglus, patria Vuiltunensis, ab annis ferè teneris in ipsa ciuitate Salesberiensi traditus litterarijs disciplinis imbuendus, ita tempus suum impendit, vt successu fœlici non pœnitendos tandem produxerit fructus. Cum itaque ad maturam peruenisset ætatem, sacrarum scripturarum studijs se totum dedicauit, non ad vanam suæ doctrinæ ostentationem, sed ad publicum aliorum commodum & vtilitatem. In eo namque multus erat, vt corruptos hominum mores salutaribus monitis, tum in concionibus, tum in libris scriptis redargueret, & emendaret. Atque hunc in finem, vt ex Lelando colligo, composuit expositiones morales

In Euangelia Dominicalia, Librum vnum.
Super Psalmos Dauidicos, Librum vnum.

Claruit anno post Aduentum Messiæ 1160, dum Anglicani Regni sceptrum teneret Henricus secundus.

De Geruasio Cicestrensi.

1160. 219.

GERVASIVS Cicestrensis ab vrbe natalitia Comitatus Southsaxiæ sic cognominatus. Vir omni scientiæ genere cultissimus. Postquàm iuuentutem in artibus liberalibus perdiscendis optimè consumpsisset, in Academia Parisiensi, Lelando teste, ad altiora studia ascendit, consummatóque illic Theologico cursu, ad scientiam perficiendam, & ad rerum experientiam acquirendam, alias penè totius Europæ celebriores scholas inuisit, vbique aliquid semper didicit, alicubi etiam docuit. In patriam tandem reuersus, lectiones sacræ scripturæ in scholis publicis, conciones ad populum in varijs Ecclesijs frequenter habuit, suáque pietate

pietate & doctrina multos à vitijs ad virtutem traduxit. Quibus nominibus ab Helia Eueshamensi Monacho in suis chronicis multum laudatus est, & à S. Thoma Cantuariensi Archiepiscopo impensè amari cœpit. Presbyter ordinatus ad scribendum animum appulit & edidit commentarios

De Sacerdotalis ordinis institutione, *Librum vnum.*
Commentarios in Malachiam, *Librum vnum.*

Conditor itaque noster & pr. M S. in priuata bibliotheca Baronis Lunleiani.

In Psalmos Dauidis,
Homeliarum, *Librum vnum.*
Librum vnum.

Claruit anno à plenitudine temporis 1160.

Dum penes Henricum fuit Anglia tota secundum.

De Adamo Eueshamensi.

ADAMVS natione Anglus, patria Victius, & successu temporis ad ipsam vrbem Vvigorniensem, vel rectiùs forsan secundùm alios, non longè illinc apud Euesham S. Benedicti regulam amplexus, primùm Monachus, deindè Abbas factus est. Vir pietate in Deum, & charitate in proximos clarus, scientia multiplici instructus, & qui propter dicẽdi peritiam, cum doctissimis sui sæculi meritò conferri potuit. Appositè de illo scribit Lelandus non tam illi collatum honorem, quàm Monasterio decus & ornamentum, quod Abbas fuerit constitutus. Scripsit ad Reginaldum

1160. 220.

De miraculo S. Eucharistiæ, *Librum vnum.* Diù iam satísque est elabor.
Orationem exhortatoriam ad Sanctimoniales de Gostovv, *Librum vnum.*

Sanctissimis ac dilectissimis.

Sermonum & homeliarum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Floruit anno partus Virginei 1160, summa rerum in Anglia penes Henricum secundum residente.

De Adalberto Spaldingensi.

ADALBERTVS Spaldingensis, id est, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Spaldingensi, Congregationis Cluniacensis. Vir studijs bonarum litterarũ mirificè delectatus, & qui ad accuratã in omnibus tum sacris tum profanis disciplinis peruenit cognitionem. Nam præter eloquentiam in dicendo, & prudentiã in benè consulendo, scripsit eleganter, & oratorio stylo, & Philosophico acumine, ac Theologica sublimitate. Fuit etiam in omni genere muneris Ecclesiastici non vulgariter exercitatus. Prætereà mitis, mansuetus, modestus, humilis, temperans, castus intrinsecùs gestans animum religiosum, extrinsecùs ad optimum proximorũ exemplum exercens opera charitatis. Sacras scripturas solebat, vt inquit ille, *nocturna versare manu, versare diurna.*

1160. 221.

In quarum genuino sensu perscrutando, non tam suum ductum, quàm antiquorum ecclesiæ doctorum sequebatur sententiam, & quasi via regia insistens, nec ad dextram, nec ad sinistram deflectebat ab ijs quæ antiquitùs tradiderunt antiqui Patres, & definiuerunt assistente Spiritu sancto œcumenica Ecclesiæ Catholicæ Concilia. Ex S. Gregorij Magni Moralitatibus in Iob collegit magnum volumen, quod, vt in Catalogo testatur Bostonus Buriensis, complectitur capita centum quinquaginta quinque. Cui operi titulum fecit

Speculum status hominis, *Librum vnum*. Reuerendissimo in Christo.
Homeliarum, *Librum vnum*.
Ad Hermannum presbyterum, *Librum vnum*.

Nonnulli namque ita sunt simplices. Vixit anno Domini 1160, sub Angliæ Rege Henrico secundo. Fuit etiam alter Adalbertus Leuita ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, qui vixit anno Christi 690. Vide inter Apostolicos Angliæ viros.

De Thoma Monimetensi.

1160. 222.

THOMAS natione Anglus, sub regula S. Benedicti Monachus Monimetensis, Congregationis Cluniacensis. Vir, Lelando teste, pius & eruditus, vt quidam scriptores insinuant, ex Abbatis sui mandato ad historias conscribendas deputatus, quamuis parùm in eo genere, quod sciam, scripserit. Vixit eo tempore quo Iudæi apud Norvvicum in Anglia, paruum puerum nomine Guilhelmum in contumeliam Christi crucifixerunt. Scripsit igitur ad Guilhelmum de Turebes Episcopum Norvvicensem

De Guilhelmo puero & Martyre, *Libros septem*.
De miraculis eiusdem, *Librum vnum*.

Floruit autem Thomas anno verbi Incarnati 1160, dum in Anglia rerum potiretur Henricus secundus.

De S. Odone Cantiano.

1160. 223.

SANCTVS Odo natione Anglus patria Cantianus, Benedictinæ familiæ ad fanum Seruatoris Cantuariæ Monachus. Vir teste Lelando, spectatæ virtutis & eminentis eruditionis. Nam adeò sedulam operam dedit cœlestium rerum contemplationi, & litterarijs disciplinis, vt inter suos confratres facilè primas obtinuerit. Vndè primùm sui cœnobij constitutus est præses, & tandem Abbas Monasterij de Bello. Singularem fautorem & patronum habuit S. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem, laudumque suarum insignem præconem Ioannem Salesberiẽsem. Matura iam ætate, & cum ad senium paulatim vergeret, se totum sacrarum scripturarum studijs consecrauit, & vt suos labores posteris faceret proficuos, scriptis mandauit, & posteritati reliquit

Commentarios in Pentateuchon, *Libros quinque*. Operi subditi lex. MS. saltem ex parte Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

In aliquot capita primi libri Regum, *Librum vnum.*
In quatuor libros Regum, *Libros quatuor.*
Moralium super psalmos, Librum vnum. MS. Oxonij in Collegio Balliolẽsi.
In vetus Testamentum, *Librum vnum.*
De libro vitæ, *Librum vnum.*
De onere Philisthiim, *Librum vnum.*
Concionum in epistolas per annum, *Librum vnum.*
De moribus Ecclesiasticis, *Librum vnum.*
De vitijs & virtutibus animæ, *Librum vnum.*
De inuentione S. Milburgæ, *Libros tres.*
Moralia vel conciones morales in Euangelia, *Librum vnum.*
MS. Oxonij in Collegio Balliolensi.
Parabolas in laudem eius qui est Alpha & Omega, *Librum vnum.*
MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*
Decessit ex hac vita in Monasterio suo de Bello circa annum Domini 1160, Henrico secundo ad Anglicani regni gubernaculum sedente. Nec multo post tempore in numerum sanctorum relatus est.

De Achardo Bridlingtonensi.

ACHARDVS dictus Magister Achardus, Archardum vocat Arnoldus Vion in ligno vitæ, natione Anglus, patria Northumbrensis, ad normam S Augustini Canonicus regularis in cœnobio Bridlingtonensi. Vir per illa tempora vitæ integritate & erúditione multiplici mirificè florens. In humaniore litteratura adolescentiam, in Philosophia iuuentutem, in Theologia maturiorem ætatem ita collocauit, vt in singulis singulares progressus fecerit. Quod ex Bostono Buriensi in magno scriptorum Catalogo, & ex Ioanne Lelando in Collectaneis colligere est. Successu temporis electus est Abbas ad S. Victorem in suburbio Parisiensi, & demùm anno Domini 1162, creatus est Episcopus Abrincensis in Normannia, quo etiam anno suscepit de fonte filiam Regis Henrici secundi, quam & nomine matris Alienoram vocauit. Sic hominis virtutem & eruditionem comitabatur Regum gratia. Hæc ferè ex Roberto Abbate Montis S. Michaëlis in continuatione chronici Sigeberti Gemblacensis ad annum 1162, desumpsi. Porrò fœlix hominis ingenium hanc vnam habuit infœlicitatem, quòd pleraque eius litteraria monimenta perierint. *Sed tamen ex multis hæc accipe paucula, lector.*

1162.
224.

De diuisione animæ & spiritus tractatum. Substantia interior, MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De Christi tentatione, *Librum vnum.* Ductus est Iesus in desertum.
De S. Trinitate, *Librum vnum.*
Vitam S. Gezelini Monachi, *Librum vnum.*
Homeliarum doctißimarum, *Librum vnum.*
Claruit anno post Christum natum 1162, sub Angliæ Rege Henrico II.

De Continuatore Florentij.

1163. 225. CONTINVATOR historiæ Florentij Vvigorniensis, anonymus, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Vvigorniensi. Vir doctus, & in lingua Latina non inelegans, historicus non vulgaris, & qui iustis in scribendo legibus se constrinxit. Superflua verba declinans, maluit multa paucis verbis complecti, quàm lectorẽ prolixis sermonis ambagibus impedire. Anno plus minus 1115, excepit historiam Florentij, quam deduxit saltem vsque ad annum 1163, vocauítque

Continuationem ad Florentium, *Librum vnum*. Sacræ memoriæ Paschalis. Extat vnà cum Florentio anno 1601. Habeo, legi. Claruit anno gratiæ 1163, in Anglici Regni solio sedente Henrico secundo.

De Simeone Dunelmensi.

1164. 226. SIMEON vel Simon in partibus Angliæ Septentrionalibus natus, de societate Benedictinorum Monachus & Præcentor Dunelmensis Congregationis Cluniacensis, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis Ab ipsa adolescentia semper studia bonarum litterarum impensè amabat, & ætati suæ perpetuò conuenientes in ijsdẽ fecit progressus. Summam autem dedit operam scientijs Mathematicis, & Historijs. Vndè etiam ex supputationibus annorum, & collatione temporum peritissimus deuenit chronographus. Harum rerum laude & exacta cognitione celebre per vniuersam Angliam sibi nomen acquisiuit. Godricus eremita huic Simeoni quædam sua scripta dedicasse dicitur. Porrò Simeon considerans ab obitu Venerabilis Bedæ vsque ad suum tempus, nullam vel certè admodum exiguam habitam fuisse rationem rerum in Northumbria gestarum: debitam adhibuit diligentiam, vt res illas, quantum fieri posset, ab obscuritate vindicaret, & litterarum monimentis consignaret. A temporibus igitur Venerabilis Bedæ collegit, & in vnum corpus ordinata serie redegit, tum illustria Anglorum, tum Barbara Danorum Regum facta. Historiámque continuo cursu per quadringentos & triginta circiter annos, vsque ad Regem Henricum primum deduxit, & ad annum 1130, terminauit. Operi titulum fecit

De gestis Regum Anglorum, *Libros duos*.
Peractis ex sanctissimi Doctoris. MS. Cantabrigiæ in Coll. S. Benedicti

De Ecclesia Dunelmensi, *Librum vnum*. MS. ibid. in bibliotheca publica.

De obsidione Dunelmi, *Librum vnum*. Anno ab Incarnatione Domini 980.

De Archiepiscopis Eboracensibus ad Decanum Eboracensem epistolam. Hæc charissime Pater & Domine. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De passionibus sanctorum Martyrum Ethelberti & Ethelredi, *Librum vnum*. Anno ab Incarnatione Domini 616.

Abbreuiationes Malmesberiensis, *Librum vnum*.
Non indecens esse opinor, si quiddam.

Epistolarum ad Elmerum, *Librum vnum*. Elmero Ecclesiæ Christi Cantuariæ.

Claruit anno post Christum natum 1164. Dunelmi tandem mortuus & sepultus, sub Anglorum Rege Henrico secundo.

De Ealredo Rieuallensi.

EALREDVS seu Elredus nobilibus in Anglia parentibus natus ab ipsa tenera ætate in timore Dei & bonis studijs sollicitè educatus, à primis annis adolescentiæ suæ didicit iugum Domini portare, semper innocés vitæ scelerísque purus. Crescente cum annis pietate & doctrina, factus est ordinis Cisterciensis Monachus, in quo solitario vitæ genere rerum cœlestium contemplationi ita se dedidit, vt inter omnes suos, tanquàm Luna inter stellas minores emineret. Nec tamen intereà sacrarum litterarum studium neglexit, nec aliarum scientiarum cognitionem amisit. Vndè tantis virtutum ornamentis insignitus, primùm communi suorum suffragio, Rieuallensis Abbas electus est, qui locus Eboracensis Diocesis est. Et hæc pleráque scribit Ioannes Capgrauius. Nec multo post tempore ad aures Dauidis Scotorum Regis, hominis fama peruenit, eumque Rex sibi fecit familiarissimũ. Quãuis ille mundanos libenter fugeret honores, & varias dignitates Ecclesiasticas, adeóque Episcopatum aliquando recusauerit, vt ad diuinarum rerum contemplationem fieret expeditior, & Euangelij prædicationi liberiùs vacare posset. Frequens erat in voluendis S. Augustini libris, in quibus eius confessiones præ cœteris omnibus mirificè placebant. Erat in scriptis, dictis, factis, omníque vitæ ratione S. Bernardi diligentissimus imitator. Mitis, mansuetus, humilis, modestus, pius, temperans, castus, & qui in se, & cum alijs, & inter omnes pacem & concordiam suprà quàm dici vel cogitari potest, amabat, conciliabat, fouebat. Tam in omnibus & cum omnibus pacificus, vt eo nomine meritò beatus dici, & optimo iure filius Dei posset vocari. Sed, quod est instituti nostri, ad doctrinã eius veniamus, cuius testes sunt multi scriptores, & manifesti indices, ipsa, quæ composuit, opera. Multa scripsit ad Laurentium Vvestmonasteriensem Abbatem, vt testes sunt Trithemius & Sixtus Senensis

Vitam S. Edvvardi Anglorum Regis & Confessoris, *Libros duos.*
Multis veterum studio fuisse. M S. in Bibliotheca Lunleiana. Extat apud Surium quinto Ianuarij.

Iterùm vitam eiusdem carmine, *Librum vnum.*
Cùm tibi Laurenti, cogar parere iubenti.

De miraculis eiusdem, *Librum vnum.*
Rebus humanis exemptus. M S. in Rubra valle.

De vita & moribus quorumdam Regum Anglorum, *Librum vnum.*
Quoniam de optimis moribus. M S. in Bibliotheca Baronis de Lunleio, & Gualteri Copi.

Vitam Dauidis Scotorum Regis, *Libros duos.*
Religiosus & pius Rex Dauid.

Planctum mortis eiusdem, *Librum vnum.*

Vitam S. Niniani Episcopi, *Librum vnum.* Multorum bonorũ virorum.
Vitam S. Margaritæ Reginæ Scotiæ, *Librum vnum.*
Miracula Hagustaldensis Ecclesiæ, *Librum vnum.*
Præsentis diei exposcit ratio.
De statu eiusdem, *Librum vnum.*
Chronica ab Adamo, *Librum vnum.*
Chronica de bello Standardi, *Librum vnum.*
M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De quodam miraculo, *Librum vnum.*
Miracula Domini & manifesta. M S. ibidem.
De fundatione Monasteriorum S. Mariæ Eboracensis, & de fontibus, *Librũ j.*
M S. ibidem.
Sententiarum flores, *Librum vnum.* Cùm multos diuinæ auctoritatis.
Homilias triginta tres in Isaiam Prophetam, *Librum vnum.*
De reuelationibus eiusdem, *Librum vnum.*
Aliarum Homeliarum, *Librum vnum.*
Petis à me dilectissime in Domino.
Homeliarum in Euangelium S. Lucæ de accensa lucerna, *Librum vnum.*
Iterum super Lucam, *Librum vnum.*
De Prælatorum moribus, *Librum vnum.* Beatus Paulus Apostolus disc.
De ministrorũ officijs, *Librum vnum.* In libro Numerorum scriptũ est.
De abusionibus claustri, *Librũ vnum.* Duodecim sunt abusiones claustri.
Centum sermonum Synodalium, *Librum vnum.*
Speculum charitatis, *Libros tres.*
Hortatu Geruasij Parchorensis Abbatis. Verè sanctorum vera & discreta. M S. in Bibliotheca Lunleiana.
De spirituali amicitia, *Libros tres.*
Ecce ego & tu in eadem. M S. ibidem.
De vera amicitia, *Librum vnum.* Cùm adhuc puer essem in scholis.
De Aduentu Domini, *Librum vnum.*
De militia Christiana, *Librum vnum.* Sagitta Ionathæ numquam abijt.
Dialogorum plurium, *Librum vnum.*
Sagittam Ionathæ, *Librum vnum.*
Genealogiam Regum Angliæ, *Librum vnum.*
De diuersis virtutibus, *Librum vnum.*
Orationem Pastoralem, *Librum vnum.*
Sermones de sanctis, *Librum vnum.*
De tribus hominibus, *Librum vnum.*
In decimumtertium caput Isaiæ homilias Latinas triginta tres, sub hoc titulo, *Super onus Babylonis*, *Librum vnum.*
Tempus est fratres charissimi.
De oneribus vndecim Isaiæ (vel Isaac,) *Librum vnum.* Auens te Pater beatissime. M S. Oxonij in pub. & in priuatis Lunlæi, & Copi.
Dialogum inter hominem & rationem, *Librum vnum.*

Quare tristis es anima mea?

Super Cantica Canticorum, *Librum vnum.*
De institutione Sanctimonialium, *Librum vnum.*

Iam pluribus annis exigis à.

Contra quasdam Episcoporum litteras, *Librum vnum.*
De virtute Gualteri Espec, *Librum vnum.*

Anno Dominicæ Incarnat. 1138.

Epistolarum trecentarum, Librum vnum. In quieto littore degens adhuc.
De lectione Euangelica, *Librum vnum.*
De Christo duodemni, *Librum vnum.*
De virginitate beatæ Mariæ, *Librum vnum.*
De natura animæ, *Librum vnum.*
De dotibus animæ, *Librum vnum.* Nota quòd huius scripta quædam cum scriptis Edilredi Abbatis Vvardensis confunduntur, & propter vicinitatem nominis, & communionem religiosæ professionis, nonnulla opera litteraria huius illi, & illius huic aliquando tribuuntur. Sed Vvardensis ille diù post hunc floruit, anno videlicet Christi 1220. Hic autem Ealredus Rieuallis ab hac vita ad meliorem translatus dicitur pridiè Idus Ianuarij, anno ætatis suæ quinquagesimo septimo, incarnationis Dominicæ 1166, regnante apud Anglos Henrico secundo. Et successu temporis Catalogo sanctorum ascriptus dicitur.

De Nicolao Dunelmensi.

NICOLAVS natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Dunelmensis, Congregationis Cluniacensis. Vir pietatis & eruditionis titulis suo tempore non incelebris, & vitis sanctorum legendis, scribendis, imitandis multùm deditus. Huic valdè familiaris fuit S. Godricus Eremita. Atque hinc factum est, vt multi cupientes scire omnem rationem illius vitæ eremiticæ, hunc Nicolaum impensiùs rogarint, vt eius vitam, res gestas, & eximias virtutes scripto mandaret, & ad vtilitatem posterorum in publicum emitteret. Nicolaus ad amicum suum Godricum se contulit, & ab eo familiariùs erudiri propter amicitiam, accuratiùs propter maiorem rerum certitudinem informari postulans, palàm professus est, quid intenderet. Godricus ab hac re prorsus alienus, vt eum ab instituto auerteret, & ipse periculum inanis gloriæ vitaret, omnia sua vitia, tacitis virtutibus, cœpit recensere. Quibus auditis, Nicolaus nonnihil confusus recessit. Godricus tamen posteà volens amici petitioni satisfacere, & de inhumanitate, quam prius fecerat, dolens, sponte acquieuit, eique sincerè vitæ suæ seriem narrauit, ea conditione, vt se viuente, nihil eorum euulgaretur. Hæc ferè Matthæus Paris in Henrico secundo sub finem. Scripsit igitur Nicolaus, inquit Vion in suo ligno vitæ, S. Godrico dictante,

1169.
228.

De vita S. Godrici Eremitæ, *Librum vnum.*

Vixit anno gratiæ humano generi factæ 1169, dum Anglicani regni sce-

ptrum teneret Henricus secundus.

De Sampsone Dorouernensi.

1170. 229. SAMPSON Dorouernensis ordinis S. Benedicti Monachus Anglus Cantuariæ ad fanum Saluatoris. Vir pius, doctus, & in sacrarum scripturarum lectione atque meditatione assiduus, eum ex sanctis laboribus fructum reportauit, qui & sibi & alijs, non solùm ad iucunditatem delectabilis, sed etiam ad animarũ salutem esse posset vtilis. Non sine fœlici successu frequentes ad plebem habuit conciones, ex quibus adhuc extare dicuntur non paucæ. Posteris igitur reliquit, Lelãdo teste,

Eruditas homelias, *Librum vnum.*
Opusculorum, *Librum vnum.*

Vixit circa annum à Christo nato 1170, dum in Anglia rerum potiretur Henricus secundus.

De Clemente Langthoniensi.

1170. 230. CLEMENS natione Anglus, patria Claudiocestrensis, & cœnobij Langthoniensis non longè ab ipsa ciuitate Claudiocestriæ S. Augustini Canonicus regularis, tandémque conuentus eiusdem Magister ac Præses. Vir eruditionis & pietatis fama celebris. Cùm propter frequentes nobilium visitationes, & quotidianum hominum concursum deprehenderet se sæpè & à studijs litterarum distrahi, & quo minùs res cælestes contemplari posset, impediri, secessit in Cambriam, & in alio Monasterio eiusdem ordinis & cognominis (nam Langthonium Brechanianum vocabatur) remotus ab omni forensi strepitu, liberiùs orationi & mentali, & vocali, necnon lectioni & scriptioni vacauit, & illustre nomen, quantumuis solitariam ageret vitam, in omni vicinia consecutus est. Nam inter alios de eius sanctitate & eruditione, de vita, morte, & sepultura apud Langthonium Claudianum (sic enim loquitur Lelandus) facta, perhonorificè scribit in itinerario suo Siluester Giraldus Archidiaconus tunc Brechaniensis. Quantum autem valuerit Clemens in omni tum sacra, tum profana scientia, abundè testantur illa quæ scriptis mandata ad posteritatis vtilitatem post se reliquit. Scripsit enim, vt ex varijs auctoribus & Bibliothecis colligo,

Glossam super psalteriũ. MS. Oxonij in publ. & in Collegio S. Trinitatis.
Cõmentarios in Euangelia, Libros quatuor. Quæris à me qua fretus auctorit.
Concordiam quatuor Euangelistarum opus imperfectum, *Libros duodecim.*

Huius operis sibi charissime. MS. Oxonij in Collegio S. Trinitatis Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana. Supremam operi manum imposuit longo post tempore Guilhelmus Nottinghamus.

De alis Cherubin, *Librum vnum.* Prima ala est laudis confessio.
In Canonicam S. Iacobi, Librum vnum. Sicut in obscuris diuinarum scriptu.
In Canonicas S. Petri, *Libros duos.* Discipulo Saluatoris inuicti.
In Canonicas S. Ioannis, *Libros tres.* Rationem verbi & quod Deus.

In Canonicam S. Iudæ, *Librum vnum.* Iudas Apostolus fratres de cor.
De arte fidei Catholicæ, *Librum vnum.*
MS. Oxonij in Collegio Mertonensi.
Sermonum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*
Lecturas scholasticas, *Librum vnum.*
De orbibus Astrologicis, *Librum vnum.*
Tactus demùm paralysi mortuus & sepultus est apud Langthonium Claudianum circa annum Verbi Incarnati 1170, sub Angliæ Rege Henrico secundo.

De Guilhelmo Albanensi.

GVILHELMVS Albanensis, id est, ad S. Albanum ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, ad exemplum aliorum qui in eodem cœnobio litteris & pietati strenuam dederunt operam, ipse etiam acri feruore libris incubuit, & scientia rerum præcipuis quibusque par euasit. Ad scribendum etiam senior animum appulit, & multa in lucem emisisse dicitur. Ex quibus aliqua saltem ad posteros peruenerunt. Inter cætera inuenit S. Albani vitam Anglicè scriptam, cuius historiam, vt doctioribus exterarum nationum hominibus notam faceret, Latinam fecit, & Abbati suo Simoni nuncupauit, hoc titulo præfixo

1170.
231.

Vitam S. Albani martyris, *Librum vnum.* Reuerendo Patri ac Domino.
Claruit anno ab aduentu Seruatoris 1170, dum Anglici regni gubernaculum teneret Henricus secundus.

De Gualone Britanno.

GVALO in Cambria natus, & ibidem in bonis litteris enutritus, Musarum cultor eximius, Poëta suo tempore non ignobilis, Rhetor etiam non infacundus. Splendorem sæculi, & mundanas pompas omnésque vanitates habens contemptui, solitariam vitam elegit, vt ab hominum strepitu longiùs remotus, per contemplationem Deo fieret propinquior, & liberiùs, si vellet, studijs vacaret. Ioannes Salesberiensis in Polycratico, & in alijs suis opusculis hominem à prudentia & doctrina non semel laudat. Quamuis in eo non approbent alij rigidum quemdam & minimè secundùm scientiam zelum, linguam satis supérque mordacem, & quod omnium virtutum matrem discretionem vel omninò numquàm didicerit, vel rariùs, quàm par erat, exercuerit. Vitia enim nonnumquàm in alijs indiscreta reprehensione irritauit sæpè, raro emendauit. Pauca, quod sciam, scripsit, & ea pleraque versu

1170.
232.

In Monachos auaros, *Librum vnum.*
Sacrilegis Monachis emptoribus Ecclesiarum.
Carminum ad diuersos, *Librum vnum.*
Vixit anno Christi 1170, regnante apud Anglos Henrico secundo.

De Gualtero Daniele.

1170. 233. GVALTERVS Daniel ordinis Cisterciensis Monachus Anglus, Ealredi Rieuallensis Abbatis Diaconus, & eiusdem boni præceptoris optimus discipulus. Nam semper iisdem virtutis & eruditionis vestigijs, quibus insistere vidit magistrum, ipse etiam firmiter insistere, omni conatu, & sancta quadam æmulatione nitebatur. Vnde ad parem, ne dicam maiorem, in vtroque genere perfectionis gradum peruenit. Et in scriptis suis nonnumquam easdem, quos Ealredus tractauit, materias & ipse tractandas suscepit, vt in illis suum magistrum superasse, vel saltem æquasse videretur. Omnia eius opera accuratissimè aliquando asseruata fuisse ferunt, tanquam immortalitate dignissima, in Bibliotheca Rieuallensi. Hæc pleraque ex Lelando. Scripsit autem contra Nicolaum Monachum

De conceptione beatæ Mariæ, *Libros duos.*

Contra Nicolai de sancto Albano quodam.

De virginitate eiusdem, *Librum vnum.*

Crebriùs me Gualterum prouocas.

De vera amicitia, *Libros quinque.* Quasi in biuio iamdudum spaciatur.

De onere iumentorum Austri, *Libros duos.*

Animaduertens in Isaiæ capite tricesimo.

De honesta virginis formula, *Librum vnum.* In primis huius nostri operis.

Centum homeliarum, *Librum vnum.* Aduentus Domini nostri in carnem.

Epistolarum, *Librum vnum.* Mandasti mihi vt hoc supra vires.

Centum sententiarum, *Librum vnum.*

Super Missus est, *Librum vnum.*

In aliquot loca sacræ Scripturæ, *Librum vnum.*

Tandem in cœnobio Rieuallensi mortuus & sepultus est circa annum gratiæ 1170, sub Anglorum Rege Henrico secundo.

De Roberto Canuto.

1170. 234. ROBERTVS Canutus ordinis S. Augustini Canonicus regularis, in oppido Græcolada natus & educatus, vnde & Græcoladensis, perperàm Krikeladensis, vocari solet. Postquàm adolescens humaniorem literaturam vtcumque gustasset, Oxoniam ad altiora studia profectus est, vbi & in bonis litteris, in pijs moribus, & in omni virtutis genere incredibiles fecit progressus, ita vt apud omnes magnæ existimationis esse cœperit. Successu igitur temporis, tam fœliciter ei successit, vt apud S. Fredisvvidam Prior eligeretur, vbi se totum diuinis contemplationibus, & sacrarum scripturarum studijs consecrauit, sibi in omnibus ad spiritualem profectum, alijs ad sanctimoniæ seruiens exemplum. Honesta etiam præteritæ iuuentutis exercitia iam maturus non contempsit, nec illa perire passus est, quæ sibi aliquando vtilia fuisse cognouit ad acuendum ingenium, & deinceps proficua fore ad posterita-

tem erudiendam. Pleraque sua scripta vel Regi Anglorum Henrico secundo, vel Laurentio Abbati Vvestmonasteriensi, vel Reginaldo Gresibiano Canonico, vel Guthlando Monacho nuncupauit. Iuuenis Plinij flores collegerat, & per ordines disposuerat, iam autem ad communem multorum vtilitatem opus perpoliuit, in publicum emisit, Regi Anglorum Henrico secundo dedicauit, & operi titulum dedit

Deflorationes historiæ naturalis Plinij, *Libros nouem.* Tibi illustrissime.
Commentarios in Genesim, *Librum vnum.*
In Exodum, *Librum vnum.*
In Leuiticum, *Librum vnum.*
In Numeros, *Librum vnum.*
In Psalterium, *Librum vnum.*
In libros quatuor Regum, *Libros quatuor.*
In Cantica Canticorum, *Librum vnum.* Vox sponsi ad Ecclesiam sponsam.
In Ezechielem, *Librum vnum.*
Homilias quadraginta & vnā in eundem, *Librum vnum.* Inde enim sumpsit exordium, vbi S. Gregorius Papa fecit finem. Principium operis. Sanctissimus Pontifex Gregorius. M S. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.
In duodecim Prophetas minores, *Libros duodecim.*
De connubio Iacob, *Librum vnum.* Domino & amico verè venerabili.
De matrimonio, *Librum vnum.* Coniugium quod & matrimonium.
De benedictionibus Iacob & Moysis, *Librum vnum.*
De vtriusque Testamenti Sacramentis, *Librum vnum.*
Speculum fidei, *Libros quatuor.* Audi Israël Dominus Deus tuus.
In Euangelium S. Matthæi, *Librum vnum.*
In Epistolas D. Pauli, *Libros quatuordecim.*
In Apocalypsim S. Ioannis, *Librum vnum.* Reuelatio quæ Græcè dicitur.
Sermonum & epistolarum, *Librum vnum.*
Sententiarum Theologicarum, *Libros duos.* Quemadmodum in alijs libris.

Claruit anno reparationis humanæ 1170, sub Henrico Angliæ Rege secundo.

De Ioanne Cornubiensi.

IOANNES dictus Magister Ioannes, natione Anglus, patria & vulgari cognomine Cornubiensis. Hunc multi scriptores nostrates à singulari doctrina summis in cælum efferunt laudibus. Ioannes Lelandus claræ famæ Theologum vocat. Bostonus Buriensis in suo magno Catalogo eum vt virum eruditum, & summis mundi Monarchis hoc nomine non incognitum prædicat. Et fuit certè vir celebris famæ, & eruditionis titulo regibus & principibus, & ipsi Alexandro Papæ tertio mirè charus. Postquàm in patria iuuentutem in perdiscendis liberalibus artibus vtiliter transegisset, Academias primùm Galliæ, deinde Italiæ studiorum causa visitauit. Et tandem in vrbe Roma, arce

1170.
235.

mundi, & supremo Theologicorũ studiorũ fonte pedẽ & sedẽ fixit, vt ibi omnia quæ didicerat, quasi denuò ruminaret, & cum doctissimis viris de dubijs ac difficilibus rebus conferens, iterum sua studia repeteret, & accuratiùs perficeret. Insignis veritatis cultor & propugnator, errorum & hæresum capitalis hostis, impugnator acerrimus, expugnator fœlicissimus. Cum Petro Lumbardo Magistro sententiarum de varijs & abstrusissimis in Theologia quæstionibus subtilissimas habuit disputationes. Cùm autem Romæ magno in pretio esset apud Alexandrum Papam tertium, pleraque opera quæ in lucem emisit, & posteritati reliquit, eidem Pontifici dedicauit. Scripsit autem, vt ex Bostono Buriensi, & quibusdam Bibliothecis colligo

Commentarios in diuersa sacræ Scripturæ loca, *Libros plures.*

Eulogium, *Librum vnum.* In Concilio Turonensi quod dudum. M S. Oxonij in Collegio Balliolensi.

De Sacramento altaris, *Librum vnum.*

M S. Cantabrigiæ in Colleg. S. Benedicti.

De virtute Crucis, *Librum vnum.* M S. ibidem.

De septem Canonibus vel ordinibus Missæ, *Librum vnum.* M S. ibidem.

De Incarnatione vel assumpto homine, *Librum vnum.*

Disceptationum, *Librum vnum.*

Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Claruit anno reconciliationis humanæ 1170, dum in Anglia rerum poteretur Henricus secundus.

De Roberto Foliotho.

1170. 236.

ROBERTVS Foliothus, natione Anglus, Gilberto Foliotho Episcopo Londinensi, sanguine propinquus. Vir, teste Lelando, de bonis artibus optimè meritus, magnæ etiam prudentiæ, paris industriæ. Postquàm in patria transegisset adolescentiam in ijs studijs quæ illi ætati conueniebant, Galliam ad ingenium litteris excolendum petijt, & Melduni (vnde & Meldunensis vel Melundinensis cognomen accepit) diù resedit, multa didicit, nonnihil docuit. Ibi S. Thomam Cantuariensem discipulum habuisse dicitur, quem etiam in Anglia posteà patronum optimum habuit. Nam postquàm non multum temporis in eius famulatu impendisset, eius fauore, factus est primùm Archidiaconus Oxoniensis, deinde anno Domini 1164, post prædictum consanguineum suum Gilbertum euectus est ad Episcopatum Herefordensem. Huius memorabilis scriptoris mentionem facit Robertus Abbas de monte S. Michaëlis in additionibus ad chronica Sigeberti. Ex multis quæ elucubrauit, non multa, imò admodum pauca inuenio. Et primùm puto esse opus illius de annis Domini sub hoc titulo

Excerpta de chronicis Mariani Scoti, *Librum vnum.*

M S. in Biblioth. Gualteri Copi.

De Sacramentis antiquæ & nouæ legis, *Librum vnum.*

MS. in bibliotheca Lunleiana.

Concionum, *Librum vnum.*

Claruit anno postquàm peperit Virgo 1170, regnante in Anglia Hērico secundo. Vide quem composuimus de Episcopis Herefordensibus Catalogum.

De Senato Brauonio.

SENATVS Brauonius ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in cœnobio Vvigorniensi. Vbi posteà fuit dignissimus Præses. Erat autem hoc Monasterium Congregationis Cluniacensis. Porrò fuit Senatus vir pietatis amantissimus, obseruantiæ regularis studiosissimus, & de bonis litteris optimè meritus. Suum cœnobium, alioqui honoratum, longè honoratius virtutum suarum splendore reddidit, eiusque industria factum est, vt ad annos posteà benè multos illi loco non defuerint viri omni vitæ integritate & eruditione præstantes. Rogero per idem tempus illius sedis Episcopo multum charus, & valdè familiaris fuit, cui pleráque sua scripta consecrauit. Atque hæc ferè omnia decerpsi ex Ioanne Lelando, & Polydoro Virgilio. Iam quod ad hominis doctrinam attinet, præterquàm quòd totum sacrorum bibliorum corpus sua manu descripsisse perhibetur, ex ingenij etiam copioso thesauro depromsit

1170. 237.

De Pallij Pontificij ratione, *Librum vnum.*

Vitam S. Osvvaldi Eboracensis Archiepiscopi, *Librum vnum.*

De qua vide Surium die decimo quinto Octobris.

Vitam S. Vvolstani Episcopi Vvigorniensis, *Librum vnum.*

Vide Surium die decimo nono Ianuarij.

Epistolarum, *Librum vnum.*

Vvigorniæ diem clausit extremum, & ibidem in suo Monasterio requiescendi elegit locum, circa annum salutis communis 1170, in Anglicani Regni throno sedente Henrico secundo,

De Rogero Herefordensi.

ROGERVS Herefordensis, id est, apud Herefordiam in confinibus Cambriæ natus. Lelandi non improbabilibus coniecturis in Academia Cantabrigiensi *dicitur ingenuas didicisse fideliter artes.* Vbi etiam ferunt pleráque eius scripta, simul cum opere Alphidij de creatione Metallorum, ad multos annos fuisse diligenter asseruata. Erat vir propter egregia naturæ dona & gnauam industriam magnis viris in magno precio. Habuit peracutum ingenium, & adeò scientiarum auidum, vt si ab eo petijsses, quarum rerum nulla est satietas? Respōdisset, non vt auarus, diuitiarum: Sed vt Philosophus, scientiarum. Hinc factum est, vt, quantum per alias occupationes ad vitam necessarias licebat, non permiserit vnquam *vt minimum vitæ tempus abiret iners.*

1170. 238.

Ingressus ætatis maturæ stabiliores annos, præfixa quædam studia sibi

eligenda statuit, in quibus vt excellere posset, nullis parcens laboribus, omnes ingenij neruos, vsque ad extremum vitæ diem, sedulò deinceps intendit. Hanc autem strenuam operam studijs potissimùm Philosophiæ naturalis, & sublimi Astrorum contemplationi vtilissimè impendit. In quibus diurno nocturnóque labore tantum profecit, vt saltem cum doctissimis ætatis suæ viris in vtráque harum scientiarum de palma meritò contendere posset, quod cuiuis erudito libros eius attentè legenti & intelligenti perspicuum esse queat. Hæc autem sequentia litteraria monimenta posteris reliquit

In artem iudiciariam, *Librum vnum*. Quoniam regulas artis Astronom.
Theoricam planetarum, *Librum vnum*. Diuersi Astrologi secundũ diuersos.
MS. Oxonij in bibliotheca publica.
Collectaneum annorum planetarum, *Librum vnum*.
De ortu & occasu signorum, *Librum vnum*. Orizon rectus & circulus.
De rebus metallicis, *Librum vnum*.
Expositiones in Alphidium, *Librum vnum*.

Claruit anno salutis per Christum reparatæ 1170, dum in Anglia rerum potiretur Henricus secundus.

De S. Thoma Cantuariensi.

1171. 239. SANCTVS Thomas cognomento Betchettus seu Beckettus Londini in Anglia natus. Ab ipsa pueritia in timore Domini sollicitè à parentibus educatus, in adolescentia præceptoribus optimis traditus, cum pietate bonarum litterarum studia coniunxit, & successu temporis eos in vtrísque progressus fecit, vt splendor virtutum eius tanquam luminare quoddam maius inter omnes fulgere cœperit. Imprimis itaque Theobaldo tunc Archiepiscopo Cantuariensi factus est in intimis, & ab eo Cantuariensem Archidiaconatum accepit. Paulò pòst propter singularẽ prudentiam, & miram in expediendis vel difficillimis negotijs dexteritatem Regi innotuit, à quo constitutus est summus Angliæ Cancellarius. Tãdem præcellentis viri fama ad curiam Romanam, ipsiúsque summi Pontificis aures peruenit, cuius partim auctoritate, partim etiam Regis fauore, ad Archiepiscopatũ Cantuariensem tandem assumptus est. Et simùl iure Cantuariensis sedis hæreditario dignitatem & honorem legati sedis Apostolicæ ad vniuersum Angliæ Regnum, consecutus est. De quibus suo loco fusiùs. Nam hîc vel solùm, vel certè præcipuè de eius doctrina agendum. Cuius opera litteraria ideò posteris parciùs tradita sunt, quia dum sæcularis erat, publicis Regni negotijs impeditus; dum Ecclesiasticus, cœlestium rerum contemplationi deditus, vel Episcopalibus curis implicatus, vel exilij incommodis agitatus, pauca scriptis mandauit. Denique ex paucis quæ scripsit, probabile est propter potentes æmulos, & Regis malam gratiam, nonnulla suppressa perijsse. Scripsit potissimùm ad Alexandrum Papam tertium

Processum suum, *Librum vnum*.

Epistolarum septingentarum viginti duarum ad diuersos, *Libros quinque.*
Charissimo Domino & patri Alexandro. Quæ partim Romæ seruantur in Vaticano. Partim habentur M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Partim Oxoniæ in bibliotheca publica. De quibus scribit Rogerus Croylandensis in vita S. Thomæ.

Apologiam ad Gilbertum Episcopum Londinensem, *Librum vnum.*
Mirandum & vehementer stupendum.

Ad suos Episcopos, *Librum vnum.* Fraternitati scriptum hoc.

Elegans encomium Rithmicum ad beatam Mariam Virginem, *Librum vnum.*
Gaude flore virginali.

Cantuariæ demùm in Ecclesia sua Metropolitana martyrio coronatus est quarto calendas Ianuarij anno gratiæ 1171, sub Angliæ Rege Henrico secundo. Vide quem composuimus de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Edvvardo Monacho.

EDVVARDVS Monachus, natione Anglus, patria Cantuariensis, & Cantuariæ regulam S. Benedicti amplexus, vitam Monasticam professus est. Hunc pietas, religio, doctrina tam charum S. Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo & Martyri reddiderunt, vt omnium penè in omni vita consiliorum eius esset particeps, omnium itinerum comes, cum eo res aduersas patienter ferens, cum eodem prosperis communiter gaudens. Vnus etiam eorum paucorum erat, qui plerisque fugientibus, astiterunt cõmiserationis affectu spectatores Martyrij. Atque hinc est quòd omnium quæ illi tum in vita, tum in morte contigerant, conscius, veraciter & fideliter scripserit

1171. 240.

De S. Thomæ vita & morte, *Librum vnum.*

Claruit igitur anno gratiæ 1171. Surius putat obijsse anno 1174, vicesimo nono die Decembris, dum summa rerum in Anglia penes Henricum secundum resideret.

De S. Godrico eremita.

SANCTVS Godricus eremita, natione Anglus, patria Northumbranus, Norfolcensis tamen inquit Matthæus Paris, patre Ailvvardo, matre Radvvenna generatus in vlla Vvalpol iuuenis terra maríque mercaturã exercuit. Sed in illo etiam vitæ statu cœlestia sæpè cogitabat, Orationem Dominicam & Apostolorũ Symbolũ frequenter & attentè recitans, & assiduè meditando ruminans. Vbicúmque autem agebat, reliquias sanctorum, siquæ erant reuerẽter inuisebat, & Sactorũ patrocinijs se piè commendabat. S. Andrææ reliquias in Scotia; SS. Apostolorum Petri & Pauli corpora Romæ, pius peregrinator adiuit. Tandem distributo in pios vsus omni patrimonio, & copiosis, quas congesserat, diuitijs in pauperes erogatis, non alium nisi in cœlis thesaurizare thesaurum constituit. Itaque deinceps bonarum litterarum studijs, sacra-

1171. 241.

rum scripturarum lectioni, rerum diuinarum meditationi, precibus, ieiunijs, vigilijs se impensè dedidit. Deinde suscepto sanctæ Crucis signo Ierusalem perrexit, vt adoraret Dominum in loco vbi steterunt pedes eius, & inuiseret sepulcrum quod Propheta prædixit futurũ gloriosum, indè post adoratum in Galicia S. Iacobum, redijt in Angliam, & tum denuò Romam. Indè in patriam reuersus, & ad extremos Angliæ fines penetrans, iuxta Carleolum in montibus desertis, & locis solitarijs vitam eremiticam amplexus est, herbis, radicibus, & syluestribus fructibus rigidè victitans. Ab amico quodam Psalterium S. Hieronymi accepit, quod breui tempore, quotidiè recitando, memoriter didicit. Quodam autem die, dum attentiùs oraret, cœlitùs indicatum est ei, quòd adhuc semel Ierusalem pergeret. Apparuit enim ei S. Cudbertus, itineris futurus dux, & in reliqua vita protector atque patronus. Qui & insuper ei significauit, quòd posteà Deo seruiret in loco, qui dictus erat Finchale. Amicus itaque Dei Godricus Dunelmi signum Crucis, & presbyteri benedictionem accepit, & Ierosolymam denuò perrexit. Tum vt scribit Matthæus Paris, *Ad sepulcrum Domini & alia loca sancta veniens, deuotè orauit, lacrymas fudit, solo adhæsit, oscula fixit*, &c. *Ad Jordanis fluenta procedens, cum cilicio & cypho quem in pera portabat, & cruce modica quam semper in manibus ferebat, aquas fluminis introiuit, quæ omni post tempore quo vixit, habuit chariora. Tum exutis vestibus & calceamentis, dixit: Deus omnipotens, tu in hac terra nudis pedibus ambulasti, & eos pro me in patibulo clauis transfigi permisisti, ego deinceps calceamenta pedibus non apponam.*

Anno Domini 1110, vt habet Matthæus Vvestmonasteriensis, in patriam redijt, iterum in solitudinem exiuit iuxta Dunelmum, & paulò pòst, vt ei prædictum fuit, monitu diuino in Finchale se recepit, vbi reliquum vitæ tempus, per annos scilicet sexaginta se quotidiè in psalmis, hymnis, in oratione tum vocali, tum mentali exercuit, & dies noctésque in rerum cœlestium contemplatione sanctè transegit. Hæc plerá que ex vtróque Matthæo. Monachis Dunelmensibus nonnumquam familiariter vsus est, & in his maximè Nicolao, qui vitam eius scripsit, & Simeone Præcentore, cui scripta sua nuncupauit. Scripsit autem

De vita & visione Orm, Librum j. Simeoni Monacho Venerabili seruo. Sanctissimè diem suum obijt duodecimo calendas Iunij, scilicet in octauis Ascensionis Dominicæ, anno salutis humanæ 1171, & sepultus est ad Septentrionalem oratorij sui plagam, ante gradus altaris S. Ioannis Baptistæ, regnante in Anglia Henrico secundo. Cuius sepulcrum, inquit Matthæus Paris, vsque in diem hodiernum coruscat miraculis gloriosum. Vndè ibidem in eius honorem ædificata fuit Ecclesia.

De Gualtero Anglico.

1177. 242.

GVALTERVS natione & cognomine Anglicus, quod cognomen antiquitùs nostratibus penè omnibus apud exteros degentibus plerúmque fuit commune. Vir ab historicis nostris à morum probitate

bitate, & insigni cognitione, maximè in omni humaniore litteratura, plurimùm commendatus. His nominibus Henrico Anglorum Regi secundo factus est à sacellis In quo munere cùm spectata viri virtus magis ac magis indies omnibus innotesceret, Rex, qui filiam suam Ioannam nuptui dare constituerat Guilhelmo iuniori Siciliæ Regi, Gualterum illuc præmisit, vt futuri generi animum adhuc tenerum liberalibus artibus, politis moribus, & omni, quæ regalem prolem decet, meliori disciplina imbueret, sollicitéqne informaret. Fecit ille impigrè munus iniunctum. Quo præceptore tantum profecit, indolis egregiæ princeps, vt breui tempore Latinè non modò congruè, sed etiam concinnè, & versu scriberet, & oratione soluta. Atque hæc pleráque partim ex Radulpho de Diceto, partim ex Roberto Abbate Monasterij montis S. Michaëlis in continuatione chronicorum Sigeberti Gemblacensis desumpsi. Addit Radulphus præfatum Regem Guilhelmum successu temporis ad animi grati testificationem erga tam insignem suum Magistrum ei contulisse Panormitanum Archiepiscopatum, eumque constituisse totius Siciliæ Primatem. Porrò quod ad scripta Gualteri attinet, vel pauca edidit, vel certè pauca ex ijs quæ edidit ad posteros peruenerunt. Ferunt tamen eum in gratiam Regij sui discipuli scripsisse quædam opuscula, quæ auctore inter externos viuente & moriente, neglecta perijsse videntur, ita vt ne tituli quidem nunc inueniantur, præter

De lingua Latinæ rudimentis, *Librum vnum.*

Mortuus & sepultus est Panormi anno nati Saluatoris 1177, dum Anglicani Regni gubernaculum tractauit Henricus secundus.

De Guilhelmo Rameisiensi.

GVILHELMVS de Ramesey, vel Rameisiensis, ab oppido natalitio sic cognominatus, natione Anglus, professione Benedictinus Monachus in Monasterio Croilandensi, vbi etiam successu temporis creatus est Abbas, Congregationis Cluniacensis. Vir pietatis, doctrinæ, prudentiæ titulis insignis, & in rebus agendis mirè dexter. Principibus viris, ipsique imprimis Henrico secundo Angliæ Regi valdè charus. Nec solùm dextrè nouit qua ratione magnatum gratiam sibi conciliaret, sed multò magis quomodò acquisitum fauorem prudenter conseruaret, & indè suum suorúmque commodum faceret. Nam ex Regis munificentia spacio mensium circiter octodecim, quibus Abbas præfuit suis, quatuordecim millia Marcarum, quæ Monasterium debebat, exoluit. Sed ad hominis doctrinam veniamus. Erat sanè, vt scribit noster Lelãdus, in omni politioris doctrinæ genere versatissimus, & in sanctorum vitis legendis, scribendis, imitãdis libenter occupatus, fidem dicto faciunt scripta non inelegantia, tum versu, tum oratione soluta. Vndè nec immeritò certè honorificam illius facit mentionem Guilhelmus Guillinghamus Monachus Cantuariensis in opere suo de viris illustri-

1180.
243.

bus ordinis S. Benedicti. Cùm incidisset in vitam S. Guthlaci à fœlici Monacho Croilandensi olim prosa scriptam, in eandem, opus Heroïco carmine exarauit, & Henrico Abbati, Guilhelmi Longescampij Eliensis Episcopi fratri dicauit, sub hoc titulo

Vitam S. Guthlaci Heroïco carmine, *Librum vnum.*
Vitam S. Neoti Monachi carmine, *Librum vnum.*
Anglia quæ toto modo Regi.
Vitam eiusdem prosa, *Librum vnum.* Beati Neoti Confessoris vitam.
De Translatione eiusdem, *Librum vnum.* Cùm beati Confessoris reliquiæ.
Vitam Vvaldelphi Comitis, *Librum vnum.*
Illustrissimus celebrique memoria.
De passione eiusdem, *Librum vnum.* Vvaldelphus amplæ prosapiæ.
De miraculis eiusdem, *Librum vnum.* In prouincia etenim quæ Anglicè.
De gestis antecessorum eius, *Librum vnum.*
Tradunt relationes antiquorum.
De Comitissa Iuditha, *Librum vnum.* Comitissa quidē Iuditha Vvaldelp.
Vitam S. Edmundi, Regis *Librum vnum.*
Vitam S. Berini Episcopi, *Librum vnum.*
Super Bedam de temporibus, *Libros quatuor.*
Super Isidorum de computo, *Librum vnum.*
De gestis sui cœnobij, *Librum vnum.*
De vitiis Philosophorum, *Librum vnum.* De vitis & moribus Philosoph.
De legendis Ethnicorum scriptis, *Librum vnum.* Amico suo Guthlaco.

Tandem bonam vitam optimo fine terminauit apud Charitatem anno à plenitudine temporis 1180, in caristino Epiphaniæ, dum ad Anglicani regni clauum sedebat Henricus secundus.

De Roberto Scriba.

1180. 244. ROBERTVS, cognomento Scriba, à scribendis antiquorum auctorum libris. Natione Anglus, ordinis S. Augustini Canonicus regularis in Monasterio Bridlingtonensi, vbi successu temporis intuitu singularis doctrinæ, prudentiæ, pietatis, industriæ, dexteritatis, & aliarum virtutum constitutus fuit Præses quartus. Omnem penè ætatem, vt ex Lelando colligo, posuit in legendis, meditandis, & explicandis sacris scripturis, quas ne perperàm interpretaretur, & ex malè intellectis sibi atque alijs aliquando perniciem hauriret, incedens via regia, veteres adhibuit Ecclesiæ Patres, & celebriores Doctores, quos ferè omnes legit & relegit, eorum per omnia normam secutus in explicandis obscuris & difficilibus sacræ scripturæ textibus. Nec solum sibi studuit, sed & discipulis quos diligenter docuit, & posteritati, cui sua doctissima scripta legenda tradidit. Scripsit enim eruditos commentarios, qui maxima ex parte dicuntur. Haberi MS. Oxoniæ in Collegio sanctissimæ Trinitatis, & in priuata bibliotheca Baronis de Lunleio

In Genesim, *Librum unum.*

In Exodum,	*Librum vnum.*
In Leuiticum,	*Librum vnum.*
In Numeros,	*Librum vnum.*
In Deuteronomium,	*Librum vnum.*
Super psalterium,	*Librum vnum.*
Breuiarium in psalmos,	*Librum vnum.*

A quibusdam fratribus diù rogatus.

In Cantica Canticorum, *Librum vnum.* Osculetur me osculo oris sui.
In duodecim Prophetas Minores, Libros duodecim. Teste beato Hieronymo.
In Cantica Bibliorum, Librum vnum. Cùm in præcedentibus Prophetiæ.

In S. Matthæum,	*Librum vnum.*
In S. Ioannem,	*Librum vnum.*
In epistolas S. Pauli,	*Libros quatuordecim.*

In Apocalypsim, Librum vnum. Beati Dionysij Corinthiorum Episcopi.
De operibus sex dierum, *Librum vnum.*
In Orationem Dominicam, Librum vnum. Vnusquisque homo qui patrem.
In Symbolum S. Athanasij, *Librum vnum.*
Quicúmque vult saluus esse, non.

De corpore & sanguine Domini,	*Librum vnum.*
De Ecclesia Catholica,	*Librum vnum.*
Sermonum,	*Librum vnum.*
Dialogorum,	*Librum vnum.* Et alia permulta.

Claruit anno Redemptionis humanæ 1180, sub Rege Anglorum Henrico secundo. Mortuus tandem in claustro cœnobij sui sepultus est ante ingressum capituli, cum inscriptione quæ sic incipit: *Robertus cognomento Scriba,* &c.

De Daniele Ecclesiensi.

1180. 245.

DANIEL Ecclesiensis vel ab Ecclesia, clarissimis in Anglia parentibus natus, & Regi Henrico secundo, in cuius Aula plus quàm annis triginta vixit, sanguine propinquus. Vir in humaniore litteratura cultissimus, qui oratione, tum structa tum soluta elegantissimè multa scripsit. Vrbanitatem etiam morum accuratè se scire, & alios docere posse profitebatur. Itaque propter splendorem generis, politos mores, fidem, pietatem, doctrinam, & omnes ingenuas animi dotes, in supremum equitum apud Anglos ordinem cooptatus est, & ad altissimorum munerum functiones sublimatus. Tamen viri tanti memoria forsitan omninò perijsset, nisi vetus Londini codex repertus nomen eius à periculo interitus eripuisset. Pauca eius quæ inueniuntur scripta satis ostendunt eum non pauca scripsisse, verùm quæ illa fuerint, ne de nominibus quidem & titulis mihi constat. Scripsit versibus Latinis

Vrbanum, seu de morum ciuilitate,	*Librum vnum.*
Carmina rhithmica,	*Librum vnum.* Et alia plura.

Floruit anno post partum virgineum 1180, dum ad Anglicani Regni

gubernaculum sedebat Henricus secundus.

De Richardo Syracusano.

1181. 246. RICHARDVS Syracusanus ordinis sacerdotalis sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Vir prudentiæ, sanctitatis, & eruditionis laudibus suo tempore celebris. Qua tempestate Rex Anglorum Henricus secundus filiam suam Ioannam Guilhelmo Siciliæ Regi collocauit in matrimonium, hunc Richardum tanquam virum doctum, grauem, modestum, maturum, & prudentem vnà in comitatu cum alijs pluribus omnis generis præstantibus viris misit. Qui peractis iam nuptiarum solemnijs, non est in patriam reuersus. Sed ibi commoratus adeò suam fidem, industriam, sapientiam tum Regi, tum reginæ probauit, vt ad Episcopatum Syracusanum eleuatus fuerit. Iam verò quod ad litterariam hominis supellectilem attinet, nihil quod scripserit apud auctores inuenio, præter

Epistolarum, *Librum vnum.*

Claruit anno post gratiam humano generi per Christum factam 1181, dum in Anglia summa rerum penes Henricum secundum resideret. Syracusis tandem mortuus & sepultus est. Hęc ex Radulpho Dicetensi.

De Hereberto Bosenhamo.

1181. 247. HEREBERTVS Boshamus vel Bossehamus, id ex pago Basham natus in Comitatu Southsaxiæ, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir acutus ingenio, facundus eloquio, poëta elegans, Rhetor disertus, Philosophus subtilis, & omni sermone tersus, & politus. Omnes Angliæ, & præcipuas quasque, teste Lelando, totius Galliæ studiorum causa visitauit Academias. Erat ab epistolis S. Thomæ Archiepiscopo Cantuariensi, cuius Martyrium & passionem compassionis oculis aspexit, & vitam sanctam mortémque in conspectu Domini preciosam eleganti stylo perscripsit, & eò quidem veraciùs, quò conscius omnium & oculatus fuit testis. In exilium eiectus à Rege, Romam vocatus à summo Pontifice, factus est Archiepiscopus Beneuentanus, & S.R.E. Cardinalis. Monimenta doctrinæ post se reliquit hæc sequentia,

De gestis S. Thomæ Cantuariensis, *Librum vnum.*
Defensorium Annæ, *Librum vnum.* Errorum veterum inuentores, inter.
Epistolarum, *Libros duos.* Herebertus modò nec Magister.
De suis peregrinationibus, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Floruit anno gratiæ 1181, regnante in Anglia Henrico secundo.

De Odone Ceritonensi.

1181. 248. ODO Ceritonensis vel Shirton, dictus Magister Odo Monachus Cisterciensis, sacræ Theologiæ Doctor. Hic postquàm in patrijs Academijs absoluisset studiorum curriculum, Parisios se contulit, vt externa domesticis cõiungens, mores Gallicos, & variarum rerum expe-

rientiam discere posset, & cum doctissimis viris facto quotidiano congressu, suas scientias adiunctis alienis augeret. Erat Orator disertus, Philosophus acutus, Disputator subtilis, Concionator elegans. Adeò fœlici ingenio penetrauit omnia, vt omnium penè scientiarum gloria floreret, atque his nominibus doctis quibusque viris, & Principibus cordatissimis esset charus, & quibusdam eorum ab intimis consilijs. Nam ad hoc munus propter multiplicem rerum scientiam, longam experientiam, singularem in rebus gerendis prudentiam, & solidum iudicium, erat aptissimus. Multa prouerbia, parabolas multas tum sacras, tum profanas, quasi alter Salomon scripsit. Imprimis quæ Æsopus Græcè exarauit, hic Latina fecit, & commentarijs illustrauit, operique titulum præfixit

Bestiarium vel Brutarium, Librum vnum.
Iuerunt ligna vt vngerent super se.

Opus sexaginta parabolarum, Librum vnum.
Quoniam vt dicit Gregorius, plus.

Aliud opus parabolarum, Librum vnum.
Aperiam in parabolis os meum, loquar.

Homiliarum de tempore, Librum vnum. Cùm appropinquasset centi præsens. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.

Homiliarum de sanctis, Librum vnum.
Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ.

Pœnitentiale, Librum vnum. Descendi in hortum meum, vt viderem.

Summam. Quæ dicitur haberi M S. Oxoniæ in Collegio nouo.

Partium opus, Librum vnum.

Narrationum, Librum vnum. Et alia multa, quæ dicuntur adhuc inueniri in varijs Angliæ Bibliothecis. Claruit anno Domini 1181, sub Angliæ Rege Henrico secundo.

De Richardo Plutone.

RICHARDVS Pluto ad normam S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Cantuariensi. Vir, teste Lelando, pius, & apprimè doctus, atque in omni planè optimarum scientiarum genere versatissimus. Nam ab adolescentia prima Grammaticam & alia quæ illi ætati conueniunt, strenuè didicit. Deinde ad Poësim & Rhetoricam fœliciter progressus, in vtroque summam peritiam consecutus est, ita vt iam in primis iuuentutis annis pereleganti stylo, tum soluta, tum stricta oratione scriberet, omnesque scientias liberales, & Mathematicas egregiè calleret. Philosophiam tam naturalem, quàm moralem, Theologiam denique scholasticam & interpretatiuam ita coniunxit, vt in omnibus nihil ei deesset ad hominem summè eruditum. Historiarum etiam potissimùm earum, quæ res Ecclesiasticas concernunt, peritissimus. Sed iam non tam verbis nostris, quàm hominis scriptis loquamur. Scripsit imprimis ad Richardum Normanniæ Ducem,

1181.
249.

Ecclesiasticam Anglorum historiam, Librum vnum.
Illustrissimo Duci Normannorum.
Vnde malum? carmine, Librum vnum. Ianua clausa diù, nunc.
De inquisitione boni, Librum vnum.
De gradibus virtutum, Librum vnum.
De virginitate, Librum vnum.
De bono mortis, Librum vnum.
De arte Ironica, Librum vnum.
In Icones Apostolorum, Librum vnum.
De loco & tempore, Librum vnum.
Super opere Philonis, Librum vnum. Et alia plurima.
Claruit anno mundi redempti 1181, dum in Anglia rerum potiebatur Henricus huius nominis secundus.

De Rogero Cisterciensi.

1181. 250.

ROGERVS natione Anglus ordinis Cisterciensis Monachus in cœnobio Fordano ad Axi fluminis ripas sub Abbate Baldvvino. Hunc strenuum pietatis & doctrinæ cultorem prædicat Lelandus. Postquam enim in patria bonis litteris fœliciter operam dedisset, ad Belgas transfretauit, studiorum suorum cursum nunquam intermittens, imò noctes atque dies infatigabili labore libris incumbens, quotidie se doctior fiebat. Ijs temporibus per totam ferè Europam percrebuit fama S. Elizabethæ Abbatissæ sanctimonialiũ quæ in cœnobio Schoraugiensi Deo famulabantur. Illa enim spiritu Prophetico imbuta, miras diuinitùs habuit reuelationes. De illa igitur sanctissima Abbatissa, ad Dei & sanctorum gloriã, agendum iudicauit Rogerus, & maximè cõuenire existimauit, vt religiosus de religiosa fidele testimonium & tum viuentibus præberet, & posteris credituris traderet. Itaque omnes huius S. Elizabethæ reuelationes, beneficio maximè Guilhelmi Sauignensis Abbatis excepit, & in vnum volumen collegit, & præfato Baldvvino Abbati suo totum opus consecrans, in vulgus emisit, titulumque indidit

Reuelationes S. Elizabethæ, Libros duos. Omnes qui lecturi sunt.
De vndecim millibus virginum Coloniæ occisarum, Librum vnum.
Encomium beatæ Mariæ Virginis, Librum vnum. Et alia nonnulla. Claruit anno redemptionis humanæ 1181, sceptrum Anglicani regni tenente Henrico secundo.

De Hugone Readingensi.

1181. 251.

HVGO Readingensis Abbas ordinis S. Benedicti, honestis in Anglia natus parentibus, postposita hæreditate paterna, religiosum hoc vitæ institutum amplexus est, vt liberiùs studijs ac pietati in Dei famulatu vacare posset, vt ex Lelando colligo. Monachus Vvincholensis diù in humilitate multa, & strictissima disciplinæ regularis ob-

seruantia vixisse dicitur, doctissimos in studijs secutus præceptores, sanctissimos in virtute imitatus magistros, donec ipse ad parem in vtroque genere ascendisset perfectionis gradum. Quod nunquam consecutus fuisset, nisi cum aliorum sollicitudine, suam adhibuisset diligentiam, coniunxisset industriam. Alius fuit Hugo de quo scribit Matthæus Vvestmonasteriensis in hæc verba: *Anno gratiæ 1123. decimo septimo calendas Maij Hugo Prior de S. Pancratio efficitur Abbas de Radingo.* Et anno gratiæ 1130, *Hugo Abbas Radingensis ad Archiepiscopatum Rotomagensem eligitur.* Porrò hunc nostrum illum esse existimo, cuius Petrus Blesensis in varijs epistolis doctrinam mirè prædicat, *Cuius virtutes in cælum laudibus effert.* Scripsit præsertim in varios sacræ scripturæ textus

Quæstionum Theologicarum, Libros sex. Deus summè verus, & verè summus. M S. inquit Arnoldus Vion in ligno vitæ parte prima libro secundo, in Bibliotheca S. Benedicti Mantuæ.

Epistolarum maximè ad Celestinum Papam secundum, & Petrum Blesensem, Librum vnum. Ex quibus vnam vidi & legi M S. Louanij in Bibliotheca priuata Ioannis Fenni.

Claruit anno Verbi incarnati 1181, regnante apud Anglos Henrico secundo.

De Gualtero Bibliothecario.

GVALTERVS, ignoto cognomine, nonnunquam Bibliothecarius, nonnunquam Cantor, aliquando etiam Albanensis cognominari à scriptoribus solet. Erat enim ordinis S. Benedicti Monachus Anglus ad S. Albanum, vbi etiam fuit posteà Cantor, & tandem ibidem Bibliothecarius, quamuis forsan ab insigni, quam condidit, Bibliotheca, posterius hoc cognomen accepisse potuerit, potius quàm à cura custodiendæ publicæ Monasterij Bibliothecæ ei demandata. Erat certè vir doctus, & legendis antiquis auctoribus, & potissimùm Ecclesiasticis scriptoribus multum delectatus, & in ijsdem non inutiliter versatus. Tandem ne posteritatem suorum laborum fructibus defraudaret, ad scribendum animum appulit, & egregiam congessit Bibliothecam, vt vocat, quod volumen hoc titulo insigniuit

1181.
252.

De libris Ecclesiæ, *Librum vnum.*

Prima pars Bibliothecæ à beato Hieronymo. Vixit anno viuificati generis humani 1181, regnante apud Anglos Henrico secundo.

De Ioanne Salesberiensi.

IOANNES Salesberiensis, natione Anglus, patria Vviltunensis. Vir ad bonas artes capessendas à natura formatus. Copiosi, grandis, sublimis ingenij. Politioris litteraturæ flores in Anglia collegit adolescens, iuuenis studiorum causa Galliam & Italiam peragrauit, & vtrobique celebriores Academias frequentauit, tam fœlici semper progressu, vt omnium diuinarum & humanarum scientiarum paucis annis

1182.
253.

peritissimus euaderet. Insignis Poëta, Orator eloquens, omnes liberales, omnes mathematicas artes ad vnguem calluit. In Philosophia tum morali, tum naturali profundè eruditus. Græcæ linguæ peritissimus, Hebraicæ non ignarus. Denique in sacris scripturis omnique Theologiæ genere versatissimus. Ad ingenij præclaras dotes, & multiplicem rerum cognitionem, accesserunt alia tum animi, tum corporis præstantissima dona. Dulcis affabilitas, insignis morum candor, decens gestus, corpus decorum, facies venusta, incessus compositus: interior etiam mentis nitor singularis, vita per omnia innocens, & morum integritas plenè mirabilis, semper tranquillus animus bonæ conscientiæ non leue testimonium. Hæc ferè ex Ioanne Lelando.

Porrò cùm iam ad tantam doctrinam peruenisset, vt vix inueniret à quo vlteriùs aliquid discere posset, alios docere aggressus est, in qua functione tam accuratam adhibuit diligentiam, vt discipulis suis linguæ tum Græcæ tum Latinæ dignitatem antiquam, & natiuam puritatem ostenderit. Scribunt multi, & in his Robertus Abbas montis S. Michaëlis in continuatione ad chronicon Sigeberti anno 1177. hunc fuisse Theobaldo Cantuariensi Archiepiscopo charissimum, eique & post eum S. Thomæ successori eius clericum, Thomæ etiam indiuiduum exilij comitem, & perpetuum virtutum illius imitatorem. Nec desunt qui asserant eum, quam primum ad ordinem sacerdotij fuisset assumptus, summo Pontifici Adriano quarto innotuisse, apud eum se insinuasse, ei ab intimis factum fuisse consilijs, in ijs maximè quæ ad Deum sunt, hoc est, à confessionum & conscientiæ secretis. Itaque paulatim aspirans ad altiora, duce virtute, comite fortuna, principum fauore, ad Episcopalem dignitatem ascendit. Nam fauente Angliæ Rege Henrico secundo, & ciuibus Carnotensibus postulantibus anno Domini 1177. factus est in Gallia Senonensi Carnotensis Episcopus, vbi Ecclesiam illam ad sexennium multa cum auctoritate constanter & laudabiliter rexit, virtutum exemplis ornauit viuus, & sua sepultura honorauit defunctus. Huius viri laudes inter alios mirè celebrat Petrus Blesensis in epistolis. Sed scripta eius, virtutes & doctrinam clariùs loquuntur, quàm ego verbis exprimere valeo. Scripsit ad Aulicos de nugis curialibus, & vestigijs Philosophorum opus eximium, cui titulum præfixit

Polycraticon, Libros octo. Iucundissimus tum in multis, tum. M S. Oxonij in Bibliotheca publica. In Collegio Balliolensi, & Lincolniensi. Cantabrigiæ in Biblioth. publica, & in Collegio S. Benedicti. Extat Parisijs anno 1513. Londini 1595. Habeo. Legi.

Mythologicon, Libros quatuor. In humanis rebus nihil. M S. Oxonij in Bibliotheca publica. Cantabrigiæ etiam in pub. & in Collegio S. Benedicti.

Eutheticon in Polycraticon, *Librum vnum.*
M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica.

Eutheticon carmine de dogmate Philosophorum ad S. Thomam tum Cancellarium, *Librum vnum.* Dogmata discutiens veterum. MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publ.

In S. Paulum ad Romanos, *Librum vnum.* Principia rerum requirenda sunt.

In eumdem ad Corinthios, *Libros duos.* Paulus Apostolus hanc epistolam.

Ad Galatas, *Librum vnum.* Hanc epistolam scribit Apostolus.

Ad Ephesios, *Librum vnum.* Apostolus hanc epistolam scribit.

Ad Philippenses, *Librum vnum.* Paulus & Timotheus hanc epistolam.

Ad Colossenses, *Librum vnum.* Hanc epistolam scribit Apostolus.

Ad Thessalonicenses, *Libros duos.* Paulus, & Syluanus, & Timotheus.

Ad Timotheum, *Libros duos.* Epistolam hanc scribit Apostolus.

Ad Titum, *Librum vnum.* Paulus seruus Dei & Domini.

Ad Philemonem, *Librum vnum.* Apostolus hanc epistolam scribit.

Ad Hebræos, *Librum vnum.* Paulus Doctor egregius Gentium.

Vitam S. Anselmi Archiepiscopi Cantuariensis, *Librum vnum.*

Vitam S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis, *Libros duos.* Sacrosanctam Ecclesiam iugiter impugn.

De statu Curiæ Romanæ, *Librum vnum.*

Opus pœnitentiale, *Librum vnum.* Cùm miserationes Domini sint super.

Eutheticon metricum, *Librum vnum.* Si mihi credideris linguam cohib. Extat Parisijs anno 1513. Habeo.

De membris conspirantibus, *Librum vnum.* Concilium celebrant humani corporis. Extat ibidem eodem anno. Habeo.

De Musica amoris, *Librum vnum.*

Epistolarum familiarium maximè ad Bartholomæum Iscanum Episcopum Exoniensem, *Librum vnum.* Venerabili Domino ac Patri.

De Mathematica duplici, *Librum vnum.*

Obiurgationem cleri, *Librum vnum.*

Sermonum elegantium, *Librum vnum.*

De malo tyrannorum exitu, *Librum vnum.*

Speculum rationis, *Librum vnum.*

Super speculum Nigelli, *Librum vnum.*

Ermeneuticon, *Librum vnum.*

Carminum diuersi generis, *Librum vnum.*

Carnoti viuendi finem fecit, & quiescendi locum elegit anno salutis reparatæ 1182, dum in Anglia regnauit Henricus secundus.

De Bartholomæo Iscano.

BARTHOLOMÆVS Iscanus, id est Exoniensis, inter doctissimos gentis nostræ viros suo tempore, nec iniuria, connumeratus, in omni tum sacra tum profana scientia clarus emicuit. Vir acutus in- 1184. 254.

genio, subtilis in rebus discutiendis, solidus in dijudicandis, prudens in gerendis, dexter in expediendis. Has verò egregias animi dotes solummodò rebus litterarijs, vel Ecclesiasticis accommodauit, mundi strepitum, & sæcularia negotia, quantum potuit, declinans. De quo Matthæus tum Parisius tum Vvestmonasteriensis in hæc verba scribūt: *Bartholomæus vir religiosus, & in Theologicis disciplinis diligenter instructus, fit anno Domini* 1161. *Antistes Exoniensis.* Multum etiam celebratus fuit à doctis, maximè sui temporis, & nostræ gentis, viris. Extant ad eum Ioannis Salesberiensis Episcopi Carnotensis epistolæ laudibus eius refertæ. Cum Baldvvino etiam tunc Abbate Fordensi, posteà Archiepiscopo Cantuariensi viro tum sanctissimo, tum doctissimo magna illi intercessit necessitudo. Vnde, vti testis est noster Ioannes Lelandus, alter alterum (quod inter amicos fieri assolet) mutuis scriptis, imò & libris inuicem dedicatis celebrauit, & vterque vtriusque famam exhibitis vltrò citróque titulis officiosis omni posteritati commendauit. Generauit inter eos hanc amicitiam par morum integritas, similitudo ingeniorum, æqualis bonarum litterarum amor, & quod contemporanei simulque conterranei fuerunt. Nam vtrumque in ipsa ciuitate Exoniensi natum eodem ferè tempore ferunt. Frequenter itaque ad se scribenti Baldvvino vicem rependit, eique multa rescripsit, & opera sua litteraria pleraque dedicauit

Dialogum contra Iudæos, *Librum vnum.* Omnis fides Catholica tendit. M S. Oxoniæ in Bibliotheca publica.

De prædestinatione, *Librum vnum.*
De libero arbitrio, *Librum vnum.*
De pœnitentia, *Librum vnum.*
Sermonum, *Librum vnum.* Tollite iugum meum super vos.
De obitu S. Thomæ Cantuariensis, *Librum vnum.* Secundùm multitudinem dolorum.
Contra falsitatis errorem, *Librum vnum.*
De mundo & corporibus cælestibus, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Exoniæ senex viam vniuersæ carnis ingressus est, vt ibidem tumulatus est anno vitæ per Christum humano generi restitutæ 1184, dum Anglicanæ reipublicæ gubernaculum potenter teneret Henricus secundus. Vide illum quem de Exoniensibus Episcopis conscripsimus Catalogum.

De Richardo Douerensi.

1184. 255. RICHARDVS, natione Anglus, ordinis S. Benedicti in cœnobio Douerensi primùm Monachus, deinde Prior, & successu temporis, proximè post S. Thomam martyrem, partim intuitu suorum meritorum, partim Regis Henrici secundi fauore Cantuariensis Archie-

piscopus. Vir vitæ integerrimæ, multæ industriæ, miræ mansuetudinis, & plus quàm vulgaris eruditionis. Scribit Nicolaus Triuethus, & in epistola quinta Petrus Blesensis, quòd Richardus iste nimiæ foret leuitatis, & remissior, atque laxior, quàm Archiepiscopum decebat in retinenda Ecclesiastica disciplina, & in excessibus Cleri corrigendis & reformandis. Prætereà quòd non esset satis strenuus in propugnandis suis immunitatibus & priuilegijs, denique minus diligens in conseruandis Ecclesiæ temporalibus bonis. Hanc tamen desidiam (si qua fuit) monitus excussisse videtur. Scripsit enim satis cordatè ad Episcopos Hiberniæ, & eos acriter per epistolam reprehendit, quòd experita sed non expectata sua confirmatione, Episcopalia munera exequi & exercere temerè præsumerent. Imò satis insinuat has nimiæ suæ leuitatis accusationes potiùs ab æmulorum nequitia, quàm ab aliqua sua in eo genere culpa processisse. Vndè super his scripsit ad Alexandrum Papam tertium

Contra suos perturbatores,	*Librum vnum.*
Ad suos Episcopos maximè Hibernos,	*Epistolas plures.*
Ad tres Episcopos,	*Epistolam vnam.*
Ad Petrum Blesensem,	*Epistolas plures.*
Ad Henricum Regem,	*Epistolas plures.*

Ad sacerdotes tractatum. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Diem obijt extremum Halingis in Dioecesi Roffensi anno post Christum natum 1184, sub Angliæ Rege Henrico secundo. Vide eum quem de Cantuariensibus Archiepiscopis fecimus Catalogum.

De Gilberto Foliotho.

GILBERTVS Foliothus, natione Anglus, professionis S. Augustini Canonicus regularis, & cœnobij Leicestrensis Abbas. Vir prudens & insignitè doctus. Quibus meritorum titulis, primùm ad Herefordensem, deinde ad Londinensem Episcopatum aspirauit, imò quo iure, quauè iniuria peruenit. Quomodò autem adhæserit Regi Henrico secundo contra S. Thomam Archiepiscopum suum, & excommunicatus quanta molitus fuerit, suo loco dicetur. Hic alijs omissis, ea, quæ spectant ad eius doctrinam, tractemus. Dum erat Episcopus Herefordensis, ei tanquàm viro litterato, litteratorumque hominum optimo patrono Osbernus Claudiocestrensis pleraque sua nuncupauerit opera. Item posteà cùm iam esset Episcopus Londinensis D. Bernardus ei scripsit epistolam quæ in editione Parisiensi habetur ordine vicesima quarta, in qua vocat eum Magistrum Gilbertum, & non semel eius sapientiam, præclara studia, & specialem (sic enim loquitur) commendat Philosophiam. Scripsit autem ad Alexandrum Papam tertium

1187.
256.

Pro causa Regis, *Librum vnum.* Vestram paternitatem meminisse.
Super executione mandati, *Librum vnum.* Mandatum vestrum Pater.
Inuectiuas in S. Thomam, *Librum vnum.*

De eius elatione contra Regem, Librum vnum.
Vitas aliquot sanctorum Angliæ, Librum vnum.
In Cantica Canticorum, Librum vnum. Quæ est ista tam inclyta, formæ tam.
Epistolarum, Librum vnum. A te longè positi, tuas non de.
Obijt anno post Christum natum 1187, dum in Anglicani regni solio sedebat Henricus secundus. Vide quem de Londinensibus Episcopis fecimus Catalogum.

De Guilhelmo Petroburgensi.

1188.
257.

GVILHELMVS Petroburgensis, id est, ex Petri Burgo, qui locus D. Petro sacer, situs est ad Orientalem plagam Comitatus Northamptoniensis, Ordinis S. Benedicti Monachus Ramesiensis. Vir grandis ingenij, multæ lectionis, & inter præcipuos sui temporis Theologos, Lelando teste, numeratus. Multi ad eum vndique confluebant, non solùm ad scholas, vt eius doctrinam & eloquentiam audirent, sed multò magis vt in grauibus negotijs, tum Ecclesiasticis, tum sæcularibus ab eo consilium caperent. Quo nomine celebrem apud magnos viros famam habuit, eorumque res sua prudentia dirigebat. Sed quos ex eius laboribus fructus litterarios percepit posteritas, videamus. Bostonus Buriensis in Catalogo maiore sequentes operum titulos ponit

Commentarios in Cantica, Librum vnum. Dilectus meus candidus.
Interpretationes vocabulorum sacræ scripturæ. Librum vnum. Abraham dicitur ab Abba.
Distinctiones Theologiæ, Librum vnum. Alpha prima Græcorum littera.
Homilias notabiles, Libros duos. Aspiciens à longè, vidi turbam.
Euphrasticam expositionem, Librum j. Quid est quod fuit, ipsum quod.
Opus partium, Librum vnum. Reuerenter docet experiri ea.
Claruit, Bostono teste, anno virginei partus 1188. sub Angliæ Rege Henrico secundo.

De Gilberto de Sempringham.

1189.
258.

GILBERTVS de Sempringham, natione Anglus, patria Lincolniensis, patre Iocelino Equestris ordinis viro progenitus. Vir corpore pusillo & nonnihil deformi, animo tamen erecto & magno, nobilitatem generis animi virtutibus illustriorem reddidit. Postquam humaniores litteras in Anglia didicisset, ad maiora studia progressurus, Academias Galliæ frequentauit, & vt corporis defectus ornamentis animi velaret, strenuè bonis litteris & virtutum studijs operam dedit. Vbi iam simul cum litteris salutaria fidei præcepta, & religionis diuinæque gloriæ zelũ auidissimè imbibisset, hausissetque fontem aquæ salientis in vitam æternam; in prouinciam Lincolniensem reuersus, talentum, quod ei Deus donauerat, in multarum animarum salutem im-

pendere omni conatu & industria nixus est. Sic enim ex Lelando colligo. Videns itaque regulam S. Augustini non tam accuratè obseruari, quàm par erat, & ipse cuperet, anno Domini 1148, vt scribunt Scropus & Capgrauius, quamdam illius ordinis reformationem incepit, cuius renouatæ disciplinæ cultores, ab isto Gilberto primo fundatore, Gilbertini vocabantur. Primum suis Monasterium erexit in pago suo natalitio, & paterna hæreditate Sempringham, cuius laboribus Deus ita benedixit, homini que tam longam vitam tribuit, vt ipse adhuc in viuis existens, normas viuendi religiosas suis præscripserit, easque ab Eugenio Papa tertio, simùl cum ipso ordine & instituto confirmari fecerit. Et licet hic ordo nunc (vti & omnis ordo) ex Anglia sit sublatus, ille tamen ante suum obitum vidit in tredecim, quæ fundauerat, Monasterijs huius instituti sui Monachos septingentos, sanctimoniales plus minus mille & centũ. Regulas autem suas decerpsisse dicitur potissimùm ex regiosis præceptis S. Augustini & S. Benedicti, quas vbi in vnum corpus compilasset, sub hoc titulo emisit

Gilbertinorum statuta, *Librum vnum.*
Exhortationum ad fratres, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Et alia nonnulla.

Obijt anno Christi 1189, ætatis suæ centesimo sexto, sepultúsque est in suo Monasterio Sempringhamensi, posteà relatus in album sanctorum Confessorum. Eodem etiam anno viuendi finem fecit Angliæ Rex Henricus secundus.

De Henrico Plantageneto.

259.
1189.

HENRICVS huius nominis Angliæ Rex secundus, cognomento Plantagenet, Galfredi Ducis Andegauensis ex Mathilda Imperatrice filius vnicus. Princeps verè in omnibus cordatissimus, & qui pius pios prudẽs prudentes, litteratus litteratos viros summè colebat & venerabatur. Regio sublimatus solio, cõsiliarios nona sciuit nisi ætate maturos, pietate præstantes, iudicio solidos, grauitate suam dignitatẽ tuentes, auctoritate apud populũ pollentes. Ipse etiam, vt scribit Petrus Blesensis, illos iudicare solebat, quos constituit aliorum iudices. Regibus alijs longè eruditior, vrbanior, munificentior. Quicquid temporis habere vacuum poterat à publicis Regni negotijs & reipublicæ cura, illud omne vel precibus insumebat, vel bonarum litterarum studijs. Hæc & his similia in eius laudem scribit Petrus Blesensis, & alij. Sed de his fusiùs suo loco. Hic potissimùm ingenij doctrinæque monimenta, quæ post se reliquit, consideremus. Multa enim non ineleganter cartis commisit

Legum & statutorum, *Librum vnum.*
Ad Alexandrum Papam tertium, *Epistolas plures.* In magnorum discri.
Ad Fridericum Cæsarem, *Epistolam vnam.* Præcordiali amico suo Friderico.

Ad Principes Orientis, *Epistolam vnam.* Quoniam peccatis nostris exigent.

Ad Reges Castellæ & Nauarræ, *Epistolam vnam.* Sicut ex litterarum.

Ad Belam Hungarorum Regem, *Epistolam vnam.* Quoniam iam pridem intelleximus.

Ad Henricum filium, *Epistolam vnam.* Sciatis quod Thomas Archiepiscopi.

Ad Principem Cursac, *Epistolam vnam.* Quoniam imperij vestri potentiam.

Ad Gilbertum Episcopum Londinensem, *Epistolam vnam.* Audiuimus grauamen.

Ad Radulphum Decanum Londinensem, *Epistolam vnam.* Mando vobis quòd ad mandatum.

Ad Adrianum Papam quartum, *Epistolas plures.*
Ad S. Thomam Cantuariensem, *Epistolas plures.*
Ad S. Bernardum Abbatem Clareuallensem, *Epistolas plures.*
Ad Ioannem Episcopum Carnotensem, *Epistolas plures.*
Ad Petrum Blesensem, *Epistolas plures.*
Ad Richardum Archiepiscopum Cantuariensem, *Epistolam vnam.*
Ad Stephanum Regem, *Epistolam vnam.*
Ad Patriarcham Hierosolymitanum, *Epistolam vnam.*
Ad Patriarcham Antiochenum, *Epistolam vnam.*

Tandem obijt anno post aduentum Messiæ 1189. Vide plura in eo quem de Regibus Angliæ scripsimus Catalogo.

De Daniele Morleio.

1190. 260.

DANIEL Morleius, à Morlei natali eius oppido in Norfolcia sic cognominatus, Morilegũ tamen Lelandus vocat. In annis iuuenilibus Oxoniensem, in maturiore ætate Parisiensẽ Academias, teste Lelando, frequentauit, & vtrobique bonis litteris operãdedit non infœlicem. Eius tamen ingenium in inanes posteà curiositates ferè videtur euanuisse. Nam abreptus nimio Mathematicarum scientiarum desiderio, vsque in Arabiam, vbi plerúmque illæ Artes maximè floruerunt, iter suscipere disposuit, vt ad ipsos fontes sitim expleret. Monitus tamen posteà, eas artes in Hispania non minus accuratè, quàm in Arabia tunc doceri, eò profectus, Toleti illas didicit maxima auiditate, & in patriam posteà reuersus de ijs doctè scripsit, & opera sua pleraque Ioanni Oxfordio Episcopo Norvvicensi dedicauit

De principijs Mathematices, *Librum vnum.*
De superiore mundo, *Librum vnum.*
De inferiore mundo, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Floruit anno reparatæ salutis 1190, regnante in Anglia, vel potiùs triumphante in Palæstina Richardo primo.

De Ioanne Hagustaldensi.

IOANNES Hagustaldensis, seu de Hexam apud Septentrionales Anglos in Diœcesi Dunelmensi natus, ordinis S. Benedicti Monachus & Prior cœnobij Dunelmensis, vel potiùs Hagustaldensis. Vir grauis & modestus, mitis, humanus, affabilis, in castigandis tamen suorum vitijs seuerus, imò rigidus. Doctus & facundus, historiarum & antiquitatum diligens scrutator. Et licet in Monasterio suis fratribus & contubernalibus Philosophiam atque etiam Theologiam publicè prælegeret, priuatim tamen, quantum licuit, historicos ferè semper in manibus habere solebat, & in his præsertim (Venerabilem Bedam peruoluebat. Ad historiam Simeonis Dunelmensis additionem fecit viginti quinque annorum, incipiens videlicet ab anno nono Regni Henrici secundi, res gestas descripsit Anglorum vsque ad annum primum Regis Richardi. Operi illi titulum præposuit

1190. 261.

Historiam viginti quinque annorum, *Librum vnum*. Anno Domini 1130. Asketillus primus. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De signis & cometis, *Librum vnum*. Anno Domini 1133, stella cometis. MS. ibidem.
Descriptionem belli Scotici, *Librum vnum*. Eodem anno quo mortuus est.
Concionum, *Librum vnum*. Et alia nonnulla.
Claruit anno gratiæ 1190, sub Richardo primo in Palæstina belligerante.

De Richardo Diuisiensi.

RICHARDVS Diuisiensis natione Anglus, sub regula S. Benedicti Monachus Vvintoniensis. Vir verè religiosus, integræ vitæ, & non vulgaris doctrinæ. Quibus nominibus apud suos magnæ fuit existimationis, sed parum extra priuatos parietes notus, quia totam ætatem in solitudine monastica exegit, strictissimæ disciplinæ se submittens. Cùm esset iam ætatis maturæ, ne vacuas horas otiosè elabi sineret, historias Angliæ diligenter peruoluit, in quibus magnam peritiam consecutus, vt suos labores faceret omnium fructus, scriptis plurima in eo genere laude digna eleganter commisit, & posteris ad publicam vtilitatem reliquit. Scripsitque maximè ad Robertum aliquando suum Priorem, posteà Monachum Carthusianum

1190. 262.

Tempora Regis Richardi, *Librum vnum*. Venerabili Patri & semper.
Epitomen rerum Britannicarum, *Libros duos*.
Britannia maior insula est. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Et alia. Claruit anno à plenitudine temporis 1190, Richardo primo in Anglia regnante, sed in Syria bellante.

De Richardo Præmonstratensi.

RICHARDVS in Anglia natus, & ibidem Monachns Præmonstratensis, & tandem Abbas fuit. Cùm enim natura ita inclinante,

1190. 263.

religiosæ vitæ tranquillitatem, & studia bonarum litterarum vehementer diligeret, hanc professionem per id tempus pijs & doctis viris abundantem, & omni virtutum laude mirificè florentem, relicta hæreditate paterna, amplexus est. Vbi & ipse similis alijs effectus, ad egregiam in omni virtutis & eruditionis genere perfectionem ascendit. Testes huius veritatis locupletiores habere non possumus, quàm bonos, quos protulit, fructus. Nam arbor mala, ipsius Christi Domini testimonio, non potest bonos fructus facere. Richardus igitur hos sequentes ingenij fœtus non contemnendos peperit

De Canone Missæ, Librum vnum. In virtute sanctæ crucis, & in. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Quæstiones de Sacramento altaris, Librum vnum. MS ibidem.

De mysterijs sacrorum carmine, Librum vnum. Scribere proposui quæ mystica.

De computo Ecclesiastico, Librum vnum. Manifestiores sunt effectus sol.

De vita S. Vrsulæ, Librum vnum. Vniuersis Christi virginibus. Scripsit etiam alia plurima oratione tam soluta quàm stricta. Vide Cæsarium in speculo exemplorum distinctione sexta, capite centesimo. Claruit anno Christi 1190, sub Rege Richardo huius nominis primo.

De Guilhelmo Stephanide.

1190. 264. GVILHELMVS Stephanides, Stephanũ vocat Radulphus Higdenus in suo Polychronico libro secundo capite vicesimo quinto idem planè fuit, vt ego existimo, quem aliqui Fizstephanum cognominant. Claris in Anglia natus parentibus, ex nobilitate Normannica, vt putat Lelandus, descendentibus. Patria Londinensis, ordinis S. Benedicti Monachus Cantuariensis, Congregationis Cluniacensis. Optimis institutus disciplinis, præclaram indolem, & alta naturæ dona diligenter artibus liberalibus excoluit. Adolescentiam in patria transegit, omne tempus vsque ad iuuentutem in humaniorum litterarum studijs fœlici successu collocans. Iuuenis in Galliam traiecit ad Philosophicas & Theologicas disciplinas capessendas, quibus diù non inutilem nauauit operam. S. Thomæ Cantuariensi in exilij miserijs, & aliarum difficultatum angustijs

Semper erat fidus comes, indiuisus Acates.

Impensè enim hominem, tanquam suum conciuem, & patronum singularem, sed multò magis tanquam Dei seruum propter iusticiam persecutiones patientem, semper amauit, & vbi se offerebat occasio, in scriptis suis vbertim, & non semel laudauit. Collaudauit etiam Ioannem Salesberiensem, eo quod ipse de S. Thoma benè scripserit. Sed cùm omniũ laudes S. Thomæ meritis iudicaret inferiores, ipse ex professo hanc materiam tractandam suscepit, & composito magno volumine, multis encomijs conciuem simùl & ciuitatem suam natalem illustrauit

ſtrauit. Toti autem operi titulum hunc præpoſuit
De vita & paßione S. Thomæ, *Librum vnum.*
Cùm apud omnium fidelium mentes.
De viſionibus poſt mortem, *Librum vnum.* Poſtquam igitur beatiſſimus.
De miraculis eiuſdem, *Librum vnum.* Quoniam ergò perſecutionis.
Epiſtolarum ad diuerſos, *Librum vnum.*
Actus Regis Henrici ſecundi, *Librum vnum.* Et alia quædam.
Vixit anno Meſſiæ 1190, ſceptrũ Anglicani Regni tenente Richardo primo.

De Roberto de Bello Foco.

ROBERTVS de Bello Foco, natione Anglus, Saleſberienſis Eccleſiæ Canonicus. Vir doctus, & doctrinæ, doctorúmque hominum fautor maximus. Artium liberalium & Philoſophiæ Magiſter in iuuentute factus, exindè cum Syluestro Giraldo, Gualtero Mapæo, & alijs plurimis illius temporis eruditis viris Oxoniæ potiſſimùm magnam contraxit amicitiam, & apud ſuos populares vbique popularis fuit. Pauca tamen, quantum inuenire poſſum, in lucem emiſit, & vt credibile eſt, in gratiam amici ſui Syluestri, qui topographias variarum regionum ſcripſerat, ſcripſit 1190. 265.
Encomium topographiæ, *Librum vnum.*
Monita ſalutaria, *Librum vnum.* Et alia nonnulla.
Vixit anno vitæ humano generi per Chriſtum reſtitutæ 1190, ſub Rege Richardo primo.

De Petro Ripponenſi.

PETRVS Canonicus Eccleſiæ Ripponenſis in agro Eboracenſi. Vir pius & eruditus, & qui ea quæ intellexit, diſertè eloqui, & non ineleganter ſcripto committere potuit. His titulis magno fuit in precio apud Galfredum filium nothum Regis Henrici ſecundi, qui tunc erat Archiepiſcopus Eboracẽſis. Qui Petrum rogauit vt vitam & res geſtas S. Vvilfridi, qui & aliquando fuerat Archiepiſcopus Eboracenſis, & Eccleſiæ Ripponenſis fundator, compendiò deſcriberet. Acquieuit & quidem perlibenter Petrus, ſibíque non mediocriter applauſit, ſe tanti viri rogatu, patroni ſui laudes illuſtrare poſſe ac debere. Itaque, vt teſtis eſt Lelandus, Heddij, Fridegoti, Petri Bleſenſis, & aliorum ſecutus fidem, imitatus induſtriam, quaſi flores rerum à S. Vvilfrido geſtarum decerpens, ad prædictum Galfredum eruditè ſcripſit epitomen 1190. 266.
De vita S. Vvilfridi, *Librum vnum.*
De miraculis eiuſdem, *Librum vnum.* De alijs nihil mihi conſtat.
Claruit anno partus virginei 1190, tum in Anglia tum in Syria rerum potiunte Richardo primo.

De Henrico Suinesio.

1190. 267. HENRICVS Suinesius ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, & tandem Glasconiensis Abbas. Vir integritate vitæ conspicuus, & ijs præsertim litteris, quæ mores ad humanitatem excolunt, affatim instructus, omnem Latini sermonis elegantiam, oratione tum soluta, tum constructa, accuratè calluit, & stylo exercuit. Opera tamen eius, vt videtur, vel aboleuit temporum iniquitas, vel ipsa antiquauit antiquitas. Ex multis enim quæ & oratorio stylo scripsit & poëtico nullum titulum apud scriptores inuenio, præter

Diuersi generis poëmata, *Librum vnum.*

Claruit anno reparatæ salutis 1190, sub Angliæ Rege Richardo primo.

De Ioanne Tilberio.

1190. 268. IOANNES Tilberius seu Tilberiensis, Sacerdos Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, Concionator Londinensis, tandem etiam, vt quibusdam placet, factus est Episcopus, sed cuius loci, non inuenio. Inter doctos sui temporis viros meritò numeratur, quamuis admodum rara inueniantur eius scripta. Tamē saltem edidisse perhibetur

Concionum, *Librum vnum.*

Historiam gentis Anglorum, *Librum vnum.* De alijs nihil habeo explorati. Claruit anno à partu virginis 1190, dum rerum in Anglia potiretur Richardus primus.

De Richardo Hagustaldensi.

1192. 262. RICHARDVS Hagustaldensis, natione Anglus, patria Northumbranus, professione Monachus ordinis S. Benedicti in Hagustaldēsi cœnobio, vbi tandem factus est Prior. Nam illic in monasticis & litterarijs disciplinis, omnique genere pietatis ab adolescentia sollicitè institutus, Ioannem, quem supra dixi, Priorem & Magistrum suum tam diligēter imitatus est, vt ei in officio substitui, eiusque loco docere, dignus tandem haberetur. Cùm autem iam Prior constitutus esset, non minus quam anteà, imò multò magis sui præceptoris vestigia secutus est, eratque suo prædecessori in sociorum regimine, in vita, moribus, studijs, modo docendi, & genere scribendi, per omnia simillimus: adeò vt dum discipulus viueret, in eo expressa Magistri imago semper viuere videretur. Nam & Richardus, licet suos confratres Philosophiam & Theologiam publicè doceret, priuatim tamen historias legere solebat, & tandem res temporis & maximè nostræ gentis accuratè perstrinxit. Nam præter illa quæ ab initio mundi breuiter ex alijs antiquis collegit, ætatis suæ chronicon composuit, ab anno scilicet salutis 1134, vsque ad annum 1192, quo forsan vitam simul & historiam finiuit. Hanc autem historiam in tres libros, vt sequitur, distribuit

De gestis Regis Stephani, *Librum vnum.* Anno Verbi incarnati 1135. MS.

Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De gestis Henrici secundi, *Librum vnum*. Anno igitur Dominicæ Incarnationis 1156.

De bello Standardi, *Librum vnum*. Mox autem aliqui eorum in med. M S. ibidem.

Breue chronicon ab Ada vsque ad Henricum Imperatorem, *Librum vnum*. Adam centum & triginta annorum. M S. ibidem.

De statu & Episcopis Hagustaldensis Ecclesiæ, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in bibliotheca publica. De alijs eius scriptis nihil explorati habeo. Tandem in cœnobio suo mortuus & sepultus est circa annum Dominicæ Incarnationis 1192, Rege Angliæ Richardo primo regnante.

De Baldvvino Deuonio.

BALDVVINVS Deuonius, plebeijs parentibus in ipsa ciuitate Exoniensi natus, & ibidem ab annis penè puerilibus in studijs educatus, exiguo temporis spatio tantos fecit progressus, quantos ætas & angusta res familiaris ferre potuit. Litteras humaniores, liberales artes omnes, omnémqne prophanam Philosophiam ita accuratè ab adolescentia didicit, vt adhuc iuuenis iuuentutem docendam & instituendam susciperet, & publicas scholas aperiret, & cùm natura facundus esset, munus hoc cum honore & omnium applausu præstitit. Morum etiam vrbanitate, & virtutum exemplis omnibus prælucere satagebat. Successu temporis in clerum adoptatus in melius quotidiè profecit. Vndè ad Archidiaconatum in sua ciuitate euectus alijs clericis præfuit. Sed ille magis amans quietis & contemplationis, quàm dignitatis & honoris in tanto negotiorum strepitu, hoc officio se abdicauit, & tanquam in tranquillum meditationis rerum cœlestium portum, in ordinem Cisterciensium Monachorũ se recepit. Vbi se totum sacrarum scripturarum lectioni, & rerum diuinarũ speculationi dedidit, disciplinæ regularis intereà semper obseruantissimus. Virtus & pietas hominis in immensum excrescens, omnibus tandem domi forísque innotuit. Primùm itaque electus est Abbas Fordensis, posteà Præsul V vigorniensis, & tandem Archiepiscopus Cantuariensis, & totius Angliæ Primas. Sed de his suo loco. Nunc doctrinam eius discutiamus. Scripsit adhuc Abbas ad Bartholomæum Episcopum Exoniensem

1193.
270.

De corpore & sanguine Domini, *Librum vnum*. Magnum & profundum noui verique. MS. Oxoniæ in Collegio Lincolniensi. Et existimo idem opus esse quod habetur M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, sub his titulis

De Sacramento altaris. Vel de inæstimabili Sacramento veteris & noui Testamenti. MS. etiam Louanij in Collegio Societatis Iesu.

De Sacramentis Ecclesiæ, *Librum vnum*. Reuerenda nomina Magistri.

De commendatione fidei, *Librum vnum*. Omnia fœdera societatis hum.

De Orthodoxis dogmatibus, *Librum j*. Doctrina sanctorum Conciliorum.

De sectis hæreticorum, *Libros duos.* Mysterium fidei Christianæ in.
De vnitate charitatis, *Librum vnum.* Institutio vitæ communis.
De amore, *Librum vnum.* Fortis est vt mors dilectio.
De sacerdotio Joannis Hircani, *Librum vnum.* Genus magni Herodis.
De eruditione Giraldi, *Librum vnum.* Opus tuum Archidiacone quod.
Sermonum triginta trium, *Librum vnum.* Candidiores niue, nitidiores.
Super historijs Regum, *Libros quatuor.*
Contra Henricum Vvintoniensem, *Librum vnum.*
De commendatione Virginitatis, *Librum vnum.*
De Angeli nuncio, *Librum vnum.*
De cruce, *Librum vnum.*
De Mythologia, *Librum vnum.*
Carmen deuotionis, *Librum vnum.*
Epistolarum, *Librum vnum.* Et alia multa.

Tyri in Syria diem suum obijt & ibidem sepulturā accepit anno communis salutis 1193, regnante in Anglia, militante in Syria Richardo primo. Plura vide in eo, quem composuimus de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogo.

De Mauritio Somerseto.

1193. 271. MAVRITIVS Somersetus, natione Anglus, professione Monachus Cisterciensis in Monasterio Fordensi, Oxoniæ liberalibus artibus operam dedit, teste Lelando, & post annos plures illic in studijs satis vtiliter collocatos, ad confratres suos reuersus, ab ijs talentū quod acceperat, inuidiosè non abscondit, sed gratis exposuit, & alijs libenter communicauit, docuitque quæ didicerat ad communem aliorum vtilitatem. Valuit autem tum versu tum prosa serijs iucunda plerúmque miscens, quo erat ingenio. Virtutis & eruditionis intuitu electus est in Abbatem Fontanensem. Quam prouinciam sibi impositā cum honore & dignitate sustinuit. Sed tandem quietis & studiorū magis quàm honorum cupidus, vt inquit Hugo Kirchostallensis, curam resignauit Thoraldo. Quæ scripsit pleraque Reginaldo Episcopo Bothonensi consecrauit

De schemate Pontificali, *Librum vnum.*
Epigrammatum & aliorum carminum, *Librum vnum.* Et alia nonnulla.

Claruit anno post Christum natum 1193, regnante apud Anglos, sed militante apud Syrios Richardo primo.

De Nicolao Vvalkingtono.

1193. 272. NICOLAVS Vvalkingtonus, natione Anglus, ordinis Cisterciensis Monachus in cœnobio Kirkeham, qui locus est in Aquilonaribus Angliæ partibus peramœnus, ab hominum strepitu remotus, & contemplationi atque bonarum litterarum studijs aptissimus. Illic quietum nactus otium ab hominum frequentia & alijs impedimentis

sæcularibus liber, quasi totus in Deum & diuina ferebatur. Nam ante ingressum in Monasterium, politiores litteras, artes liberales, omnemque profanam Philosophiam accuratè didicerat. Tandem post aliquot annorum meditationem, composuit

De virtutibus & vitijs, *Librum vnum*. Dominus dicit, sancti estote.

Historiam Gualteri Espec, *Librum vnum*. Et alia nonnulla. Claruit anno Verbi incarnati 1193, regnante in Anglia, belligerante in Syria Richardo primo.

De Ioanne Belmeis.

IOANNES Belmeis claris in Anglia parentibus natus. Vir fœlicis ingenij, singularis eloquentiæ, & trium linguarum peritus, vti de eo testatur Ioannes Salesberiensis libro septimo sui Polychronici capite octauo. Nominatissimas Academias Angliæ, Franciæ, Italiæ studiorum causa frequentauit, & magnum sibi nomen, & patriæ splédorem acquisiuit, propter eximiam qua floruit omnium penè scientiarum peritiam. In patriam post aliquot annos reuersus, factus est Canonicus & Thesaurarius Eboracensis. Successu autem temporis denuò inuisit Italiam, & vrbem Romam, vbi ab Adriano Papa quarto benignè susceptus, ad aliquot annos fuit ei familiaris. Et quia Regi Anglorum Henrico secundo contra S. Thomam Cantuariensem adhæsit, fauore Regis & doctrinæ multiplicis intuitu Pictauiensem Episcopatum accepit. Deinde electus est in Archiepiscopum Narbonensem. Dum autem Romam Pallium petiturus properaret, anno Domini 1181. à clero Lugdunensi petitur, & à Lucio Papa tertio constituitur Archiepiscopus Lugdunensis, & Galliarum Primas, teste Roberto Montano. Senex tamen in Angliam reuersus est anno Domini 1194. atque meo quidem iudicio hæc itinera & frequentes peregrinationes, vnà cum cura muneris Episcopalis in causa fuerunt, cur hic vir magnæ alioquin eruditionis & multæ scientiæ, pauca post se reliquerit litterarum monimenta. Scripsit tamen ad S. Thomam

1194. 273.

Epistolarum triginta duarum, *Librum vnum*. Vix mihi Domine, vel vnum diem.

Inuectiuam in eundem, *Librum vnum*.

Historicarum rerum, *Librum vnum*.

Orationum Rhetoricarum, *Librum vnum*. Et alia non pauca. Claruit anno redemptionis humanæ 1194, quo tempore Rex Angliæ Richardus primus ex sacro bello rediens per Pannoniam à Leopoldo Austriæ Duce captus & detentus fuit.

De Galfredo Vinesalf.

GALFREDVS, dictus Magister Galfredus Vinesalf, vel de Vino saluo, sic cognominatus à vino & vitibus conseruandis, vt mihi non leuis est coniectura. Nam Cantabrigiæ in Bibliotheca vel Archi-

1199. 274.

uis Collegij Caij & Gonellij liber quidam M S. haberi dicitur auctore Galfredo, de modo inserendi arbores Aromaticas, fructus conseruandi, vites & vina cognoscendi, vina inuersa (Gallicè vin mouté) seu deteriorata reformandi & restituendi, acetum mutandi, & conditiones cuiuscumque vini, & cæterorum preciosorum liquorum, vt pigmentorum, faciendi, tam pro sanis quàm pro infirmis. Atque huic cognomen ei inditum *De vino saluo*, mea coniectura est, quam libenter veriori censuræ submitto.

Porrò Galfredus noster in Anglia natus, & stirpe Normannorum oriundus creditur. Vir ingenij florentis, styli compti, tersi, nitidi, siue orationem solutam spectes siue constructam. His enim ferè nominibus eum laudat noster Ioannes Lelandus. Auidè & insatiabili planè desiderio scientias appetebat, ad quas adipiscendas eum natura formauerat aptissimum. Non contentus patrijs Academijs, in quibus diù fœliciterque studuerat, in Galliam & Italiam se contulit, & vtrobique celebriores inuisit & diligenter frequentauit scholas, & vbique quantum fierit potuit, cum viris eruditione claris, contubernium habere, sermones conferre, & de rebus litterarijs publicè priuatimque agere solebat, Innocentio Papæ tertio notus erat. Nam ad eum scripsit partim prosa partim versu heroico

De arte dicendi, seu de præceptis Dialectices & Rhetorices, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti sub hoc titulo, de modo & arte dictandi, versificandi, & transferendi, *Librum vnum.* Nisi fortè duo distincta sint opera. Initium operis sic habet. *Neustria sub clipeo Regis defensa Richardi.* Dicitur hoc opus excusum typis Viennæ Austriæ apud Vvolfgangum Zazium.

De vinis, fructibus &c. conseruandis, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij & Gonellij.

Enchiridion, *Librum vnum.* M S. Ibidem.

De poëtria noua, *Librum vnum.* Papa stupor mundi, si dixero. M S. Oxoniæ in Collegio Balliolensi.

Ad Guilhelmum Episcopum Eliensem & Cancellarium, *Librum vnum.* Quod Papæ scripsimus speciale.

De statu curiæ Romanæ, *Librum vnum.* Nuper Apostolica Galfredus sede. Huius etiam Galfredi librum esse puto qui inscriptus est *De promotionibus & persecutionibus Galfredi Eboracensis Archiepiscopi.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De rebus Ethicis, *Librum vnum.*

Ad Cæsarem Henricum de liberando Richardo Rege, carmine, *Librum vnum.*

Monodiam in obitum Regis, *Librum vnum.* Et alia quædam. Claruit anno salutis reparatæ 1199, sub Rege Angliæ Richardo primo, iam in Austria captiuo.

De Gualtero Constantiensi.

GVALTERVS Cōstantiensis, vel de Constātijs, in Anglia natus, ab antiquo Britannorū sanguine originē duxisse perhibetur. Nā eum à Maddano Locrini secundi Britannorum Regis filio, ex Guendolena Corinei filia descendisse ferunt historici. Ab annis adolescentiæ primis bonas litteras haurire cœpit. Ætate maturiore factus est Archidiaconus Oxoniensis. Quod munus ei multum profuit ad augmentum eruditionis. Nam iam non modò speculatiuæ doctrinæ operam dare debuit, sed etiam officij ratione practicam exercere coactus erat. Creuit igitur indies scientia, percrebuit etiam virtutum fama. Mira namque in rebus gerendis dexteritate magnum sibi peperit nomen, & omnibus se probatum reddidit. Hinc anno Domini 1183. ad Episcopatum Lincolniensem, & anno sequente ad Archiepiscopatum Rothomagensem euectus est. Posteà Regi Richardo se adiunxit, & cum eo ad bellum sacrum proficisci constituit. Sed vbi Siciliam ventum est, Rex audita tyrannide quam exercere cœpit in populum & regnum Angliæ Guilhelmus à Longo Campo Episcopus Eliensis, administrator regni à Rege constitutus, Gualterum in Angliam de rebus componendis remisit. Sed de his fusiùs suo loco. Nunc ad ea, quæ scripsit, veniamus. Quorum pleraque consecrauit Exoniensi Episcopo. Scripsit

1199.
275.

Super negotijs iuris, *Librum vnum.*
Ad Radulphum de Diceto, *Librum vnum.* Nouerit tua discretio quod.
De peregrinatione Regis Richardi, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Gualterus Archiepiscopus Rot.
Ad Hugonem Episcopum Dunelmensem epistolam. Super aduentu regio rumorib. Extat apud Rogerum Houedinum in Richardo. Et alia plura.

Claruit anno Verbi incarnati 1199, Richardo Rege primo adhuc in Austria captiuo. Vide illum quem scripsimus de Lincolniensibus Episcopis Catalogum.

Nota.

RICHARDO Rege mortuo sine liberis, successit ei frater Ioannes, & anno Domini 1200. regnare cœpit. Quo regnante Ecclesia Christi satis graues turbas passa est. Repullularunt Vualdenses, insurrexerunt Albigenses, qui nec Missas in Ecclesijs celebrari, nec ab Ecclesiasticis bona temporalia possideri voluerunt, & alios absurdos errores tenuerunt. Sed contra hos suscitauit Deus nouos religiosos viros primum ordinis S. Dominici, & paulò pòst S. Francisci, quorum opera sublatæ sunt hæreses istæ. Et in Anglia tam strenuè fœliciterque obuiauerunt sua diligentia Doctores & Episcopi, qui tum Anglicanam regebant Ecclesiam; vt Angliam illa labes vix attigerit, vel saltem penè neminem illic infecerit.

ÆTAS DECIMATERTIA.

De Vvaldevvino Vvigorniensi.

1200. 276. VVALDEVVINVS Vigenus seu Vvigorniensis, honesto loco inter Occidentales Anglos natus, ab ineunte ætate sub optimis præceptoribus bonas scientias didicit. Et partim eorum diligentia, partim industria sua, atque ingenij docilitate, ipsaque naturali inclinatione, ad insignem in omni meliore doctrina gradum magnamque perfectionem ascendit. Accessit ardens diuinæ gloriæ zelus, & animarum iurandarum incredibile desiderium. Quo factum est, vt diuini verbi strenuum assertorem, & assiduum Euangelij præconem ad multorum salutem se præstiterit. Tandem virtutum & scientiæ multiplicis intuitu, communi cleri populique, quem diù docuerat, consensu, ad Episcopatum Vvigorniensem assumptus est. Multa satis fœliciter, tum Latina, tum Anglica lingua scripsisse perhibetur, quorum pleraque diù ferunt asseruata fuisse in Bibliotheca Norvvicensi, quæ nunc forsan omnia perierunt, præter

Eruditos sermones, *Librum vnum.* In tribus maximè debent. Claruisse videtur anno salutis reparatæ 1200, inchoante imperium suum in Anglia Ioanne. Vide quem scripsimus de Vvigorniensibus Episcopis Catalogum.

De Simone Fraxino.

1200. 277. SIMON Fraxinus, vulgo nostro Ashe, vt habet Lelandus, in Anglia natus, & in studijs educatus, tam doctus euasit, vt eruditionis intuitu Canonicus fieret Herefordensis. Morum similitudo, studiorumque communio, & communis penè ab annis puerilibus consuetudo fecerant vt inter eum & Syluestrum Giraldum corroborata intercesserit necessitudo. Par ætas, & vicinia soli natalis non parum ad hanc amicitiam conciliandam contulerunt. Hinc frequens, quoties licuit, congressus, & vbi per intercapedinem locorum dissitos esse contigit, vtrique placuit familiare per litteras, heroicis maximè versibus, colloquium. Indices ingenij litteris benè culti post se reliquit non contemnendos. In gratiam amici sui Giraldi scripsit contra Adamum Cisterciensis ordinis Abbatem Dorensem pro defensione speculi Ecclesiæ quod ediderat Giraldus

Apologiam Rhithmo, *Librum vnum.* Magistrorum omnium flos Archileuita.
De eiusdem innocentia. *Librum vnum.* Nescio quis Monachus furtiuo.
Ad eundem, *Librum vnum.* Fons sine fine fluens, flos.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*
Carmina varij generis, *Librum vnum.* Et alia quàm plura. Claruit anno post aduentum Messiæ 1200, regnante apud Anglos Ioanne.

De

De Ioanne Oxfordio.

IOANNES Oxfordius vel de Oxonio, honesto loco in Anglia natus. Vir bonarum litterarum cupidissimus, in studijs industrius & laboriosus, quibus modis & medijs ad magnam tandem peruenit eruditioné. Factus Decanus Sarisburiensis cæteris neglectis aut certè postpositis, se totum historijs legendis & scribendis dedidit, & cum sudore multo, parique cum fructu in illo opere versatus est. Res gestas Regum Britannorum diligentissimè perlustrauit, eorumque & aliorum Regum historiam vsque ad sua tempora deduxit. Doctrinæ soliditate, iudicij maturitate, & sermonis facundia plurimùm valebat. In rebus agendis admodum dexter, in expediendis fœlix. Apud Regem Henricum secundum multum pollebat gratia, quippe cui erat à sacellis. Eius itaque partibus contra S. Thomam Archiepiscopum Cantuariensem firmissimè semper adhæsit, & cum Gilberto Foliotho atque alijs politicis viris in causa Regis, Senonis in Gallia, & Romæ apud Alexandrum Papam tertium legatione pomposè functus est. In Siciliam etiam missus est ad Regem Guilhelmum circa sponsalia Ioannæ Regis Henrici filiæ. Tandem Episcopus primùm Cicestrensis, deinde Norvvicensis Regis partim fauore, partim suis meritis creatus est. Lelandus, nescio quomodo præter solitum lapsus, illi quædam opera ascribit, quæ tamen ille scripsisse non potuit. Scripta autem saltem hæc sequentia posteritati indubiè reliquit.

1200.
278.

Historiam Regum Britanniæ, *Librum vnum.*
De suo itinere in Siciliam, *Librum vnum.*
Pro Rege Henrico contra S. Thomam Cantuariensem, *Librum vnum.*
Orationum & Epistolarum, *Librum vnum.* Et alia quædam. Obijt anno virginei partus 1200, regnum Angliæ tenente Ioanne. Vide quem fecimus de Norvvicensibus Episcopis Catalogum.

De Adamo Dorensi.

ADAMVS Dorensis reformationis Cisterciensis Monachus Anglus in cœnobio Dorensi non longè ab Herefordia, vbi eum natum ferunt. Iuueniles annos in artibus ingenuis perdiscendis vtilissimè posuit. Poësis elegantiam, acumen Philosophiæ, & numeros musicos impensè amauit, accuratè tenuit. Ad quas scientias cùm accessisset, quæ ad omnia vtilis est pietas, & in regulari disciplina, omnique virtute vber progressus, electus est sui conuentus Dorensis Abbas. Per idem tempus variæ fuerunt contentiones inter sæcularem clerum & Monachos. Qua occasione Syluester Giraldus vir eruditus & nobilis in clero scripsit librum, quem vocauit speculum Ecclesiæ, in quo Monachorum quosdam abusus coarguit, ipsumque inter alios Cisterciensem ordinem taxauit. Vnde Adamus iste vt religiosorum honorem, maximè suorum defenderet, edidit carmine

1200.
279.

Contra speculum Ecclesiæ Giraldi, *Librum vnum.*
Rudimenta Musices, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia. Claruit anno post Christi natiuitatem 1200, Anglicani regni sceptrum tenente Ioanne.

De Colmanno Sapiente.

1200. 280. COLMANNVS cognomento sapiens, natione Anglus, patria Occidentalis Saxo, vti ex ipso auctore & Ioãne Lelando colligo. Suo tempore historicus non contemnendus, annorum accuratus examinator, veridicus rerum scriptor, vt in suis chronicis testatur Ioannes Hardingus, qui & eius testimonia magni facit, & veracissima reputat. Vix quisquam locupletiùs egit de Heptarchia Anglorum, quam Colmannus. Nemo copiosiùs discurrit super ea materia, nemo luculentiùs demonstrat, quomodo post trecentos & triginta sex annos, in Monarchiam perfectam transierit. Danicos etiam in Anglia furores, omnemque gentis inhumanæ barbariem fusè tractat, fideliter narrat. Itaque nomen suum, & antiquitatum monimenta posteris tradidit, accuratè scribendo

Rerum gestarum chronicon, *Librum vnum.*
De bellis Danicis Dialogum, *Librum vnum.*
Catalogum Regum Angliæ, *Librum vnum.*
Angliæ descriptionem, *Librum vnum.* Et alia non pauca. Claruit anno post aduentum Messiæ 1200, regnante apud Anglos Ioanne.

De Guilhelmo Peregrino.

1200. 281. GVILHELMVS cognominatus Peregrinus, Anglus natus, & inter Anglos in ingenuarum artium studijs educatus, Poëtarum sui temporis apud nostrates facilè princeps. Cùm Rege Richardo primo profectus est ad bellum sacrum, non tantum vt miles bellum sacrum militaret, sed etiam vt pius peregrinator in locis sacris Christum adoraret. Itaque penè de omnibus, quæ in illa expeditione notatu digna gesta sunt, tanquam oculatus multorum testis veraciter, & heroico carmine non infœliciter scripsit, totumque opus Huberto Cantuariensi Archiepiscopo, & Stephano Turnehamo strenuo belli duci dedicauit. Operi autem titulum prænotauit

Odæporicon Richardi Regis, *Librum vnum.* Et alia plura versu maximè. Peruenit vsque ad annum gratiæ 1200, quo anno Rex Ioannes apud Anglos suum regnum est auspicatus.

De Ioanne Hantiuillensi.

1200. 282. IOANNES Hantiuillensis vel Hanvvillensis, cui etiam cognomen Archithrenius, in Anglia natus, Oxoniæ in studijs educatus, & ibidem liberalium artium & Philosophiæ Magister creatus. Apud

S. Albanum posteà Monachum induit. Cùm autem acutum illi esset ingenium, facunda lingua, & sæcularium litterarum scientia non vulgaris; ad maiora studia missus est Parisios. Sed propter nimium, quem medullitùs imbiberat litteraturæ politioris amorem, in ijs studijs consistere decreuit. Illic itaque Poësim ita studiosè coluit, audiendo, legendo, docendo, & scribendo, vt habitus fuerit quasi miraculum quoddam eloquentiæ, & Musis tanquam filius vnicè dilectus. Ibi versu fabricauit suum Archithrenium, nomine à Græcis mutuato, & appositè apposito

Hoc est flebilium quasi summè flebile carmen.

De diuersis etiam rebus diuersa composuit poëmata, stylum affabrè subiectis materijs applicans & artificiosè concinnans, in grauibus grauitatem Virgilij, in mediocribus profluentem Ouidij Nasonis venam, in redarguendo satyricos Horatij sales pertinaciter sectatus, imò fœliciter tantum non consecutus. Apud illum inuenias laudes Briti Regis explicatas, Britannorum virtutes depictas, encomia Britanniæ fusa, res antiquissimas è tenebris erutas, in luce positas, posteris enucleatè traditas. Omnia latinissimè, &, vt illa ferebant tempora, elegantissimè. Atque his nominibus honorificam non rarò huius auctoris faciunt mentionem plurimi viri docti, & imprimis ij, qui cultiorem linguæ Latinæ puritatem diligentiùs sectabantur. Cuiusmodi inter alios fuerunt Ludouicus Viues Hispanus, Lilius Giraldus Italus, Ioannes Textor Gallus, Conradus Gesnerus Germanus, Hector Boëthius Scotus: ita vt penè omnium testimonio nationum huius viri elegans ingenium & doctrina commendetur. Scripsit autem oratione tum ligata, tum legibus soluta potissimùm ad Gualterum de Constantinis Archiepiscopum Rotomagensem

Archithrenium, Libros nouem. Velificatur Athos dubio mare. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De rebus occultis, Librum vnum. Rebus in obscuris dubitantes.

Epistolarum, Librum vnum.

Epigrammatum, Librum vnum.

Diuersorum Poëmatum, Librum vnum. Et eiusmodi alia plurima.

Claruit anno postquam verbum caro factum est 1200, auspicante apud Anglos regnum Ioanne.

De Richardo Canonico.

1200. 283.

RICHARDVS Canonicus in Anglia natus, Londini ad Sanctam Trinitatem secundum normam S. Augustini Canonicus regularis. Ab ipsa penè pueritia in melioribus litterarijs disciplinis secundum captum & ætatem semper enutritus, longo exercitio tantum profecit, vt omnibus sui sæculi tum Poëtis, tum Oratoribus palmam præripere posse videretur. Qua ex causa Richardo primo Anglorum Regi mirè charus extitit, eiusque in Palæstinam & Syriam factus est

quasi comes indiuiduus. Postquam longam & periculis plenam peregrinationem in patriam incolumis reuersus, omnia præcipua, magisque memoratu digna, quæ in illis regionibus, totoque expeditionis processu viderat, tanquam fidelis & oculatus testis, accuratè minutimque, partim prosa, partim versu descripsit, ne omittens quidem ipsius Regis varios euentus, ancipites casus, corporis etiam staturam & formam, animi mores, & alias plerasque dotes. Illi operi titulum dedit

Itinerarium Regis Richardi, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Itinerarium vnà peregrinantium, *Librum vnum.* M S. ibidem.

Gesta Regis Richardi, *Librum vnum.* Ægrotante Henrico Rege Anglorum. M S. ibidem.

Tractatum de pœnitentia, *Librum vnum.* M S. ibidem.

Epigrammatum, *Librum vnum.* Et alia plurima, vt ex Nicolao Triuetho & Lelando colligi potest. Claruit anno salutis restitutæ 1200. cùm iam apud Anglos inciperet regnare Ioannes.

De Geruasio Dorobernensi.

1200. 284.

GERVASIVS Dorobernensis, id est, Cantuariæ Monachus ordinis S. Benedicti ad fanum Seruatoris. Vir de sacris & profanis litteris benè meritus, & in historijs gentis nostræ tum legendis, tum scribendis laudabiliter versatus. In suo cœnobio bonas litteras professus, suos conturbernales diù docuit, & in omni melioris litteraturæ genere diligenter instruxit. Ipse autem tam diligens erat antiquitatum Britannicarum scrutator, vt selectiores quosque auctores peruoluerit, qui res tum Britonum tum Saxonum gestas ante eum tractauerant. Ex quibus illustriora quæque collegit, disposuit, & in optimam methodum redegit. Et tandem luculentam historiam ab ingressu Britonum seu Troianorum in insulam nostram, vsque ad suum tempus laboriosissimè deduxit. Omnia tanta fide ac diligentia pertractans, vt nihil eorum, quæ à graui scriptore explicari in eo genere conuenit omisisse videatur. Scripsit enim

Historiam totius gentis, *Librum vnum.*

Historiam Britonum ab origine, *Librum vnum.*

Historiam Saxonum & Normannorum, *Libros duos.*

De vitis Archiepiscoporum Cantuariensium ab Augustino vsque ad Hubertum, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De regiunculis Britanniæ, *Librum vnum.*

De sedibus Pontificijs, *Librum vnum.*

De Monasterijs, *Librum vnum.*

Opusculum quoddam M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica. Et alia multa. Claruit anno reconciliationis humanæ 1200, dum regnum suum inchoaret in Anglia Ioannes.

De Gilberto de Hoilandia.

GILBERTVS de Hoilandia in Anglia natus, & ibidem in virtutis & bonarum litterarum studijs ab ætate tenera educatus, ita vt pietas, boni mores, & eruditio in eò cum ætate simul coalescerent. Successu temporis sub D. Bernardo factus Monachus Cisterciensis, sanctissimum illum suum Abbatem tanto cum feruore imitatus est, charismata meliora æmulando, vt simillimus ei in omnibus euaserit. Tandem electus est Abbas in cœnobio Suinsetensi Lincolniensis agri, vbi suos verbo & exemplo pauit, & tum virtutes tum litteras quas laboriosè didicerat, diligentissimè docuit. Erat autem summus Theologus, & vt scribit Trithemius, in diuinis litteris studiosus, & egregiè doctus. Cœlestium rerum contemplationi impensè deditus. Passionum suarum motus tanta animi moderatione repressit, & rationis imperio rexit, vt non tam prauas inclinationes restringere, quàm nullas prorsus habere videretur. Natura mitis, in omni cõgressu affabilis, sermone cõptus, ingenio subtilis, eloquio clarus & facilis, in omni actione dulcis & humilis. Vt qui cognouerit Magistrum, non difficulter agnouerit Discipulũ. Multos etiam ex suis in eodẽ spiritu lenitatis instruxit, & erudiuit suique similes, quantũpotuit, effecit. Breuiter S. Bernardus iam mortuus in huius doctrina & moribus quodãmodo viuere visus est. Nam teste Sixto Senensi scripsit ad imitationem S. Bernardi in tria Canticorum capita quadraginta & octo sermones elegãtissimos, indè incipiens vbi Diuus Bernardus scribendi simul & viuendi finẽ fecit: hoc est, ab eo loco tertij capitis: *In lectulo meo quæsiui.* Vsque ad illum locum capitis quinti: *Dilectus meus candidus.* Quò cùm peruenisset, & ipse in viuis esse desijt. Solet hoc opus vnà cum operibus Diui Bernardi, nomine tamen auctoris apposito, coniungi, vti habetur in editione Parisiensi anno Domini 1602. In quo sanè opere stylum & Magistri spiritum ita sapit, vt si sine nomine opus reliquisset, ipsum sibi quodammodò Bernardi nomen imposuisset, omnésque Bernardum auctorem iudicassent. Sed nunc librorum Catalogum, ex Bostono maximè Buriensi, attexamus. Scripsit, vti dictum est, secutus Bernardum, quadraginta sermones

1200.
285.

In Cantica Canticorum, *Librum vnum.* Varij sunt amantium affectus.
Super psalterium, *Librum vnum.*
Super Matthæum, *Librum vnum.*
Super epistolas D. Pauli, *Libros quatuordecim.*
In Apocalypsi S. Ioannis, *Librum vnum.*
Theologicarum sententiarum, *Librum vnum.*
De statu animæ, *Librum vnum.*
De vita S. Bernardi, *Librum vnum.*
Homiliarum diuersarum, *Librum vnum.*
Epistolarum, *Librum vnum.* M S. Oxoniæ in bibliotheca publica.
De casu diaboli, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Claruit anno virginei partus 1200, quo anno Rex Ioannes in Anglia regnare cœpit.

De Nigello Vvirekero.

1200. 286. NIGELLVS Vvirekerus, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus & Præcentor Ecclesiæ Christi Cantuariæ. Vir pietate & doctrina clarus, variæ lectionis, boni iudicij, Theologus insignis, Philosophus non vulgaris, Rhetor facundus, poëta elegantissimus. Atque ita virtutis & eruditionis intuitu non solum suo Monasterio, sed etiam toti patriæ decus fuit & ornamentum. His enim laudibus hominem exornat Lelandus. Erat in reprehendendis vitijs, & potissimùm in Ecclesiasticorum abusibus coarguendis vehemens. Adeo vt ne Regni quidem Cancellario Guilhelmo de Longo Cāpo, Episcopo Eliensi, homini ambitiosissimo, pepercerit, quo minùs eius arrogantes mores, & insolentissimum fastum emissis in publicum scriptis taxauerit. Quamuis in omnibus istis hominem minimè defendendum existimauerim. Nam dubio procul in quibusdam nimia loquendi libertate abusus est. Quantumuis Ioannes Sarisburiensis super eius speculo scribens videatur eum tueri. Scripsit versu sub nomine Brunelli ad præfatum Guilhelmum Episcopum Eliensem

Speculum stultorum, *Librum vnum.* Suscipe pauca tibi veteris Guilhel.
Ad eumdem epistolam de eruditione Prælatorum. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De abusu rerum Ecclesiæ, *Librum vnum.* Syncerè & sine simulatione.
De vitijs Curatorum, *Librum vnum.* Sentite de Domino in bonitate.
Monita ad amicum, *Librum vnum.* Postquam tristis hyemps zephiro.
Contra barbariem, *Librum vnum.* Si mihi credideris linguam cohib.
Distinctiones vtriúsque Testamenti, *Librum vnum.* Quatuor sunt regulæ ducentes.
Excerptiones ex Guarnerio, *Librum j.* Sublimitas supernarum potestatum.
Commentarios Numerorum, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia plurima.

Claruit anno nati Messiæ 1200, initiante apud Anglos Regnum suum Ioanne.

De Guilhelmo Paruo.

1200. 287. GVILHELMVS Litle, se Gallicè *Petit*, & Latinè Paruum cognominat. Qui etiam à cœnobio in quo Monasticam egit vitam, Neuburgensis communiter vocari solet. Natione Anglus, patria Eboracensis, ex oppido Bridlingtono, & in cœnobio Neuburgensi iuxta syluam quæ dicitur cuculina, secundum institutum S. Augustini Hipponensis Episcopi Canonicus regularis. Sacræ Theologiæ Doctor, in profanis etiam litteris benè versatus. Vir ingenij, vt videtur, vafri & astuti, nonnihil item ambitiosi. Magnatum adulator, & sæcularis potentiæ nimius fautor. Vndè mihi de veritate in historicis narrationibus

non paruum suspectus. A Lelando certè nec immeritò reprehenditur, quod historiam Galfredi Monimetensis tam rigida censura notauerit. Erat tamen in sacris scientijs eruditus, & in suis scriptis vbique satis politus. *Historiam incepit à Normannorum in Angliam ingressu, & deduxit vsque ad annum Domini* 1197. Scripsit ad Rogerum Abbatem Bellandensem

In Cantica Canticorum, Librum vnum. Crebra petitionis tuæ postulatio.

De gestis Anglorum, Libros quinque. Historiam gentis nostræ, id est Angliæ. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De regibus Anglorum, Libros duos. Primùm ostendenda est origo causæ.

Commentariorum, *Librum vnum.*

Sermonum, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Claruit anno Domini 1200, Ioanne in Anglia Regni clauum accipiente.

De Benedicto Petroburgensi.

BENEDICTVS Petroburgensis vel de Burgo S. Petri ad normam S. Benedicti in cœnobio Seruatoris Cantuariæ Monachus Anglus, ibidem posteà Prior, & tandem Abbas S. Petri de Burgo, Congregationis Cluniacensis. A teneris annis in pietatis & bonarum artium exercitijs educatus, successu temporis Oxoniæ dicitur supremam in Theologia lauream consecutus, & inter eruditos illius ætatis, & suæ gentis homines suo iure numeratur, licet pauca eruditionis suæ documenta, quantum hactenus inuenire potui, posteritati reliquerit in scriptis. Testatur saltem Guilhelmus Stephanides quòd scripserit 1200. 288.

Vitam S. Thomæ Cantuariensis, *Librum vnum.*

De eiusdem post mortem miraculis, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Claruit anno post Christum natum 1200, quo tempore ad Anglicani Regni solium eleuatus est Ioannes.

De Alano Teukesburiensi.

ALANVS Teukesburiensis, natione Anglus, ad normam S. Benedicti in cœnobio Seruatoris Cantuariæ primùm Monachus, deinde ibidem Prior, & tandem apud Teukesburiense cœnobium ad confluentiam Sabrinæ & Auonæ fluminum situm Abbas, Congregationis Cluniacensis. Vir ingenij laudati, magnæ doctrinæ, maioris pietatis. Oxoniæ decurso studiorum stadio, doctoralem accepit dignitatem. Virtutis & eruditionis titulis fuit aliquandò S. Thomæ Cantuariensi multum charus, intimè dilectus, vt testatur Lelandus. Scripsit adhuc Prior Cantuariensis 1201. 289.

Sermonum, Librum vnum. Beati qui lauant stolas suas. Vidi MS. Louanij in bibliotheca Ioannis Fenni Angli.

Dictatas epistolas, Librum vnum. Philippo Dei gratia. Vidi M S. ibidem.

De vita & exilio S. Thomæ Cantuariensis, *Librum vnum.*

Acta Clarendonensia, *Librum vnum.*

Epistolarum ad Regem Henricum secundum & alios, Librum vnum. M S.

Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Problematum, *Librum vnum*. Et alia.

Obijt anno gratiæ 1201, ascendente thronum Anglicani Regni Ioanne.

De Rogero Houedeno.

1204. 290.

ROGERVS Houedenus illustribus in Anglia parentibus natus, patria Eboracensis. Ab adolescentia in bonarum litterarum studijs eruditus, in virum doctum euasit, vt ex Lelando colligere est. Partim nobilitatis, partim virtutis & doctrinæ titulo ad Aulam Regis Henrici secundi vocatus, ibi diù cum honore vixit, vti in annalibus suis scribit Gualterus Conuentriensis. Dum egit in aula, solebant aliqui nonnumquàm ab eo conciliũ petere in iuris controuersijs difficilioribus, vndè vidit è re sua fore, si studijs Cæsarij vel ciuilis iuris se dederet, ad aliquot igitur annos illi scientiæ nauauit operã. Deindè etiam ad ius Pontificiũ vel Canonicum animũ adiecit, & in vtroque non contemnendos fecit progressus. Hac igitur doctrina & in rebus agendis dexteritate, aucta est apud Regem viri auctoritas, aucta gratia, auctæ denique facultates. Verùm Hérico Rege mortuo, reliquit aulam, mutauit animũ, & ad historias tum legendas, tum etiam scribendas se contulit, scripsitque annales gentis nostræ longè accuratissimos non solùm annos, sed etiam menses, dies & nonnumquam horas diligenter annotans. Indè autem exordium scribendi sumpsit, vbi Venerabilis Beda suam historiam terminauit. Hoc est ab anno Domini plus minus 730, produxítque vsque ad Ioannem Regem, & ad annum Domini 1204. Has historias anno Domini 1291, omni diligentia, donec inuenirentur, per bibliothecas Angliæ perquiri fecit Edvvardus primus Angliæ Rex, eo tempore quo dubitari cœpit de supremo dominio Regum Angliæ in Regnum Scotiæ: de qua controuersia scribit Ranulphus in Polychronico libro septimo, capite tricesimo nono. Sed apud hunc & alios plurimos auctores res adeò clara inuenta est, vt posteà nullus relictus fuerit dubitandi locus, quin Rex Scotiæ semper fuerit Regis Angliæ Vassallus, tenuerítque Regnum suum tanquam Anglicani Regni verum & legitimum feudum. Porrò Rogerus suis historijs & alijs scriptis laudatissimis nomen omni posteritati, imò potiùs immortalitati commendauit. Edidit enim

Regum Anglorum historiam volumen magnum. In exordio huius operis geneal. M.S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Et in priuatis bibliothecis Baronis Lunleiani, & Gualteri Copi. Extat 1601. Perlegi.

Historiam Regum Northumbriæ, *Librum vnum*.

Commentarios iuris, *Librum vnum*.

Poëmatum & nugarum iuuenilium, *Librum vnum*. Et alia nonnulla.

Floruit anno Verbi incarnati 1204, sub Ioanne Rege.

De

De Huberto Gualtero.

HVBERTVS Gualterus, natione Anglus. Vir magnis naturæ dotibus præditus, insignibus Dei donis imbutus, moribus probus, acutus ingenio, solidus iudicio, prudens consilio, in agendo dexter, in dicendo facundus, & in persuadendo supra quam dici potest efficax, omni optimarum litterarũ supellectile egregiè instructus. Zelo diuinæ gloriæ feruens, persuasor & auctor fuit infinitæ propemodum hominum multitudini, vt exemplo suo crucem Domini susciperent, & ad bellum Palæstinum cum Richardo Rege, sicut ipse fecit, proficiscerentur. Virtutis & eruditionis merita illustria magnam homini gratiam & auctoritatem conciliauerunt, & ad eximias dignitates extulerunt. Primùm enim Episcopatum Sarisburiensem, deindè Archiepiscopatum Cantuariensem consecutus est. De quibus suo loco. Cùm iam mortuo sine liberis Rege Richardo primo, propter res turbatas, nonnihil dubium esset, an Ioãnes defuncti frater pacificè Regnum obtineret, possideret: hic in Ioannis coronatione tam neruosam, tamque ad rerum statum appositam apud principum & populi cœtum habuit orationem, vt exulceratos multorum animos pacificauerit, & Regi nouo magnam apud omnes, tum gratiam, tum auctoritatem conciliauerit. Sed de his fusiùs in suis locis. Nunc ea, quæ post se reliquit, monimenta litteraria breuiter attexamus. Scripsit

1205.
291.

Sermonum, *Librum vnum.*
Constitutionũ synodalium, *Librum vnum.* Cùm in diuinis officijs non sine.
In coronationem Regis, *Librum vnum.* Non ambigo honestissimi Ponti.
Contra Syuestrum Giraldum Romæ, *Librum vnum.*
Epistolarum, *Librum vnum.* Et alia plurima.

Obijsse dicitur anno salutis reparatæ 1205, regnante apud Anglos Ioanne. Vide nostrum de Archiepiscopis Cantuariensibus Catalogum.

De Richardo Adagonista.

RICHARDVS Adagonista, Iurisconsultus suo tempore satis celebris. Hic postquàm in patrijs Academijs humaniores disciplinas & Philosophiam diligenter didicisset, ad studia iuris in Italiam profectus, Bononienses scholas frequentauit, vbi in publicis prælectionibus præceptorem audiuit Pileum Mutinensem vtriúsque iuris Doctorem & Professorem insignem. Sub quo seu Magistri diligentia, seu fœlicitate ingenij, seu potiùs vtriúsque concursu, tantos fecit progressus, & ad tam eminentem in vtróque iure peruenit scientiam; vt adhuc discipulus quodammodo præceptoris & doctoris sui fieri inciperet æmulus. Hoc enim de illo testantur Guilhelmus Fastergicus Veronensis, ciuis Venetus in opusculo suo de virorum illustrium scriptis, & Philippus Vvolfius libro secundo de vitis peritorum virorum. Acuti quidem & subtilis, sed nimis arrogantis & elati ingenij fuit hoc argumentum. Miror

1210.
292.

magis quàm laudo. Et sanè laudabiliora perhibentur eius scripta, quæ post se moriens reliquit; quàm insolens illa ingenij venditatio, quàm contra Magistrum viuens ostendit. Ad sui nominis memoriam & posterorum vtilitatem scripsit

Tractatum super decreto, *Librum vnum*. Patres nostri sub nube omnes.
Summam de ordine iudiciorum, *Librum vnum*. An alia scripserit, nescio.
Claruit anno Domini 1210, sub Ioanne Rege.

De Geruasio Tilberiensi.

1219. 293.

GERVASIVS Tilberiensis, ab oppido Tilberia ad ripam Tamisis in Estsaxia sito, sic cognominatus, natione Anglus, & Regis Anglorum Henrici secundi nepos. Vir eruditionis singularis nomine plurimis notus, multis etiam domi forisque dilectus. Simphorianum Champeriũ in libro de antiquitate Lugduni habuit laudum suarum præconem. Guilhelmum autem Archiepiscopum Remensem sibi patronum doctrinæ titulo conciliauit, prudentiæ dexteritate conseruauit. His etiam nominibus Othoni Imperatori huius nominis quarto mirè charus, summis in imperio muneribus functus est. Tantùm enim apud dictum Imperatorem gratia valuit & auctoritate, vt ab eo ditionis Arelatensis constitutus fuerit Marescallus. Historiarum lectione & scriptione delectatus, illustrauit Galfredi Monmetensis vtriúsque Britanniæ historiam, magnúmque chronicon confecit, & prænominato Othoni dedicauit, operi titulum præfixit

Illustrationes Galfredi, *Libros quatuor*. Descriptio quantitatis & mult.
Tricolumnium Angliæ, *Libros tres*.
Facetiarum ad Henricum iuniorem, *Librum vnum*.
Imperialium otiorum, *Libros tres*. Duo sunt Imperator Auguste, quibus. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Mappam vel descriptionem mundi, *Librum vnum*. M S. ibidem.
De mirabilibus orbis, *Librum vnum*
Historiam terræ sanctæ, *Librum vnum*. Postquàm diuinæ propitiationis.
De origine Burgundionum, *Librum vnum*.
Dialogorum, *Librum vnum*. Affirmant etiam multi eum scripsisse librum nigrum *de Curia Scaccaria*, *Librum vnum*. Et alia plura.
Floruit anno postquam Verbum caro factum est 1210, cum summa rerum in Anglia penes Ioannem resideret.

De Mauricio Morganio.

1210. 294.

MAVRICIVS Morganius Britannus genere, apud Demetas in Australi Cambria natus. Oxoniæ bonarum litterarum studijs insudauit, nec respexit retrò, donec liberalium artium & Philosophiæ Magister promoueretur, & tum demùm ad suos redijt, ludum litterarium aperuit, & patriæ iuuentutem instituit. Clementem Monasterij

Nidensis Abbatem, virum etiam non ineruditum, fratrem habuit. Erat porrò Mauricius vir miti & benigno ingenio, scientiarum etiam auido, sed non vsque adeò capaci. Quem licet Lelandus propter Rhetoricam & Poësim laudet, & secutus Giraldum Cambrensem in libro de institutione principis, litteratissimum vocet: scripsisse tamen perhibetur stylo magis laborioso, quàm elaborato, condiditque pleráque non valdè conditè. De huius visionibus dicam an fictionibus? non attinet hîc discurrere. Ad ea quæ scripsit veniamus. Edidit

Epigrammatum, *Librum vnum.*
Aliorum carminum & epistolarum, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia.

Claruit anno gratiæ 1210, regnante in Anglia Ioanne.

De Lethberto Abbate.

LETHBERTVS vel Lechbertus ordinis Canonicorum regularium S. Augustini Monachus Anglus, aliqui tamen Gallum putant, quia fuit Abbas S. Rufi propè Valentiam in Gallia Narbonensi. Vir instar alterius Pythagoræ, penè totum terrarum orbem discendi docendíque studio peragrauit. Diligens virtutum cultor, vitiorum acerrimus osor, solidi iudicij, fœlicis ingenij, memoriæ tenacis. Iuuenis humaniorum disciplinarum studijs mirificè fuit delectatus. Maturioribus annis sacrarum litterarum meditationi, & alijs Theologicis scientijs se totum dedidit. Tandem in arcanis mysterijs explicandis, & in concionibus ad populum habendis, magnum nomē consecutus est. Hominis ingenium plurimi æstimauit Stephanus Petringonius Episcopus Meneuensis, quem & honoris causa in suis non raró scriptis allegat. Hos autem sequentes ingenij fœtus posteris sanè non inutiles peperit

1210.
295.

Explanationum in psalmos, *Librum vnum.* Prophetia est aspiratio diuina.
Lecturarum in sacram Scripturam, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia.

Claruit anno post aduentum Messiæ 1210, sub Rege Ioanne.

De Iosepho Iscano.

IOSEPHVS natione Anglus, patria Deuoniensis, educatione Iscanus vel Excestrensis, latiniùs Exoniensis, in extremis ferè Deuoniæ finibus ad meridiem, non longè à Cornubiensi prouincia natus. Vir omni bonarum litterarū lautiore supellectile instructissimus, Græcę linguæ peritissimus, poëta etiam tam elegans, vt cum optimis quibúsque antiquis ingenio & arte conferri suo iure potuerit. His enim ferè encomijs eum celebrat Guilhelmus Fastergicus in libro de rerum originibus. Et Ioannes noster Lelandus homo elegans elegantem hunc hominem copiosè laudat à poësi, ab eloquentia omnibus suis numeris tersa, eleganti, & rotunda. Crescentibus semper pietatis & doctrinæ meritis, principum & magnatum conciliauit animos. In his singulares patronos habuit Richardum primùm Anglorum Regem, & Baldvvinum Archiepiscopū Cātuariensem. Illius beneficio, gratia, & fauore factus Ar-

1210.
296.

chiepiscopns Burdegalensis. Huius sub tutela quædam ex suis scriptis in lucem emisit, Antiocheidē scilicet, & de bello Troiano. Nam ex Darete Phrigio paraphrasticè transtulit, & Heroïcis versibus scripsit bellum Troianum. Quod opus nomine Cornelij Nepotis scriptoris Romani, in Germania per errorem aliquando typis excusum prodijt. Scripsit igitur, vt dictum est, versu Heroïco ad præfatum Archiepiscopum Baldvvinum

De bello Troiano, *Libros sex*. Illiadum lacrymas concessaque pergama.
Antiocheidem in Arthurum Regem. *Librum vnum.*
Panegyricum ad Henricum, *Librum vnum.*
De institutione Cyri, *Librum vnum.* Prælia bina Ducum canimus po.
Nugas amatorias, *Librum vnum.*
Epigrammatum, *Librum vnum.*
Diuersi generis carmina, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia plura.

Claruit anno post natum de Virgine Seruatorem 1210, dum in Anglia rerum potiretur Ioannes.

De Ioanne Fordone.

1210. 297.

IOANNES Fordon vel de Fordeham seu de Forda, natione Anglus, reformationis Cisterciensis Monachus, & in Deuoniensi prouincia cœnobij Fordensis Abbas. Vir suo tempore in omnibus tum sacris, tum profanis scientijs apprimè doctus. Dicitur hic Baldvvini Cantuariensis Archiepiscopi vestigia diligenter secutus, virtutes imitatus, in pietate denique & litteris perfectionem consecutus fuisse. Ab ipsa adolescentia præclaram ostendit indolem, & simul scientias haurire, & Christi iugum portare maturè incepit. Pari etiam ratione cùm iam senior factus esset, & aliorum curam suscepisset, cupiebat forma esse gregis, omnesque sibi commissos sui similes efficere satagebat. Ob eminentem virtutum perfectionem, & raram doctrinam Ioannes Rex eum sibi assumpsit, vt in ijs quæ ad Deum sunt, esset ab intimis, hoc est, à confessionum secretis. Ioannes Lelandus eius in studijs diligentiam plurimùm laudat, simúlque dolenter conqueritur, ex eius doctissimis scriptis non pauca perijsse. Secutus Gilbertum de Hoilandia, vt ipse Gilbertus D. Bernardum, scripsit in Cantica ab eo loco incipiens, vbi Gilbertus desierat: *Dilectus meus candidus*,

Homelias centum & viginti, *Librum vnum.* Siquis me temeritatis & insolent.
Introductoriū Threnorum, *Librum j.* Benedictionem hereditate possideas.
In ipsos Hieremiæ Threnos, *Librum j.* Quomodo sedet sola ciuitas plena.
Expositiones in Hieremiam, *Librum vnum.*
Lectiones ordinarias *Librum vnum.*
De triplici cruce, *Librum vnum.* Vetus homo noster simul crucifix.
Sermonum duodecim, *Librum vnum.*
Vitam S. Vvolfrici presbyteri, *Librum vnum.* Reuerendo Patri ac Domino Bartholomæo.

De contemptoribus mundi, *Librum vnum.*

Acta Ioannis Regis, *Librum vnum.*

Scotichronicon, *Librum vnum.* Debitor sum fateor. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Opusculorum, *Librum vnum.*

Claruit anno Christi 1210, dum Anglici regni clauum tenuit Ioannes.

De Gilberto Legleo.

GILBERTVS dictus Magister Gilbertus Legleus, aliqui cognominant Anglicum. Fuit professione medicus, totam iuuentutem, post perceptas humaniores litteras, in studijs Græcæ linguæ, Mathematicarum scientiarum, & Philosophiæ naturalis sedulò posuit. Posteà rei medicæ se totum dedidit, & in illa arte tam peritus Doctor euasit, vt cum primis, qui eo tempore in Europa floruerunt, de palma posset contendere. Postquam enim in Academijs Anglicanis, omnem quam poterat scientiam comparasset, exteras adijt regiones, insigniores quasque vniuersitates inuisit, cum doctissimis vbique viris multa contulit, & conferendo cum alijs, multa didicit. Aliorumque praxim ad multos annos vidit priùs & considerauit, quàm ipse suam artem exercere præsumpsit. Accuratam eius in euoluendis philosophicis & medicis libris diligentiam mirificè laudat Ioannes Lelandus. In Angliam reuersus, ab Huberto Archiepiscopo Cantuariensi accersitus, factus est ei à valetudine curanda, & penè iam ad senium vergens, quæ diù didicerat, circa hominum corpora exercere primùm incepit. Vnde etiam omnium testimonio semper inuentus est in consilijs solidus, in explicandis dubijs expeditus, in iudicando maturus, in actione cautus & prudens, in omni denique praxi expertissimus. Ægrotos suos plerumque fœliciter curauit, sanis optima tuendæ valetudinis præcepta tradidit. Simphorianus Champerius in tractatu quinto de scriptoribus artis medicæ similibus eum præconijs celebrat, affirmans eum fuisse in curandis humanis corporibus approbatissimæ experientiæ, in agendorum consilijs prudentem, ac dubiorum clarissimum interpretem. Denique vocat eum Doctorem desideratissimum, ponitque in numero eorum, quorum auctoritas in scholis plurimùm ponderat. Sed ad omnem posteritatem testes appellemus eius doctissimas lucubrationes. Scripsit enim ad sui nominis perpetuam memoriam, & ad omnis posteritatis vtilitatem

1210.
298.

Compendium medicinæ, *Libros septem.* A morbis vniuersalibus propo. MS. Oxonij in publ. & in Collegio Merton. Cantabrigiæ in pub. & in Collegio S. Petri. Et idem opus esse puto quod in dictis Bibliothecis, modò practica medicinæ dicitur; Modò de compositione medicinæ intitulatur.

De viribus aquarum & specierum, *Librum vnum.* Absynthium calidum est & siccum.

De proportionibus fistularum, *Librum vnum*. De ijs instrumentis quæ flatus.
De iudicio patientis, *Librum vnum*. De corpore quidem humano Saturnus.
De re herbaria, *Librum vnum*.
De particularibus morbis, *Librum vnum*.
Thesaurum pauperum, *Librum vnum*.
De tuenda valetudine, *Librum vnum*.
In prognostica Hippocratis, *Librum vnum*.
In aphorismos eiusdem, *Librum vnum*. MS. Oxonij in Bibliotheca publica.
In versus Aegidij, *Librum vnum*.
Claruit anno gratiæ 1210, regnante in Anglia Henrico secundo.

De Sylvestro Giraldo.

1214. 299.

SYLVESTER Giraldus, Cambrensis vel Cambrobritannus illustri familia, teste Lelando, in prouincia Pembrochiana, non procul à Tinbio celebri oppido mercatorio natus. Vir ab ipsa natura tam præstantibus tum animi, tum corporis dotibus præditus, vt eum tantorum donorum intuitu, saltem quantum humana patitur conditio, verè pronunciaueris in hac vita beatum. Statura procerus, forma venustus, moribus benignus, alloquio dulcis & affabilis, mitis, modestus, in omnibus temperans & moderatus. Mira in homine ingenij fœlicitas, nec minor in rebus agendis dexteritas. Ad bonas litteras à natura factus & formatus, & ab adolescentia semper in studijs educatus. In Anglia litteras humaniores, artes liberales omnes, omnes Mathematicas scientias, & Philosophiam ita diligenter didicit, perfectè comprehendit, accuratè tenuit; vt nihil horum esset, quod alios exactè docere non posset. Sed magis auidus discendi quàm docendi, ex Anglia studiorum gratia perrexit ad exteras regiones, & penè totam Europam peragrauit, vbique celebriores inuisans Academias, semper ad litterarios thesauros nouam fecit accessionem. Ex longinquioribus tandem regionibus versus patriam rediens, Parisijs substitit, pedemque ibi ad integrum triennium fixit, & Theologiam audiuit. Quo cursu studiorum absoluto, cùm vix superesset, quod discere posset: iam tandem ibidem docere incepit, & in Anglorum Collegio scholas artium aperuit, ingenuasque scientias diù professus est. Sed vbi fama virtutis & eruditionis eius percrebuisset, Angliæ Rex Henricus secundus eum in patriam reuocauit, in aulam asciuit, sibi à secretis constituit, Ioanni filio natu minimo tutorem & præceptorem, à secretis etiam & epistolis assignauit, & in Hiberniam cum eo misit. Nec iam in aula constitutus aulicum sectatus est otium, sed labores, vti prius, litterarios. Vniuersam enim Hiberniam multo sudore peragrauit, magna industria singularum regionum historias peruoluit, antiquitates perquisiuit ferè

singula scriptis diligentissimè mandauit, & totius insulæ topographiam exactissimam fecit, quam in Angliam posteà reuersus Oxoniæ publicè legit & explicauit. Nec intereà tamen principem Ioannem, cuius curam susceperat, neglexit, sed eius omnia negotia summa cum prudentia, & mira dexteritate fœlicissimè direxit.

Porrò in vniuersum sub Rege Henrico secundo, & filio eius Ioanne otij non otiosus amator, decennium plus minus in aula transegit. Inuitus quidem & reluctans tantum temporis spacium in illo genere vitæ consumpsit, quia *Principibus placuisse viris non vltima laus est*, quibus ne displiceret, discedere non præsumpsit. Considerabat enim vir cordatus principum fauores esse instabiles, & nihil tam certum habere, quàm incertitudinem. Experiebatur quotidie virtutis comitem inuidiam. Omnes suas actiones curiosè obseruari perspiciebat, quæ si bonæ essent, obtrectatorum exponebantur ludibrijs; si malæ, manifestis periculis. Neque etiam in aulis principum benè facere poteris, quin malè plerumque patiaris ex aulicorum nequitia; nec malè, quin puniaris, saltem specie iustitiæ. Itaque in aula ferre oportuit magnatum inuidiam propter fauorem principum; & propter suas virtutes subire plebeiorum odium. Hinc semper vexatus, sæpè conuitijs agitatus, non raro contumelijs affectus, semel calumnijs penè oppressus, cùm à Monacho Cisterciensi (cui propter ordinis reuerentiam fides adhiberi cæpta est) læsæ maiestatis esset accusatus. Sed tandem ab his omnibus, & ab ipsa aula liber euasit. Tum factus est Archidiaconus primùm Brecnoccensis, posteà Meneuensis, vbi & tandem electus est Episcopus. De quo suo loco. Familiarissimis vsus est suo tempore doctissimis quibusque viris Guallone, Serlone, & præ cæteris Archiepiscopo Cantuariensi Baldvvino, cui aliquando adiunctus ad prædicandam crucis Dominicæ susceptionem, & ad commendandum Christianis bellum sacrum, totam Angliam & Vvalliam, imò & Syriam peragrauit. Sed nunc ad ea quæ scripsit vir vndequaque doctissimus, & antiquitatum imprimis peritissimus, veniamus. Plurima enim laudatissima partim soluta, partim constructa oratione scripsit dum ageret Parisijs, composuit

Expositiones in varios sacræ scripturæ textus, *Libros plures*.
Speculum Ecclesiæ, *Libros quatuor*. Sicut hominum naturam.
Dialogorum de Ecclesia Meneuensi, *Libros duos*. MS. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti.
De vita S. Dauidis Meneuensis Archiepiscopi, *Librum vnum*. MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica.
De vita S. Ethelberti martyris, *Librum vnum*.
De vita Caradoci Presbyteri, *Librum vnum*.
De vita Remigij Lincolniensis Episcopi, *Librum vnum*. MS. Cantabr. in Collegio sancti Benedicti.
De vita S. Hugonis Carthusiani Lincolniensis Episcopi, *Librum vnum*.

De vita S. Patricij, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in publica.

De Purgatorio eiusdem, *Librum vnum.* M S. ibidem.

De iure metropolitano Ecclesiæ Meneuensis ad Innocentium Papam tertium, *Libros duos.*

Speculum seu gemmam Ecclesiasticam, *Librum vnum.* Agmen in castris æterni Regis.

Mirabilia terræ sanctæ, *Librum vnum.*

De Monachis & Clericis, *Librum vnum.*

De fidei fructu & defectu, *Librum vnum.*

De honestate clericali, *Librum vnum.*

Certamina Galfredi Eboracensis, *Librum vnum.*

Descriptiones magnorum virorum, *Librum vnum.*

Symbolum electorum ad Mapum, *Librum vnum.*

De sede Meneuensi & Landauensi, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Biblioth. publica, & in Collegio sancti Benedicti.

De Guidone Vvarvvicensi, *Librum vnum.*

De mirabilibus mundi, *Librum vnum.*

Prærogatiuarum computum, *Librum vnum.*

De Mahumeto & eius nequitijs, *Librum vnum.*

Ad æmulorum obiecta, *Librum vnum.*

Ad inuectiones Huberti, *Librum vnum.*

Itinerarium Balduvini, *Librum vnum.*

De quærente & soluente, *Librum vnum.*

Dialogos prosaicos, *Librum vnum.*

De flosculis Philosophicis, *Librum vnum.*

Introitus ad recitationem, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica.

De Mona insula, *Librum vnum.* M S. ibidem.

De mirabilibus Hiberniæ, *Librum vnum.* M S. ibidem.

De habitatoribus eiusdem, *Librum vnum.* M S. ibidem.

Topographiam Hiberniæ, *Libros quatuor.* Placuit excellentiæ vestræ inuictissi. M S. Oxoniæ & Cantabr. in pub. & Cantabrigiæ in Collegio S. Petri. Necnon in priuatis Lunleiana, & Gualteri Copi.

Vaticinalem historiam de conquæstu secundo Hiberniæ, *Libros tres.* Quoniam de insulæ Hiberniæ situ. M S. Cantabr. in pub. & dictis priuatis.

Vaticinalem historiã versu, *Librum vnum.* Hactenus historia pleno per.

Topographiam Cambriæ, *Libros quatuor.* M S. Cantabrig. in pub. sancti Benedicti. Additamenta in fine M S. ibidem.

Itinerarium Cambriæ, *Libros tres.* Sicut varijs rerum motibus & mutati. ibidem, & in Lunleiana. Extat anno 1602.

Epitomen eiusdem rithmicè, *Librum vnum.* M S. ibidem.

De secunda expugnatione Cambriæ, *Librum vnum.* M S. in Bibliotheca Gualteri Copi.

Odeporicon Cambriæ, *Librum vnum.*

De

De illaudabilibus Cambrorum, *Libros tres.*
Cambricæ mappæ expositionem, *Librum vnum.*
Illustrationes Merlinorum, *Libros duos.* Quoniã in prioribus libris Mer.
Topographiam Britanniæ, *Libros quatuor.* M S. Cantab. in pub. & sancti Benedicti.
Itinerarium Britanniæ, *Librum vnum.* M S. ibidem.
Chronicon Anglorum, *Librum vnum.*
De regibus Visisaxonum, *Librum vnum.*
De vita Regis Henrici secundi, *Libros tres.* M S. Cantabr. in publica.
De Institutione principis, *Libros tres.* In apibus Rex vnus est.
Acta Regis Ioannis, *Librum vnum.* Filius iunior Henrici.
Distinctiones Giraldi, *Libros quatuor.* Nunc ad ea quæ contra naturæ.
In opera quædam Senecæ, *Librum vnum.* Lucius Annius Seneca Cordub.
Relationem dormientium, *Librum vnum.* Regnabat Decius Imperator.
De planctu lacrymabili, *Librum j.* Quoniam ad Cantuariensem sanctè.
De reddenda Talione, *Librum vnum.* Ecclesiæ speculum, qui me cupit.
Ad Stephanum Cantuariensem, *Librum vnum.* Postquam apud Gilfordiam dulci.
Super Ambrosio Merlino, *Librum vnum.* Circa Prophetiæ præsentis exposit.
De Merlino Caledonio, *Librum vnum.*
Epithalamium, *Librum vnum.* Vt lux post tenebras, post.
Inuectiones triennales, *Librum vnum.*
De miseria conditionis humanæ, *Librum vnum.* Vndè superbit homo cuius.
Carminum, *Librum vnum.* Florida fructifera Simonis.
Epistolarum & dictaminum, *Librum vnum.* Remisimus vobis librum nostri.
Epigrammatum, *Librum vnum.* In natale sacro, sacræ solem.
De Monachis Cisterciensibus, *Librum vnum.*
Gesta laboriosa Giraldi, *Libros tres.* In tres particulas libellus.
De auibus & earum naturis, *Librum vnum.*
Rhetoricas orationes, *Librum vnum.*
De procemijs suorum operum ad Gualterum Mapum, *Librum vnum.*
Cosmographiam mundi, *Librum vnum.*
Speculum commonitorium, *Librum vnum.*
Speculum consolatorium, *Librum vnum.*
Querulum carmen, *Librum vnum.*
Remordentes epistolas, *Librum vnum.* Et alia plurima.

Ex eius operibus quædam fragmenta vidi Louanij M S. in Bibliotheca Ioannis Fenni Presbyteri Angli. Claruit iam septuagenarius anno communis salutis 1210, regnante in Anglia Ioanne. Tandem apud Meneuiam mortuus & sepultus est. Vide quos scripsimus de Apostolicis Angliæ viris, & de Episcopis Meneuensibus Catalogos.

De Radulpho Dicetensi.

1210. 300. RADVLPHVS vel Richardus Dicetensis seu de Diceto, in Anglia natus, & ibidem vsque ad iuueniles annos in pietatis & bonarum litterarum studijs sub optimis præceptoribus enutritus. Cùm iam politiores disciplinas imbibisset, morumque vrbanitatem, simul cum scientijs liberalibus, Mathematicis, & Philosophicis didicisset; florente cum ætatis flore ingenio, patriam reliquit, & altioris eruditionis adipiscendæ causa regiones exteras petijt, celebriores Europæ Academias frequentauit, vt preciosam scientiæ margaritã tandem inuentam suo thesauro aggregaret, & indè, prout opus esset, in suam & aliorum vtilitatem depromeret. Successitque res omninò ex voto. Fuit enim suo tempore vir apprimè doctus, & omnibus tam diuinis, quàm humanis scientijs insigniter instructus. Hoc enim doctissimorum hominum semper fuit de illo iudicium, hoc multorum in libris suis testimonium, hoc denique manifestè loquuntur, & reipsa probant lucubrationes ab eo editæ omni eruditionis genere refertæ. Inter præcipuos Anglicarum rerum scriptores ponunt eum Ioannes Bacondorpius in prologo libri quarti sententiarum quæstione duodecima, Ranulphus Higdenus libro septimo capite tricesimo nono, & Bostonus Buriensis in suo Catalogo maiore. Porrò Radulphus in patriam reuersus, continuò Londinum vocatus est, & ad Ecclesiæ cathedralis Decanatum assumptus, doctrinæ & eloquentiæ talentum exposuit habitis ad populum frequentibus & elegantibus sermonibus. Historijs tamen legendis & scribendis impensè delectatus, multum temporis, magnosque labores in antiquitatum domesticarum inuestigatione perutiliter posuit, in eo sanè genere de patria optimè meritus. Nam plurima scitu dignissima, retroactis sæculis obliuione penè obducta, è tenebris vindicauit, in lucem posuit. Vnde Rex Edvvardus primus anno Domini 1291. huius & quorundam aliorum historias per totius Angliæ Bibliothecas perquiri iussit, vt ex ijs intelligere posset ius antiquum Regum Angliæ in regnum Scotiæ, probaretque (quod non erat difficile) Reges Scotiæ regibus Angliæ fuisse tributarios. De quo vide Thomam VValsinghamum ad annum 1292, vbi tamen vocat eum Radulphum de Luceto. Dum in transmarinis partibus agebat, videtur multa contulisse, magnamque familiaritatem habuisse cum Ioanne Belmeis Archiepiscopo Lugdunensi Anglo, viro doctissimo. Nam ex operibus suis ei quædam dedicauit. Et imprimis hoc primum scriptum

De temporibus mundi, *Librum vnum*. In opusculo sequenti trium temporum.

Imagines historiarum seu chronicorum, *Librum vnum*. Insula Britanniæ cui quondam Albio. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De Archiepiscopis Cantuariensibus vsque ad Hubertum, *Librum vnum*. Res gesta. M S. ibidem.

Annales Stephani, *Librum vnum.* M S. ibidem.
Chronicorum opus, *Librum vnum.* Annos ab initio mundi seriatim.
Continuationes Roberti de monte, *Librum vnum.* Henricus Galfredi Planta.
Abbreuiationes chronicorum, *Librum vnum.* Chronica sunt imagines historiarum.
De præclaris scriptoribus, *Librum vnum.* Trogus Pompeius à tempore Nini.
De aduentu Saxonum, *Librum vnum.* Tempore Vortigerni Regis Britanniæ.
Gesta Normannorum, *Librum vnum.* Rollo Danus Popam filiam Beranga.
Origines Hibernorum & Scotorum, *Librum vnum.* Hibernia post Britanniam omnium.
De Synodis Ecclesiæ, *Librum vnum.* Synodorum alia vniuersalis, alia.
In Ecclesiasticum, *Librum vnum.* Docebo vos per manum Dei nostri.
In Sapientiam, *Librum vnum.* Ecce descripsi eam tripliciter.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Gualtero Dei gratia Rothomagensi.
Sermonum, *Librum vnum.*
De regibus Anglorum, *Librum vnum.*
De mirabilibus Angliæ, *Librum vnum.* Et alia non pauca. Claruit anno Messiæ nati 1210, regnante apud Anglos Ioanne.

De Gualtero Mapo.

GVALTERVS Mapus, in Anglia natus, & in ingenuarum artium studijs educatus, in virum insigniter doctum euasit. Hunc Syluester Giraldus à multiplici eruditione, & facetijs curialibus commendat. Assumptus ad aulam, fuit primùm Regis Anglorum Henrici secundi, deinde filij eius Ioannis clericus & familiaris. Successu temporis factus est Canonicus Sarisburiensis, posteà Præcentor Lincolniensis, & tandem anno Domini 1197, Archidiaconus Oxoniensis. Agebat Romæ eo tempore quo Syluester Giraldus cum Huberto Cantuariensi Archiepiscopo litem habuit de Metropolitano iure Meneuensis Ecclesiæ. Cùm itaque in Angliam redijsset, Oxoniæ degens in Archidiaconatu suo, splendorem curiæ Romanæ, quosdam etiam nonnunquam abusus & excessus referre solebat. Quæ omnia quidam scurra infamis & dicax, vtcumque alioquin doctus, confestim arripuit, ijsque omnibus pessimè abusus, mordacibus rithmis curiam Romanam, Prælatos, Cardinales, ipsumque summum Pontificem extra omnes Christianæ modestiæ terminos petulanter & scurriliter exagitauit. De hoc scurra (Bomolocum aliqui vocant) sic scribit Giraldus in Speculo Ecclesiæ libro quarto capite decimo sexto: *Parasitus quidam Golias nomine, nostris diebus gulositate pariter & dicacitate famosissimus, qui Gulias melius, quia gulæ & crapulæ per omnia deditus, dici potuit: litteratus tamen affatim, sed nec be-*

1210.
301.

nè morigeratus, nec disciplinis informatus, in Papam & curiam Romanam carmina famosa pluries & plurima, tam metrica, quam rithmica, non minùs impudenter quā imprudenter euomuit. Hæc ille. Ipse etiā Mapus qui imprudenter quædam effutiendo huic malo præbuerat occasionem, & in Monachos etiam Cistercienses acerbiùs nonnulla scripserat, malam apud multos iniuit gratiam, suoque nomini non leuem aspersit maculam. Sed his omissis ad hominis doctrinam veniamus, & quos eruditionis fœtus in lucē ediderit, posterísque reliquerit, videamus. Scripsit partim rithmis lege solutis, partim composito poëticis legibus versu, omnia Latinè, omnia eleganter, lepidè, facetè.

Rithmos in Apocalypsim Goliæ Pontificis, *Librum vnum.* A tauro torrida, lampade. Cynit. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Prædicationem Goliæ, *Librum vnum.* Viri Venerabiles, viri litterati, M S. ibidem.

Confessionem eiusdem, *Librum vnum.* Æstuor intrinsecus ira vehemens M S. ibidem.

De coniugio, *Librum j.* Sit Deo gloria, laus, & benedictio. M S. ibidem.

De Papa & curia Romana, *Librum vnum.* Roma mundi caput est, sed nil. M S. ibidem.

In malos pastores, *Librum vnum.* A legis Doctoribus lex euacuatur.

De Susanna, *Librum vnum.* M S. ibidem.

Ad Christi Sacerdotes, *Librum vnum.* Viri beatissimi Sacerdotes Dei præcones.

Planctum super Episcopos, *Librum vnum.* Complange tui Anglia, melos suspendens.

Carmen ebriosum, *Librum vnum.* Tertio capitulo memoro tabernam.

Ad impios prælatos, *Librum vnum.* Dilatatur impij regnum Pharaonis.

Sermonem ad eosdem, *Librum j.* Tempus acceptabile, tempus est salutis.

Anathema pro pileo, *Librum vnum.* Raptor mei pilei morte moriatur.

Dictamen lectionis loco, *Librum vnum.* Tanto viro locuturi studeamus esse puri.

De malis Romanæ curiæ, *Librum vnum.* Vtor contra vitia carmine rebelli.

De palpone & assentatore, *Librum vnum.* Multi mortalium in mūdi stadio.

De malis Monachorum, *Librum vnum.* Noctis crepusculo brumali tēpore.

Ad vtrumque statum, *Librum vnum.* Suscitauit Dominus simplicem & brutum.

De Thetide & Liæo, *Librum j.* Cùm tenerent omnia medium tumultum.

Atque hæc pleráque meliore rithmo quàm ratione dicta, suspicor esse suppositi̇a, & scurram, quem dixi, potiùs quam Mapum, habere auctorem. Omnia autem sequentia securiùs tribuere posse videor Gualtero Mapo. Videlicet

De contemptu mundi, *Librum vnum.* Cur mundus militat sub vana gloria. Legi puer non semel Vvintoniæ MS. per Adamum Hornum condiscipulum meum.

De punitione peccati, *Librum vnum*. Omnis caro peccauerat, & suã viam.
Super conuocatione cleri, *Librum j*. Nouus rumor Angliæ partes peragunt.
De mundi miseria, *Librum vnum*. Ecce mundus moritur vitijs sepultus.
De fide Trinitatis, *Librum vnum*. Multis à confratribus pridiè rogatus.
De beata Maria Virgine, *Librum vnum*. Pone scribentium tot esse millia.
Epitomen Cambriæ, *Librum vnum*. Libri cursus nunc Cambriam.
Topographiæ compendium, *Librum j*. Lectio certa prodest, varia delectat.
Commendationes Giraldi, *Librum vnum*.
In Cistercienses Monachos, *Librum vnum*. Et alia plurima.
Claruit anno à Christi Natiuitate 1210, sub Rege Ioanne.

De Guilhelmo de Montibus.

GVILHELMVS vel Magister Guilhelmus, cognominatus de Monte vel de Montibus, natione Anglus, patria Leicestrensis, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis, posteà Canonicus & Cancellarius Cathedralis Ecclesiæ Lincolniensis. Vir doctrinæ & pietatis nomine suo tempore celeberrimus, magnatibus & Regni proceribus valdè notus, & plurimùm dilectus. Cuius laudes historici nostrates, ij maximè qui de viris doctis agunt, plenis buccis decantant. Sed luculentiùs testimonium ab eruditionis monumentis, quæ post se reliquit, petamus. Scripsit igitur, vt ex Lelãdo & Bostono Buriensi colligo

1210. 302.

Concordantias sacrorum Bibliorum, *Librum vnum*.
Collecta super psalterium cum scholijs, *Librum vnum*. MS. Cantabrigiæ in Aula Pembroch.
Distinctiones Theologiæ, *Librum vnum*. Arcus dicitur Christus & prop. M S. Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij & Gonelli.
De tropis Scripturarum, *Librum vnum*. Dei dona dispensamus pulsantibus. M S. Oxoniæ in Collegio Balliolensi.
Homiliarum ducentarum octoginta septem, *Librum vnum*. Domini est assumptio nostra & sancti. M S. ex parte Cantabrigiæ in bibliotheca publica.
Expositiones Euangeliorum, *Librum vnum*. Cùm appropinquasset Iesus Ierosol.
Numerale, *Librum vnum*. Introducendus in facultatem Theolog. MS. Oxoniæ in Collegio Balliol. Mertonen. Cantabrigiæ in Coll. S. Bened. S. Petri, & Caij.
Similitudinarium, *Librum vnum*. Ad declarandum in sermone quocunque. M S. Oxoniæ in Collegijs Balliolensi & Mertonensi. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.
Speculum pœnitentiæ, *Librum vnum*. De peccatorum agnitione tractatum. M S. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.
Speculum pœnitentiæ, *Librum vnum*. Dicit Isaias parate viam Domini. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.
Summam breuem, *Librum vnum*. Presbyteri duplici honore digni. M S. Oxoniæ in Collegio nouo. Et suspicor esse tractatum. *Qui benè præsunt*,

qui habetur M S. etiam Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Summam Numerorum, Libros duodecim. Deus vnus est & hoc natura. MS. Oxoniæ in Collegio nouo.

De Sacramentis Ecclesiæ, Librum vnum. Cùm in dispensatione Sacramentorum.

Flores sapientiæ, Librum vnum. Ad ædificationem animarum & morum.

De Aduentu Domini, Librum vnum. Benedictus qui venit in nomine Domini.

Carmen Alphabeticum glossatum, Librum vnum. Quis veniat videas, quò, quando.

De agnitione peccati, Librum vnum.
Expositiones epistolarum, Librum vnum.
De bonitate mulierum, Librum vnum.
Ad quasdam moniales, Librum vnum. Et alia.

Claruit anno gratiæ 1210, Lincolniæ tandem mortuus, & ibidem in Ecclesia cathedrali sepultus est, sub Anglorum rege Ioanne.

De Rogero Crolandensi.

1203. 303. ROGERVS Crolandensis Monachus Benedictinus, in Anglia natus, & per totam vitam educatus, ad magnam in virtute & bonis litteris perfectionem ascendit, teste Lelando, & his titulis successu temporis ad Prioratum Frisconiensem in Comitatu Lincolniensi euectus est. S. Thomam Cantuariensem plurimi fecit, eiusque vitam ex auctoribus sex probatissimis multo labore, & aliquot annis in opere positis accuratissimè collegit, fusissimè scripsit, & in lucem emisit, suoque Abbati Crolandensi Henrico dedicauit, præfixo toti volumini hoc titulo

De vita S. Thomæ Cantuariensis, Libros septem. Amantissimo Domino suo Henrico.

De epistolis eiusdem, Librum j. Alia eius scripta hactenùs non inuenio.

Claruit anno partus Virginei 1214, regnante apud Anglos Ioanne.

De Iocelino Braclando.

1214. 304. IOCELINVS Braclandus honesta apud Anglos familia in Comitatu Suffolcensi natus, & in eadē prouincia professionis Benedictinæ Monachus in splendido & opulento Monasterio Buriensi. Cantabrigiam missus ad studia, tempus suum vtiliter impendit, & ibi tam in sacris quàm in profanis litteris non pœnitendos fecit progressus, pietatem cum studijs semper coniungens, & à teneris annis cum vtroque crescens & coalescens. Vndè doctis & pijs viris, qui per idem tempus floruerunt, non solum fama cognitus, sed etiam in precio habitus fuit. Inter alios Ioanni Oxfordio Præsuli Norvvicensi familiaris & plurimum dilectus. Magis contemplationi deditus, quàm scriptioni, pauca admodum, si doctrinam hominis respicias, in lucem emisit. Imprimis agnoscens cuius loci esset alumnus, suo Buriensi Monasterio gratiam repen-

dit, accuratè ſcriptis illius cœnobij rebus geſtis operi titulum fecit

Chronicon ſui cœnobij *Librum vnum.* Quod vidi & audiui, ſcribere.

Super electione Hugonis, *Librum vnum.* Anno ab Incarnatione Domini 1211.

De vita S. Roberti Martyris. *Librum vnum.* Et alia quædam. Vixit anno gratiæ 1214, regnante in Anglia Ioanne.

De Alexandro Abbate.

ALEXANDER natione Anglus, profeſſione Monachus ordinis S. Benedicti apud Cantuariam, & tandem ibidem in cœnobio S. Auguſtini Abbas. Hic cùm eſſet ingenij fœlicis, & ferè à teneris, vt aiunt, vnguiculis, ſollicitâ in bonis artibus habuiſſet educationem, in virum doctiſſimum euaſit. Cùm autem ad eruditionem eminentem acceſſiſſet ſolidum iudicium, matura prudentia, & mira in rebus agendis dexteritas, multa etiam in Deum pietas, in proximum charitas; dignus vnanimi ſuorum conſenſu habitus eſt, qui toti conuentui præficeretur. In quo munere adminiſtrando cùm ſe ad aliquot annos ſtrenuè prudentérque geſſiſſet, & fama virtutum eius vſque ad ipſius Regis Ioannis aures perueniſſet, rex eum conſuluit ſuper controuerſijs, quas eo tempore grauiſſimas habuit cum ſummo Pontifice. Alexander Regem in ſpem bonam induxit, rem omnem componi poſſe dictitans. Cùm itaque rex hominem in ſuas partes nonnihil propendentem deprehendiſſet, anno Domini 1206, eum legatum Romam ſuper dicto negotio miſit. In qua legatione tam apertè ſe pro rege ſtare declarauit, eique tam fideliter in omnibus adhæſit, vt magnam aduerſarum partium ſibi conflauerit inuidiam. Vndè factum eſt, vt ſucceſſu temporis rege mortuo, à Pandulpho ſummi Pontificis in Anglia legato fuerit excommunicatus, omnique Eccleſiaſtico beneficio, munere, & functione priuatus. Atque ita ferunt eum in paupertate & miſeria vitam finiuiſſe. Quicquid de iſtis ſit, eruditionis eius ſufficiens præbent teſtimonium lucubrationes quas edidit, quas tamen ab omni affectu peruerſo, maximè propter exulcerati animi acerbitatem vix auſim vindicare edidit

1217.
305.

Victoriam à Prothæo, *Librum vnum.* In nomine Dei altiſſimi qui eſt trinus.

Super varijs articulis fidei, *Librum vnum.*

De Eccleſiæ poteſtate, *Librum vnum.*

De poteſtate vicaria, *Librum vnum.*

De ceſſatione Papali, *Librum vnum.* Et eiuſmodi alia. Perueniſſe dicitur vſque ad annum Chriſti 1217, quo fœliciter in Anglia regnum ſuum inchoauit Henricus tertius.

De Hugone Candido.

1217. 306.

HVGO Candidus, vulgo Anglorum Vvhite, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Petroburgensis. Vir pietatis & doctrinæ nomine non incelebris, licet pauca admodum (quantum inuenire hactenùs potui) in lucem emiserit scripta, tamen inter eos numerari solet, qui perscrutandis rerum memorabilium antiquitatibus vtilem operam nauarunt, & historiam gentis nostræ continuo cursu connexam conseruauerunt. Teste Ioanne Lelando fuit rerum gestarum sui præsertim cœnobij luculentus scriptor, cuius historiam elaboratissima diligentia perstrinxit, nec primam originem, nec fœlices progressus, nec infœlices casus, variásque, maximè sub Danis & alijs barbaris clades, aliásque vicissitudines vnquam omittens. Vbi etiam tam vigili oculo primatiuam Merciorum inspexit, vt multa annotauerit, quæ ipsius Venerabilis Bedæ diligentiam euaserant. Hanc autem historiam vsque ad Henrici tertij regnum deduxit, inscriptionémque fecit

Historiam Petroburgensem, *Librum vnum.* De alijs eius scriptis mihi nihil constat. Claruit anno post Christum hominem factum 1217, inchoante regnum apud Anglos Henrico tertio.

De Ioanne Graio.

1217. 307.

IOANNES Graius, natione Anglus, vir fœlici & faceto ingenio, eruditione insignis, consilio expeditus, & quantumuis in dictis facetus, in factis tamen, vbi res postulabat, seuerus, virtutum omnium amator & cultor, omnium vitiorum osor & exterminator. His nominibus Ioanni Regi charus erat, magnæque auctoritatis, honoratissimis apud eum semper muneribus functus. Primùm factus Episcopus Norvvicensis, deinde regis & multorum aliorum suffragijs electus Archiepiscopus Cantuariensis, licet res minimè successerit, vt suo loco dicitur, prorex Hiberniæ constitutus, ita illam prouinciam administrauit, vt toti mundo suas virtutes testatas fecerit. Nam cùm rex postrema sua expeditione rebelles Hibernos compescuisset, eorumque vires fregisset, hunc Graium tanquam virum strenuum, magnæ prudentiæ, fidelitatis exploratæ, reliquit ibi supremum præsidem, vt eos auctoritate sua in officio contineret. Sed quod ad doctrinam eius attinet, erat historiarum omnium nostræ gentis peritissimus, & antiquitatum Britannicarum studiosissimus. Eos ferre non potuit, qui regis Arthuri res gestas, & celebria Britonum antiquorum bella, tanquam nugas calumniabantur, omnemque illarum rerum seriem in dubium quodammodò vocare sine iudicio vel ratione conabantur. Scripsit autem Graius quoddam opus historiarum cui titulum dedit

Schalecronicon, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Diem clausit extremum anno

anno Domini 1217, solium Anglicani Regni conscēdente Henrico tertio. Vide quem fecimus de Episcopis Norvvicensibus Catalogum.

De Adamo Barchingensi.

ADAMVS Barchingensis, in Anglia natus, & ibidem in Oxoniensi Academia liberaliter in bonarum litterarum studijs educatus, ordinis S. Benedicti Monachus Shirbornensis, id est Clarofontanus vt habet Sixtus Senensis in bibliotheca sancta lib. 4. Vir acris ingenij, facundæ linguæ, elocutionis claræ, vehemens in reprehendendis vitijs, ad persuadendum efficax. Quibus dotibus apud omnes suo tempore celebris erat. Cùm autem iam accessisset ad singularem doctrinam iudicij maturitas, & ætas ad senium vergens; se totum sacrarum litterarum studijs, & rerum diuinarum contemplationi dedidit. Ita tamen vt à verbi diuini prædicatione non abstineret, populúmque libenter instrueret, & pietatem, fidem, charitatem, castimoniam, temperantiam, omnémque vitæ integritatem & innocentiam, omnes denique virtutes (nam omnes impensè & ipse colebat) doceret. Hæc pleráque ex Lelando. Vt autem suam doctrinam omnium virtutum Magistrā posteritati tradere posset, ex multis suis lucubrationibus saltem aliquas scripto mandauit, quarū partem Ioanni Sarisburiensi consecrauit. Scripsit autem

1217.
308.

In vetus & nouum Testamentum, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

In quatuor Euangelia ad Ioannem Sarisburiensem, *Libros quatuor.*
De duplici Christi natura, *Librum vnum.*
De serie sex ætatum, *Librum vnum.*
Rithmorum & carminum, *Librum vnum.*
Sermonum ad populum, *Librum vnum.* Et alia plura, tum oratione soluta tum stricta.

Claruit anno redemptionis humanæ 1217, cùm in Anglia regnare inciperet Henricus tertius.

De Ioanne Plantageneto.

IOANNES Plantagenetus, Regis Henrici secundi filius natu minimus, & ipse tandem Angliæ Rex. Princeps à teneris annis in pietate & litterarijs disciplinis institutus, ad eruditionem plus quàm vulgarem sub optimis præceptoribus peruenit. Quas in regno passus sit vicissitudines suo loco non tacetur. Nam hîc tantum eum cum multis alijs à doctrina & scientia breuiter laudabimus. Testes habeo ex officina eius litteraria profectos

1217.
309.

Legum Regni Angliæ, *Librum vnum.*
Legum Hiberniæ, *Librum vnum.*
Cartam libertatum Angliæ, *Librum vnum.* Sciatis nos intuitu Dei.
Statutorum regalium, *Librum vnum.* Præcipimus vobis quod sine.
Ad Barones de sua victoria, *Epistolam.* Sciatis nos Dei gratia sanos.

Obijt anno à plenitudine temporis 1217. Vide quem scripsimus de regibus Angliæ Catalogum.

De Albricio Londinensi.

1217. 310.

ALBRICIVS vel Albricus, natione Anglus, patria Londinensis. Vir bonus, & ingenij fœlicis, ad litteras planè factus & formatus, quique accedente ad inclinationem naturalem industria sedulitate ad magnam variarum rerum scientiam peruenit. Postquam enim in Anglicanis scholis optima doctrinæ fundamenta iecisset, exteras adijt nationes, multas inuisit Academias, doctorum hominum notitiam & amicitiam vbique quæsiuit, cum ijs contulit & cohabitauit, ab ijs multa didicit. Historias quas inuenire potuit vetustissimas peruoluit, veterum Philosophorum scripta, vitam, res gestas perlegit, & ipse peritissimus Philosophus factus, multa de Philosophis & Philosophia scripsit, in lucem emisit, posteritati tradidit. Vnde hæc saltem sequentia ab eius laborioso ingenio processisse inuenio, teste Lelando

Virtutes antiquorum, *Librum vnum*. Quoniam misericordia & veritas.
Canones speculatiuos, *Librum vnum*.
De origine Deorum, *Librum vnum*. Fuit vir in Ægypto ditissimus. Et alia.

Claruit anno post aduentum Christi in carne 1217, cùm apud Anglos Regnum suum inchoaret Henricus tertius.

De Gualtero Couentriensi.

1217. 311.

GVALTERVS Couentriensis, seu de Couentria, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in Monasterio Couentriensi. Honestis parentibus natus est in Comitatu & ciuitate Vvarvvicensi, & suorum cura quasi Deo & Musis consecratus, in pietate & litterarijs disciplinis diligenter educatus, vir insigniter eruditus euasit. Oxoniæ liberales artes, Philosophiam etiam & Theologiã sedulò didicit. Quo trãsacto laudabiliter in scholis studiorũ curriculo, se deinceps legendis & scribẽdis historijs dedidit, fuissétque suo iure inter præcipuos numerandus, nisi quòd stylus plerúmque fuerit incultior, quàm vt lectorem attrahat aut delectet. Hunc Ioannes Lelandus licet ex professo nullibi, passim tamen in suis præsertim historijs obiter laudat, & alijs commendat, maximè quòd ei in suis annalibus scribendis, *& syncera fides, & lucidus ordo placebat*. Historiam ab aduentu Britonum in insulam, vsque ad suum tempus deduxit, optimos semper auctores secutus Galfredum Monemetensem, Rogerum Houedenum, & Henricum Huntingdonensem, & ex alijs optima fide non pauca adiunxit, quæ nusquàm apud istos inueniuntur. Scripsit autem

Chronicon Britannorum, *Librum vnum*. Britannia insularum optima inter.
Anglosaxonum Chronicon, *Librũ vnum*. Athelstanus fuit primus Rex de.
Annales Angliæ vel memoriale, *Libros tres*. Romanorum nonagesimus tertius. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Dicta quædam, *Librum vnum*. MS. Cantabrigiæ in bibliotheca publica. Claruit anno postquàm Verbum caro factum est 1217, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Radulpho Nigro.

RADVLPHVS Niger, natione Anglus, patria Suffolcensis, Buriensis oppidi, vt videtur, alumnus. Vir insigniter eruditus, & hoc nomine ab eruditis viris mirificè celebratus. Nam famam hominis in scriptis suis valdè nobis commendarunt inter cœteros Bostonus Buriensis, & Radulphus Coggeshalus inter Cistercienses doctus Abbas. Postquàm sacrarum scientiarum ministras profanas artes omnes accuratè percepisset, ad studium Theologicum processit, nec pedem vnquam indè retraxit, donec supremam in illa suprema scientia lauream esset consecutus. Deindè cùm in oratoria facultate, supra vulgarem hominum sortem saltem emineret, & eleganti politóque stylo multum delectaretur; nihil iudicauit ingenio suo conuenientius, nihil ad honorem gentis suæ conducibilius, nihil ad memoriam nominis sui diuturnius, quàm historias patrias peruoluere, veteres annales conscribere, nouos adiungere. Itaque ad antiquitates perscrutandas, doctissimorum hominum vsus consilio, fretus auxilio, totam Angliam peragrauit, celebriores bibliothecas vbique visitauit, optimos quósque & selectissimos auctores legit, relegit, & ex ijs, quæ ad rem suam faciebant, notauit, decerpsit, sua fecit, in ordinem redegit, chronica accuratissima composuit à Natiuitate Christi vsque ad annum Domini 1213, continuata penè in omnibus serie deduxit. Multa ibi de Imperatoribus, de Regibus Angliæ plura, de Regibus Frãciæ non pauca, bona fide, terso stylo retulit, & posteris reliquit. Hinc populo & clero charus, doctis viris plurimũ dilect⁹, magnatibus & principibus mirè gratus & acceptus fuit: denique, vt ita dicam, hoc vno infœlix, quod quodammodò nimis fœlix. Nimia namque fœlicitas nimiam ei peperit inuidiam. Ecce tibi miram & repentinam rerum conuersionem, atque inopinatam mutationem. Nam subitò læsæ maiestatis apud Regem Henricum secundum accusatus, diuitias, famam, honorem, populi fauorem, omnia bona, patriámque ipsam quasi patriæ proditor, in exilium eiectus amisit. Cúmque iniustum hoc Regis factum, ad suam innocentiam declarandam clamitaret, ad se vindicandum, vbique in scriptis suis, vel dicti Regis virtutes, & res præclarè gestas silentio præterijt, vel vbi se offerebat occasio, maligno animo & mordaci stylo eius vitia carpebat, eique nonnumquàm etiam conficta crimina imponebat. Sed iam operum eius Catalogum subnectamus. Scripsit teste præfato Bostono in Catalogo

1217.
312.

Chronicon succinctum à Christo incarnato vsque ad annum 1213, *Librum vnum*. Etsi succensere sibi neminem conueniat.

Chronicon à condito mundo, *Librũ vnum*. In principio creauit Deus cœlum. Vtrúmque puto MS. haberi Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De Regibus Angliæ à Guilhelmo primo, *Librum vnum.*
Super Pentateuchum, *Libros septem.* Microcosmus minor mundus est.
Super historias Regum, *Libros quatuordecim.* In canonica scriptura Bibliæ.
Super Leuiticum, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Collegio Nouo.
Epitomen in Paralipomenon, *Libros duos.*
Pantheologicon, *Librum vnum.* Radulphus Archidiaconus Claudiocestriæ.
Hebræorum nominum interpretationes, *Librum vnum.*
Remediarium in Esdram, *Librum vnum.*
De quatuor festis beatæ Mariæ Virginis, *Librum vnum.*
De re militari, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.
De triplici via peregrinationis Hierosolymitanæ, *Libros quatuor.* Militia Christiani hominis est. M S. ibidem.
De rebus gestis Regis Ioannis, *Librum vnum.* Victoriosissimo Anglorum Rege Richardo.
Initia Regis Henrici tertij, *Librum vnum.* Defuncto Ioanne Anglorum Rege. Claruit anno Christi nati 1217, initiante in Anglia regnum Henrico tertio.

De Rogero Vvindouero.

1217. 313.

ROGERVS Vvindouerus seu de Vvindouer historicus Anglus, &, vt auctor est Ioannes Stoüs, diligens earum rerum, quæ sua ætate gestæ sunt, indagator. Omnia namque sui temporis illustriora facinora, quæ vel ipse vidit, vel à fide dignis relata accepit, fideliter scriptis mandauit, & integrè posteritati tradidit. Et inter cætera scripsit accuratiùs alijs, tanquam oculatus multarum rerum testis

Chronica sui temporis, *Libros plures.* De alijs eius scriptis nihil habeo comperti. Claruit anno Domini 1217, dum in Anglia rerum potiretur Ioannes.

De Roberto Cursono.

1218. 314.

ROBERTVS Cursonus, de Cursim, vel de Curtũ vocat Matthæus Vvestmonasteriensis, nobilibus in Anglia natus parentibus. Vir ingenij laude, doctrina etiam & pietate clarus. In Oxoniensi Academia suorum studiorum solida fundamenta posuit, omnemque penè iuuentutem illic in humanioribus disciplinis, ingenuis artibus, & maximè Philosophicis studijs sedulò collocauit. His etiam litterarijs progressibus, & ingenij culturæ singularem quandam morum vrbanitatem adiunxit, quæ ex eiusmodi studijs plerumque consequitur, & ad omnem ciuilem ac socialem vitam in nobilibus maximè personis semper requiritur. His instructus & egregiè munitus præsidijs, confidenter exteris regionibus, & ignotis hominibus augendæ doctrinæ studio se commisit, & Lutetiæ Parisiorum ita strenuam Theologiæ dedit operam, vt

ſupremam Theologici Doctoratus acquiſiuerit lauream. Deinde Romam profectus, ab Honorio Papa tertio Cardinalis creatus eſt, & in Angliam legatus deſtinatus. Tandem anno Domini 1218. cum Pelagio Albanenſi Sedis Apoſtolicæ legato miſſus eſt in Orientem, quando Chriſtiani Damiatam vrbem expugnabant. De quo ſcribit ad dictum annum Matthæus Vveſtmonaſterienſis ſic; *Aduenit Magiſter Robertus de Curſim Cardinalis, & Thomas de Nouim Theologi & prædicatores excellentiſſimi.* Idem ad eundem annum ſcribit Matthæus Paris. Non tamen obſtantibus magnis tum negotijs, tum itineribus, ſcripſit, teſte Boſtono Burienſi

Summam Theologiæ, *Librum vnum.* Videndum eſt primò quid fides. M S. Cant. in Coll. ſancti Petri.

Lecturas ſolemnes, *Librum vnum.*
An Origenes ſaluus ſit? *Librum vnum.*
De ſeptem ſeptenis, *Librum j.* M S. Cantabrigiæ in Colleg. S. Bened.

Claruit anno Chriſti 1218, regnante in Anglia Henrico tertio.

De Geruaſio Melkeleio.

GERVASIVS Melkeleius vel de Melkeleia in Anglia natus & educatus, Oxonienſem Academiam habuit ſuorum ſtudiorum altricem. Vir, vt auctor eſt Matthæus Paris, pietate & doctrina celebris. Poëta, Rhetor, Mathematicus, & Philoſophus inſignis. Has enim ſcientias ſub optimis præceptoribus didicit, & tam accuratè calluit, vt alios eaſdem poſteà dignè docuerit. Et certè quod ad Poëticam attinet, facilè adducor vt credam, eum cum primis ſui temporis Poëtis fuiſſe conferendum, *Si verſu vatem cognoſcis vt vngue leonem.* Nam apud hiſtoricos lego eum in nouo templo Londini poſuiſſe epitaphium Guilhelmo Mareſcallo Regis Hẽrici tertij, & vnico diſticho plures ſtrenuiſſimi viri res geſtas ingenioſè, eleganter, & non ſine arte, Laconica breuitate perſtrinxiſſe. Nam cùm ille Mareſcallus Hibernos rebelles perdomuiſſet, Gallos renitentes ſubiugaſſet, & in Normannia magnas coëmiſſet poſſeſſiones, ampla latifundia comparaſſet, elegans hic Poëta ex perſona defuncti loquens, hoc epitaphium, quod apud Matthæum Parim & alios inuenio, compoſuit & eius tumulo inſcribi fecit: (1219. 315.)

Sum quem Saturnum ſibi ſenſit Hibernia, Solem
Anglia, Mercurium Normannia, Gallia Martem.

Scripſit in hoc genere opuſcula multa. De arte dictandi, cui titulum fecit

De ſaltu lacteo, *Librum vnum.* Ne meas videar magnificare fimbrias. M S. Oxoniæ in Collegio Balliolenſi.

De ſcribendis verſibus, *Librum vnum.*
Epigrammatum, *Librum vnum.*
Epitaphia virorum illuſtrium, *Librum vnum.*

Claruit anno gratiæ 1219, ſub Anglorum Rege Henrico tertio.

De Gualtero Morganio.

1219. 316.

GVALTERVS Morganius, apud Demetas in Australi Vvallia natus, in Anglia diù studuit, omnes artes liberales, & Philosophiam diligenter didicit. Deinde factus est ordinis Cisterciensis Monachus, & tandem crescentibus virtutum & eruditionis meritis, electus est Abbas Morganensis. Propter politiorem doctrinam impensè laudatur à Lelando, & à Ioanne frumentario in opere de viris illustribus. Variarum rerum naturas curiosè inuestigauit, & eleganter versu scripsit

De animalibus terrestribus, *Librum vnum.*
De volucribus, *Librum vnum.*
Carmina de varijs rebus, *Librum vnum.*

Claruit circa annum Domini 1219, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Ioanne de sancto Omero.

1219. 317.

IOANNES de S. Omero, natione Anglus, patria Norfolcensis, Academiæ Cantabrigiensis in bonarum litterarum studijs alumnus, ad doctrinæ gradum plus quàm vulgarem ascendit. Contigit per id tempus vt quidam Monachus Petroburgensis in Norfolcenses tanquam minùs vrbanos, & moribus magis agrestes carmen rithmicum scriberet. Sed Ioannes iste patriæ patrocinium suscipiens, simili scripto Monachum refutauit, & gentis suæ contumeliam diluit. Monachus suum scriptum sic incœpit non vsque adeò eleganter, Edictum exijt Augusto Cæsare, qui mittens nuncios iussit describere mundi prouincias summo cum opere, &c. doctiore rithmo respondit Ioannes, & operi titulum dedit

Norfolcianæ descriptionis impugnationem, *Librum vnum.* Edictum fingitur factum à Cæsare. Alia quidem scripsisse dicitur, sed tituli me latent. Aliquorum coniectura est eum floruisse circa annum Christi 1219, regnante apud Anglos Henrico tertio.

De Ethelredo Vvardensi.

1220. 318.

ETHELREDVS vel Edilredus ordinis Cisterciensis Monachus Anglus, & tandem cœnobij Vvardensis Abbas. Hic postquàm politiorem doctrinam, & omnes ingenuas artes affatim hausisset, lectioni sacrarum scripturarum, meditationi cælestium rerum, & prædicationi diuini Verbi se dedidit. S. Bernardi diligens imitator, imò quodammodò pertinax æmulator. Huius in communibus colloquijs sequebatur affabilitatem, in sacris concionibus mellifluam dulcedinem, in suaui stylo deliciosam facundiam, in omnibus actionibus mitem ac mansuetum spiritum. His sanctis verborum lenocinijs inescauit populum, & rudem plebeculam pia fraude circumueniens, à mundanis cogitationibus ad Christum deduxit, & ad se audiendum, imò ad Dei legem obseruandam, tanquam bonus hominum piscator esca allexit, hamo cepit

ac tenuit, filo attraxit. In explicandis sacris eloquijs D. Bernardi vestigijs insistens, mirè perspicuus erat & spiritualis. Hæc ferè ex Ioanne Trithemio. Thomas etiam Vualdensis honorificam huius scriptoris mentionem aliquando facit, potissimùm in concionibus, quas habuit coram Angliæ Rege Henrico quinto. Quædam ex scriptis eius nonnumquàm confunduntur cum scriptis Ealredi Abbatis qui claruit anno 1166. sequentium tamen auctorem puto hunc Ethelredum, scripsit enim

Expositiones in quædam sacræ scripturæ loca, *Librum vnum.*
De vinculo perfectionis, *Librum vnum.* Extendisti Domine sicut cælum.
Homilias in S. Lucam, *Librum vnum.* Cum in exordio narrationis.
Conciones notabiles, *Librum vnum.*
De tribus hominibus, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Tandem in Vvardensi cœnobio mortuus & sepultus dicitur circa annum Verbi incarnati 1220, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Alexandro Essibiensi.

1220. 319.

ALEXANDER Essibiensis, Somersetensem alij, quidam Staffordiensem chronographum vocant, in occidentalibus Angliæ regionibus natus, vbi etiam institutum Canonicorum regularium sancti Augustini amplexus, tandem cuiusdam cœnobij factus est Prior. Vir integræ & religiosæ vitæ, magnæ lectionis & doctrinæ. Rhetorum & Poëtarum sui temporis & nostræ gentis facilè princeps, Theologus etiam non contemnendus. In omnibus pietatem magis secutus, quàm ingenij subtilitate nixus, pauca de profanis, plura de sacris rebus scripsit. Antiquorum Poëtarum elegantiam diligenter imitatus est, imò fœliciter consecutus, eorum nugas & superstitiones detestatus. Ornatum verborum, & orationis flores suos fecit, & ad Dei laudem cultumque diuinum omnem illum ornatum ethnicorum artificiosè conuertit, vt olim boni Israëlitæ Ægyptiorum spolia ad sacros vsus applicarunt, ijsque, quantumuis essent profana, vsi sunt ad decorem domus Dei, & ad ornatum templi Hierosolymitani. Scripsit enim elegiaco carmine, vt olim Ouidius, de fastis, non profanis, sed sacris, vbi vitas præcipuorum per circulum anni sanctorum eleganter descripsit. Edidit igitur carmine ad Lethardum

Compendium historiarum Bibliæ, *Librum vnum.* Ante dies omnes mundi fuit omnis.
Confessionum, *Librum vnum.* Confiteor tibi Domine Deus.
De sacris diebus, *Librum vnum.* Omnia cùm nequeam sanctorum scribere.
Meditationum, *Librum vnum.* Duæ sunt vitæ quæ in sacra scriptura.
Festiuale, *Librum vnum.* Duo præclara diuinæ pietatis.
Vitam S. Bertelini, *Librum vnum.* Quoniam quantū intellectui nostro.

Vitam S. Cungari Eremitæ, *Librum vnum.* Dum quidam Constantinopolitanus.

Vitam S. Agnetis, *Librum vnum.* Agnes sacra sui pennam sapientis.

Epistolarum & diuersorum carminum, *Librum vnum.* Laborem in ludum vertit fructus.

Historiæ Britannicæ epitomen, *Librum vnum.* MS. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti.

Claruit anno redemptionis humanæ 1220, Henrico Rege tertio ad Anglicani clauum imperij sedente.

De Richardo Eliensi.

1220. 320.

RICHARDVS Eliensis ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in insula Elie, id est, anguillarum. Vir eruditione multiplici instructus, Poëta, Rhetor, Astronomus, Philosophus. Ætate iam maturus, vel ad senium vergens, factus est sui cœnobij Prior. Ex quo tempore omnes ferè horas, quas à precibus & cura disciplinæ Monasticæ liberas inuenire potuit, sacræ Scripturæ lectioni & meditationi, vel pijs historijs, maximè sui Monasterij, perquirendis, perlegendis, & scribendis diligenter impendit. Probè enim nouerat vir pius, doctus, & prudens bona maiorum exempla posteris proposita, incitamenta esse sanctæ æmulationis, & acres ad virtutem mouere stimulos. Erat de isto Richardo adhuc viuente sanctitatis opinio non leuis, habebatque sine dubio Prophetiæ spiritum. Cuius inter alia istud referri solet exemplum. Dum eo præsente à Simone montis fortis Comite strictissimè obsessa teneretur Tolosa, & tam arctè premeretur, vt iam iam videretur in eius potestatem ventura: prædixit vir sanctus citiùs occidendum Comitem, quàm vrbem capiendam: cúmque ab incredulis propter hoc quasi temerè dictum illuderetur, constantiùs asseuerauit, ita breuî fore, sicuti prædixerat, & adhuc viuenti, tanquàm iam mortuo scripsit epitaphium. Euentus Prophetiæ veritatem comprobauit. Comite enim ab hostibus interfecto, nondum erat ciuitas intercepta. Sed ad hominis doctrinam redeamus, & quid vtilium monimentorum posteris reliquerit, videamus. Scripsit, vt ex Bostono Buriensi, & nostro Ioanne Lelando colligo

Sermonum, *Librum vnum.* Ascendet sicut virgultum coram.

De rebus gestis sui cœnobij, *Librum vnum.*

De insula Eliensi, *Librum vnum.*

Carminum diuersorum, *Librum vnum.*

Epistolarum familiarium, *Librum vnum.*

Claruit anno postquàm Verbum caro factum est, & habitauit in nobis 1220, dum ad Anglicani regni gubernaculum potenter sederet Rex Henricus tertius.

De

De Hugone Kirkestedo.

HVGO Kirkestedus, Kircostallensem vocat Lelandus, in Anglia natus, & ibidem ordinis Cisterciensis Monachus. Vir pius & eruditus, quique suam professionem & institutum mirè dilexit, suorumque honori, quantum potuit, in omnibus optimè consultum cupiuit. Secutus in hoc Trustini olim Archiepiscopi Eboracensis exemplum, qui illi ordini plurimùm fauit, & res quasdam ab illis Monachis præclarè gestas aliquando scripsit. Vixit per idem tempus Serlo quidam Eboracensis, vir grandæuus, illis Monachis multum familiaris. Quo iuuante, referente, & dictante, Hugo scriptis mandauit, optimo ordine disposuit, & in vnum volumen redegit multa de rebus gestis Monachorum Cisterciensium in Anglia, quæ pleraque se vidisse testatur Ioannes Lelandus apud Ripondunum in Northumbria. Scripsit itaque & Ioanni Fontanensis cœnobij tunc Abbati dedicauit 1220. 321.

De origine Fontani cœnobij, Librum vnum.

Historiam rerum à Monachis Cisterciensibus gestarum, Librum vnum.

Claruit anno redemptionis humanæ 1220, dum rerum in Anglia potiretur Henricus tertius.

De Petro Henhamo.

PETRVS Henhamus, natione Anglus, Monachus, opinor, ordinis S. Benedicti in cœnobio Vvaldensi, nam in illa Bibliotheca scripta eius diù sollicitè conseruata fuisse ferunt. Vir teste Lelando, omnis antiquitatis & potissimùm Anglicanæ valdè studiosus. Et quia non solum sana doctrina, sed etiam multò magis morum integritas eum celebrem, & omnibus commendabilem reddiderat; non solum studuit ad animi oblectationem, & propriam voluptatem, sed etiam (quod bonitatis est) sua voluit alijs communicare, & ea multorum facere ad communem aliorum vtilitatem. Vndè vetustos codices multo labore peruoluit, omnésque antiquiores historias Angliæ perlegit, & ex ijs, quæ ad rem suam faciebant, accuratè collegit, ab Hengisto primo inter Anglos Rege per septingentos & septuaginta circiter annos, vsque ad suum tempus narrationem & seriem rerum continuam deduxit. In qua relatione res Anglicas stylo quidem simplici, sed optima fide tractauit, & opus tandem edidit sub hoc titulo. 1224. 322.

Chronicon Anglorum, Librum vnum. De alijs nihil mihi constat.

Claruit anno gratiæ 1224, dum Anglici Imperij sceptrum tenuit Henricus tertius.

De Caducano Britanno.

CADVCANVS veteri Britannorum sanguine in insula Britannia natus. Vir propter singularem pietatem, & omnium scientiarum maximè Theologicarum peritiam valdè celebris. Quibus nominibus 1225. 323.

ad Banchorensem Episcopatum euectus est. Sed eum ita occupauit contemplationis cælestis desiderium, vt eius causa se abdicauerit Episcopatu, & in Durensi Monasterio se ordini Cistercensium aggregauerit, vbi reliquum vitæ in sanctis meditationibus, diurnis & nocturnis psalmodijs consumpsit, quæ erat hominis pietas. Nec inter hæc elanguerunt studia, vt ex Lelando colligo. Vnde etiam hos ingenij pij fœtus post se reliquit

Speculum Christianorum, *Librum vnum.* Dominus in Euangelio. Qui ex Deo.

Homiliarum, *Librum vnum.* Et alia quædam. Tandem in suo Durensi cœnobio diem obijt extremum, & ibidem accepit sepulturam anno post Christum natum 1225, regnante in Anglia Henrico tertio. Vide quem fecimus de Banchorensibus Episcopis catalogum.

De Alexandro Neckam.

1227. 324. ALEXANDER Neckam, Nequam aliqui nugabundi vocare solebant, natione Anglus, Comitatus Hertfordiensis alumnus, ex oppido vel saltem territorio S. Albani oriundus. Vir suo tempore omni præstantioris eruditionis supellectile instructissimus. Fœlicis ingenij, solidi iudicij, fluentis eloquij, incredibilis industriæ, innocentis vitæ, miræ affabilitatis, in scriptis elegans, in colloquijs facetus, lepidè acutus, gratus simul & iucundus. Poësim, Rhetoricam, omnemque cultiorem literaturam, omnes artes liberales, Mathematicas artes omnes, omnemque Philosophiam accuratè calluit. Theologus etiam erat insignis. Denique nihil reliquum fecerat ad hominem in omni doctrinæ genere literatissimum. Vndè non solum Anglis, sed etiam Gallis & Italis, apud quos iuuenis aliquando studuit, miraculum ingenij dicebatur. Rebus difficillimis difficultatem auferebat, obscuris lucem afferebat, in dissoluendis abstrusis quæstionibus, & occultis ænigmatibus, tam perspicacis & penetrantis erat ingenij, vt alterum Oedipum existimaueris. Iucundum quid de homine aliquando legi, quod hîc referre operæprecium iudicaui. In ætatis flore constitutus, etiam litteris non mediocriter instructus, ad ordinem S. Benedicti aspirauit, suumque desiderium Abbati S. Albani iam non semel intimauerat: Abbate autem (vt Alexandro videbatur) nimis longas moras faciente, impatiens tam diuturnæ dilationis Alexander, tandem ad Abbatem scripsit in hunc modum. *Si vis, veniam. Sin autem, tu autem.* Quibus verbis breuissimis, & finali lectionum omnium conclusione intimata, voluit Abbati significare, se libenter post longam expectationem, velle breuem & finalem petitionis suæ responsionem. Abbas itaque breuiter & acutè respondit sic: *Si bonus es venias; si Nequam, nequaquam.* Quod responsum, non solum vt acutum, sed etiam vt allusionem ad suum nomen nimis acerbam, in malam partem accipiens

Neckam, patriam Verolamium reliquit, ab ordine S. Benedicti animum auertit, in Deuoniam se contulit, Exoniam petijt, & ibi in celebri cœnobio Canonicorum regularium S. Augustini habitum suscepit, vbi anno Domini 1215 à suis electus Abbas, reliquos vitæ dies exegit, nisi quòd in itinere constitutus alibi obierit. Sed iam ad monimenta litterarum eius, quæ plurima & doctissima posteritati reliquit, veniamus. Scripsit, teste Sixto Senensi, & alijs,

In Prouerbia Salomonis, *Librum vnum.* In primo opere Salomonis.

In Ecclesiasten, *Libros duodecim.* Superfluo detinentur labore.

In Cantica Canticorum, *Libros octo.* Humilitas vera gloriam excel. M S. Oxoniæ in Collegio Nouo, & Balliol. Cantabrigiæ in publica, & in Aula Pembrochiana. In hoc opere multa habentur de laudibus beatæ Mariæ Virginis, de eius conceptione, desponsatione, &c.

In Ezechielem, *Librum vnum.*

Super Psalterium, *Librum vnum.* De horto deliciarum paradisi. M S. Oxoniæ in Bibliotheca publica.

Lectiones Scripturarum, *Librum vnum.*

Concordantias Bibliorum, *Libros quinque.* Primus liber agit de his quæ.

Vocabularium Biblicum. *Librum vnum.* Post hæc de singulis libris Bib.

Correctiones Biblicas, *Librum vnum.*

De præceptis Decalogi, *Librum vnum.*

Moralia super Euangelia, *Libros quatuor.* Intentioni quatuor Euangelistarum. M S. Oxoniæ in Collegio Lincolniensi.

Laudes diuinæ sapientiæ, *Libros septem.* Gloria, Maiestas, Deitas, Sapien. M S. in priuata Bibliotheca Baronis de Lunleio.

Super vtrumque Testamentum, *Libros tredecim.* Præmissa descriptione origin.

Noui Testamenti expositiones, *Librum vnum.* Ad noui Testamenti seriem, me.

Corogationes quas vocat Promethei de difficilioribus sacrorum Bibliorum locis, *Libros quatuor.* Ferrum cito rubiginem ducit.

De tropis & figuris, *Librum vnum.*

De naturis rerum, *Libros septem.* Forma decens admiratione digna. M S. in priuata Bibliotheca Gualteri Copi.

In Symbolum Athanasij, *Librum vnum.* Caput aquilæ principis auium.

De virtutibus, *Librum vnum.*

De fide, spe, & charitate, *Librum vnum.*

Cur filius incarnatus, *Librum vnum.* Operis immensi quoniam Deus.

In Theologiam regularum, *Librum vnum.*

De puritate Mariæ, *Librum vnum.*

De Natiuitate beatæ Mariæ, Librum vnum. Egredietur virga de radice.
De eius Annunciatione, Librum vnum. In hoc versu lectionis Euangel.
De eius Assumptione, Librum vnum. Quæ est ista quæ ascendit per.
De Desponsatione Iosephi, Librum vnum.
De muliere forti, Libros tres. Splendor paterni luminis in hoc.
De conuersione Magdalenæ, Librum vnum. Ad mensam Domini veniens hæc.
De vita Monastica, Librum vnum. Quid deceat Monachum, vel quid.
De rebus creatis in specie, Librum vnum.
De officio Monachorum, Librum vnum.
De Aduentu Domini, Librum vnum. Post susceptam prædicandi functionem.
Repertorium vocabulorum, Librum vnum. Licet nonnulli circa vocabula.
Distinctiones verborum, Librum vnum. Amor est appetitus rei propter.
Sermonum octodecim, Librum vnum.
Mythologiam vel scintillarium, Libros quatuor. Fuit in Ægypto ditissimus.
Speculum speculationum, Libros quatuor. Paradisum voluptatis subd.
Super exorcismo Baptismi, Librum vnum. Huic operi talis præponitur titulus.
Ad viros religiosos, Librum vnum. Tædia nulla chori tibi sint, nec.
Carminum diuersorum, Librum vnum. Cortice nudato Tisarántus.
Expositionem de anima, Librum vnum. Interrogasti me, honore te Deus.
Prometicon carmen & prosa, Librum vnum. Sponte sua genius me prouocat.
De humilitatis gradibus, Librum vnum. Augustinus, vera humilitas est.
De nuptijs Mercurij & Philologiæ super Marcianum, Libros duos. Marciani Minei, Felicis Capellæ, & suspicor esse glossam eius vel commentarium in Martianum Mineum. Quod opus habetur M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Opuscula & tractatus varios, M S. ibidem.
Isagogen in artes, Librum vnum. M S. Oxoniæ in Collegio Mertonensi.
Quæstionum variarum, Librum vnum.

De nominibus vtensilium, *Librum vnum*. Cùm rerum notitiam præcedat noti. MS. Cantabr. in Collegio S. Petri, & in Archiuis Caij & Gonellij.
Elucidarium Bibliothecæ, *Librum vnum*. De ſingulis bibliothecæ libris.
De fabulis poëtarum, *Librum vnum*.
In Metamorphoſim Ouidij, *Librum vnum*.
De accentu in medijs Syllabis Tractatum. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Tractatum dubij generis. MS. ibidem.
Commendationes vini, *Libros tres*. Dum corpus curas, ſtudeas.
Nouum Anianum, *Librum vnum*. Vincere quos leuis nequit.
Nouum Æſopum, *Librum vnum*. Ingluuie cogente lupus dum deuorat.
Hæc & alia multa ſcripſit hic doctiſſimus Alexander. Tandem Vvigorniæ diem ſuum obijt, & ſepulturam accepit anno poſt virgineum partum 1227, regnante in Anglia Henrico tertio. Cuius tumulo inſcripti ſunt hi ſequentes verſus.

Ecclypſin patitur ſapientia, ſol ſepelitur,
Cui ſi par vnus, minùs eſſet flebile funus.
Vir benè diſcretus, & in omni more facetus,
Dictus erat Nequam, vitam duxit tamen æquam.

Hæc pleráque ex Boſtoni Burienſis Catalogo deſumpſi.

De Radulpho Coggeshalo.

RADVLPHVS Coggeshalus, Anglus natione, ab ipſa ætate tenera in ingenuarum artium ſtudijs ſollicitè educatus, Canonicus aliquandò Barneuelenſis vt habet Ioannes Stoüs. Poſteà iugum Domini ſuaue & onus leue portare didicit in ſancta Ciſtercienſium Monachorum ſocietate. Vir multis naturæ dotibus ornatus, & varijs diſciplinis excultus, incredibilis frugalitatis & parcimoniæ, temperans, caſtus, humilis, modeſtus, in omnibus inculpatæ vitæ, magnæ etiam doctrinæ; vndè partim naturæ bonitate, partim laboris & induſtriæ ſedulitate, magnũ apud omnes nomen acquiſiuit, multam ſibi gratiam conciliauit, & ita inter ſuos emicuit, vt vnanimi ſociorũ conſenſu in Coggeshalenſi cœnobio, quod ſitũ erat in Eſaxia, Abbas tandem eligeretur. In qua dignitate conſtitutus, Muſas nihilominus, vt priùs, coluit, & quotidiè vel de ſacris ſcripturis aliquid legebat & contemplabatur, vel hiſtorias manibus terebat, vel ſcriptis committebat. Ad chronicon Radulphi Nigri accuratas ſcripſit additiones, egitque de Imperatoribus, de regibus tum Angliæ tum Franciæ, incipienſque ab anno Domini 1113, hiſtoriam vſque ad ſuum tempus deduxit, & ad annum 1228, forſan vnà cum vita terminauit. Nam circa idem tempus, cùm iam annis duodecim Monaſterio præfuiſſet, omnibus functionibus publicis ſe abdicauit, & cum varijs morbis conflictans, vitam priuatam, donec præualente vi ægritudinis, vita priuaretur, egit. Scripſit

1228. 325.

Additiones ad Radulphum Nigrum, *Librum vnum*. Anno gratiæ 1114, Rex Henricus.

Chronicon terræ sanctæ, Librum vnum. Quantis pressuris & calamitatibus.
Super quibusdam visionibus, Librum vnum.
Sermonum, Librum vnum. Et alia quædam.

Vixit quidem, sed ægrè, quia valdè æger anno salutis 1228, cum summa rerum in Anglia penes Henricum tertium resideret.

De Stephano Langtono.

1228.
326.

STEPHANVS Langtonus, in Anglia natus, & ibidem iuuenis in bonarum litterarum studijs optimè educatus humaniores disciplinas, & ingenuas artes, omnemque profanam Philosophiam industriè didicit. In flore iuuentutis constitutus patriam reliquit, Galliam petijt, & Parisijs sacræ Theologiæ dedit operam. Cùm autem esset ingenio acuto & subtili, Philosophicis exercitijs mirè delectabatur. Frequens igitur in illarum concertationum palæstram descendit, tantùmque tum ingenij, tum doctrinæ specimen edidit, vt inter præcipuos illius Academiæ Philosophos meritò numeraretur. Intereà tamen ex professo studium Theologicum neruosè prosequebatur, nec progredi cessauit, donec ibi gradum Doctoralem esset consecutus. Nec multo post tempore factus est ibidem in Ecclesia beatæ Mariæ Virginis Canonicus, & tandem in eadem Academia supremus studiorum Cancellarius. Nemo Scholasticas subtilitates siue in Theologia, siue in Philosophia clariùs illo explicauit. Nemo sacræ scripturæ sensum, tam allegoricum, quàm moralem fœliciùs enodauit. Cùm itaque propter eximias virtutes & multiplicem doctrinam fama viri vbique percrebresceret; Innocentius Papa tertius eum accersiuit, Romam venientem humaniter excepit, in precio habuit, & in negotijs maximi ponderis eius operausus est. Cũque reipsa expertus fuisset, famam esse virtutibus hominis minorem, eum S. R. E. creauit Presbyterum Cardinalem tituli S. Chrysogoni. Tandem etiam ad Archiepiscopatum Cantuariensem, & totius Angliæ Primatum ab eodem Innocentio Papa euectus est. De quo fusiùs suo loco. Nam hîc præcipuè videndum est, quid in re litteraria præstiterit. Dum esset Archiepiscopus, ad reformandum clerum & populum Anglicanum insignes Ecclesiasticas constitutiones numero quadraginta & octo prudentissimè cõposuit. Omnes tum veteris tum noui Testamenti libros primus omnium in capita, vti nunc habemus, ad eorum, qui sacris litteris student, vtilitatem, multo cum iudicio distribuit & distinxit. Quod ante illum fortè vix quisquam vnquam cogitauit, & in ijs post illum nemo mutandum aliquid iudicauit. Quo suo laudabili facto, quantum iudicium ipse ostenderit, quantum lumen attulerit, quantum sacrarum litterarum studiosis adiumentum suppeditauerit, doctorum hominum iudicium esto. Thomas Vvaldensis in doctrinali mentionem honorabilem huius eruditi viri non semel facit, & eius argumentis atque auctoritate nonnumquàm vtitur. Sed nunc quibus scriptis nomen suum posteritati, imò quõdammodò æternitati commendarit, videa-

mus. Scripsit commentarios in omnes & singulos veteris Testamenti libros, & in epistolas D. Pauli, quorum titulos hic primo loco ponamus

In Genesim, *Librum vnum*. Tabernaculum primum factum est. M S. Oxoniæ in Collegio S. Trinitatis. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.

In Exodum, *Librum vnum*. In ingressu filiorum Israël in terrã. MS. ibid.

In Leuiticum, *Librum vnum*. M S. ibidem.

In Numeros, *Librum vnum*. M S. ibidem.

In Deuteronomium, *Librum vnum*. M S. ibidem.

In Iosue, *Librum vnum*. Ego visiones quasdam, quas in pro. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, & S. Petri.

In Iudices, *Librum vnum*. M S. ibidem.

In Ruth, *Librum vnum*. M S. ibidem.

In libros Regum, *Libros quatuor*. Rectoribus ac scientiarum Magistris.

In Paralipomena, *Libros duos*.

In Iob, *Libros triginta quatuor*. Licet cum malis valdè laudabile. M S. Oxoniæ in Collegio Orialensi.

In Tobiam, *Librum vnum*. M S. Oxon. in Collegio Exoniensi. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, & S. Petri.

In Iudith, *Librum vnum*. M S. ibidem.

In Hester, *Librum vnum*. M S. ibidem.

In Esdram, *Libros duos*. M S. ibidem.

In libros Machabæorum, *Libros duos*. M S. ibidem.

In Psalterium, *Librum vnum*.

In Prouerbia Salomonis, *Librum vnum*.

In Ecclesiastem, *Librum vnum*. Hoc nomen Ecclesiastes interpretatur.

In Cantica Canticorum, *Librum vnum*.

Notas in Ecclesiasticum, *Librum vnum*. MS. Oxon. in bibliotheca publica. In Coll. Balliolensi, & Exoniensi. Cantabrigiæ in pub. & S. Benedicti.

In Isaiam, *Librum vnum*. Audite cœli, & auribus percipe. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

In Hieremiam, *Librum vnum*. M S. ibidem.

In Ezechielem, *Librum vnum*. M S. ibidem.

In Nehemiam, *Librum vnum*. M S. ibidem.

In Danielem, *Librum vnum*.

Tropologiam in duodecim Prophetas minores, *Librum vnum*. Ossa duodecim Prophetarum sanctorum. M S. Oxoniæ in Collegio Orialensi, Exoniensi, & S. Trinitatis. Cantabrigiæ in publica & S. Benedicti.

In Oseam, *Librum vnum*. Duodecim pullulant de loco suo.

In Ioëlem, *Librum vnum*. Verbum istud est verbum patris.

In Amos, *Librum vnum*. Amos interpretatur auulsus.

In Abdiam, *Librum vnum*. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom.

In Ionam, *Librum vnum*. Istud & respicit quod conceperat.

In Michæam, *Librum vnum*. Michæas interpretatur humilis.

In Nahum, *Librum vnum*. Septuaginta sic habent, assump.

In Abacuc, *Librum vnum.* Onus quod vidit Abacuc pro.
In Sophoniam, *Librum vnum.* Sophonias interpretatur speculator.
In Aggæum, *Librum vnum.* Licet Hieronymus istum binarium.
In Zachariam, *Librum vnum.* In mense octauo per quem.
In Malachiam, *Librum vnum.* Priusquam tropologicè procedas.
Super epistolas D. Pauli, *Libros quatuordecim.*
Concordiam vtriusque Testamenti, Libros octo. De vitãdo cõsortio, consilio.
Annotationes Bibliorum, *Librum vnum.*
Hexameron carmine, *Librum vnum.*
De vera pœnitentia, *Librum vnum.*
Adam vbi es? *Librum vnum.*
Benedictiones in Monte Ebali, *Librum vnum.*
Maledictionum, *Librum vnum.*
Repetitiones lectionum. *Librum vnum.*
De similitudinibus, *Librum vnum.* Nec miles in bello, nec sacerdos.
Sermonum sexaginta, *Librum vnum.* Filia Sion ecce Rex tuus.
Quæstionum Theologicarum, *Librum vnum.*
De Sacerdotibus Deum nescientibus, *Librum vnum.*
Constitutionum Oxoniensium, Librum j. Ex auctoritate Dei patris omnip.
Vitam, Passionem, & Translationem S. Thomæ Cantuariensis, Libros quinque.
Professores artium sæculi proprios. MS. Cantabr. in Coll. S. Benedicti.
Vitam Richardi Regis, *Librum vnum.*
Translationem eiusdem, Librum vnum. MS. Romæ in Vaticana, num. 722.
De factis Mahumeti, *Librum vnum.*
Annales de Archiepiscopis Cantuariensibus, Librum vnum. Res gesta. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Constitutiones Ecclesiasticas, Quadraginta octo. Quarum titulos hos sequentes apud Guilhelmum Linvvodum legi.
De officio Archidiaconi. Vt Archidiaconi.
De transactionibus. Cœterum districtiùs.
De postulando. Quum per aduocatos.
De vita & honestate clericorum. Vt clericalis ordinis.
De cohabitatione Clericorum & mulierum. Vt clericalis ordo.
De institutionibus. Quia iuxta.
De peculio. Quia plerique.
De parochijs. Et alienis parochianis. Ad instar.
De furtis. Prohibemus.
De purgatione canonica. Cœterum & infrà.
De pœnitentijs & remißionibus. Quoniam numquam. Et alia quædam.
Cantuariæ tandem mortuus, & ibidem in Ecclesia maiore sepultus est anno gratiæ 1228, regnante apud Anglos Henrico tertio. Vide quem fecimus de Archiepiscopis Cantuariensibus Catalogum.

De

De Richardo Anglico.

RICHARDVS natione & cognomine Anglicus, ab exteris hominibus, inter quos magnam ætatis suæ partem exegit, sic cognominatus. Oxoniæ primùm in Anglia, deindè Parisijs in Gallia bonis litteris strenuam operam dedit, & insignis tum Philosophus, tum medicus extitit, & in vtraque scientia supremam secutus est lauream. Hunc Symphorianus Champerius inter celebriores medicos ponit. Et Lelandus à libris eleganter compositis commendat. Et sanè non ineruditè scripsit multa. Præter artis medicæ scientiam quam vel priuatis studijs, vel publicis in scholis exercitijs acquisiuit, multa insignia experimenta per diuersas mundi regiones vidit, & quasi in thesauro reposuit. Vndè factum est, vt coniunctis simul speculatiua scientia, & experimentis practicis, periculosissimos morbos, & qui alioquin videbantur incurabiles, non raro curauit, & in medendis desperatis malis suo tempore fœlicissimus habitus fuerit. Insignis autem eruditionis non leue testimonium sunt scripta quæ edidit, & ad posteritatis vtilitatem post se reliquit. *Scripsit tabulas quasdam in quas fecit commentarios & glossulas.* Ioannes de S. Paulo. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.

1230. 327.

De crisi, *Librum vnum.* MS. ibidem.
De Phlebotomia, *Librum vnum.* MS. ibidem.
Summam de criticis diebus, *Librum vnum.* MS. ibidem.
De pulsibus, *Librum vnum.* MS. ibidem.
De modo conficiendi & medendi, *Librum vnum.* MS. ibidem.
De vrinis tractatum, *Librum vnum.* Vtrum crassities ventris sit in.
De regulis vrinarum, *Librum vnum.* Quinque circa vrinã attenduntur.
De signis morborum, *Librum vnum.* Finis medicinæ ita laudabilis.
De signis prognosticis, *Librum vnum.*
De febribus, *Librum vnum.*
De re medica, *Librum vnum.*
Repressiuam, *Librum vnum.*
De signis febrium, *Librum vnum.*
De Anatomia Galeni more, *Librum vnum.*
Correctorium Alchimiæ, *Librum vnum.*
Speculum Alchimiæ, *Librum vnum.* Et alia plurima. Claruit anno redemptionis humanæ 1230, dum ad Anglicani regni clauum potenter sederet Henricus tertius.

De Petro Canonico.

PETRVS cognominatus Canonicus, in Anglia natus, & ibidem bonis litteris insigniter instructus, cùm ad virilem ætatem, & docto-

1230. 328.

ralem in sacra Theologia dignitatem peruenisset, Londini ad S. Trinitatem factus est Canonicus, & successu temporis illius vrbis supremus Archidiaconus. Hunc Lelandus perfectissimum asserit Theologum. Alij etiam, qui eius opera legerunt, astipulantur. Nam doctissimum opus scripsisse dicitur de aduentu Messiæ contra Iudæos, est autem Dialogus, interloquentibus Petro & Simone. Totumque opus Simoni Langtono Cantuariensi Archidiacono dedicauit. Aliud etiam eruditissimum opus in quatuor ingentia volumina coaceruauit, tanquam Lexicon Theologicum, Theologicarum rerum thesaurum. Opus omni posteritati vtilissimum. Cui titulum dedit

Panteologum Theologiæ, *Libros quinquaginta duos.* Solent impostores inter preciosi.

De Aduentu Messiæ, *Libros tres.* Dilectissimo Domino suo &c.

Remediarium conuersorum, *Libros duos.* Reuerendo Patri Richardo Londinensi. M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica.

De virtutibus, *Libros sex.* Secunda pars huius operis.

Contra peccata, *Libros sex.* De beata mentis fœlicitate.

De terra Palæstinæ, *Librum vnum.* Transtulit ex Gallico.

Sermonum, *Librum vnum.* Et alia plura. Claruit anno salutis humanæ 1230, Henrico Rege tertio gubernaculum Anglicani regni tenente.

De Guilhelmo Langthoniensi.

1230. 329.

GVILHELMVS genere Britannus, & in Cambria Canonicus regularis ad normam S. Augustini in cœnobio Langthoniensi, cui loco tandem summa præfuit auctoritate. Vir in bonarum litterarum studijs, & Monasticis disciplinis ab ipsa adolescentia insigniter institutus. Coalescentibus autem simul cum ætate virtutibus, pijs moribus, & eximia doctrina, inter suos ita emicuit, vt ipsis iudicibus & electoribus, dignus habitus fuerit, qui alijs ad vigorem regularis disciplinæ retinendum præficeretur. Ne autem talentum quod dederat ei Deus in terram fodere, vel aliter abscondere videretur, lucernam eruditionis suæ non sub modio, sed super candelabro ponendam esse iudicauit, vt luceret ijs qui in domo religionis & ordinis sui fuerunt. Itaque vt erat, teste Lelando, vir doctus & facundus, circuiuit plurima fratrum suorum Monasteria, & messis, quam collegerat multos fecit participes, suosque labores aliorum fecit fructus, docendo, disputando, concionando. Magna ei cum Roberto Betunensi intercessit necessitudo, multa familiaritas. Hunc vnicè amauit, frequenter apud alios laudauit, tandem de eo scripsit, & Reginaldo Vvendlocensis cœnobij præsidi dedicauit

De vita & rebus gestis Roberti Betunensis, *Librum vnum.* De alijs eius scriptis nihil mihi constat. Claruit anno postquam Verbum caro factum est 1230, dum rerum in Anglia potiretur Henricus huius nominis tertius.

De Ranulpho Glanuillo.

RANVLPHVS Glanuillus ex ſplendidiſſima familia Ceſtriæ Comitum in Anglia natus, & à teneris annis in pietate & literarijs diſciplinis diligentiſſimè nutritus. In ipſa adoleſcentia ſtudijs legum ſe dedidit, & in vtroque iure apprimè eruditus euaſit. Hæc alti & elati ingenij ſedula cultura, optimis naturæ dotibus mirum attulit incrementum, auxitque incredibili profectu omne genus virtutum. Tantum igitur percrebuit apud omnes eius fama, & nominis celebritas, vt vbi ſe offerebat occaſio, à Rege & republica, præ cæteris regni principibus ad honoratiſſima obeunda munia non ſemel deputatus fuerit. Anno Domini 1218, cùm Honorius Papa tertius ab Angliæ Rege Henrico tertio militare ſubſidium ad bellum ſacrum peteret, miſit Rex ingentes copias, quas huic Ranulpho conducendas & regendas commiſit. Qui rebus ſtrenuè geſtis, confectiſque fœliciter & ex animi ſententia negotijs, in patriam incolumis redijt, & iam ingraueſcentibus annis, quieti ſe dedidit, & tanquam emeritæ militiæ miles, Aulicum ſtrepitum reliquit, oneribuſque ſenectuti nimis grauibus humeros ſubtraxit, denique ad Muſas quaſi poſtliminio reuerſus, doctrinæ ſuæ monimenta non pauca poſteris tradidit, ex quibus tamen nihil, quod ſciam, ad nos peruenit, præter

1230. 330.

De legibus Angliæ, *Librum vnum.*

Claruit anno Chriſti 1230, ſub Henrici Regis tertij regno.

De Richardo Magno.

RICHARDVS cognomento Magnus, natione (vt putatur) Anglus, intuitu magnarum virtutum & eruditionis ſingularis ex Cancellario Lincolnienſi, factus eſt Archiepiſcopus Cantuarienſis. Vir præſtantiſſimis tum animi tum corporis dotibus præditus. Venuſta facie, erecta & procera ſtatura. Supra quàm dici poteſt benignus, mitis, manſuetus, mirè facundus & affabilis, integerrimæ vitæ, & multiplici rerum ſcientia ſuo ſæculo celeberrimus. Singularis eruditionis monimenta poſt ſe non contemnenda reliquit. Imprimis habita apud Vveſtmonaſterium ſuæ prouinciæ ſynodo edidit conſtitutiones, quas apud Linvvodum inueni

1231. 331.

De temporibus ordinandorum. Quia quidam.
De Clericis coniugatis. Si qui clerici.
De celebratione Miſſarum. Præcipimus.
De Simonia. Nulli liceat.
De pœnitentijs & remiſſionibus. Cum anima. Scripſit etiam.
De fide & legibus, *Librum vnum.*
De Sacramentis, *Librum vnum.*
De vniuerſo corporali & ſpiritali, *Librum vnum.* Roma rediens obijt in itinere anno ſalutis 1231, ſub Henrico tertio. Hæc ex Linvvo-

do & Stephano Birchingtono. Vide nostrum de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Rogero de Vvindeshora.

1235. 332. ROGERVS Vvindesorus seu de Vvindeshora, natione Anglus, ordinis sancti Benedicti Monachus & Præcentor in cœnobio sancti Albani, Congregationis Cluniacensis. Vir pius & eruditus, vt pote qui ab ipsa penè pueritia in obseruantia regulari, & bonarum litterarum studijs semper fuerit educatus. Tandem eo peruenit doctrinæ, vt vix cuiquam ibidem commilitonum cesserit. Argumento est, quod cum Angliæ Reges semper in illo & quibusdam alis Monasterijs habere soliti fuerint ex Monachis doctissimum aliquem, qui patrias historias, & Regum gesta scriberet, hic tanquam isti muneri aptissimus, electus fuerit historicus regius. Vnde & in hoc genere laboris desudans, erudita confecit gentis nostræ chronica, & seriem rerum in Anglia gestarum optimè deduxit vsque ad annum Christi 1235. Atque hæc pleraque decerpsi ex Matthæo Vvestmonast. & ex fragmento cuiusdam Catalogi veteris Alphabetico ordine scripti, cuius initium est, Abbas Ioachim. Porrò titulum operi, quod edidit, indidit

Chronicorum Angliæ, *Librum vnum*. De alijs nihil habeo comperti. Claruit anno Domini 1235, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Alexandro Vvendoco.

1238. 333. ALEXANDER Vvendocus seu Venedotius, natione Cambrobritannus. Vir ingenij laudabilis, industriæ mirabilis. Postquàm ingenuas artes in patria didicisset, Italiam studiorum causa petijt, & Bononiæ primùm Philosophicis, deinde Theologicis disciplinis operam dedit, & ad summam in vtraque scientia peritiam peruenit. Non multo autem post tempore ad Academiam Tolossanam se contulit, atque ibi magno cum auditorum applausu, & pari vtilitate Theologiam publicè professus est. Tandem in Angliam reuersus exigentibus pietatis, eruditionis, aliarumque virtutum meritis, ad Episcopatum Cestriensem assumptus est. Lucubrationes autem litterarias post se reliquit istas, vt habeo ex Bibliotheca sancta Sixti Senensis,

Postillas in Psalterium, *Librum vnum.*
Sermonum ad populum, *Librum vnum.*
Diuersarum in scholis lecturarum, *Librum vnum.* Et alia quædam. Obijt anno post Christum in carne apparentem 1238, sedente in Anglicani regni throno Henrico tertio. Vide quem fecimus Episcoporum Cestriensium Catalogum.

De sancto Edmundo Richio.

1240. 334. SANCTVS Edmundus cognominatus Richius, natione Anglus, in Abendonia Bercheriensis Comitatus oppido non ignobili. In

Oxonia finitima Academia litteras humaniores, omnesque liberales artes accuratè didicit. Iuuenis autem Parisios missus est, vt Philosophicis studijs, & linguæ Gallicæ simul operam dare posset. Quibus fœliciter peractis Oxoniam denuò redijt, & ibi ad integrum sexennium Philosophiam & scientias Mathematicas docuit, simulque incredibili diligentia Theologiam audiuit. Nec multo post tempore supremæ illius scientiæ laurea donatus Parisijs, & Professor cõstitutus, publicè magna cum laude docuit, quo facto singularis eius doctrina omnibus innotescere cœpit. Erat enim in homine mirum acumen, & solidum iudicium. In scholis disputatorem egit subtilem, in concionibus oratorem facundum simulque vehementem. Diuinæ gloriæ zelus fecit, vt semper cum studijs pietatem, & cum eloquentia coniungeret feruorem. Sacra Biblia nunquã aperire consueuerat, quin illa reuerenter oscularetur. Multi ex eius scholis prodierunt eximij Doctores. Non paucos suis concionibus ad pœnitentiam & ad meliorem vitam instituendam incitauit. Plurimi pijs eius exemplis pietatem secuti sunt, ex quibus etiam nonnulli vitam Monasticam amplexati, sese totos diuinis obsequijs consecrarunt. Porrò ipse Edmundus post ordinem sacerdotij susceptum, factus est Sarisburiensis primùm Canonicus, deinde Thesaurarius, & tandem crescentibus virtutibus, ita ei creuerunt honores, vt ad Archiepiscopatum Cantuariensem euectus fuerit. In quo munere administrando præclarè se gessit, donec Rex & regni proceres ita libertatem Ecclesiasticam oppugnarent, vt Edmundus nec se, nec illam, vti par erat, defendere & protegere valeret. Itaque relicto Archiepiscopatu & patria, concessit in Galliam, & in Pontaniacum Monasterium se recepit, vbi quibusdam horis à cælestium rerum contemplatione vacuis, multa legit, docuit, scripsit. Tandem in ijs locis diem suum obijt, & in illo cœnobio sepulturam accepit. Gallicam linguam adeò perfectè calluit, vt non rarò Gallicè conciones habuerit, & quædam etiam Gallicè scripserit. Præ cæteris autem edidit quoddam opus doctissimum, omnibus quidem Christianis vtile, sed vt Monachis Pontiniacensibus maximè conducibile, illis dedicauit, cui titulum fecit

Speculum Ecclesiæ, *Librum vnum.* In nomine dulcissimi Domini. M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica. Extat etiam Oxoniæ in publica.

De contemplanda Deitate, *Librum vnum.* Gallicè. Videte ad quid vocati estis. Nam librum illum Latinum fecit Guilhelmus Beufu. Eius etiam constitutiones synodales istas apud Linvvodum legi.

De consuetudine. Nullus rectior.

De temporibus ordinandorum. Eos qui.

De sacra Vnctione. Panni chrismales.

De officio Archipresbyteri. Item commoueant.
De treuga & pace. Magna nobis.
De pignoribus. Inhibemus.
De voto & voti redemptione. Præcipimus.
De religiosis domibus. Quoniam religionum.
De celebratione Missarum. In celebratione.
De Baptismo & eius effectu. Baptisterium.
De custodia Eucharistiæ. Fontes.
De Ecclesijs ædificandis. Si Rector Eccles.
De dispensatione impuberum. Vbi non est consensus.
De accusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus. Sint in quolibet.
De Simonia. Prætereà venalitatem.
De ijs quæ filios occiderunt. Fœminæ commoueantur.
De homicidio. Si mulier mortua.
De excessibus Prælatorum. Monemus.
De pœnitentijs & remissione. In confessione habeat. Et alia multa.

Diem suum obijt anno gratiæ 1240, regnante in Anglia Henrico tertio. Vide nostrum Cantuariensium Archiepiscoporum Catalogum.

De Henrico Bractono.

1240. 335. HENRICVS Bractonus illustribus apud Anglos natus parentibus, Oxoniensibus studijs ab adolescētia traditus, facilitate ingenij, laboribus assiduis, & quotidianis exercitijs in litteraria palæstra, ad non contemnendam breui tēpore peruenit rerum cognitionem. Tādem ad studiū legum se totis viribus cōferens, factus est ibi iuris vtriúsque Doctor & Professor. Deindè post aliquot annos Londinum petijt, vt ibi in iuris praxi res aliorum, & suas maximè, dùm conuentus celebrabantur, gereret. Posteà cōstitutus est ex ijs Censoribus seu Iusticiarijs, qui secundùm Angliæ consuetudinem, in quolibet Comitatu causas cognoscunt, controuersias decernunt, & in criminalibus etiam iudicant. In qua functione ita laudabiliter se gessit, vt propter sinceritatem in agendo, dexteritatem in expediendo, singulare iudicium & prudentiam in dirigendo publica regni negotia, beneficio Regis ad summam dignitatem fuerit assumptus, & supremus iusticiæ præses per Angliam constitutus annis plus quàm viginti tanto munere fungeretur. Quo toto tempore cum officij maiestate, ita miscuit æquitatem iusticiæ, suamque auctoritatem cum integritate temperabat, vt legibus accuratè obseruatis respublica floreret, & iusticiæ vigore suum cuique tribueretur, nemo impunè offenderet, nemo virtutem sine debito præmio frustrà coleret. Nihil tamen litterariæ lucubrationis in publicum, quod sciam emisit, præter vnicum opus, videlicet

De consuetudinibus & legibus Anglicanis, Libros quinque. In Rege qui rectè regit necess. MS. Oxoniæ in publica.

Clarûit anno Domini 1240, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Laurentio Somercoto.

LAVRENTIVS Somercotus in Australibus Angliæ partibus natus, à teneris annis sollicitè domi institutus, in adolescentia bonis præceptoribus cura parentum traditus, præclaram indolem statim ostendit, & optima pietatis ac doctrinæ fundamenta posuit. Successu autem temporis frequentatis studiorum causa diuersis in Anglia, Francia, & Italia Academijs, in Dialectica & Rhetorica celebris euasit, & in iurisprudentia magnum sibi nomen acquisiuit. Hinc nonnulli illum, tanquam singularis meriti virum, ad aliquem altum dignitatis gradum euehere conati sunt. Intereà factus est Canonicus Cicestriensis. Erat per idem tempus Romæ S.R.E. Cardinalis Robertus Somercotus huius Laurentij vel frater, vel sanguine certè propinquus, vir doctus, grauis, prudens, tantæque auctoritatis & virtutis, vt multi eum in Papam suo tempore eligendum existimauerint. Istius occasione Laurentius Romam petijt, aspirans ad honores; sed in familiam summi Pontificis admissus, in quotidianis Missarum solemnijs subdiaconi ministerium præstitit, & hac sua sorte contentus acquieuit. Hanc autem nactus quietem, animum deinceps ad scribendum appulit. Vndè ad memoriam sui nominis, & vtilitatem posteritatis hæc ingenij & eruditionis documenta post se reliquit

1240. 336.

De formis electionum, *Librum vnum*. Licet circa diuersas formas. MS. Oxoniæ in publica.

Abbreuiationum, *Librum vnum*. Ouibus sanctæ matris Ecclesiæ.

Modum tractandi narrationes Gallicè, *Librum vnum*. Et alia quædam.

Claruit anno post Christum natum 1240, Henrico Rege tertio ad Anglicani regni gubernaculum sedente.

De Richardo Theologo.

RICHARDVS cognominatus Theologus, in Anglia natus, & in Anglicanis Academijs ad bonarum litterarum studia nutritus, numquàm sibi præ insatiabili quodam scientiarum desiderio satisfecit. Traxit eum hic discendi vehemẽs ardor ex Anglia in Galliã. Parisijs fixit pedem, vt teste Lelando, bonarum artium auidum expleret animum. Ibi S. Victoris Canonicorũ regularium Monasterium petijt, & doctissimis Monachis ita se adiunxit, vt tandem vnus ex ijs fieret. Adeóque res ei successit ex votis, vt virtutem simul cum litteris didicerit, & ad magnos, pro ratione status & loci, peruenerit. Ferunt enim eum tandem ad Monasterij Prioratũ, vti vocant, euectum. Sed quicquid sit de dignitate aut officio, saltem ex eius scriptis liquidum est, eum fuisse virum Philosophicis & Theologicis scientijs vndequaque instructissimum. Scripsit maximè postquam Parisios venerat, vt habeo ex Bostono Buriensi

1240. 337.

In Ioëlem Prophetam, *Librum vnum*.

In Nahum, *Librum vnum*.

In Ecclesiastem,	*Librum vnum.*
Expositiones in Psalterium,	*Librum vnum.*
Sententias Scripturarum,	*Librum vnum.*
De Arbore Nabuchodonosor,	*Librum vnum.*
Super, Ad me clamat,	*Librum vnum.*
Super, Exijt edictum,	*Librum vnum.*
In Orationem Dominicam,	*Librum vnum.*
De vitis Patriarcharum,	*Librum vnum.*
De Conceptione B. Mariæ Virginis,	*Librum vnum.*
De sex contemplationis generibus,	*Librum vnum.*
Opus pœnitentiale,	*Librum vnum.*
Sermonum,	*Librum vnum.* Et alia plurima.

Claruit anno post incarnationem Verbi 1240, Parisijs tandem mortuus & sepultus, regnante in Anglia Henrico tertio. Nota quod fuit alius etiam Richardus de S. Victore vir doctissimus, natione Scotus, qui & ipse multa eruditè scripsit.

De Gualtero Eueshamensi.

1240. 338. GVALTERVS Eueshamensis, natione Anglus, sub regula S. Benedicti Monachus in præclaro cœnobio Eueshamensi, quod in agro Vvigorniensi situm est. Vir ingenij faceti. Qui ad studia bonarum litterarum animum adijciens, ne diurnis laboribus, nocturnis vigilijs, & continua regularis disciplinæ obseruantia frangeretur, honesta & laudabili Musices recreatione se vacuis horis oblectare consueuerat, vt alacriùs onera sibi imposita perferre posset, & ad omnia diuina obsequia peragenda promptior & expeditior redderetur. Tandem, vt videtur, suauitate huius artis ita abreptus est, vt vel alia grauiora studia neglexerit, vel huic longè postpòsuerit, & in hac penè sola se exercuerit. Neque enim aliquod eius scriptum inuenio, licet alia scripsisse probabile sit, præter

De speculatione Musicæ, Librum vnum. Plura quàm digna de spec. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Claruit anno reparationis humanæ 1240, sub regno Henrici tertij. Hæc pleraque ex Lelando.

De Nicolao Feruehem.

1241. 339. NICOLAVS Fercham in Anglia natus, & Oxoniæ ab ipsa adolescentia in studijs bonarum litterarum educatus, magni & ad alta aspirantis ingenij documenta præbuit. Postquam absoluto Philosophiæ cursu magisterium in artibus suscepisset, nihilominus & in priuatis vigilijs, & in publicis disputationibus, alijsque scholasticis exercitijs, naturalis Philosophiæ desiderio quodam insatiabili se captum esse dissimulare non potuit. Vndè tandem rei Medicæ & præsertim herbariæ se impensè dedidit. Vt autem quod domi benè inceperat, foris

ris optimè perficeret, satis diù Parisijs, diutiùs tamen Bononiæ in Italia Hippocratem, Dioscoridem, Galenum, alióſque celeberrimos totius orbis medicos peruoluit, cùm doctissimis sui temporis viris vbiq; contulit, praxim speculationi adiunxit, nullum lapidem non mouit, vt ad supremam artis medicæ perfectionem ascenderet. Postquam autem quodammodo suum intentum fuisset consecutus, quasi armatus & instructus aduersus supremum humanæ vitæ hostem) videlicet mortem, eiúsque milites & ministros, morbos, *In patriam rursus longo post tempore venit.* Vbi confestim apud magnos in magno pretio cœpit haberi, curatísque mira fœlicitate morbis opinione hominum incurabilibus, longè latéq; celebritate nominis innotuit. Hinc factum est vt ad Aulam non solum vocaretur, sed etiam ibi regis munificentia retineretur, in familiam adoptaretur, honoratissimis stipendijs, annuísq; salarijs amplissimis conduceretur. Vbi postquam se in sua scientia peritissimum, & in praxi fœlicissimum multis experimentis comprobasset, omnémq; de se conceptam spem superasset; rex iam seni, & lectioni sacrarum scripturarum, meditationíque cælestium rerum dedito, Episcopatum primò Cestrensem, deindè Dunelmensem, vt apud Matthæum tum Vvestimonasteriensem, tum Parisiensem inuenio, gratiosè contulit. Sic enim vterque ad annum Domini 1241 scribit, *temporibus sub ijsdem Magister Nicolaus de Feruham electus est in Episcopum Dunelmensem, vir quidem moribus & scientia præditus*, &c. Similia scribit etiam Matthæus Paris ad annum 1229. Porrò partim dum in Academijs studebat, partim dum in Aula agebat, scripsit

De viribus herbarum, *Librum vnum.*

Practicas medicinæ, *Librum vnum.* Et alia plurima. Tandem Dunelmi mortuus & sepultus est circa annum Domini 1241, regnante in Anglia Henrico tertio. Vide illum quem fecimus de Dunelmensibus Episcopis catalogum.

De Ioanne Shepeshed.

IOANNES Shepeshed Historicus Anglus. Hunc non existimo eundem esse qui scripsit annales de Croxesdem. Quod opus dicitur haberi MS. in priuata Bibliotheca Baronis Lunleiani. Nisi fortè sit erratum in nomine, vt nobis liceat eum Ioannem vocare, quem alij Gualterum, alij Guilhelmum nominant. Quidquid sit, hic, quem Ioannem vocamus, scripsit, vt auctor est Ioannes Stoüs [1241. 340.]

Historiam de rebus Anglicis, *Librum vnum.* De alijs nihil habeo explorati. Claruisse putatur circa annum salutis reparatæ 1241, regnante in Anglia Henrico tertio.

De Alexandro Halensi.

ALEXANDER Halensis vel de Hales, sic cognominatus ab Hales Monasterio Comitatus Claudiocestrensis, vbi aliquando, nondum Monachus in studijs erat educatus. Fuit hic in Anglia natus, [1245. 341.]

& ibidem vsque ad iuuentutem in bonis litteris & pijs moribus egregiè institutus. Vir euasit omnium humanarum & diuinarum scientiarum præsidijs instructissimus. Acutus ingenio, facundus eloquio, solidus iudicio, Philosophorum & Theologorum sui temporis vix cuiquam secundus. Post iacta optima studiorum fundamenta in Anglia, Galliam petijt, Parisiensem Academiam adiuit, scholas ibi frequentauit, nec à laboribus ludi litterarij, & exercitijs scholasticis cessauit, donec supremam in Theologia lauream esset consecutus. In illa etiam dignitate constitutus, otiosus esse noluit. Theologalem enim cathedram regius Professor obtinuit, & quæ didicerat, alios docuit, idque tanta cum sua laude, & discipulorum vtilitate, vt omnibus esset admirationi. Cum singulari autem eruditione sanctimoniam etiam vitæ semper coniunxit, & propter solidissima in omni genere doctrinæ fundamenta, & inuincibilem in suis sententijs veritatem, fons vitæ, Doctor Doctorum, & irrefragabilis, ex Vuillotto & alijs cognominatus fuit. Sanè inter ordinis S. Francisci præcipuos Doctores meritò numerari solet. Vndè post Papas & Cardinales primo loco ponitur inter quindecim illos Doctores, quorum nomina circa Scoti sepulturam Coloniæ leguntur laminis æneis insculpta sic: *Magister Alexander de Hales.* Et, vt benè scribit Vuillottus, penè omnes Franciscanæ classis duces tempore præcurrit, & sapientia superauit. Inter alios viros clarissimos qui ex eius scholis prodierunt, nominatissima fuerunt illa duo splendida Ecclesiæ Catholicæ lumina, videlicet Sanctus Thomas de Aquino, & Sanctus Bonauentura posteà S. R. E. Cardinalis Eustachius vocatus.

De hoc eximio Doctore scriptum legi, sanctam hanc consuetudinem eum habuisse, vt nunquam aliquid concedere renuerit, quod nomine beatissimæ Virginis Mariæ ab eo peteretur. Et hoc quidem in more habuit, antequam adhuc ad statum religiosum accederet. Quod cùm pluribus innotuisset, quodam tempore venit ad eum pius aliquis ordinis S. Francisci Monachus, eumque hunc in modum allocutus est: Reuerende Domine, magnum & celebre apud omnes pietatis & doctrinæ nomen obtinuisti, & in hoc sæculo benè tibi est. Porrò obsecro te per amorem beatæ Mariæ Virginis, vt iterum atq; iterum consideres, vtrum tibi ad æternitatem consultius sit, sæcularem vitam agere, an Christi crucem in ordine religioso S. Francisci portare? Ille statim & verba ad se spectare, & hominem à Deo quasi cœlitus missum interpretatus est, relictoq; mundo, habitum atque institutum Diui Francisci incunctanter elegit, & in eodem vsque ad vitæ finem sanctè constantérque perseuerauit. Cùm esset per illam ætatem Theologorum facilè princeps, eiúsque scripta in scholastica doctrina omnia planè quæ vsque ad id tempus edita fuerant, methodo & ordine, subtilitate etiam & soliditate multis gradibus superarent, iussu Innocentij Papæ quarti totius Theologiæ scholasticæ summam, in illam

ferè, qua nunc est, formam atque methodum omnium primus reduxit, & in quatuor volumina, optima dispositione, & singulari iudicio pulchrè distribuit. Tenuem quidem huius rei mentionem facit Platina in Innocentio quarto. Porrò hoc opus eiusdem Pontificis auctoritate sic commendatum, non multo post tempore, ordinante Alexandro Papa quarto, à septuaginta selectissimis Theologis examinatum, approbatum, omnibúsq; Academijs docendum & discendum propositum est. Hinc, nisi fallor, scribunt nonnulli, & in his Alexander Minutianus in epistola quadam, scholasticæ Theologiæ disciplinam accuratiorem, & subtilissimas harum disceptationum argutias, ab Anglis & in Anglia sumpsisse exordium, fecisse incrementum, peruenisse ad perfectionem. Indè ad Parisienses & reliquam Galliam manasse. Tandem ad Italos & Hispanos, aliásque gentes penetrasse. Vti antiquitùs factum in Druidum disciplinis testantur, in suis commentarijs Iulius Cæsar, & in historia naturali Plinius. Nam & illæ disciplinæ à Britannis ad Gallos peruenerunt. Porrò noster Alexander Halensis in prima parte præfati operis agit de cognitione vnitatis & Trinitatis diuinæ. In secunda de productione creaturarum præsertim rationabilium, & de earum lapsu, peccatis & pœnis. In tertia de Christi incarnatione, Conuersatione, Passione & Resurrectione, de lege & gratia, de virtutibus. In quarta denique de sacramentorum Ecclesiasticorum institutione, & potissimùm de officio Missæ. Sed iam singula eius opera, quantum inuenire possumus, per catalogum disponamus. Scripsit, vt ex Bostono Buriensi & alijs colligo, commentarios

In Moysi Pencateuchum.
In Iosue.
In Libros *Iudicum.*
In Libros *Regum.*
In Psalmos. Extant Venetijs anno 1546, & ibidem apud Gregorium de Gregorijs anno 1416.
In Isaiam.
In Hieremiam.
In Danielem.
In Ezechielem.
In duodecim Prophetas *Minores annotationes.*
In Euangelia, *Libros quatuor.*
In omnes Epistolas D. Pauli. *& partim.* Extant Oxonij in Bibliotheca publica. Antonius etiam Possiuinus primo tomo sui sacri apparatus scribit se vidisse Romæ apud Cardinalem Harnanum huius Alexandri tomos quatuor M M. SS. *in* D. *Marcum*, *in D.* *Lucam*, & *in omnes D.* Pauli *Epistolas.*
In Apocalypsim S. Ioannis, *Librum vnum.*
Concordiam vtriusque Testamenti, *Librum vnum.*
Lecturas Bibliorum, *Librum vnum.*

In Iob, *Librum vnum*. Dicitur in Psalmo quod huic com.
In Epistolam ad Romanos, *Librum vnum*. Annunciabo tibi quod expressum est.
De mysterijs Ecclesiæ, *Librum vnum*. Anglia quò tandem tua tendit.
Summam, quam dixi Theologiæ, *Libros quatuor*. Quoniam sicut dicit Boëtius. Venetijs anno 1575. & Norembergæ anno 1482.
Summulam resolutionum, *Librum vnum*. Quod opus Prosper Vrbinas in compendium redegit.
Quæstiones sententiarum, *Libros quatuor*. M S. Oxonij in Collegio Nouo. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri. Extant Lugduni anno Domini 1515.
Summam de virtutibus, *Librum vnum*.
Sermonum ad populum, *Librum vnum*.
Mariale magnum, *Libros sex*. Mariæ præcellentissimę matris
Compendium Theologiæ, *Libros sex*.
De sacramento Pœnitentiæ, *Librum vnum*
De negligentia, *Librum vnum*.
De legibus, *Librum vnum*.
Concordiam vtriusque iuris, *Librum vnum*.
Lecturam sententiarum, *Libros quatuor*.
De declaratione regulæ Minorum, *Librum vnum*. Reuerendo in Christo Patri.
Quæstionum de anima, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.
In Metaphysicam Aristotelis commentarios. Venetijs anno 1571.
De factis Machumeti, *Librum vnum*.
De verbis exoticis. *Librum vnum*. In exordio huius libelli ista sunt.
Dictionarium difficilium vocabulorum, *Librum vnum*. Cespitat in phalaris Appus.
Tractatum quo probat beatam Virginem Mariam conceptam sine peccato originis. *Vitam S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*, *Librum vnum*.
Vitam Richardi Regis, *Librum vnum*. Et alia plura. Obijt anno Domini 1245, sexto Calendas Septembris. Vel secundùm quosdam, anno 1250. Parisijs in suo conuentu sepultus in Ecclesia iacet ante imaginem Crucifixi. Regnabat tunc apud Anglos Henricus tertius.

Inscriptio Sepulchri.

Clauditur hoc saxo famam sortitus abundè,
Gloria Doctorum, decus, & flos Philosophorum,
Auctor scriptorum vir Alexander variorum,
Norma modernorum, fons veri, lux aliorum.
Inclytus Anglorum fuit Archileuita, sed horum
Scriptor clerorum, frater collega Minorum
Factus egenorum, sed Doctor primus eorum.

Et ibidem:

Siquis honos meritis, siqui virtute colantur,
Hunc animo præfer, hunc venerare patrem.
Nec sorde & culpa pigritere per otia deses,
Nancisci studio quæ Minor iste refert.

De Richardo Fizacrio.

RICHARDVS Fizacrius vel Fishacre senior in remotioribus Occidentalium plagarum Angliæ natus, patria Deuoniensis, ex territorio Exoniensi. Oxonij iuuenis studuit, vbi successu temporis ordinem fratrum Prædicatorum S. Dominici ingressus, factus est sacræ Theologiæ Doctor omnium primus ex hominibus Anglis Dominicanæ familiæ. Deinde ibidem Professor publicè Theologiam docuit. Hunc tanquam virum literatissimum, & Catholicæ veritatis testem idoneum in suo doctrinali fidei nonnunquam citat Thomas Vvaldensis. Idem faciunt Guilhelmi Vvodfordus contra Vvicleffum, & Bintreus in disputationibus ordinarijs. Scripsit enim multa valdè eruditè, & quæ tam firmis in fide nixa sunt fundamentis, vt tanquam armamentarium & panoplia quædam posteà seruierint ad varios hæreticorum insultus propellendos. Parisijs eum aliquando studuisse auctor est Lelandus. Comitem penè indiuiduum habuit Robertum Baconum eiusdem ordinis & professionis Doctorem. Qui cùm essent viri pari pietate & eruditione insignes, magnam contraxerunt amicitiam, cuius vinculum dissoluere, aut firmitatem dirimere ne mors quidem ipsa valebat. Nam vt in vita dilexerunt sese, ita & in morte non sunt separati. Sic enim de ijs scribit in chronico Matthæus Paris ad annum Domini 1248. *Eodem anno duo fratres de eodem ordine, quibus non erant maiores, imò nec pares, vt creditur, viuentes, in Theologia, & alijs scientijs, videlicet frater Robertus Bacun, & frater Richardus de Fishacre, qui egregiè plurimis annis in eadem facultate legerunt, & populis gloriosè prædicauerunt verbum Domini, ab hoc saculo ad Dominum migrauerunt.* Porrò scripsit noster Fishacrius

1248. 342.

Commentarios Bibliæ, *Librum vnum.*
In primum nocturnū Psalterij, Librum vnum. Iste liber docet quid maxi.
In Parabolas Salomonis, Librum vnum. Multiplici ratione audiendum.
Commentarios in Magistrum sententiarum, Libros quatuor. Rom. 11. O altitudo diuitiarum. M.S. Oxoniæ in Collegio Orialensi.
De pœnitentia, Librum vnum. Quia vt habet S. Augustinus.
Postillas morales, Librum vnum.
Quæstionum variarum, Librum vnum.
Quodlibeta, Librum vnum. Et alia varia.

Oxoniæ diem suum obijt, & sepulturam accepit anno post Christi natiuitatem 1248, sub Henrico Anglorum Rege tertio.

De Roberto Bacono.

1248. 343. ROBERTVS Baconus in Anglia natus, & ibidem in pietatis & bonarum litterarum studijs diligenter institutus, magnos in vtrisque fecit progressus, & ad insignem eruditionem peruenit. Sanctum Edmundum Cantuariensem Archiepiscopum aliquando præceptorem habuit, posteà eodem vsus est fautore & optimo patrono. Dicitur fuisse sacerdos sæcularis, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis, qui ex pio in S. Dominicum affectu, semper illum ordinem amauit, cum illis religiosis & doctis viris multam familiaritatem habuit, & tandem senex ipsum institutum amplexus, à prælectionibus & alijs exercitijs scholasticis minimè cessauit. Sic enim de illo scribunt in suis chronicis Nicolaus Triuetus, Matthæus Paris, & alij. Magnam apud Regem Henricum tertium & regni principes, tum hic, tum frater eius Rogerus habuit auctoritatem. Et quando Rex consilio Petri Vvintoniensis Episcopi Pictauienses & alios exteros in Angliam vocauit, ijsque loca munita non pauca periculosè traderet custodienda, hic & frater eius prænominatus Oxonij coram Rege liberè & acriter contra dictum Petrum concionati sunt, monentes periculosa esse reipublicæ statui Petri consilia. Porrò Robertum hunc apud omnem posteritatem clarum reddiderunt scripta sequentia. Edidit enim

Glossarum in sacras scripturas, Librum vnum.
Super Psalterium, Librum vnum.
Sermonum variorum, Librum vnum.
Vitam S. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi, Librum vnum.
Lectiones ordinarias, Librum vnum. Et alia quàmplura. Tandem senex & plenus dierum diem suum obijt anno Verbi incarnati 1248, cùm ad Anglicani regni gubernaculum potenter sederet Henricus tertius.

De Roberto Richio.

1248. 344. ROBERTVS Richius natione Anglus, patria Bercheriensis, ex oppido Abindonensi, S. Edmundi Cantuariensis Archiepiscopi frater vnicus, exemplo fratris se bonarum litterarum studijs impensè dedidit. Nam cum eo diù studuit Oxoniæ, deinde in partes transmarinas eundem secutus, semel atque iterum Romam petijt, vbique, quantum poterat, fructus litterarios colligens. In Galliam etiam cum fratre reuersus, eidem morienti astitit, & tanquam perpetuus studiorum socius, itinerum indiuiduus comes, infortuniorum particeps, omnium penè consiliorum conscius, omnium denique actionum testis oculatus, eius vitam & res gestas scriptis, commendauit: nam vt ex Matthæo Parisio, Ioanne Lelando & alijs colligo, scripsit

Exegesim in canonem S. Augustini, Librum vnum.

Vitam S. Edmundi, *Librum vnum.*
De translatione eiusdem, *Librum vnum.* Et alia quædam.
Vixisse dicitur vsque ad annum gratiæ 1248, quo tempore Henricus tertius ad Anglicani regni gubernaculum sedit.

De Ioanne Blondo.

IOANNES Blondus in Anglia natus, & in Oxoniensi Gymnasio post prima litterarum tyrocinia studijs traditus, humaniores disciplinas, & Philosophicas scientias didicit, deinde, vt habet Lelandus, Parisiensem Academiam petijt, vbi sacris litteris sub optimis præceptoribus inuigilauit, & doctoralem in sacra Theologia gradum suo merito consecutus, Oxoniam denuò reuersus, & honorato stipendio conductus, publicè Theologiam professus est. Quam prouinciam postquam ad aliquot annos cum honore sustinuisset, Eboracum vocatus, Ecclesiæ Cathedralis ibidem Canonicus necnon Cancellarius factus est. Nec multo post tempore propter singularem doctrinam cum pari pietate coniunctam, Monachorum Cantuariensium suffragijs electus est Archiepiscopus Cantuariensis, sed summus Pontifex eũ reiecit, & electus Edmundus Richius, causam obtinuit, & Archiepiscopatum accepit. Porrò Matthæus Parisius in chronico ad annum 1229. 1248. & alibi sepè, Blondum nostrum prælectum Theologum vocat, & Ioannes Rossus Vvaruvicensis in Academijs Britannicis inter doctissimos illius ætatis viros numerandum eum indicat. Quod tamen ex monimentis litterarum, quæ hactenùs inuenire potui, non est adeo liquidum. Nam pauca eius, quæ ad posteritatem venerunt scripta tam eminentis eruditionis speciem minimè præseferunt. Non ineruditè tamen scripsit

1248.
345.

Summarium sacræ facultatis, *Librum vnum.*
Disceptationum scholasticarum, *Librum vnum.* Et alia nonnulla.
E viuis excessit anno postquam filius Dei factus homo in hunc mundum venit 1248, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Simone Langtono.

SIMON Langtonus Magistrum Simonem de Langnetona vocat Matthæus Paris, natione Anglus, Stephani Langtoni Cantuariensis Archiepiscopi frater, & eiusdem Ecclesiæ Archidiaconus. Ab ipsa adolescentia præclaram indolem ostendit, & studijs addictus, successu temporis ad magnam tum sacrarum tum profanarum rerum scientiam peruenit, & propter facundiam miramque persuadendi vim concionator celebris euasit. Erat tamen, vt auctor est Matthæus Paris in chronico, vir ambitiosus, inquietus, & publicæ pacis seditiosus perturbator: nihilominus idem testatur quod Eboracenses Canonici eum in suum Archiepiscopum elegerunt, *Sperantes in eo scientiam, quam appellant sapientiam, videlicet morum aromate conditam scientiam.* Sed Ioan-

1248.
346.

nes Rex & summus Pontifex electionem improbarunt. In controuersijs inter dictum regem & fratrem suum Archiepiscopum, non solum fratris partibus pertinaciter adhæsit, sed etiam fratre iam mortuo, se Regi semper obfirmato animo in omnibus, quantum potuit, opposuit: adeò vt Ludouici Regis Galliæ factus sit Cancellarius, eique omni nisu cum alijs coniuratoribus Angliæ regnum fauerit. Sed tandem his suis turbulentis factis penè per totam Europam sibi grauissimam conflauit inuidiam. Vnde à Rege & Pontificis legato fuit omnibus suis bonis spoliatus, ab ipso summo Pontifice excommunicatus, & Romam cum Geruasio Hoburgo Præcentore Londinensi, alijsque complicibus profectus, vix aut ne vix quidem, vel certè non omnino gratiosè à summo Pontifice audiri potuit. Tandem autem dicitur pœnitentia ductus receptui cecinisse, suamque palinodiam scriptis tradidisse sub hoc titulo

De pœnitentia Magdalenæ, *Librum vnum.* Miserator & misericors Dom.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Et alia nonnulla. Diem clausit extremum anno post apparitionem Filij Dei in carne 1248, regnante apud Anglos Henrico tertio.

De Ioanne Cantiano.

1248. 347. IOANNES Cantianus, à Cantia natali solo sic cognominatus, ab ipsa penè pueritia in bonis litteris & timorem Dei institutus, coalescente cum annis optima disciplina in virum doctum euasit. Cùm ætatem virilem attigisset, teste Lelando, patriam & scholas, in quibus vsque ad id tempus studuerat, reliquit, & in Galliam Aquitanicam profectus, ibi iurisprudentiæ sedulam nauauit operam. Conciliata autem tandem non vulgari eruditionis opinione, assumptus est ad Canonicatum in Ecclesia Diuæ Virginis Mariæ ciuitatis Andegauensis. Demùm, vt scribit Thomas Eccleston in libro de aduentu Minorum in Angliam, terrenarum rerum pertæsus, & cælestis contemplationis cupidus, relictis omnibus propter Christum factus est pauper, & Diui Francisci regulam amplexus, iugum Domini suaue, & onus leue vsque ad finem vitæ humiliter patienterque portauit. Ingressus autem ordinem illum, cum Adamo de Marisco eiusdem regulæ professionisque Monacho, ab Innocentio Papa quarto destinatus est in Angliam legatus. Scripsit autem, maximè dum esset Canonicus Andegauensis

De casibus iuris, *Libros duos.*
Rubricarum, *Librum vnum.* Et alia permulta.
Claruit anno post factam per Christum humano generi salutem 1248, quo tempore ad Anglici regni clauum sedebat Henricus tertius.

De Guilhelmo Shirvvodo.

GVILHELMVS Shirvvodus, natione Anglus, patria Dunelmensis, adolescens Oxonij, teste Lelando, prima bonarum litterarum tyrocinia posuit in Collegio, quod vocant Vniuersitatis. Successu temporis in Galliam perrexit, Lutetiæ Parisiorum sedem studiorum elegit, & eruditionis nomine famam vbique celebrem comparauit. Vnde ab Henrico Rege tertio reuocatus in Angliam, factus est Canonicus & Cancellarius Ecclesiæ Lincolniensis. Quo in loco commodis diebus & horis nonnumquam ad doctiores scholasticas lectiones, nonnumquam ad populum eruditas habuit conciones. Hunc Matthæus Paris eminentissimè litteratum vocat. Hunc multum laudat Ioannes Rossus Vvarvvicensis in libro de Academijs, & Rogerus Baconus in suis Mathematicis, præsertim quòd in causa Oxoniensis Academiæ Romam perierit, & sua singulari charitate, prudentia, doctrina plurimùm opis attulerit ad reconciliandos scholares sub interdicto positos. De eius obitu sic scribit Matthæus Paris ad annum 1249. Obijt eodem anno Magister Guilhelmus de Dunelmo apud Rothomagum rediens à Romana curia. Litteraria porrò monimenta post se hæc sequentia reliquit

1249.
348.

Super Magistrum sententiarum, — *Libros quatuor.*
Distinctionum Theologiæ, — *Librum vnum.*
Concionum, — *Librum vnum.* Et alia non pauca.

Rothomagi, vt dictum est, diem clausit extremum, anno post Christum natum 1249, regnante apud Anglos Henrico tertio.

De Rogero Vvalthan.

ROGERVS Vvalthan in Anglia natus, & in bonarum litterarum studijs per totam ferè vitam diligenter educatus, humaniores disciplinas, omnemque politi sermonis elegantiam accuratè didicit, & vbi ad maturam ætatem peruenit, puro tersoque stylo multa scripsit. Promotus autem ad Canonicatum in vrbe Londinensi, in Cathedrali Ecclesia, quæ D. Paulo Apostolo sacra est, oculis principum gratiosus esse cœpit, prælatis & magnatibus mirè charus. Imprimis Fulconis Basseti Londinensis Episcopi gratiam sibi conciliauit, cuius fauor aditum ei patefecit ad multorum aliorum amicitiam. Nihil habuit antiquius quàm antiquos auctores voluere, eorum scripta ruminare, ex ijs suæ doctrinæ nutrimentum, fomitem, & incrementum exugere. Tandem accumulato & in scrinium pectoris reposito ingenti antiquitatum thesauro, flores deprompsit, qui apparuerunt in terra nostra, scripsitque, vt auctor est Lelandus, de virtutibus, de memorabilibus dictis & factis antiquorum, opus insigne, in tredecim rubricas distributum, operique titulum præfixit

1250.
349.

Compendium morale, — *Libros tredecim.* Sapientiam antiquorum

exquiret sapiens. M S. Oxoniæ in Collegijs Mertonensi & Balliolensi. Gantabrigiæ in bibliotheca publica, & in Collegijs Pembrochiensi & Caij. Denique in priuata bibliotheca Baronis de Lunleio.

Imagines oratorum, *Librum vnum*. MS. Londini in bibliotheca S. Pauli. Composuisse etiam dicitur alia plura, quæ iam fortè vix inueniuntur. Claruit anno salutis humanæ 1250, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Roberto de Sothindona.

1250. 350. ROBERTVS de Sothindona, natione Anglus, & Regis Anglorum Henrici tertij clericus, & ab epistolis; Rhetor facundus, & omnis humanioris litteraturæ peritissimus. Vndè Rex eius opera non rarò vsus est in orationibus componendis, & epistolis ad externos maximè principes conscribendis, vt ex Matthæo Parisiensi colligo; qui ad annum Domini 1250, scribit valdè elegantem epistolam ad curiam Romanam pro Rege ab eo exaratam. Sed indices huius eruditi viri in medium proferamus. Scripsit enim

Orationum, *Librum vnum*.

Epistolarum, *Librum vnum*. De alijs nihil habeò comperti. Claruit anno gratiæ 1250, dum in Anglia rerum potiebatur Henricus tertius.

De Michaële Blaunpaino.

1250. 351. MICHAEL Blaunpainus vulgò Magister cognominatus, natione Anglus, patria Cornubiensis, apud suos ab annis penè puerilibus ob egregiam indolem bonis præceptoribus erudiendus tradebatur, & post prima Grammatices imbibita rudimenta, missus Oxonium, deindè Parisios, vtrobíque multa industria, miráque ingenij fœlicitate variam collegit scientiarum supellectilem. Præ cœteris autem se dedidit elegantiæ linguæ Latinæ, fuítque inter præcipuos sui temporis poëtas per Angliam potissimùm & Galliam numeratus. Hunc subindè citat Textor in cornucopia sub nomine Michaëlis Anglici. Suppetebat etiam illi non vulgaris historiarum cognitio. Itaque secundum politam, qua insigniter instructus erat, eruditionem, in lucem emisit

Historiarum Normanniæ, *Librum vnum*.

Contra Henricum Abrincensem versu, *Librum vnum*. Archipoëta vide, quod non sit. M S. in bibliotheca Lunleiana.

Epistolarum & carminum, *Librum vnum*.

Claruit anno Messiæ 1250, sub Henrici tertij regno.

De Alberico Veero.

1250. 352. ALBERICVS Veerus, natione Anglus ex Illustrissimis simúlque antiquissimis Oxoniensium & Clarentium Comitum familijs natus. Apud domesticos præceptores in Bonoclea villa Trenouantum, teste Lelando, priuatim diù studuit. Locus ille ad littus Chiense, non

longè à fano S. Osithæ positus est. Secessus sanè iucundus, amœnus, ab omni negotiorum strepitu, alijsque impedimentis remotus, Musis denique aptissimus. Cùm autem esset vir natura placidus, & solitudinis atque contemplationis amantissimus, tandem regulam S. Augustini ibidem secutus, in societatem Canonicorum regularium admissus est. Vbi omne tempus, quod vacuum habere poterat à precibus & obseruantia disciplinæ regularis, lectioni & scriptioni dedicauit. In suis autem lucubrationibus multa de antiquitatibus Ostrosaxonum eruditè & optimo ordine narrauit. Scripsit enim

Antiquitates sui cœnobij, *Librum vnum.*
De vita S. Osithæ Virginis, *Librum vnum.*
De Eucharistia, *Librum vnum.* Et alia plura.

Claruit anno salutiferæ reparationis 1250, dum Henricus tertius Anglicani regni habenas tenebat.

De Roberto Ribuerbio.

ROBERTVS Ribuerbius, natione Anglus, primùm in seculo Sacerdos, & secularibus disciplinis egregiè instructus postquam in patria liberales artes, omnem profanam Philosophiam accuratè didicisset, in Galliam transfretauit, & scholas frequentans Parisienses, doctissimis suis disputationibus, magnam apud Gallos famam consecutus est. Successu temporis dignus habitus qui in scholis doceret, in illa prima supremáque Gallorum Academia Metaphysicam publicè professus est. Sed tandem sæcularis status vel affectus tædio, vel arctioris vitæ, & securioris ad cœlum viæ flagrans desiderio, Prædicatorum ordinis S. Dominici regulam amplexus est. Vbi ad studia Theologica progressus, magistrum habuit eximium in litteris & pietate virum Reginaldum, quo Doctore mirè profecit, & Parisijs sacræ Theologiæ factus est Licentiatus. Vir sanè siuè morum suauitatem, siuè vitæ integritatem, siuè in omnibus scientijs singularem eruditionem, siuè denique prudentiam, grauitatem, vitæ regularis obseruantiam spectes, Deo planè gratus, & hominibus multum amabilis. Quarum virtutum intuitu ordinis sui Prouincialis Magister electus est. In quo munere magna cum laude, pari cum dignitate, fide, auctoritate, nec minore cum fructu & vtilitate ad aliquot annos versatus est. Hæc pleráque decerpsi ex bibliotheca Prædicatorum Antonij Senensis, qui etiam addit eum scripsisse ad Dei gloriam & sui nominis memoriam

1250.
353.

De diuisione sacræ Scripturæ, *Librum vnum.*
In epistolam ad Romanos, *Librum vnum.*
In epistolas ad Corinthios, *Libros duos.*
De differentia spiritus & animæ, *Librum vnum.*
Super librum de causis, *Librum vnum.*
De instantibus, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Viuus peruenit vsque ad annum Redemptionis humanæ 1250, regnante in Anglia Henrico tertio.

De Ioanne Godardo.

1250. 354. IOANNES Godardus in Anglia natus, & ibidem in bonis artibus benè institutus, successu temporis regulam Monachorum Cisterciensium amplexus, in eorum sodalitatem habitu suscepto admissus est. Ex quo tempore, siuè id ex superiorum præscripto, siuè suapte natura & ingenio, semper studijs Mathematicis se impensè dedidit, alijs vel omninò neglectis, vel certè postpositis litterarijs disciplinis. Videtur autem in cœnobio Coggeshalensi Monachum induisse. Nam, vt ex Lelando habeo, pleráque sua scripta Radulpho illius loci tunc Abbati dedicauit. Scripsit autem

De rebus Mathematicis, *Librum vnum*
De triplici modo computandi, *Librum vnum*. Et id genus alia.

Claruit anno post aduentum Messiæ 1250, sub Henrico tertio apud Anglos regnante.

De Ioanne Canonico.

1250. 355. IOANNES Canonicus, sic cognominatus, quia fuit ordinis S. Augustini Canonicus regularis, natione Anglus. Vir ingenij non contemnendi, Poëtarum & Philosophorum assidua lectione multum delectatus, quædam in vtróque genere satis fœliciter scripsit. Sed tandem mundanarum vanitatum pertæsus, cœpit de suo statu religioso, valdè seriò, nec nimis serò cogitare. Nocte igitur & die meditationi rerum cœlestium intentus, spirituales consolationes frequentes, & nonnumquam rerum arcanarum visiones dicitur habuisse mirabiles. Scriptis autem mandauit

Vaticiniorum, *Librum vnum*.
Poëmatum, *Librum vnum*. De alijs nihil legi.

Claruit anno redemptionis humanæ 1250, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Vincentio Couentriensi.

1251. 356. VINCENTIVS Couentriensis, natione Anglus, ordinis S. Francisci de obseruantia Monachus, vt scribit Thomas Ecclestonus, & post eum Henricus Vuillottus, miror quòd Lelandus putauerit eum Carmelitam. Erat vir pietate & doctrina celebris. Hanc habuit præ cœteris instituti sui Doctoribus prærogatiuam, quòd ex ijs omnium primus bonas litteras Cantabrigiæ publicè professus fuerit. Pauca tamen, quantum inuenire possum, posteritati scripta reliquit. Videlicet imprimis, exposuit ea quæ in sancto Missæ officio peraguntur, quod opus hoc titulo insigniuit

Expositorium Missæ, *Librum vnum*. Vt viris Ecclesiasticis innotescerent.
Repetitiones lectionum, *Librum vnum*. Alia non comparent.

Vixit anno Virginei partus 1251, qua tempestate in Anglicani regni throno sedit Henricus tertius.

De Richardo Vvichio.

RICHARDVS, Magistrum Richardum Vvichium vocat Matthæus Paris, in Occidentalibus Angliæ regionibus, in oppido Vvich vel Vvitz, vel Dortevvich Diœcesis Vvigorniensis natus. Partim Oxoniæ, partim Lutetiæ Parisiorum humaniores litteras & Philosophiam didicit. Tum pergens in Italiam, Bononiæ per integrum septennium ius Canonicum audiuit, & ibidem posteà, atque etiam alibi docuit. Deindè reuersus in Galliam Aureolanis Theologicis studijs operam dedit, atque ita Doctor omnibus suis numeris perfectus & absolutus, in patriam tandem redijt. Vir teste Matthæo Parisio, eminentis doctrinæ & eximiæ sanctitatis. His itaque nominibus primùm Oxoniensis Academiæ, tum Archiepiscopus Cantuariensis Edmundi Cancellarius, ac demùm Cicestrensis Episcopus electus est. Sed de his suo loco. Iam ad ea quæ posteritatis vtilitati, suæque famæ immortalitati consulens, in lucem emisit litteraria monimenta veniamus. Guilhelmus Vvodefordus contra Vvicleffum, & Bostonus Buriensis in suo Catalogo testantur eum scripsisse contra Regem Angliæ Henricum tertium Ecclesiastica bona vsurpantem

1252. 357.

Ad Innocentium Papam quartum, *Epistolas plures.*
De Ecclesiasticis officijs, *Libros septem.* Officium vt ex debito fiat.

Et quædam alia. Sanctissimè diem suum obijt anno post Christum natum 1252, regnante in Anglia Henrico tertio. Plura vide in eo quem de Cicestrensibus Episcopis scripsimus Catalogo.

De Ioanne Basingstochio.

IOANNES Basingstochius, Basingum nonnulli cognominant, natione Anglus, patria Sonthamptoniensis, ex oppido mercatorio Basingstoxe ortus. Vir omnibus planè tum virtutis, tum eruditionis insignibus clarus. Græcè Latinéque eximiè doctus. Rhetor disertus, Mathematicus perfectus, Philosophus acutus, Theologus solidissimus. Natura etenim ei præclaras dotes impresserat, quas ille industria mirificè excoluit. Politiorem litteraturam, artes ingenuas, & Philosophiam, Lelando teste, didicit Oxonij. Quas scientias vt augeret perfectione, & multiplicaret aliarum accessione, Lutetiam Parisiorum petijt, & ibi ad aliquot annos studiorum sedem fixit. Tandem insitus discendi ardor, & Athenarum fama hominem vsque in Græciam attraxit, & ad ipsas amænissimas Musarum sedes Athenas rapuit. Ibi multa vidit, audiuit, legit, didicit, & memoriæ ad perpetuitatem infixit. Inter alia sæpè referre solebat ipsi Matthæo Parisio, se ibi vidisse Constantiam virginem splendore generis illustrem, acumine ingenij clariorem, vix adhuc ætatis annum vicesimum attingentem, de abstrusissimis Philosophiæ naturalis subtilitatibus eruditè disputantem, de causis & effectis rerum doctissimè discurrentem, solidissimè concludentem. Ab hac puella se omnem

1252. 358.

penè scientiam suam hausisse.

Porrò Athenis rediens Græcos codices non paucos secum in Angliam reportauit, alios posteà deportari curauit. Erat enim, vt loquitur Paris, *vir in triuio & quadriuio experientissimus, Græcis & Latinis litteris ad plenum eruditus.* Et infra : *hic insuper Magister Joannes figuras Græcorum numerales, & earum notitiam & significationes in Angliam portauit, & familiaribus suis declarauit. Per quas figuras etiam litteræ repræsentantur. De quibus figuris hoc maximè admirandum, quòd vnica figura quilibet numerus repræsentatur. Quod non est in Latinis, vel in Algorismo.* Tandem duce virtute, comite fortuna, iuuante fauore magnatum, ad Ecclesiasticas dignitates euectus est. Et primùm quidem ad Archidiaconatum Londinensem, nec multo post tempore à Roberto Grossa teste Episcopo Lincolniensi, cui intimus erat, Legecestrensem Archidiaconatum accepit. Sed vt ad ea, quæ sunt instituti nostri veniamus, pleraque eius monimenta litteraria nobis per suos titulos nominata reliquit in historia sua, & in Henrico quidem tertio, ad annum Domini 1252, Matthæus Paris. Partim enim ipse composuit, partim è Græco in Latinum aliena vertit. Composuit

Doctarum concionum, *Librum vnum.*

Particulas sententiarum per distinctiones, Librum vnum. Templum Domini quod est perutile.

E Græco transtulit.

Grammaticam quam vocauit Donatum Græcorum, *Librum vnum.*

Ordinem seu concordiam Euangeliorum, Librum vnum. Omnia tempus habent, & suis spa.

Et alia plura tum scripsit, tum vertit. Viam vniuersæ carnis ingressus est anno postquam Verbum caro factum est, & habitauit in nobis 1252, dum in Anglia regni diadema gestaret Henricus tertius.

De Roberto Capitone.

1253. 359.

ROBERTVS Capito, vel Grossa testa, vulgo Anglico Greathead, infimis in Anglia parentibus natus in Comitatu Suffolcensi, Diocesis Norvvicensis. Vir crassi quidem capitis, sed subtilis ingenij, magni cerebri, maioris iudicij. Posteaquam humaniores litteras & omnes ingenuas artes cum principijs Philosophiæ percepisset in patria, secũdùm morem qui tum apud Anglos inoleuerat, ad perdiscendas linguas, & altiora studia capessenda, regiones exteras petijt. Et cùm iam in Gallijs diù studuisset, & in litteris vberes progressus fecisset, reuersus in Angliã, Oxoniæ supremam in sacra Theologia lauream accepit. Nec immeritò. Erat enim Latinè, Græcè, & Hebraicè insigniter eruditus, Philosophorum etiam & Theologorum sui temporis facilè princeps, denique, vt quidam scribit, in septem artibus liberalibus vir præstantissimus, & verè Monarcha. Ad quam eminentem doctrinam accessit pietas, modestia, prudentia, sobrietas, temperantia, omnésque virtutes quæ viros ma-

gnos & decent & faciunt. Quorum omnium intuitu, accedente ſacerdotali ordine, primùm ad Archidiaconatum Leiceſtrenſem, deindè ad Epiſcopatum Lincolnienſem aſſumptus eſt. In qua cura paſtorali conſtitutus, populum ſibi commiſſum prudenter rexit, ſollicitè inſtruxit, & omnes in ſuis concionibus ferè quotidianis, à vitijs interminata pœna, ſeuerè deterruit, vel ad virtutes propoſitis præmijs alacriter animauit. Doctos viros in delicijs habuit. Et in his Ioannem Baſuigſtochium, atque Nicolaum Græcum Abbatis S. Albani clericum. Quorum ille auctor fuit Roberto vt ab Athenis in Angliam tranſportari faceret duodecim Patriarcharum teſtamenta; hic Roberto adiutor vt idem opus è Græco in Latinum verteret ſermonem, vti ad annos 1252 & 1253 dilucidè teſtatur Matthæus Paris. Sed iam fertilis ingenij fœtus, & multiplicis eruditionis fœcunda monumenta prolatis ſaltem titulis, in medium afferamus. Scripſit enim expoſitiones ſeu commentarios

In Geneſim, *Librum vnum.*

Hexameron de operibus ſex dierum, Librum vnũ. Omnis ſcientia & ſapient.

Super Job, *Librum vnum.*

In Threnos Hieremiæ, *Librum vnum.*

Super prologo Bibliorum, Librum vnum. Frater Ambroſius, &c. Hãc epiſt.

In duas quadragenas Pſalmorum, Libros duos. Pſalmorum libri Græcè Pſalterium. M S. Bononiæ in Bibliotheca Prædicatorum.

Tranſtulit è Græco teſtamenta duodecim Patriarcharum. Tranſcriptum teſtamenti Ruben. M S. Oxonij in Collegio corporis Chriſti. Cantabrigiæ in publica, & in Collegijs S. Benedicti & Pembrochiana. Necnon in priuatis Bibliothecis Baronis Lumleiani & Gualteri Copi. Pariſijs apud Sonnium anno 1576. Viennæ in Bibliotheca Cæſaris.

De reparatione lapſi, *Librum vnum.* In principio creationis mundi.

De ceſſatione legalium, Librum vnum. Fuerunt plurimi in primatiua Eccleſia. M S. Oxonij in Coll. Mertonenſi & Magdalenenſi. Cantabrigiæ in pub. & in Pembrochiana. Et in priuata Lumleij.

Moralitates ſuper quatuor Euangelia, Libros quatuor. Miſſionem filij legimus duplicem. M S. Oxonij in Coll. Baliolenſi & Trinitatis. Cantabrigiæ in publica.

In D. Lucam commentarios, *Librum vnum.*

In epiſtolam ad Galatas, Librum vnum. Vt Apoſtolus in alijs epiſtolis.

De decem præceptis & Symbolo, Libros duos. Sicut dicit Apoſtolus, plenitudo. M S. Oxo. in Coll. Magdal. Lincol. Cantabr. in pub.

In Apocalypſim S. Ioannis, Lib. vnum. Vidi in dextera ſedentis ſuper.

Sententias Scripturarũ, Librum vnũ. Abominatio deſolationis quadrup.

De articulis fidei & fide Catholica, Librum vnum. M S. Oxo. in Merton.

In verba Gabrielis, *Librum vnum.* Ingreſſus Angelus ad eam dixit.

De præmijs Apoſtolorum, Librum vnum. Miſit de ſummo & accepit me.

Dicta Theologica, *Librum vnum.* Aaron non conſenſit in vitu-

lum. Quorum tabula & notabilia ex ijs excerpta simul cum vita eius habentur M S. Oxo. in Collegio Nouo, Merton. Lincoln. Exonien. & Magdale. Cantabr. in pub. & in Coll. S. Bened. S. Petri, & Pembr.

De triplici gratia & iustificatione, Librũ j. M S. Cantabr. in Col. Caij.

Summam Theologiæ, Librum vnum. Spiritus sanctus per os Salomonis.

Deum fieri hominem, Librum vnum.

De humilitate Christi, Librum vnum.

De Resurrectione Christi, Librum vnum.

Assertionem virginitatis Mariæ Matris Domini, Librum vnum.

Assertiones quas vocant templum Domini, in forma confeßionis, Librum vnum. Quoniam cogitatio hominis confit. M S. Oxonij in Coll. Magd. & Lincoln. Cantab. in pub. & in Coll. S. Benedicti, in aula Pembrochiana, & in priuata Bibliotheca Baronis de Lumleio.

De danda pœnitentia, Libros duos. Dilecto suo N. Robertus salutem.

Recollectiones pœnitentiæ, Librum vnum. M S. Cantabrig. in pub.

De veritate Christi, Librum vnum. M S. Oxonij in Coll. Lincolniensi.

De officio diuino, Librum vnum. Dicto de linguæ exercitio vtili.

De officio Sacerdotali, Librum vnum. Templum Domini sanctum est, quod estis vos.

De doctrina cordis, Librum vnum. Præparate corda vestra Domino. M S. Oxonij in Coll. Nouo, Lincoln. Magdal. Cantabr. in pub. & Pembr. *de lingua humana*, Libros tres. Lingua humana congruit in duo opera. M S. ibidem.

De oculo morali, Librum vnum. Si diligenter voluerimus intelligere. M S. Oxon. in Coll. Nouo, Mertonensi, Magdalenensi. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana. Itē in priuata Bibliotheca Lumleiana.

Summam quam vocauit numerale, Librum vnum.

De arte computi, Librum vnum. Computus est scientia numerationis.

De computo Ecclesiastico, Librum vnum. Qui benè præsunt presbyteri duplici.

Sermonum elegantium, Librum vnum. Erunt signa in Sole & Luna. Ex quibus inueniuntur M S. Oxonij in pub. & in Coll. Nouo, Merton. Lincoln.

Sermonum triginta septem, Librum vnum. Egredietur virga de radice Iesse. M S. ibidem.

Homiliarum, Librum vnum. Dominus noster Iesus Christus.

Concionum coram Innocentio Papa quarto, Librum vnum. Dominus noster Iesus Christus. M S. Cantabr. in pub. & in Coll. S. Benedicti.

Dictamina centum quadraginta septem, Librum vnum. Amor multipliciter dici videtur.

Epistolarum ad amicos centum viginti septem, Librum vnum. Dilecto sibi in Christo Magistro.

Epistolarum familiarium, Librum vnum. Reuerendiss. in Christo Patri ac Domino. Ex his aliquæ habentur M S. Oxon. in Coll. Merton. & Balliol.

Suarum

Suarum meditationum, *Librum vnum.*
De discretione spirituum, *Librum vnum*
De suo studio, *Librum vnum.*
Positionem coram Papa. M S. Oxonij in pub.
Responsionem ad Papam cum litteris. M S. ibidem.
De confeßionibus. M S. ibidem.
Theoricam, *Librum vnum.* M S. ibidem.
Summam iusticia, *Libros decem.* Summa iusticiæ Christi fidelium. M S. Oxon. in Coll. Balliol. & Lincoln. Cantabrigiæ in pub. & in Coll. S. Petri. Item in priuata Lumleiana.
De coniugio, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in pub.
De casto amore Gallicè, *Librum vnum.*
Contra luxuriam, *Librum vnum.*
De pollutione nocturna, *Librum vnum.*
Tonitru contra curiam Romanam, Librum vnum.
De potestate pastorali, *Librum vnum.*
De cura pastorali, *Librum vnum.* Natis & educatis in Christi disci. Oxon. in Coll. Balliol. & Exon. Cantabr. in Coll. S. Bened.
Constitutiones Synodales, *Librum vnum.* Debentes de vobis rationem bonam.
Contra prælatorum ignauiam, *Libr. j.* Moyses qui tradente Domi.
Ad Minores de laude paupertatis, *Libr. j.* Pauper & inops laudabunt.
De scala paupertatis, *Librum vnum.* Beati pauperes quia vestrum est.
Scalam voluptatis, Librum vnum. M S. Cantabrigiæ in Bibliothec. pub.
De venenis vel peccatis, *Librum vnum.* Ratio veneni potissimùm. M S. Oxon. in pub. in Coll. Merton. Magdal. Lincolniensi. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, & in Aula Pembrochia.
De pœnis Purgatorij, *Librum vnum.* M S. Cantabr. in publica.
Memoriale, *Librum vnum.* Est introitus interior. M S. Cantabr. in Pembroch.
Epistolam ad conuentum Missendem pro Abbate eligendo. M S. Oxon. in Coll. Merton.
De peccato originali, Libr. j. Quæstio circa originale peccatum.
De veritatibus, *Librum vnum.* Ego sum via, veritas, & vita.
De dotibus, *Librum vnum.* Primò tractandum est de dote. M S. Cantabr. in Bibliotheca publica.
De libero arbitrio, *Librum vnum.* Cùm per arbitrij libertatem ali.
Templum Dei vel summam confeßionis, Librum vnum. Qui habetur Viennæ in Bibliotheca Cæsarea.
Iterum de libero arbitrio, Libr. j. Quia cum circa rei esse potissimum.
De scientia & voluntate, Libr. j. Quæritur de scientia Dei quomodo.
De potentijs animæ, Libr. j. Vt dicit Philosophus secundo de anima.
Tractatum de homine, Librum vnum. Adam vbi es? qui legit, intelligat.
Compendium ciuitatis Dei, *Librum vnum.*

De misericordia & iustitia Dei, *Libr. j.* Consequenter tractatur de miseri.
Templum Dei, *Librum vnum.*
De locali Dei præsentia, *Librum vnum.* Hic quæritur de locali præsentia.
Summam vitiorum capitalium, *Librū j.* Primò videndum est quid superb.
De anima humana, *Librum vnum.* Multi circa animam errauerunt.
In hierarchiam S. Dionysij, *Libros sex.* Non inueni in exemplari Græco.
In eiusdem mysticam Theologiam, *Librum vnū.* M S. Cantabrigiæ in pub.
In Boëtium de consolatione, *Libros quinque*,
In Damascenum, *Libros quatuor.*
In Vesperis Adæ, *Librum vnum.*
De formis ad Adamum, *Librum vnum.*
Suidam ex Græco transtulit.
Enchiridion, *Librum vnum.*
Annotationes in Suidam, *Librum vnum.*
Paruum Catonem, *Librum vnum.* Cùm animaduerterem quàm plurimos. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.
Summam Philosophiæ, *Librum vnum.* Prophetantes famosi primi fuerunt. M S. Cantabr. in pub.
De vtilitate artium, *Librum vnum.*
Compendium scientiarum, *Librum vnum.*
Commentariorum in Logicam, *Librum vnum.*
In prædicamenta Aristotelis, *Librum vnum.*
In priora eiusdem, *Libros duos.* Cùm omnis scientia sit veri acquisitiua.
In eius posteriora, *Libros duos.* Intentio Aristotelis in hoc primo. M S. Oxoniæ in Collegio Nouo. Extat Venetijs anno 1552.
In Physicam, *Libros octo.* Cùm scire & intelligere adquirantur. M S. Oxoniæ in Coll. Merton. Cantabr. in Coll. S. Petri Venetijs 1504. 1506.
De cœlo & mundo, *Libros duos.*
De generatione & corruptione, *Libros duos.*
In Ethica, *Libros decem.* Primum capitulum de eo quod est.
De lineis Physicis, *Librum vnum.*
In Meteora, *Libros quatuor.*
De Astrologia, *Librum vnum.*
Quæstionum Ethicarum, *Libros decem.*
De natura intellectus, *Librum vnum.*
Compendium sphæræ & in alia opuscula Ioannis de Sacrobosco. Venetijs anno Domini 1508.
Praxim Geometriæ, *Librum vnum.*
Theoricam planetarum, *Librum vnum.*
De necromantia & similibus, *Librum vnum.*
De sphæra cælesti, *Librum vnum.* Intentio nostra hoc tractatu.
In elenchos, *Libros duos.* De sophisticis autem elenchis.
Quæstiones elenchorum, *Libros duos.*

Quæstiones priorum, *Libros duos*
De Astrolabio, *Librum vnum.* Astrolabij circulos & membra.
De aëris intemperie prognostica, *Librum vnum.* Ad præcognoscendam diuersam dispos. M S. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti. Et in priuata G. Copi.
De impreßionibus aëris, *Librum vnum.*
De Iride, *Librum vnum.* Et perspectiui diligenter specul.
De Cometis, *Librum vnum.*
De forma prima, *Librum vnum.* Rogauit amicus vt de forma.
De luce, *Librum vnum.* Formam primam corporalem quam.
De coloribus, *Librum vnum.* Color est lux incorporata per.
De natura luminis & diaphani, *Librum vnum.* Considerandũ quippe.
De potentia, *Librum vnum.* Omne quod ens est, aut ens.
Transtulit de agricultura, *Librum vnum.* Pater ætate decrepita filio.
De lapide Philosophico, *Librum vnum.*
Calendarium perpulcrum, *Librum vnum.*
De ciuilitate morum, *Librum vnum.*
Difficilia naturalis scientiæ, *Librum j.* Studiosissimè sæpiusque rogatus.
De sufficientia causarum, *Librum vnum.* Aristoteles in primo Philosophiæ. Scripsit etiam plurimos alios tractatus & opuscula Anglicè, Latinè, Græcè, Gallicè, quæ sparsim per Bibliothecas adhuc reperiuntur M S. potissimùm Oxoniæ in Coll. Merton. & Lincoln. Tandem diem suum obijt septimo Idus Octobris anno post aduentum Messiæ 1253, regnante in Anglia Henrico tertio. Vide quem composuimus de Lincolniensibus Episcopis Catalogum.

De Ioanne Aegidio.

IOANNES dictus Magister Ioannes Ægidius, seu de S. Ægidio, apud S. Albanum in Anglia natus, post imbibitas in patria liberales artes, in Galliam studiorum causa perrexit, vbi ab omnibus celebris Philosophus primùm habitus est, deinde ad artis medicæ studium se conferens, Doctoralem gradum consecutus est, & tanta apud omnes fama percrebuit, vt à Philippo Rege Francorum accersitus, & in familiam coaptatus, factus sit illi à curanda valetudine primus & præcipuus. Sed schola magis delectatus, quàm Aula, Parisijs primùm, postea apud montem Pessulanum Philosophiam & medicinam professus, in frequentissimo discipulorum concursu docuit. Successu temporis Parisios reuersus, ad Theologica studia se contulit, vt ingenium quod ei natura dederat præstantissimum, vndique scientijs redderet cultissimum, & qui prius corporibus medendis erat intentus, nunc animabus curandis diligentissimam impenderet operam. Illic igitur sacræ Theologiæ Doctor, & publicus Professor factus est. Postquam autem ad aliquod annos in Theologicis lectionibus, & sacris concionibus strenuè se exercuisset, & ex cælestium rerum contemplatione, huius sæ-

1253.
360.

culi vanitatem penitiùs introspexisset, de genere vitæ mutando, & de sæculo relinquendo cogitare cœpit. Et cùm per id tempus ordo Prædicatorum S. Dominici mirè florere, & Ecclesiam singulariter iuuare inciperet, huic regulæ se subijcere constituit. Itaque in tertio istorum fratrum capitulo generali, quod anno Domini 1222. Parisijs habitum est, hic noster Ioannes Anglorum omnium primus, vt scribit D. Antoninus, præclarum illud vitæ institutum amplexus est, & habita ad clerum concione, ordinem Prædicatorum, ipse prædicator celeberrimus, statim ingressus est. Qua occasione factum est, vt propter magnam hominis apud Parisienses auctoritatem, assignatæ fuerint fratribus Dominicanis in dicta Academia duæ scholæ, vbi ille legere & docere perrexit. Nam post ingressum in illum ordinem Parisijs primùm, deinde Oxoniæ, tum Philosophiam, tum Theologiam, teste Lelando, publicè professus est. Magno fuit in precio apud Robertum Capitonem Lincolniensem Episcopum. Vnde Matthæus Paris ad annum Domini 1253. de eo sic scribit. *Diebus sub ijsdem, cùm dies Caniculares suam exercuissent malitiam, Episcopus Lincolniensis Robertus apud Buchedonam manerium suum decubuit grauiter infirmatus. Vocauit igitur ad se quendam fratrem de ordine Prædicatorum Magistrum Ioannem de S. Aegidio, in arte peritum medicinali, & in Theologia lectorem, eleganter eruditum & erudientem, vt ab eo corporis & animæ reciperet consolationem.* Sed iam huius ingenij magni, multiplicisque doctrinæ monimenta litteraria quæ posteris reliquit, subnectamus. Scripsit enim

De laude sapientiæ diuinæ,	*Librum vnum.*
De cognitione Angelorum.	*Librum vnum.*
De mensura Angelorum,	*Librum vnum.*
De prædestinatione & præscientia,	*Librum vnum.*
De Paradiso & inferno,	*Librum vnum.*
De resurrectione mortuorum,	*Librum vnum.*
Homiliarum,	*Librum vnum.*
De productione rerum,	*Librum vnum.*
De materia cæli,	*Librum vnum.*
Lecturas scholasticas,	*Librum vnum.*
Futurorum prognostica,	*Librum vnum.*
Practicas medicinales,	*Librum vnum.*
Morales interpretationes,	*Librum vnum.*
De formatione corporis,	*Librum vnum.*
De esse & essentia,	*Librum vnum.*
Commentarios in varia opera Aristotelis,	*Librum vnum.*

Et alia. Claruit anno virginei partus 1253, dum in Anglia rerum potiretur Henricus tertius.

De Guilhelmo Rubroco.

GVILHELMVS Rubrocus, Risbrouc vocat Henricus Vvillot, ordinis S. Francisci de obseruantia Monachus Anglus. Vir pius & eruditus, vt ex eius scriptis colligere licet. Scripsit

1253.
361.

De gestis Tartarorum, Librum vnum.
Itinerarium in partes Orientales, Librum vnum. MS. Cantabrigiæ in Colleg. S. Benedicti. Item in priuata Bibliotheca Lumleiana.

Claruit anno salutis reparatæ 1253, dum in Anglicani regni solio sederet Henricus tertius.

De Gregorio Huntingtono.

GREGORIVS Huntingtonus, natione Anglus, professione Monachus ordinis S. Benedicti in cœnobio Ramesiensi, & tandem, vt ex Lelando colligo, Prior ibidem præfuisse dicitur sub diuersis Abbatibus ad annos triginta octo. Vir in linguis peritissimus, & in ijs Hebraicæ potissimùm studiosissimus, in Græca versatissimus. Cùm Iudæi plurimorum enormium facinorum accusati & conuicti, paulatim ex Angliæ regno expellerentur, maximè quod in Christi contemptum, & Christianorum opprobrium pueros diuersis temporibus & locis crucifixissent: Gregorius iste partim Regis & principum gratia, partim pecunia numerata, omnes eorum, quos per Angliam inuenire poterat, libros Hebraïcos comparauit, eorumque partem longè maximam in Bibliothecam Ramesiensem coaceruauit, vti patet ex illius Bibliothecæ Catalogo. Ex quibus libris tum Hebrææ linguæ cognitionem accuratam hausit, tum etiam multa sacræ scripturæ difficilia loca his adminiculis adiutus luculenter exposuit. Monimenta tamen doctrinæ illius, quæ edita reperimus, maximè Græcas litteras concernunt. Quo in genere posteris reliquit

1255.
362.

Artem intelligendi Græca, Librum j. Quoniam in ante expositis libris.
Explanationes Græcorum nominum, Librum j. Nemicerius Episcopus ad.
Grammaticæ summam, Librum vnum. Ars quam fingo in mea lectoriola.
Rudimenta Grammatices, Librum j. Aggressus sum ego nouem regulas.
Attentarium, Librum vnum. In sanctæ crucis virtute, & in.
Imaginem mundi. Librum vnum. Ad instructionem multorum, quibus. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Expositionem Donati, Librum vnum. Iste titulus varius inuenitur.
Notulas in Priscianum, Librum vnum. Dicit Isaac in libro de diffi.
Epistolarum curialium, Librum vnum. Galfredus filius Simonis appel.
Regulas versificandi, Librum vnum. Litera est minima pars vocis.
Sententias per versus, Librum vnum. Aut videat quisquis diuinum.

Claruit anno Verbi incarnati 1255, dum Anglici regni sceptrum teneret Henricus tertius.

De Ioanne de Sacrobosco.

1256. 363. IOANNES de Sacrobosco, Anglicè Holyvvod, tamen de Sacrobusto habet editio Coloniensis apud Quentelium anno 1508. quicquid sit, ab oppido natalitio cognomen accepit, quod nunc Holifax nominatur, & est Eboracensis agri oppidum non ignobile. Adolescentiam in triuialibus Angliæ scholis, iuuentutem in Oxoniensi Academia, bonis litteris semper operam nauans, transegisse perhibetur. Reliquam deinde vitam Parisijs in litterarijs exercitijs consumpsit, & ibidem mortuus sepulturam accepit. Liberales artes & omne Philosophiæ genus accuratè tenuit, ita vt eum Vniuersitas Parisiensis insignibus Magisterijs non immeritò ornauerit. Tandem autem postpositis omnibus alijs, scientias Mathematicas vnicè coluit, quarum adeò perfectam cognitionem consecutus est, vt omnes vsque in hodiernum diem inter primos eum ponant magistros, & hactenùs in Europa vix hoc in genere quenquam illi similem repertum esse fateantur. Quare, nec iniuria, imprimis eius sphæra ab omnibus Academijs approbatur, recipitur, laudatur, & ab illius scientiæ Professoribus quæritur, teritur, legitur, prælegitur, & sæpè scriptis commentarijs illustratur. Nam in eius sphæram commentarios scripsit Fr. Capuanus, & Erasmus Osvvaldus Basilææ anno Domini 1569. item partim annotationes, partim scholia in eandem sphæram scripserunt multi Mathematici Parisienses Parisijs anno 1516. item Magister Maurus Florentinus Italicè Florentiæ anno 1550. item Elias Venetus, Albertus Heron, Christophorus Clauius, Pierius Valerianus, Petrus Nonius, Coloniæ anno 1601. sed iam operum Catalogum hîc subijciamus. Scripsit

De Sphara mundi, *Librum vnum.* Tractatum de Sphæra quatuor. M S. Oxoniæ in Coll. Merton. Cantabr. in Bibliotheca pub. in Coll. S. Benedicti, S. Petri, & Caij, item in Pembroch. & Emanuelis. Denique in priuata Bibliotheca Gualteri Copi.

De anni ratione seu computum Ecclesiasticum, *Librum vnum.* Computus est scientia considerans. M S. in priuata Bibliotheca Baronis de Lunleio. Extat Parisijs anno 1551.

De Algorismo, *Librum vnum.* Omnia quæ in primæua rerum origine.
Breuiarium iuris, *Librum vnum.* Verborum superficie penitus
De Astrolabio, *Librum vnum.*
De computo Ecclesiastico ad annum Christi 1256. *Librum vnum.* Et alia plura. Parisijs vixit anno Domini 1256, vbi etiam tandem mortuus & in claustris sodalium Maturinalium solenni pompa sepultus est, habetque insculptum sepulchrali lapidi Astrolabium Mathematicum, cum his obscuris de anno obitus versibus

M. Christi bis C quarto deno quater anno,
De Sacrobosco discreuit tempora Ramus,
Gratia cui nomen dederat diuina Ioannis.

Et in circuitu sepulchri ferunt
hoc sequens legi tetrasticon.

De Sacrobosco qui computista Ioannes
Tempora discreuit, iacet hic à tempore raptus,
Tempora qui sequeris, memor esto quòd morieris.
Si memores, plora. Miserans pro me, precor, ora.

De Adamo de Marisco.

ADAMVS de Marisco, natione Anglus, patria Somersetensis, Diœcesis Bathoniensis alumnus. Ab ipsa adolescentia præclaram ostendit indolem, & ingenium ad litteras factum. Post degustatam vtcumque Latini sermonis elegantiam, Oxoniæ Dialecticam & Philosophiam didicit. In quibus studijs dum versaretur, de altiore contemplatione, & religiosa vita cogitare cœpit, & communicato cum pijs & prudentibus viris consilio, in bono proposito magis ac magis corroboratus, institutum elegit S. Francisci, & tandem apud Vvigorniam Monachum induit. Successu temporis Oxoniam denuò studiorum causa à suis missus, vt testis est Nicolaus Triuetus, creatus est ibi sacræ Theologiæ Doctor, & ibidem in suorum conuentu Professor, in quo munere posteà successorem habuit Radulphum Coliburgum eiusdem ordinis Monachum Anglum. Singularis erat ei patronus Robertus capito Lincolniensis Episcopus, quo cum sæpè conferre solebat de rebus litterarijs, & potissimùm difficillimis sacræ scripturæ locis explicandis. In cuius gratiam dictus Episcopus moriens Monasterio Frãciscanorum Oxoniensi maximam partem insignis suæ Bibliothecæ donauit. Porrò Adamus fama suæ sanctitatis & doctrinæ tantum inclaruit, vt tandem Eliensis eligeretur Episcopus, licet nunquam consecrationem acceperit aut possessionem, præualente contra eum Hugone Balsamo, cui Alexander Papa quartus magis fauit. Tamen quoniam Adamus etiam suos habuit fautores, & in his maximè Bonifacium Archiepiscopum Cantuariensem, summus Pontifex vt contentum Roma dimitteret, adiuncto ei Ioanne Cantiano eiusdem ordinis & gentis Monacho, illum legatum in Angliam destinauit. Sed ad ea quæ sunt eruditionis eius veniamus. Inter alios Matthæus Paris ad annum 1257. scribit eum fuisse virum litteratum, & multos libros edidisse. Henricus Vvillottus scribit eum aliquando studiorum suorum habuisse socium S. Antonium de Padua, ijsque fuisse communem præceptorem in Theologia præsertim mystica doctissimum ordinis S. Benedicti Vercellis apud S. Andræam Abbatem. Propter luculentam in omni meliorum disciplinarum genere scientiam, vulgò cognomen habuit Doctoris illustrati. Sufficientes doctrinæ eius indices habemus non paucas eruditas lucubrationes

1257.
364.

In quosdam sacræ scripturæ textus,	*Librum vnum.*
In Magistrum sententiarum,	*Libros quatuor.*

In Canticum Canticorum, *Librum vnum.*
Paraphrases in D. Dionysium Areopagitam, *Librum vnum.*
Elucidarium sacræ scripturæ, *Librum vnum.*
Quæstionum Theologicarum, *Librum vnum.*
Lectiones ordinarias, *Librum vnum.*
Epistolarum ad Robertum Capitonem, *Librum vnum.* Et alia plura.

Thomas Ecclestonus vitam eius saltem vsque ad annum Domini 1257, producit Sixtus Senensis, & Henricus Vvillottus vsque ad annum 1260, peruenisse scribunt. Quicquid sit, floruit sub Angliæ Rege Henrico huius appellationis tertio.

De Ioanne de Nouo Burgo.

1257. 365. IOANNES Canonicus seu de Nouo Burgo, sic cognominatus quoniam ad Nouum Burgum Prior erat. Natione Anglus, vir pius, prudens, & eruditus. Quibus nominibus Henrico tertio Regi Angliæ mirè charus erat, & ab intimis eius consilijs. Cuius opera nonnumquam vsus est in honoratis ad exteros principes legationibus, quoniam erat vir moribus elegans & historiarum, omnisque humanioris litteraturæ peritus. Rex hunc Priorem tanquam Canonicum, specialem consiliarium, prudentem, & circumspectum, vrgẽtissimis precibus, capitulo Carleolensi commẽdauit anno 1254, vt eum in Episcopum & animarũ suarum pastorem eligerent. Quod tamen minimè fecerunt. Sic Matth. Paris. anno Domini 1254, à Rege destinatus in Flandriam de arduis Regis & reipub. negotijs legationem obiuit. Et quoniam eodem anno cruentum & valdè funestum prælium inter Flandros & Gallos commissum fuerat, hic plenè informatus ab vtriusque partis magnatibus, initium, causas, progressum, & luctuosum illius belli exitum scriptis mandauit, vbi Margaritam Flandriæ Comitissam, feminam ambitiosam, superbam, libidinosam, & crudelem, omnium harum tragœdiarum causas præbuisse ostendit. Scripsit itaque de bello inter Flandros & Gallos sub Comitissa Margarita

Historiarum, *Librum vnum.*

Vtrum alia in lucem emisit scripta, ignoro. Hæc ferè Matthæus Paris ad annum 1257, quo anno obijt regnante in Anglia Henrico tertio.

De Seualo Eboracensi.

1258. 366. SEVALVS, Magister Servvalus vocatur à Matthæo Parisio, natione Anglus, ab ipsa adolescentia in bonis litteris & pijs moribus assiduè institutus, iuuenis ad Oxoniensem Academiam ingenij perpoliendi causa missus est, vbi, teste Parisio, in studijs Theologicis præceptorem habuit S. Edmundũ, cuius tum eruditionẽ, tum pietatem & alias virtutes, vt bonum discipulum decuit, omni conatu imitatus est. Vt mirum nõ sit quòd idem Paris eum pronunciauerit, *Virum modestum, sanctũ, & in iure, alijsque scientijs eleganter eruditum.* Hinc suo tempore factus est

est primùm Decanus, deindè omnium Canonicorum vnanimi electione Archiepiscopus Eboracensis. De quo suo loco. Propter feruentem, quo incaluit domus Dei zelum, in inextricabiles se coniecit molestias. Nam iniquè ferens immoderatas exactiones, quas Alexander Papa quartus ab Anglicano clero extorquebat, scripsit ad dictum Papam asperrimas litteras, in quibus eum tam acriter monuit, ne dicam coarguit, vt tandem fuerit excommunicatus. Sed ne tum quidem deposuit calamum. Imò acriùs aduersus suos calumniatores acuit stylum, maximè contra quemdam Magistrum Iordanem scripsit breuiloquium quod vocat, in quo identidem repetijt hunc sequentem versum, *& Cain pandendo patris, & Sem probra tegendo*. Denique durantibus his controuersijs moriens, scriptum ad Papam reliquit, quo hortabatur eum vt moderatiùs ageret, & vt verbis Parisij loquar, *humilitatem sanctorum praedecessorum suorum sequeretur. Dixit enim Dominus Petro, pasce oues meas, non, tonde, non excoria, non euiscera, vel deuorando consume.* Sed his omissis, ea quæ ad doctrinam hominis spectant discutiamus. Scripsit

Statutorum synodalium,	*Librum vnum.*
Ad suos Sacerdotes,	*Librum vnum.*
Sermonum & epistolarum,	*Librum vnum.*
Breuiloquium contra Jordanem,	*Librum vnum.*
Ad Alexandrum Papam,	*Librum vnum.* Et alia quædam.

Diem suum obijt anno postquam verbum caro factum est 1258, regnante apud Anglos Henrico tertio. Vide quem composuimus de Archiepiscopis Eboracensibus Catalogum.

De Matthæo Parisio.

MATTHÆVS Paris, Parisius, vel Parisiensis, sic enim cognominatum lego à familia, non à patria, vti & Ioannes Paris, de quo in appendice, fuit enim vterque natione Anglus. Et hic quidem Matthæus ordinis S. Benedicti Monachus ad S. Albanum congregationis Cluniacensis. Ab ipsa, vti videtur adolescentia quasi Deo dicatus, & monasticæ disciplinę traditus, egregiã, quam natura, dederat indolem, omni laudabiliori eruditione perpoliuit, omni virtute ornauit. Manuarius, scriptor, pictor non vulgaris, omnes denique mechanicas artes quantum & qua parte liberale ingeniũ decere possunt, sufficienter didicit. Artes autem liberales accuratè calluit. Poëta elegans, orator facundus, Dialecticus acutus, Philosophus subtilis, Mathematicus non contẽnendus, historicus percelebris, Theologus solidus, &, quod omniũ caput est, morum integritate purus, vitæ innocentia clarus, simplex, candidus. Innocentij Papæ quarti iussu Norvvicensis Diœcesis Monachos nonnihil in obseruantia regularis disciplinæ claudicantes reformauit. Ex mandato etiam eiusdem Papæ anno Domini 1248, missus est in Noruegiam, vt monasticam disciplinam in cœnobio de Holui labefactam restauraret, vti fecit. Acerrimus vitiorum reprehensor, patriorum priuilegiorum

1259
367.

ſtrenuus propugnator & defenſor. Ita zelatus zelum ſuæ gẽtis & Eccleſiæ Anglicanæ, vt nimias ſummi Põtificis exactiones redargueret nimis, & durũ eius iugum in clerum Angliæ ſcripto confidenter taxaret. Anno etiam Domini 1250, cùm Rex Henricus tertius fratres ſuos vterinos & multos alios exteros in fauorem dictorum fratrum, poſtpoſitis Anglis in Anglia ad maximas dignitates tum Eccleſiaſticas, tum ſæculares eueheret, hic Matthæus ſuæ gentis deplorans in hac parte miſeriam, grauiter conqueſtus eſt, quòd vix Anglus aliquis, vel in alijs exteris regionibus aliquod officium vel beneficium poſſideret; cùm tamen in Anglia tum Itali tum alij multi externi maximis in vtróque genere ditarentur reditibus, & ſubiungit in hæc verba: *Profectò peccata noſtra nobis grauamina meritò talia præpararunt.* Hæc tamen & ſimilia vtrum ab ipſo ſic ſcripta, an ab alijs illi falſò aſcripta fuerint, nihil auſim certò affirmare, maximè cùm quorundam ſit opinio, multa eius ſcripta recentiùs edita, incorrepta, imò corrupta, & nonnihil deprauata in lucem prodijſſe. Virtutis & doctrinæ titulis principibus & proceribus regni, ipſique Regi Hẽrico tertio mirè charus erat. Rex eum ad maximas quaſque ſolemnitates, quæ in Aula frequenter habebantur, aduocauit, vt omnia præſens oculis contemplaretur, & poſteà ſecuriùs atque fideliùs ſcriptis mandaret ſingula. Erat enim ad hiſtorias ſcribendas ingenio ſatis accommodato. Quo nomine à ſuis multum laudatur, & inter ſui cœnobij benefactores non vltimo loco numeratur. Sanè in eius ſcriptis immenſos labores & incredibilem ſedulitatem videre eſt, quibus etiam accedunt ingenium & iudicium. Antiquorum enim ſcripta diligenter perlegit, quæ ad ſuum propoſitum faciebant, ſagaciter ſelegit, omnia in bonam methodum compendio redegit, deduxítque ingenti hiſtoriarum volumine res geſtas ab Adamo mundíque exordio, vſque ad ingreſſum Guilhelmi Normanni in Angliã. Deindè ſcripſit hiſtoriam, quam vocat maiorem; incipiens ab Haraldo & præfato Guilhelmo, hoc eſt, ab anno Chriſti 1066, & perſeuerans vſque ad annum Domini 1250. Vbi ſubſiſtere conſtituerat, propter quaſdam rationes, quas ipſe non obſcurè verſibus his ſequentibus inſinuauit in hæc verba:

Siſte tui metas ſtudij, Matthæe, quietus,
Nec ventura petas, quæ poſtera proferet ætas.

Nihilominùs tamen vel ſua ſponte, vel ex maiorum præſcripto, mutata ſententia, penè decem alios adiunxit annos. Nam non niſi anno gratiæ 1259, ſcribendi ſimul & viuendi finem fecit Sed intereà multa alia edidit opera, & hanc ipſam Maiorem Hiſtoriam preſſè in breue redegit compendium, & Minorem vocauit, habetque in hanc ſingularia non pauca, quæ apud alios vix aut ne vix quidem reperias. Sed iam titulos ſcriptorum eius ſubijciamus. Scripſit

Hiſtoriam ab initio mundi, Librum vnum. M S. in bibliotheca Sidueiana.
Deſcriptionem mundi, Librum vnum. Caſtrum Douerenſe in ipſa rupe.
Hiſtoriam Maiorem à Guilhelmo Normanno vſque ad finem regni Henrici tertij

libros seu Reges octo. De chronographia, id est, temporum descriptione locuturi. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Item in priuata Baronis de Lumleio. Extat anno 1606.

Additamenta chronicorum, Librum vnum. Cuius mentionem facit in historia ad annum 1219, & aliàs sæpè, potissimùm in Henrico tertio. Quod opus apud S. Albanum repositum esse scribit ad annum 1252.

Minorem Historiam quæ est epitome Maioris, Librum vnum. Considerans prolixitatem chronicorum Angliæ. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Item in priuata bibliotheca Comitis Arundelij.

Chronica Maiora cœnobij S. Albani, Librum vnum.
Gesta viginti duorū Abbatum S. Albani, Librum vnum.
Vitas & Martyria Sanctorum Albani & Amphibali, Libros duos.
Vitam S. Edmundi Archiepiscopi, Librum vnum.
Vitam S. Guthlaci, Librum vnum.
Vitam S. Uvolstani Episcopi, Librum vnum. Et alia quædam.

Obijt anno Dominicæ Incarnationis 1259, Henrico tertio regni Anglicani clauum tenente.

De Guilhelmo Senghamo.

GVILHELMVS Senghamus humilibus in Anglia natus parentibus, ab ipsa pueritia semper quidem acris & acuti, candidi tamen & mansueti ingenij specimen præbuit. In ætate penè tenera relucentia virtutum habuit semina, & in eo plus aliquid quàm vulgare apparuit. Vndè & maturè bonis præceptoribus, litteris & moribus imbuendus traditus est. Spem autem de se conceptam non solum non fefellit, sed etiam semper superauit. Humaniorem doctrinam, scientias omnes liberales, & Philosophiam exactè percepit, & ad scientiam scientiarum Theologiam bonis auspicijs ascendit, quam attentè audiuit, diligenter didicit, & tandem, teste Thoma Colbio, cum vtilitate & fructu multorum docuit. Dum igitur esset totus ad studia pietatis & eruditionis attentus, se fratribus ordinis S. Augustini adiunxit, eorúmque vitæ institutum sanctè amplexus est: quem propterea præfatus Colbius fratrem Guilhelmum vocare consueuit. Edidit 1260. 368.

In quosdam sacræ Scripturæ textus, Librum vnum.
De legibus & fide, Librum vnum.
De tentationum remedijs, Librum vnum.
De claustro animæ, Librum vnum.
De professione nouitiorum, Librum vnum. Et alia quædam.

Claruit anno post Christi in carne apparitione 1260, dum in Anglia *Tertius Henricus regni tractaret habenas.*

De Ioanne Dritono.

IOANNES Dritonus, seu de Arida villa, illustri apud Anglos familia natus. In eo à teneris annis parentes præclaram indolem videntes, & 1260. 369.

ingenium ad litteras à natura factum, illum semper in studijs aluerunt, vt consuetudo naturæ inclinationem augeret, & amor bonarum artium cum annis cresceret, desideriū denique discendi pari quodāmodò passu vnà cum ætate coalesceret. Nam à *teneris assuescere multum est*. Postquam Anglicana educatio Latinam linguam, & sermonis elegantiam ei suppeditasset; Parisios, vti tum moris erat, vt linguam Gallicam & exterorum mores addisceret, ad studia Philosophica se contulit. Nec inde pedē retraxit, donec & in liberalibus artibus, & in Theologicis scientijs supremū Magisteriū consecutus esset. Qui & tandem anno Domini 1256, eiusdem Academiæ summus cōstitutus est Rector & moderator. Sub cuius regimine contigit multas concitari inter studiosos turbas, tumultus varios, seditiones periculosas. In quibus omnibus compescendis, & tādem pacificè componendis, se non modò doctum & eruditum, sed etiam prudentem & moderatum, imò strenuum & magnanimum præbuit. Sed iam quibus monimentis suam doctrinam posteritati testatam fecerit videamus. Scripsit

De principijs Theologicis, *Librum vnum.*
Conclusiones scholasticas. *Librum vnum.*
Contra seductores fratres, *Librum vnum.*
De tribus principijs, Librum vnum. Quia speculatio intellectus discernit.
De relatione, *Librum vnum.* Quærunt de prædicamento relationis.

Et alia nonnulla. Claruit anno partus Virginei 1260, cùm sceptrum Anglici regni teneret Henricus tertius.

De Thoma Eboracensi.

1260. 370. THOMAS Eboracensis, vel de Eboraco, ordinis S. Francisci Monachus Anglus, prælectorum inter Franciscanos in Academia Oxoniensi ordine quartus, dignitate forsan primus. Vir elocutionis gratiâ plurimùm valens, nec minùs ingenij laudandus acumine. Huius eruditionem non tacet Thomas Ecclestonus. Pleraque tamen eorum quæ scripsit perijsse videntur. Nisi quod ex Catalogo illustrium Franciscanorum referat noster Ioannes Lelandus eum edidisse

Commentariorum in Ecclesiastem, *Librum vnum.*

De alijs hactenùs nihil nominatim reperio. Ingruente senio reuersus est Eboracum, & ibi diem clausit extremum, vbi primam lucis acceperat vsuram, circa annum Verbi incarnati 1260, cùm summa rerum in Anglia resideret penes Henricum tertium.

De Haymone de Feuersham.

1260. 371. HAYMO de Feuersham de Feuershino vt habet Vvillottus, à loco natalitio sic cognominatus, natione Anglus, patria Cantianus. Postquam in Anglia, politiorem doctrinam & liberales artes vtcúmque percurrisset, communi ijs temporibus nostratium exemplo, Parisios ad maiora studia se contulit, inter exteros ingenij sui periculum facturus.

Vbi emenſo Philoſophiæ curriculo, Theologiam etiam diligenter audiuit, & in vtroque ſtudio non pœnitendos progreſſus fecit. Tandem vt ſcribit Lelandus, apud Sanctum Dionyſium amplexus regulam Sancti Franciſci, illi ſacro ordini ſe totum mancipauit. Inter illius igitur inſtituti Monachos Magiſter & Profeſſor conſtitutus, Magiſtralem cathedram cum eximia doctrinæ ſuæ teſtificatione non paruo tempore occupauit. Tantumque in ſacrarum litterarum & pietatis ſtudijs profecit, vt ob virtutum merita *Speculum honeſtatis* à ſuis nuncuparetur. In patriam poſteà reuerſus, electus eſt per Angliam ordinis ſui prouincialis. Tum à ſuis vocatus Bononiam, deindè Patauium, ac demùm Romam, vbi anno Domini 1239 in capitulo generali, cui interfuit & præfuit Gregorius Papa nonus, conſtitutus eſt totius ordinis Magiſter Generalis quintus. Quem magiſtratum ad quinquennium optimè geſſit, non tam ſuis imperans officij poteſtate, quàm prælucens virtutum exemplo. Nam qui paulò antè in ſcholis multos docuerat ſcientiam quæ inflat, iam in Monaſterijs docere incepit charitatem quæ ædificat, regularem diſciplinam, atque humilem obedientiam, quæ carnem mortificat, ſpiritum viuificat, & animum lætificat. Tantamque deinceps apud omnes famam conſecutus eſt, vt doctrina, prudentia, & ſingulari in rebus gerendis dexteritate cum præcipuis illius ætatis hominibus non immeritò conferretur. Vnde & idem Papa Gregorius in publicis Eccleſiæ negotijs iiſque magni ponderis & momenti illum ad Græcos legatum deſtinauit. Inter alia quæ in ſuo magiſtratu laude digna geſſit plurima, effecit vt à quatuor præcipuis totius ordinis ſui Doctoribus regula D. Franciſci accuratiſſimè explicaretur. Præterea hic vnus ex ijs erat qui iuſſu. Alexandri Papæ quarti Breuiarium Romanum correxerunt, in eam penè, qua nunc eſt, formam reduxerunt, & illis rubricis, quas adhuc in vſu habemus, illuſtrauit. Ex quo tempore illius ordinis alumni, ex Monachis penè ſoli per totum orbem terrarum Breuiario Romano vbique vtuntur. Scripſit inſuper

De Miſſæ ceremonijs, *Librum vnum*. Indutus planeta Sacerdos.
Super Magiſtrum ſententiarum, *Libros quatuor*.
Sermonum per annum, *Librum vnum*. Et alia nonnulla. Anagniæ tandem in Italia mortuus & ſepultus eſt circa annũ Domini 1260, regnante apud Anglos Henrico tertio. Epitaphium eius ſepulchro inſcriptum ſic incipit:

Hic iacet Anglorum ſummum decus Haymo virorum,
Viuendo Frater, hóſque regendo Pater.
Eximius Lector, Generalis in ordine Rector, &c.

De Laurentio Anglico.

LAVRENTIVS natione & cognomento Anglicus, quod cognomen dari conſueuerat pleriſque noſtratibus, quos potiorem vitæ 1260. 372.

suæ partem in exteris regionibus, vbi hic fecit, transigere contigit. De isto prorsus non inuenio, vbi operam literis dederit, nisi Parisijs, in qua Academia creatus est sacræ Theologiæ Doctor, & tandem illius Collegij, quod ibi tunc habebant Angli, Rector seu præpositus, vbi lectionibus, concionibus, & alijs tum priuatis tum publicis exercitijs sibi magnam eruditionis opinionem apud omnes conciliauit. Concitabãtur per illa tempora crudeles inuidiæ tempestates aduersus Fratres mendicantes, adeò vt quidam odio illorum ordinum articulos fidei nonnullos temerè oppugnauerint. In horum familiaritatem incidens Laurentius, vti erat vani & nonnihil inconstantis ingenij, non difficulter se passus est seduci, & prauis opinionibus imbutus murmurauit, egit, scripsit, & aliàs effutiuit multa satis acerba in bonos & pios fratres. Posteà tamen melioribus vsus consilijs, errorem correxit, & ad meliorem frugem se recepit. Hæc pleraque collegi ex Thoma Cantipratensi libro secundo de bono vniuersali capite nono. Porrò Laurentius iste penè nihil post se scriptum reliquit, præter quædam litigiosa, contumeliosa, atque etiam in fide suspecta

Contra pseudoprædicatores, Librum vnum.

Defensorium Guilhelmi de Sancto Amore, Librum vnum. Et alia similia. Pœnitens tamen mortuus, & apud Prædicatores sepultus est circa annum Domini 1260, dum Anglici regni coronam gessit Henricus tertius.

De Profacio Hebræo.

1260. 373.

PROFACIVS ex Iudæis in Anglia oriundus. Vir in scientijs Mathematicis insigniter eruditus, in quibus etiam egregium habuit discipulum Odingtonum Monachum. De homine nihil aliud inuenio apud Lelandum, vel alios, nisi quòd scripserit

Tabulam motus octauæ sphæræ, Librum vnum. Claruit anno post aduentum Messiæ salutiferum 1260, dum in Anglia rerum potiretur Henricus tertius.

De Ioanne Guallensi.

1260. 374.

IOANNES Guallensis vel Vvalleis, natione Anglus, Franciscanæ familiæ Monachus Vvigorniensis. Vir in sacris & profanis litteris excellenter doctus. Propter vberes quos protulit eruditionis fructus, & ad spiritalis vitæ alimoniam idoneos, suo quodam iure arbor vitæ communiter indigitari solebat. Oxoniæ diù studuit, mirè floruit. Nam ibi primùm, deindè Parisijs sacræ Theologiæ Doctor & Professor, vtrobique maximo cum applausu, teste Trithemio, docuit. Erat ei promptum ingenium, solidum iudicium, lingua diserta, eloquium clarum, & in omni disciplina scholastica ita erat exercitatus, vt primo intuitu res perciperet & intelligeret vel difficillimas, & de quacunque materia repentè etiam proposita eruditè discurrere, & ornatè disserere potuerit. Scribunt probati & docti illorum temporum

auctores, & in his Bartholomæus Pisanus, ac Iacobus Bergomas, quòd ex suis lucubrationibus viginti plus minus volumina magna in lucem emiserit. Nos per opuscula, sicut apud probatos scriptores legimus, singulorum, quantum possumus, librorum hîc catalogum subijciemus. Scripsit itaque

Lecturas Scripturarum, *Libros plures.*
In Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.*
In Apocalypsim S. Joannis, *Libr. vnum.* Legimus apud Euseb. in Eccl.
Sermonum de tempore, *Librum vnum.*
Sermonum de Sanctis, *Librum vnum.*
In Mythologicum Fulgentij, *Librum vnum.*
Breuiarium præceptorum, *Librum vnum.*
De visitatione infirmorum, *Librum vnum.*
De pœnitentia, *Librum vnum.*
Legiloquium de mandatis diuinis, *Libr. j.* Scribam eis multiplices leges.
Communiloquium & de regimine vitæ humanæ, *Libros septem.* Cùm Doctor siue Prædicator Euangelicus. M S. Oxonij in Coll. Balliol. Cantabr. in Coll. S. Petri. Extat Lugduni anno 1511.
Moniloquium seu collectiloquium, *Libros quatuor.* Cùm almus Christi Confessor Franciscus. M S. Cantabr. in Coll. S. Petri, & in Aula Pembrochiana.
Floriloquium seu florilegium de dictis Philosophorum, *Librum vnum.* Cùm enim deberemus apes imitari. M S. Cantabr. in Coll. S. Benedicti, & in Aula Pembrochiana.
Breuiloquium vel compendiloquium de sapientia Sanctorum, *Librum vnum.* In principio secundùm quod testatur. M S. Oxonij in Coll. Balliol. & Orialensi.
Breuiloquium de virtutibus antiquorum Philosophorum, *Librum vnum.* M S. Oxoniæ in Collegio Orialensi.
De vita & moribus Philosophorum, *Libros decem.*
Summam iustitiæ, vel tractatum de septem vitijs ex Parisiensi, *Libros decem.* Summa iustitiæ Christi fidelium. M S. Oxonij in Coll. Exoniensi. Cantabrigiæ in Coll. S. Petri.
Foriloquium, *Librum vnum.* Cùm enim circa res domesticas.
De ordinatione vniuersali, *Libr. j.* Quoniam omni negotio tempus est.
De Republica, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica.
De virtutibus antiquorum, *Libros tres.* Quoniam misericordia & veritas. M S. Oxoniæ in Coll. Orialensi.
Historiarum collectanea, *Librum vnum.*
Additiones celebres, *Librum vnum.*
Ordinarium seu Alphabeticum vitæ religiosæ in has tres partes sequentes diuisum. Videlicet in
Dietarium, *Librum vnum.* Nunquid nosti ordinem cæli. Extat Venetijs, & deinde Lugduni anno 1511.

Locarium, *Librum vnum.* Volo viros orare in omni loco.
Itinerarium, *Librum vnum.* Quoniam vir Deo dedicatus.
Indices duorum operum, *Librum vnum.* Ablatio rerum sustinenda est ex.
Pastoralia, *Librum vnum.* Licet Beatus Gregorius admon.
De diuersis materijs, *Librum vnum.*
De disciplina, *Librum vnum.* Disciplina ad mentem instruendam.
De correptione, *Librum vnum.* Probata virtus quasi per ignem.
De exhortatione, *Librum vnum.* Qui exhortatur, in doctrina.
De cognitione vitæ, *Librum vnum.* Quoniã omni negotio necessariũ.
De oculo morali, *Librum vnum.*
De relationibus, *Librum vnum.*
De esse & essentia, *Librum vnum.*
Commentarios in Valerium, *Librum vnum.*
Collectionem versuum, *Librum vnum.*, MS. Cantabr. in Coll. S. Petri.
Expositionem fabularum Ouidij, *Librum vnum.* MS. ibidem.
De diuersis rebus, *Libros quindecim.*
De origine, progressu, & fine Mahumeti, & quadruplici reprobatione Prophetiæ eius, *Librum vnum.* Ad ostendendum quò Mahumetes.
Manipulum Curatorum, *Librum vnum.* Quem morte præuentus non finiuit, absoluit tamen posteà frater Thomas de Hibernia. Claruit autem Guallensis anno gratiæ 1260, Parisijs tandem inter suos mortuus & sepultus, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Guilhelmo Kingeshamensi.

1262. 375. GVILHELMVS Kingeshamensis vel Ringeshamensis, natione Anglus, ordinis Prædicatorum S. Dominici prædicator eximius, & in omni tum Philosophiæ, tum Theologiæ genere insigniter doctus, &, vt videtur, sacrarum litterarum Doctor & Professor Cantabrigiensis. Multa, teste Bostono Buriensi, eruditè scripta posteris reliquit

Postillam super Ecclesiasticum, *Librum vnum.* Magister & Dominus Gundisaluus.
Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.*
Sermones de tempore, *Librum vnum.*
Sermones de Sanctis, *Librum vnum.* Et alia nonnulla.
Claruit anno post Christum natum 1262, sub Anglorum Rege Henrico tertio.

De Guilhelmo Boderishamensi.

1262. 376. GVILHELMVS Boderishamensis, ordinis S. Dominici Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor. Vir eruditione multiplici instructus, & in sacris Scripturis exercitatissimus. Errores omnes, omnes temerarias & prauas opiniones toto corde execrabatur, & omnibus ingenij neruis contendebat, vt huiusmodi animarum pestes è medio

medio tolleret, adhibitis maximè sacrarum litterarum potentissimis remedijs. Vndè vt omnibus explicatiùs cælestis doctrinæ veritas innotesceret, commentarijs illustrauit varios sacrorum Bibliorum libros, & saltem in lucem emisit

In Cantica Salomonis, *Librum vnum.*
In Threnos Hieremiæ, *Librum vnum.*
In epistolam ad Romanos, *Librum vnum.* Et alia plura.

Claruit anno partus virginei 1262, dum in Anglia rerum potiretur Henricus tertius.

De Simone Stokio.

SIMON Stokius vel Stochius honestis in Anglia parentibus natus, patria Cantianus. Anno ætatis suæ duodecimo in solitudinem exiuit, & in trunco concauæ quercus sibi domicilium elegit, vnde cognomen accepit. Nam truncus idē Latinè significat, quod Anglicè Stock. Ibi, vt scribit Lelandus, ab omni hominum commercio separatus, tantò copiosiùs mentem pauit cælestibus contemplationis delicijs, quantò parciùs corpus fouit terrenis alimentis. Eò liberiorem habuit sanctorum communionem, quò rariùs cum hominibus colloquium. Precibus, vigilijs, ieiunijs semper intentus. Frigida aqua potu, herbis & radicibus, nonnumquam etiam pomis syluestribus, cibis vsus est. Sed omnem hanc quam corpori intulit austeritatem facilè absorbuit cælestium rerum assidua meditatio, omnemque sensum tanti rigoris penitus abstulit animus ad superna raptus, & in spiritualis vitæ dulcedine totus acquiescens. Inter hæc oraculo cælesti reuelatum est ei, venturos aliquando in Angliam ex Palæstina Syriæ quosdam Monachos, quorum & ipse institutum amplecteretur. Euentus comprobauit oraculi veritatem. Nam ex Palæstina venerunt in Angliam Carmelitæ, ad quos celeri gressu, & alacri animo se contulit Simon iam ferè octogenarius, & in eorum societatem statim admissus est. Cuius doctrinam singularem raris virtutibus ornatam vt perspexerunt viri religiosi, eum mirificè coluerunt, & tanquàm virum Dei cælitùs missum suspexerunt. Itaque in proximo generali ordinis Capitulo, quem anno Christi 1245. apud Ailesfordiam celebrarunt, hunc Simonem totius ordinis per vniuersum terrarum orbem Magistrum Generalem elegerunt. Qui in eo supremo munere prouincijs omnibus ad annos circiter viginti sanctissimè præfuit, proximus scilicet post Alanum Armoricum Britonem Generalem illius ordinis quintum, qui tum illi officio se abdicauit. Importunis fratrum suorum, & Magistrorum Oxoniensium precibus victus, reluctans & renitens Oxonij gradum aliquem in Theologia suscepit. De eius vitæ sanctimonia, prophetiæ spiritu, reuelationibus, alijsque stupendis signis & prodigijs, mihi ex professo de illius doctrina agenti, multa commemorare, nimis longum esset. Hæc apud eos legi possunt, qui fusè vitam eius scripserunt. Scripse-

1265.
377.

runt autem Monaldus Rosarius Vasco, Rolandus Bouchier Hannonius, & Nicolaus Harlemius Batauus. Nos ad ea quæ posteris reliquit scripta, liquida satis eruditionis eius testimonia, veniamus. Scripsit

Canones cultus diuini, *Librum vnum.*
Homiliarum ad populum, *Librum vnum.*
De Christiana pœnitentia, *Librum vnum.* Amos super tribus sceleribus.
Epistolarum ad fratres, *Librum vnum.* Frater Simon Prior Generalis.
Ad Christiparam Virginem Antiphonas. Flos Carmeli vitis florigera.
Ad eandem, Antiphonam. Aue stella matutina!

Burdegali tandem in Vasconia vitam hanc cum meliore commutauit, & ibidem in æde summa sepulturam accepit die decimo sexto Maij, anno ætatis suæ plus minus centesimo, nati verò Christi Seruatoris 1265, dum Anglis regali potestate præsideret Henricus tertius. Porrò quoniam apud eius sepulcrum coruscabant miracula, corpus eius posteà fuit effossum, & loco commodiore honorificentiùs reconditum. Et ipse tandem in numerum sanctorum Confessorum solemniter relatus est. De quo compositum suspicor illud officium Simonis Angli quod concinnauit Robertus Balæus iunior.

De Petro Svvaningtono.

1270. 378.

PETRVS Svvaningtonus, natione Anglus, patria Norfolcensis, ordinis fratrum beatæ Mariæ virginis de monte Carmeli in cœnobio Brunhaniensi, omnium primus ex illo Monachorum genere, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis. Posteà etiam Burdegali in Vasconia sacras litteras publicè professus est. Vir sanè omni melioris notæ doctrina insignitus. In concertationibus scholasticis acer admodum & vehemens. Singularem habuit fautorem & Mecænatem Gilbertum eiusdem ordinis eruditum Monachum Norvvicensem, & Episcopum postea Hamarensem. Nihilominùs multa passus est à Gerardo Bononiensi totius ordinis Generali Magistro, eo quod illorum partibus se adiunxerat, & pertinaciter adhæserat, qui dicto Gerardo obstiterunt, quo minus ordo Carmelitarum in Anglia in plures diuideretur prouincias. Hæc pleraque ex Lelando. Scripsit autem eximius hic Doctor, vt habent Iacobus de Plebe in Indice, & Petrus Lucius in Bibliotheca,

Lecturas scripturarum, *Librum vnum.*
In Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.*
Quodlibeta quadraginta septem, *Librum vnum.*
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.*

Vixit anno gratiæ 1270, dum Anglis imperaret Henricus tertius.

De Thoma Dockingo.

1270. 379.

THOMAS Dockingus, natione Anglus, & teste Vvillotto, patria Norfolcensis, vbi post perceptas litteras politiores, in Diui Francisci regularem disciplinam se tradidit, & inter illos fratres Mona-

chum induit. Studia prosecutus Oxonij, post diuturnos labores, & multorum annorum vigilias, creatus videtur sacræ Theologiæ Doctor, & tandem post Ioannem Gallensem publicus etiam ibidem sacrarum litterarum Professor, prædecessorem suum longiùs præcessit doctrina, quàm secutus est tempore, maximè si Theologiam respiciamus. Quamuis vterque cum primis illius ætatis in Europa Theologis esset non immeritò conferendus. Erant enim ambo præcellentis doctrinæ, & integerrimæ vitæ. Scripsit autem hic Thomas

In Deuteronomium, *Librum vnum*. Legitur Exodi decimo sexto quòd Dominus. M S. Oxonij in Collegio Balliolensi.

Commentarios in Iob, *Librum vnum*.

Quæstiones in Iob, *Librum vnum*. Quæritur vtrum status prosperitatis.

In Isaiam, *Librum vnum*. Habemus firmiorem sermonem Propheticum. M S. Oxonij ibidem.

Commentarios in D. Lucam, *Librum vnum*. Fluuius egrediebatur de loco volupt.

Quæstiones in eundem, *Librum vnum*. Non misit baptizare, sed euangelizare.

In D. Paulum ad Romanos, *Librum vnum*. M S. ibidem.

In eundem ad Corinthios, *Libros duos*. M S. ibidem.

In eundem ad Galatas, *Librum vnum*. Epistolæ Pauli ad Galatas. M S. ibidem, & in Collegio S. Mariæ Magdalenæ.

In eundem ad Ephesios, *Librum vnum*. Ephesij sunt Asiani. Epistolæ argumentum. M S. Oxonij in Collegio Balliolensi.

In eundem ad Philippenses, *Librum vnum*. Philippenses sunt Macedones. Alioquin. M S. ibidem.

In eundem ad Colossenses, *Librum vnum*. Colossenses, & hi sunt Laodicenses. M S. ibidem.

In eundem ad Thessalonicenses, *Libros duos*. Thessalonicenses sunt Macedones. M S. ibidem.

In eundem ad Timotheum, *Libros duos*. Timotheum instruit & docet de Ep. M S. ibidem.

In eundem ad Titum, *Librum vnum*. Titum commonefacit & instruit. M S. ibidem.

In eundem ad Philemonem, *Librum vnum*. Philemoni familiares litteras mittit. M S. ibidem.

In eundem ad Hebræos. *Librum vnum*. Incipit Epistola ad Hebræos. circa. M S. ibidem.

In Apocalypsim S. Ioannis, *Librum vnum*. M S. ibidem.

Lecturas Bibliorum, *Librum vnum*. Terminato prooemio incipit tract.

In præcepta Decalogi, *Librum vnum*. Est quædam mensura fidei quæ.

In Magistrum sententiarum, *Libros quatuor*.

Quæstiones ordinarias, *Librum vnum*.

In posteriora Aristotelis, *Libros duos*.

Hæc pleraque ex Lelando & Vvillotto colligo. Porrò claruit anno post aduentum Messiæ 1270, dum summa rerum in Anglia penes Henricum tertium resideret.

De Richardo Rufo.

1270. 380. RICHARDVS Rufus ordinis S. Frãcisci Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Parisiensis, vt in historia sua Franciscana testatur Thomas Ecclestonus, qui dicit etiam eũ fuisse Cornubiensem (quamuis & alium habeamus in appendice nostra Richardum de Cornubia, etiam huius instituti Doctorem, sed Oxoniensem) eo tempore Parisijs legit hic sententias, quo Helias de Assisio tanquam Magister Generalis toti familiæ D. Francisci præfuit, & vulgò vocatus est Philosophus admirabilis. Hæc ferè Ecclestonus. Addit autem Henricus Vvillottus in suis Franciscanorum Athenis hunc Rufum scripsisse Parisijs eruditissimos commentarios

Super Magistrum sententiarum, Libros quatuor. Totalis libri præmittit mihi prologum. Extat Parisijs.

Vixit autem noster hic Rufus anno Verbi incarnati 1270, dum in Anglici regni solio sedit Henricus tertius.

De Richardo Phisaia.

1270. 381. RICHARDVS Phisaia ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor. Vir cui nec ingenij subtilitas, nec multiplex lautioris eruditionis defuit supellex. Erat enim in disputationibus mira hominis acrimonia simul & vehementia, in enodandis scholasticis difficultatibus multum acumen. His fidem astruunt Antonius Senensis in sua Prædicatorum Bibliotheca, & alij probati Scriptores. Sed multò magis ipsius hominis opera, quæ pauca quidem, sed illa illustria inuenimus. Scripsit saltem

Super Magistrum sententiarum, Libros quatuor.
Opusculorum, Librum vnum.

Claruit anno partus virginei 1270, dum in Anglia rerum potiretur Henricus tertius.

De Richardo Castriconensi.

1270. 382. RICHARDVS Castriconensis ordinis etiam Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor. Vir integritate vitæ spectabilis, fælicis ingenij, magnæ doctrinæ, in soluendis scholasticis nodis mirè subtilis, in exponendis sacris scripturis valdè perspicuus, & clarus. Sic enim de illo scribit Antonius Senensis in sua præfata Bibliotheca, vbi testatur eum scripsisse commentarios eruditos

In Apocalypsim S. Ioannis secundùm litteram, Librum vnum.
In eandem secundùm sensum moralem, Librum vnum.

In Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.*

Claruit anno gratiæ 1270, dum Anglicani regni sceptrum obtinuit Henricus tertius.

De Radulpho Bockingo.

RADVLPHVS Bockingus alumnus Comitatus Southsaxiæ in Anglia, de ciuitate vel territorio Cicestrensi natus. Et ipse ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus. Vir pietatis & eruditionis titulis insignis. Quibus nominibus S. Richardus Episcopus Cicestrensis, hominem dilexit, ad se vocauit, eumque sibi ab arcanis conscientiæ, vel in ijs omnibus quæ ad Deum sunt, moderatorem fecit. Cùm igitur esset Radulphus tanto viro consiliorum omnium particeps, & ex quotidiano cum homine conuictu omnem vitæ eius rationem exploratè cognouisset, eo defuncto, de rebus eius gestis Latinè, idque fusissimè scripsit, & Isabellæ Arundeliæ Comitissæ dedicauit eximium opus cui titulum præfixit

1270.
383.

Vitam S. Richardi Episcopi Cicestrensis, *Libros duos.* Sicut dicit Cassiodorus in principio.

Sermonum, *Librum vnum.*

Floruit anno reparationis humanæ 1270, cùm in Anglicani regni solio sederet Henricus tertius.

De Guilhelmo de Vvaria.

GVILHELMVS de Vvaria, seu Guaronis, vel, si Vvillottum sequamur, de Oona, cognominatus ab oppido in quo natus, quod viginti plus minùs milliaribus Londino distare ferunt. Erat autem ordinis S. Francisci Monachus Anglus, necnon sacræ Theologiæ Doctor & Professor primùm Oxoniensis, deinde Parisiensis. Inter cæteros nominatos discipulos, & famatos Doctores, qui ex eius scholis prodierunt, numeratur Ioannes Scotus Doctor ille subtilis. Vnde & inter quindecim illos Doctores, quorum nomina & cognomina in circuitu sepulchri Ioannis Scoti in ære incisa sunt in antiquiore conuentu Franciscanorum Coloniæ Agrippinæ, sic scriptum vidi & legi, *Magister Guilhelmus Varro præceptor Scoti.* Erat autem Varro iste noster in Aristotelica & multò magis Christiana Philosophia, longo studio & assidua exercitatione doctissimus, & propter eruditionis soliditatem, fundatus Doctor cognominatus erat. Hunc Ioannes Picus Mirandulanus in Heptaplo suo mirificè commendat & laudat, licet perperàm Ioannem nominet. Sed eruditionis indices, & ingenij proferamus in medium hominis lucubrationes

1270.
384.

In Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.* Quoniam teste beato Augustino.

Lecturas Theologiæ, *Librum vnum.*

Quodlibeticas quæstiones, *Librum vnum.*

Quæstiones ordinarias, Librum vnum.
Commentariorum in Aristotelem, Libros plures.

Claruit anno reconciliationis humanæ 1270, Henrico tertio clauum Anglicani regni tenente.

De Helia Trickinghamo.

1270. 385. HELIAS Trickinghamus, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Metanstedensis, id est, Petroburgensis. Sub optimis præceptoribus in bonarum litterarum studijs educatus, virtutem simùl & eruditionem vbertim imbibit. Politiorem litteraturam, omnesque artes liberales accuratè didicit. Tandem Oxonium ad altiora studia missus, à litterarijs exercitijs non cessauit, nisi percepta suprema in sacra Theologia laurea. Post quem dignitatis gradũ acquisitum, quasi sui iuris in studiorum ratione factus, ad iucundam historiarum lectionem se contulit, in quibus etiam nec pauca, nec ea contemnenda edidit. Fecit enim annales annorum sexcentorum quadraginta quatuor, ab anno videlicet Christi 626, vsque ad annum 1270. Operi titulum posuit

Annales temporum, Librum vnum. Ab origine mundi in prima ætate.

Vixit anno salutis reparatæ 1270, quo tempore regnauit in Anglia Henricus tertius.

De Roberto Dodefordo.

1270. 386. ROBERTVS Dodefordus, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Ramesiensis. Vir studijs bonarum litterarum impensè deditus, & qui ad summa properans, à tergo quodammodò nunquam respexit, sed absoluto omnium studiorum cursu, in supremis sibi tantum consistẽdum iudicauit. Diuini namque verbi meditationi se totum consecrauit. In cuius cœlestibus mysterijs, vt penitiorem consequi posset cognitionem, linguam Hebræam didicit; idque apud suum Abbatem, & Monasterij primarios egit, vt suæ custodiæ committeretur thesaurus librorum hebraicorum, quem ad illius cœnobij bibliothecam instruendam Gregorium Huntingtonum coaceruasse alibi à me dictum est. Qua obtenta petitione, fertur multum & quidem perutiliter laborasse, & plurima erudita scripta edidisse. Sed nescio quo infortunio, qua inuidia, quouè alio casu euenerit, vt perpauca eius opera ad nos peruenerint. Ferunt tamen adhuc extare

Postillarum in parabolas Salomonis, Librum j. Ipse mittet quasi imbres eloq.
Concionum, Librum vnum.

Vixisse putatur circa annum Christi 1270, sub Anglorum Rege Henrico tertio.

De Ioanne Grammatico.

1270. 387. IOANNES Grammaticus in Anglia natus, & in studijs bonarum litterarum partim Oxonij, partim Parisijs nutritus, laudatos fecit

progressus, & elegantiam Græcæ Latinæque linguæ ita accuratè didicit, & tantum vtróque sermone delectabatur, vt altiora studia, licet, & in illis multa sciuerit, huic politæ vtriusque linguæ cognitioni postposuerit. In Angliam ex Gallijs reuersus, principum & magnatum filios instituendos suscepit, vt cultos rhetores, elegantes poëtas, Græcæque linguæ, si vellent, peritos redderet. Propter quam sermonis puritatem à multis Scriptoribus laudatur, & inter doctos gentis nostræ viros in suo genere numeratur, licet extra litteraturam humaniorem, nihil, quantum scio, scripserit. Posteris saltem reliquit

Integumentorum in Ouidij Metamorphosim, *Librum vnum.* Paruus maiori paret veloxque.
Opuscula varia Græcè, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Collegio nouo.
Variorum carminum, *Librum vnum.*
De arte metrica, *Librum vnum.* Parisiana iubar diffundit gloria.
Compendium Grammatices, *Librum vnum.* Grammatica triuialis apex.

Vixisse putatur circa annum Domini 1270, quo tempore regnauit in Anglia Henricus tertius.

De Helia de Eueshamo.

HELIAS de Eueshamo honesta apud Anglos familia natus, in Comitatu Vvigorniensi, vbi etiam penè à puero Monachus erat sub regula S. Benedicti. Partim autem in suo, partim in alijs instituti sui Monasterijs, per Angliam, ita strenuam bonis litteris operam dedit, vt teste Lelando, ad insignem tandem eruditionem peruenerit, & ex discipulo Magister factus fuerit, vt ea quæ à multis didicerat, plures docuerit. Interim tamen priuatim sibi complacuit in historiarum lectione. Quo in genere tantum profecit, vt eximium opus in lucem emiserit, quod vocauit

1270. 388.

Opus chronicorum, *Librum vnum.*

Floruisse putatur circa annum Messiæ 1270, cùm summa rerum in Anglia penes Henricum tertium resideret.

De Alfredo Philosopho.

ALFREDVS natione Anglus, cognomento Philosophus, vir omni politioris doctrinæ genere ornatissimus, optimis etiam prophanæ Philosophiæ præceptis abundans, & linguarum peritissimus. Postquàm in patrijs Academijs vtilem his studijs nauasset operam, idque cum vberrimo rei litterariæ prouentu, Galliarum etiam & Italiæ celebriora quæque gymnasia frequentauit, vt ijs omnibus quæ iam domi didicerat, foris supremam quandam adijceret perfectionem. Hoc autem eo maximè consilio fecit, quia per id tempus turbatiores erant in Anglia res, quàm vt viri litterati illa quiete, quæ studijs conuenit, tranquillè intra patriæ fines frui possent. Hunc mirificè laudant eruditi viri non pauci, summisque in cœlum encomijs efferunt, qui & testantur illum varios

1270. 389.

Philosophorum libros doctissimis commentarijs illustrasse. Hunc Rogerus Baconus in libro de vtilitate linguarum inter linguarum politarum interpretes numerat. Hunc Bostonus Buriensis in suo maiore Catalogo mirè commendat. Hunc Ioannes Lelandus enumeratis eruditis eius scriptis amplissimis laudibus afficit. Porrò peragrata iam studiorum causa penè vniuersa Italia, Romam se tandem, tanquam ibi sedem fixurus recepit, illic in securitate pacatiora in patria præstolaturus tempora. Cognitis autem hominis virtutibus & eruditione, in familiam Cardinalis Othoboni coaptatus est, eique factus est à sacellis. Tandem successu tẽporis cum Vrbanus Papa quartus de tumultibus Anglicanis monitus ad componendum turbulentum illud negotium præfatum Cardinalem Othobonum legatum in Angliam destinaret, hunc Alfredum tanquam virum pium, prudentem, & eruditum illi comitem itineris adiunxit, vt illi sua opera & consilio adesset, ad conciliandam inter Regem & proceres Angliæ pacem atque concordiam. Sed ad laudem hominis litterariam veniamus. Scripsit teste Lelando & alijs

In Boëtium de consolatione Philosophiæ, *Libros quinque.*
In Meteora Aristotelis, *Libros quatuor.*
In eumdem de vegetabilibus, *Librum vnum.*
De naturis rerum, *Librum vnum.*
De Musica, *Librum vnum.* Licet mihi inter meditandum.
De motu seu vita cordis, *Librum vnum.*
De educatione accipitrum, *Librum vnum.*

Claruit anno post aduentum Messiæ 1270, tumultuantibus sub Hẽrico tertio Rege Angliæ proceribus.

De Roberto Oxfordio.

1270. 390.

ROBERTVS Oxfordius ordinis Prædicatorum S. Dominici sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Vir magni, elati, & vehementis ingenij, quem etiam Leander Albertus Bononiensis tum à copia dicendi, tum à subtilitate scribendi egregiè prædicat. Et licet illud sæculũ fuerit doctissimorum hominum mirè ferax, hic tamen inter præcipuos honorificum suo merito locum & nomen obtinuit. Floruerunt autem per id tempus insignes Theologi Thomas de Aquino, Henricus de Gandauo, Ægidius Romanus, & similes. Ex quibus hi duo posteriores Diui Thomæ doctrinam in multis oppugnabant. Quod ferre non potuit Robertus, sed acerrimis disputationibus, & libris scriptis vtrique strenuè restitit, vt Thomam defenderet. Scripsit igitur protectorium Diui Thomæ Aquinatis

Contra Ægidium Romanum, *Librum vnum.*
Contra Henricum Gandauensem, *Librum vnum.*
Contra Jacobum Viterbiensem, *Librum vnum.*
Contra quosdam Sorbonicos, *Librum vnum.*

Determinationum

Determinationum, *Librum vnum*. Et alia quædam.
Claruit anno gratiæ 1270, proceribus Angliæ contra Regem Henricum tertium res nouas machinantibus.

De Iacobo Anglico.

IACOBVS natione & cognomine Anglicus, Monachus Cistercien- 1270.
sis, & sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis. Per illud tempus inter 391.
Monachos Cistercienses multum defecerat eruditio, erantque inter eos indocti plerique, docti perpauci. Quod vbi perspexit Stephanus Lexingtonus Anglus Abbas Clarauallensis, scholam quam Cadmeiam nominauit, Lutetiæ suis erexit. Misitque illuc ad studia Monachos, quibus in Philosophia primùm, deindè etiam in Theologia Professor constitutus est hic Iacobus. Qui strenuè suo munere functus, & seipsum in sacris atque profanis litteris insigniter exercuit, & suos diligenter docuit. Hic teste Petro Vincentino Monacho Dominicano constanter tenuit, & solidis argumentis corroborauit sententiam S. Thomæ Aquinatis de conceptione beatæ Mariæ Virginis in peccato originali. Prompsit autem ex doctrinæ suæ pharetra magnarum virium, licet non multas ignitas sagittas. Scripsit enim, teste Sixto Senensi & alijs,

In Cantica Canticorum, *Librum vnum*.
Conciones in Euangelia, *Librum vnum*.
Lecturas scholasticas, *Librum vnum*. Et alia non pauca.

Claruit anno redemptionis humanæ 1270, Henrico tertio cum Angliæ proceribus periculosè litigante.

De Godvvino Sarisburiensi.

GODVVINVS Sarisburiensis Ecclesiæ Canonicus simùl & Præ- 1272.
centor, natione Anglus. Vir bonarum litterarum summè cupidus, 392.
& qui in studijs non contemnendos fecit fructus, sed in pietate multo maiores. Lelandus illum vtroque titulo plurimùm laudat, maximè tamen à singularibus virtutibus, à vitæ simplicitate, morum cãdore, & integritate, vt illo depingente, verè videri possit homo in quo dolus non erat, verè Israëlita, vel effectus sicuti paruulus, & similis ijs, qualiũ dixit Dominus Christus esse regnum cœlorum. Postquam multo tempore & assiduo labore, tum sacra, tum profana volumina perlustrasset, & in vtrisque magnam scientiam fuisset consecutus: posthabitis ijs quæ inflant, edoctus à Spiritu sancto, sectatus est ea quæ ædificant, & æmulatus charismata meliora, cum Maria optimam partem elegit, quæ numquam ablata est ab eo. In tantum enim cœlestium rerum contemplationi se dedidit, vt præ excessu consolationis spiritualis, mente cœlum conscendere, & quasi cõtagijs mortalitatis exutus, Anglicis choris interesse nonnumquam videretur. Scripsit quædam ad imitationem S. Patricij præsertim illud opus suum magnum de tribus habitaculis. Pleraque autem scripta sua dedicauit Ramuliæ seu Ramildæ Anachoritæ incomparabilis virtutis fœminæ

Piarum meditationum, *Librum vnum*. Hæc sunt prima documenta legis.
De tribus habitaculis, *Librum vnum*. Tria sunt omnipotentis Dei manu.
Exhortationum spiritualium, *Librum vnum*. Et alia similia.

Claruit anno gratiæ 1272, sub Anglorum Rege Henrico tertio.

De Radulpho Fresburno.

1274. 393.

RADVLPHVS Fresburnus in Septentrionalibus Angliæ regionibus nobili familia natus, patria Northumbrensis. Bonis præceptoribus adolescens traditus, litteras simul & Christianæ religionis zelum imbibit. In ætatis flore profectus est ad Orientem, vt contra Saracenos Christiani nominis & religionis iuratos hostes arma gereret. Cùm autem ad Carmelum Syriæ venisset, vidissetque sanctum institutum fratrum, qui illam eremum incolentes, sub tutela beatæ Mariæ Virginis sese totos diuinis obsequijs mancipabant: ijs se adiunxit, eorum habitum & regulam suscepit, in eorum disciplinam se totum tradidit. Redeuntibus è Syria tandem in Angliam Baronibus Ioanne Vesco & Richardo Graio, cum multis alijs militibus Anglis, Radulphus etiam assumpto sibi socio Iuone Armorico Britanno, in Angliam reuersus est, vt ibi ordinis sui prima poneret exordia, quod anno Domini 1240, ex animi sententia præstitit. Multos enim illius instituti Monachos in Angliam vocauit, quibus ipse ad annos quatuordecim Prouincialis præfuit. Edificauitque ex suis potissimùm bonis prima illorum cœnobia. Iuxta Aluevvicum in Holnensi Northumbriæ deserto vnum. In Ailesfordensi sylua in Cantia alterum. Rexit autem suos non tam regularum seueritate, quàm pijs exhortationibus, & virtutum exemplis. Hæc Mantuanus libro octauo fastorum plus quàm leuiter tangit his & similibus versibus

Cur apud Anglorum populos ita creuerit audi:
Anglicus in Syrias veniens exercitus olim: &c. & infrà.
Ista Duces tanta intuiti miracula, secum
In patriam duxêre viros, quibus arma negabant
In laribus sedem Assyrijs, & templa domosque
Construxêre nouas, &c.

Porrò Radulpho locum in hoc Catalogo magis tanquam Doctori, qui multos multa docuit, quam scriptori qui multa cartis commisit. Scripsit tamen maximè ad suos fratres

Exhortationum piarum, *Librum vnum*.
Epistolarum, *Librum vnum*. Et alia quædam.

Omnia pietatem redolentia. Tandem plenus dierum, ferax meritorum, & coruscans gloria miraculorum, eodem anno viuendi finem fecit, quo Edvvardus primus regnandi exordium habuit, hoc est anno Christi 1274, & in suo cœnobio Holnensi, seu Vlmensi, vel de Aluevvico sepulturam accepit, sub præfato Edvvardo primo.

De Thoma Sprotto.

THOMAS Sprottus vel Spottus Benedictinæ familiæ Monachus Anglus in cœnobio S. Augustini Cantuariæ. Vir vitæ religiosæ & eximiæ doctrinæ. Incola & alumnus ciuitatis Cantuariensis sanè non ingratus. Nam historiam loci, & duorum inibi suæ professionis Monasteriorum stylo satis probato scripsit. Res gestas Abbatum à primo S. Augustini Apostoli nostri aduentu vsque ad annum Christi 1272. luculenter commemorat, Reges & Archiepiscopos pro occasione silentio minimè præteriens. Ita vt de sua ciuitate, de suo ordine, imò de tota sua patria historicus optimè meritus meritò dici poterit, qui tot res lectione & imitatione dignas à tenebris vindicauerit, in luce posuerit, posteritati tradiderit. Harum historiarum flores posteà Guilhelmus Thornus eiusdem ordinis & Monasterij religiosus collegit, & ijs aliquorum annorum additiones fecit. Scripsit itaque Sprottus noster

1274.
394.

Cantuariensem Historiam, Librum vnum.
Abbatum sui cœnobij vitas & res gestas, (chronica vocauit) Librum vnum.
M S. in Bibliotheca priuata Gualteri Copi. Et alia quædam. Claruit anno post Christi Natiuitatem 1274, inchoante in Anglia regnum suum Edvvardo primo.

De Petro Ickehamo.

PETRVS Ickehamus vel de Ickeham, natione Anglus, patria Cantianus, &, vt videtur in ipsa ciuitate Cantuariensi in lucem editus, atque in adolescentia ibidem bonis litteris imbutus. Accedente autem ætate & iudicio maturiore Lutetiam Parisiorum perrexit studiorum causa. Ibi post editum eruditionis & pietatis egregium specimen, aliquo in precio habitus est, & inter alios, Philippus tunc temporis Academiæ Cancellarius perspectis laudatissimis viri dotibus, eo familiarissimè vsus est. Et cùm vterque peruoluendis antiquis historijs non mediocriter delectaretur, alter alterum ad hæc studia vehementiùs inflammabat. Acquisiuit igitur Ickehamus primò Britonum historias vetustissimas, deindè Anglorum tum antiquas, tum etiam recentiores; flores ex omnibus collegit, omnes in ordinem redegit, & à primo ingressi Briti in insulam nostram, vsque ad suum tempus, hoc est ad Edvvardum eius nominis Anglæ regem primùm narrationem rerum deduxit, quam in gratiam prædicti Cancellarij, & aliorum Gallorum, quibuscum iam diù vixerat, & magnam familiaritatem contraxerat, Gallicè composuit, & in lucem emisit

1274.
395.

Genealogiam regum Britanniæ, Librum vnum.
Genealogiam regum Angliæ, Librum vnum. Quædam etiam eius lucubrationes dicuntur haberi M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Claruit teste Lelando in collectaneis anno post aduentum Messiæ 1274, Anglicani regni solium ascendente Edvvardo primo.

De Ioanne Houedeno.

1275. 396. IOANNES Houedenus, Londini in Anglia natus, sacræ Theologiæ Doctor, & Alienoræ Reginæ matris Edvvardi primi Regis Angliæ capellanus. Vir sufficientis doctrinæ, magnæ pietatis, incredibilis candoris & simplicitatis. Post transactos in studijs profanis iuueniles annos, matura ætate Theologiam scholasticam, quantum illi satis videbatur, gustauit. Deindè sacrarum scripturarum lectioni & meditationi se totum dedidit, relictóque strepitu aulico, apud Houedenam factus est Pastor, vbi populum exemplis pietatis & sanctimoniæ, magis quàm altitudine scientiæ ad virtutem traduxit, imperitæ multitudinis & simplicium rusticorum captui se propter Christum & Christianorum salutem in omnibus accommodans. Ex vtroque testamento magna diligentia sententias illas, quas ad vulgus docendum magis conducere iudicabat, collegit. Et quia Musicus erat, atque Poëta non vulgaris in spirituales rithmos conuertit, suauibus modulis ad Lyram, & alia instrumenta musica aptauit, & animi causa (ea erat hominis pietas) frequenter Deo psallebat in Hymnis & Canticis spiritualibus. Ex istis, vt scribit Bostonus Buriensis, multos libros composuit, quorum hos sequentes titulos inuenio, ad gloriam Dei & laudem sanctorum maximè Gallicè. Collegit flores vtriúsque testamenti ex quibus confecit, quam vocat

Lyram dulcissonam, *Librum vnum.*

Rosarium de Natiuitate, Passione, Ascensione Iesu Christi, metris Gallicis, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Meditationes animæ Christianæ, *Librum vnum.* Aue Verbum ens in principio.

Canticum diuini amoris, *Librum vnum.* Princeps pie Iesu bone.

De beneficijs Dei ex D. Bernardo, *Librum vnum.* Iesu Christi celeri intercessione.

Quinquaginta salutationes Mariæ, *Librum vnum.* Aue stella maris virgo singul.

Quindecim gaudia Mariæ, *Librum vnum.* Virgo vincens balsamum odore.

Speculum laicorum, *Librum vnum.* In Christo sibi dilecto quondã cons.

Philomelæ Canticum, *Librum vnum.* Philomela præuia temporis amœni. Houedenæ tandem in suo pastoratu diem obijsse, & sepulturam accepisse dicitur anno gratiæ 1275, & post mortem miraculis claruit, regnante apud Anglos Edvvardo primo.

De Ioanne Bectono.

1275. 397. IOANNES Bectonus, alijs Breton, in Anglia natus, & in bonarum artium studijs ibidem educatus, vbi Latinæ linguæ didicisset elegantiam, vt ex Lelando colligo, ad iurisprudentiæ studium se contulit, quem professionis cursum nunquam interrupit, donec vtriusque

iuris Doctor crearetur. Quo gradu acquisito, dici non potest quantum reipublicæ profuerit in praxi communi, & quotiana causarum actione, litiumque diremptione. Illius enim opera decisæ sunt multæ difficiles controuersiæ, sublatæ variæ lites, reconciliati discordes animi, multique processus optimè terminati. Hinc apud omnes celebre nomen acquisiuit, multam gratiam sibi conciliauit, & apud ipsum regem Henricum tertium, regnique proceres, suprà quam credi potest, auctoritate valuit. Vndè rex ei contulit Episcopatum Herefordensem. De quo suo loco. Congessit autem ex varijs auctoribus ingens legum volumen, quod in vnum corpus coaceruatum vocauit

Legem Anglicarum, *Librum vnum.* Quem vocauit Briton, vt scribit Matthæus Vvestmo. ad annũ 1275. Obijt anno Verbi Incarnati 1275, dum in Anglicani regni solio sedebat Edvvardus primus. Vide eum quem scripsi de Episcopis Herefordensibus catalogum.

De Roberto Kilvvarbio.

1280. 398.

ROBERTVS Kilvvarbius, quem Onuphrius Bilibrim, alij Canuil-Vertim vocant, in Anglia natus, & ibidem ab adolescentia humanioribus litteris & ingenuis disciplinis egregiè excultus est. *Ante ordinis ingressum* (inquit Continuator Matthæi Parisij) *Parisijs rexit in artibus, cuius in his peritiam præcipuè quoad Grammaticam & Logicam redacta in scriptis edocent monimenta. Post ingressum ordinis studiosus in diuinis scripturis principales Sanctorum Patrum libros Augustini ferè omnes, aliorumque Doctorum plurimos per parua distinxit capitula, sententiam singulorum sub breuibus verbis annotando,* &c. Hæc ille. Postquam Parisijs liberales artes docuisset, ordinem Prædicatorum S. Dominici ingressus, & in Angliam reuocatus, Oxoniæ Theologiam audiuit, & successu temporis suscepto gradu Doctorali, ibidem publicè professus est. Posteà factus fratrum suorum per Angliam Magister Prouincialis, vndecim ferè annis illum magistratum magna cum cura & sollicitudine, pari cum vtilitate & fructu laudabiliter obiuit. Tam benè de suo ordine, de vniuersa patria, & de tota Ecclesia Catholica meritus, vt intuitu integerrimæ vitæ, & eminentis doctrinæ, primùm euectus fuerit ad Archiepiscopatum Cantuariensem, & totius Angliæ Primatum, deinde Romam vocatus à Nicolao Papa tertio, anno Domini 1277 creatus fuerit S. R. E. Cardinalis tituli Sanctæ Rufinæ, & Episcopus Portuensis. De quibus suo loco fusiùs. Erat profectò vir omnium scientiarum & virtutum copiosa supellectile instructissimus, vt abundè eius scripta testantur, quæ ad vtilitatem posteritatis post se reliquit omni melioris eruditionis genere refertissima. Nam licèt ad Archiepiscopale munus assumptus, totum se verbi diuini prædicationi, & Ecclesijs vigilanter regendis, postposita librorum scriptione, consecrauerit: tamen quæ in ætate præterita, & annis iunioribus scripserat, iam senescens in vulgus emanare permisit, ea potissimùm quæ ad Philosophiam & res pro-

phanas spectabant. Nam quæ scripserat in Theologicis rebus, quoniam alijs occupationibus impeditus, reuidere, &, vti par erat, polire non poterat, vel penitùs neglexit, vel parciùs in lucem emisit. Emisit tamen

In Ezechielem, Librum vnum.
In Sanctum Paulum ad Romanos, Librum vnum.
In eundem ad Corinthios, Libros duos.
Originalia patrum, Librum vnum. Abimelech per somnium admonitus.
De Passione Christi, Librum vnum. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De Sacramento altaris, Librum vnum.
Super confessione S. Augustini, Librum vnum. In primo libro Confessionũ.
Tabulas in Sanctum Augustinum. M S. Cãtabrigiæ in Collegio S. Petri.
Summaria cuiuslibet capituli operum S. Augustini. M S. ibidem. Et in Collegio Caij & Gonellij.
Super Magistrum sententiarum, Libros quatuor. Sapientia ædificauit sibi domum. M S. Oxonij in Collegio Mertonensi.
Commentarios Theologiæ, Librum vnum.
Distinctiones Doctorum, Librum vnum.
Expositionem litteræ Magistri sententiarum, Librum vnum.
Quodlibeta, Librum vnum.
De conscientia & synderesi, Librum vnum.
Quæstiones de conscientia, Librum vnum. M S. Oxonij in Biblioth. pub.
In Boëtium de consolatione, Libros quinque.
In diuisiones Boëtij, Librum vnum.
Quæstionem de mendicitate, Librum vnum. M S. Cantabrigiæ in Coll. S. Benedicti.
De ortu scientiarum, Librum vnum. Licet autem primus homo quantum. M S. Oxonij in Collegio Balliolensi.
De diuisione scientiarum, Librum vnum. Cùm secundùm Philosophum. M S. ibidem.
In Isagogen Porphirij, Librum vnum.
In prædicamenta Aristotelis, Libros tres.
In Perihermenias, Libros duos.
In eius Priora & Posteriora, Libros quatuor.
In us Topica, Libros quatuor.
In ei Elencos, Libros duos.
De rebus prædicabilibus, Librum vnum.
De natura relationis, Librum vnum. M S. ibidem.
De relationis prædicamento, Librum vnum.
De relatiuis, Librum vnum.
Sophistriam logicalem, Librum vnum. M S. Cantabrigiæ in Bibl. publica.

De doctrina S. Thomæ Aquinatis, Librum vnum.
De vnitate formarum, Librum vnum.
De tempore, Librum vnum.
De vniuersali, Librum vnum.
In Aristotelis Physicam, Libros octo.
In eiusdem libros de cælo & mundo, Libros quatuor.
In eiusdem libros de generatione & corruptione, Libros duos.
In eiusdem Meteora, Libros quatuor.
In eiusdem libros de anima, Libros tres.
De causis animæ, Librum vnum.
De differentia spiritus & animæ, Librum vnum.
De instantibus, Librum vnum.
In Aristotelis Metaphysicam, Libros duodecim.
De diuisione entis, Librum vnum.
In parua naturalia, Librum vnum.
Insignes Philosophiæ notulas, Librum vnum.
In sex principia Gilberti, Librum vnum.
Quæstiones Dialecticas, Librum vnum.

In Logicam & Philosophiam ingens huius auctoris volumen. Haberi dicitur M S. complectens libros viginti & vnum, Cantabrigiæ in Coll. S. Petri. Pleraque eius opera in Aristotelem haberi dicuntur M S. Oxonij in Collegio Mertonensi.

Scripsit etiam tractatum Grammaticalem, Librum vnum. M S. ibidem.

Super Priscianum minorem de prosodia siuè de accentu, Librum vnum. Sicut scribitur in primo Posteriorum. M S. Cantabrigiæ in Coll. S. Petri.

In Donatum de vitiosis sermonibus, Librum vnum. M S. ibidem.

De modo significandi, Librum vnum. Quoniam in antè expositis libris. Plerosque operum titulos collegi ex Alberto Veneto, & ex Antonio Senensi in Bibliotheca fratrum ordinis Prædicatorum. Sed huius & Roberti Ribuerbij quædam opera per eum forsan vtcumque benè distinguuntur, quæ ab alijs quibusdam confunduntur. Ego quia rei veritatem indagare hactenus non potui, omnia lectori dijudicanda relinquo. Viterbij tandem in Italia diem suum obijt, non sine suspicione propinati veneni anno Incarnationis Dominicæ 1280, vbi inter suos in Monasterio sepultus est, dum ad Anglicani regni gubernaculum sedebat Edvvardus primus. Vide illum quem de Cantuariensibus Archiepiscopis composuimus catalogum.

De Gualtero Recluso.

GVALTERVS reclusus in Anglia natus, & ibidem apud eremitas ordinis S. Augustini in bonarum artium studijs educatus, tandem factus est vnus ex illis, solitariæ vitæ propositum amplexus. Cumque iam sæculari literatura insigniter esset instructus, ad Theologicas scientias se contulit, & in vtroque genere tantum profecit, vt inter

1280.
399.

suos emineret, & per exercitia publica vtriusque documenta non contemnenda daret. Ad alios etiam docendos assumptus, in eo munere tam strenuè se gessit, vt ex eius discipulis plurimi in republica litteraria emerserint, & in egregios Doctores euaserint. Porrò dum in vita solitaria, cuius erat amantissimus, vixit seclusus ab hominum societate, præter opuscula quædam, quæ in compendium redegit vir eruditus Richardus Lauinghamus Carmelita, in lucem etiam emisit, teste Iosepho Pamphilo,

Piarum meditationum, *Librum vnum.*
De vita solitaria, *Libros duos.*
De contemptu mundi, *Librum vnum.*

Claruit anno post Christum natum 1280, regnante in Anglia Edvvardo primo.

De Henrico Esseburno.

1280. 400. HENRICVS Esseburnus professionis S. Dominici Monachus Anglus, Oxoniæ, teste Lelando, tum Philosophicis, tum Theologicis studijs operam dedit, & in vtrisque tantos fecit progressus, vt in Anglia vix parem ijs temporibus habuerit. Tandem celebris pietatis & doctrinæ fama fecit, vt ex Academia vocaretur ad regendum Cestriensem Dominicanorum cœnobium. Vbi Prior factus dum suis præesset, & à scholasticis exercitijs, omnique strepitu forensi remotus viueret, illo secessu & quiete vsus est, ad omnia illa relegenda & perpolienda, quæ aliquando Oxoniæ existens scripserat. Omnia itaque de nouo resumpsit, attentè relegit, lentè ruminauit, correxit, emendauit, in pulchrum ordinem redegit, & ad vtilitatem posterorum exemplaria nitida describi curauit, in publicum emisit, & per varias Bibliothecas sui potissimùm ordinis hinc indè in Anglia distribuit. Eorum autem quæ sic edidit, hos inuenio titulos

In parabolas Salomonis, *Librum vnum.* Sicut dicit Ecclesiasticus.
In Ecclesiasten, *Librum vnum.* Salomon nos inuitans ad diuinæ.
Lecturam bibliorum, *Librum vnum.*
Processus in Theologia, *Librum vnum.*
Sermonum, *Librum vnum.*

Claruit anno post redemptum genus humanum 1280, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus primus.

De Ioanne Buriensi.

1280. 401. IOANNES Buriensis, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus in cœnobio S. Edmundi, quod & Buriense vocatum est, in Comitatu Suffolcensi, vbi tandem etiam factus est Abbas. Vir magnæ sanctitatis & eruditionis non contemnendæ, vt ex Ioanne Lelando colligo. Electus Abbas, vt in serie temporum scribit Ioannes Eueresdenus, Romam anno Domini 1279. profectus est, vt à Nicolao Papa

pa tertio confirmaretur electio. Multa scripsit de graui illa controuersia quæ inter Robertum Capitonem Episcopum Lincolniensem, & Innocentium Papam quartum diù flagrauit, vt auctor est Lelandus. Dicitur plura edidisse opera litteraria, quæ pleraque vel hominum incuria, vel temporum iniuria perijsse videntur. Nihil enim hactenus ex eius scriptis inuenio, præter

Annales Angliæ, *Librum vnum.*

In suo tandem cœnobio mortuus & sepultus dicitur circa annum nati Seruatoris 1280, dum esset apud Anglos rerum summa penes Edvvardum primum.

De Gilberto Magno.

GILBERTVS cognomento Magnus, Theologum nonnulli cognominãt, natione Anglus, Monachus Cisterciẽsis, & tandem totius illius ordinis Præpositus Generalis. Vir acuti ingenij, solidi iudicij, tenacis memoriæ. Quibus fretus adminiculis, ad eminentem planè peruenit eruditionem. Poëta non contemnendus, rhetor eloquio clarus, stylo nitidus, sermone grauis, Philosophus etiam subtilis & sublimis, historicus insignis, in concionibus celebris, in quibus sanctorum Gregorij Magni & Bernardi fuit diligens imitator. Theologus denique profundus & solidus. Postquam Anglicas Academias frequentasset, Gallicas etiam inuisit, maximè Parisiensem & Tolossanam, in quibus studuit, disputauit, prælegit, scripsit, Bibliothecas perlustrauit, selectiores omnis generis libros peruoluit, notatu digniora diligenter vbique tanquàm flores decerpsit, in ordinem redegit, & ex ijs plurima ad omnis posteritatis vtilitatem edidit

1280.
402.

Commentarios in diuersos sacræ scripturæ textus, *Libros plures.*
In Psalterium, *Librum vnum.* Christus est integer, caput cum mẽbris.
Distinctiones Theologicas, *Librum vnum.* Duplex est abstinentia, detestabilis &c.
Doctorum collectanea, *Librum vnum.*
Concionum, *Librum vnum.* Rom. 15. Quæcũque scripta sunt, ad nostrã.
Pro Christianis contra Gentiles versu elegiaco, *Librum vnum.*
Quid sit Monachus, *Librum vnum.*
Conciones in oraculum Cyrilli Carmelitæ Græci, *Librum vnum.* Cùm ad Monasterium Cluniacense.
De naturis rerum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*
Historiam, Scropum imitatus, *Librum vnum.*

Tolosæ tandem mortuus & sepultus, in magna veneratione habitus est circa annum reparatæ salutis 1280, regnante apud Anglos Edvvardo primo.

De Odingtono.

1280. 403. ODINGTONVS natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Eueshamensis, vt ex Lelando colligo, Philosophus & Mathematicus suo tempore valdè insignis. In quibus scientijs aliquando Magistrum habuit Profacium quendam & ipsum natione Anglum, genere Iudæum. Inter alia scripsisse perhibetur

De motibus planetarum, *Librum vnum.*
De mutatione aëris, *Librum vnum.*

Claruit anno post aduentum Messiæ 1280, cum Anglicani regni clauum teneret Edvvardus primus.

De Ioanne de Hayda.

1280. 404. IOANNES de Hayda in Anglia natus, & ibidem vsque ad iuuentutem in bonis disciplinis sub optimis præceptoribus diligenter institutus, egregiè, docilem, quam natura dederat, indolem, artibus ingenuis excoluit. Ætate & iudicio maturior factus, exteras peragrauit regiones, varias frequentauit scholas, & vbique quasi quandam bonarum litterarum mercaturam exercuit, nec labores fugiens, nec sumptibus parcens, vt desideratum scientiarum thesaurum vbique quæreret, & tandem inueniret. Erat autem ingenio acuto, iudicio solido, lingua prompta & expedita. Quod industria sua, quasi proprio Marte, consequi non valuit, id aliorum opera, habita cum doctissimis viris collatione, adipisci solebat. Poëta non inelegans, Rhetor disertus, Philosophus subtilis, Theologus non contemnendus, antiquitatum industrius scrutator, Historicus candidus & veridicus, auctoritati veterum scriptorum, vti par erat, multum tribuebat, quorum dicta & facta non aliter venerabatur, quàm expressas pietatis imagines, omnis integritatis documenta, & ad omnem virtutem viua quædam incitamenta. Sed testes appello ipsas eius lucubrationes auctori vtiles ad laudem perpetuam, posteris ad incrementum virtutum. Edidit enim

De Iona Propheta, *Librum vnum.* Vos qui nescitis nunc discite.
De passione S. Laurentij, *Librum vnum.* A Decio tempus, gladioque furente.
Vitam S. Malchi Monachi, *Librum vnum.* Prælia gesturus, ludos pius & quas.
Formam vitæ honestæ, *Librum vnum.* Hei quicūque legit Martini musa.
Epistolarū ad diuersos, *Librum vnum.* Sicut in omni artiū professione ac.

Putatur vixisse circa annum Verbi incarnati 1280, regnante in Anglia Edvvardo primo.

De Helia Rubeo.

1280. 405. HELIAS Rubeus ex oppido Tripellannensi Comitatus Cantabrigiensis in Anglia natus. Post perceptas in triuialibus scholis po-

litiores litteras, & ingenuas artes Cantabrigiam dicitur ad maiora studia profectus, vbi Philosophiam primùm, deinde Theologiam strenuè didicit. Lelandus in collectaneis eum ab ingenio miti, ab humanitate, prudentia, & multiplici scientia multum laudat. In Aula regia diù versatus, sagaciter vidit, tacitè apud se considerauit, & prudenter notauit, multos inani titulo nobilitatis subnixè ambulantes, moribus, vita & omni actione degenerasse, & ab ea de qua tantoperè gloriabantur honoris laude toto cælo aberrasse. Quos aliquando priuatim & modestè monuit veram & germanam nobilitatem non in alieno sanguine, sed in propria cuiusque virtute positam esse. Secundum illud Tragici, *Aliena laudat qui genus iactat suum.* Cui etiam conformis est Ouidiana illa sententia, *Nam genus & proauos, vel quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco.* Itaque vel deponendam esse nobilitatis vanam iactantiam, vel ostendẽdos nobilitati cõformes mores, laudabiles actiones, condignas virtutes. Alioquin dicendam potiùs esse fatuitatem, quàm nobilitatem. In hunc igitur ferè sensum edidit

Contra Nobilitatem inanem, *Librum vnum.*

Claruit anno post aduentum Messiæ, vt putatur, 1280, in Anglicani regni throno sedente Edvvardo primo.

De Guilhelmo Paghamo.

GVILHELMVS Paghamus, (alius ab illo qui Paganherus seu de Pagula dicitur, & circa annum Domini 1350. floruit) natione Anglus, patria Cantianus, ordinis Carmelitani sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, necnon Parisiensis. Nam vtrobique vel hunc gradum suscepisse, vel saltem docendi munus exercuisse, testis est in suis arbitralibus statutis Gobelinus Alemannus. Oxonij multa intercessit illi necessitudo cum Roberto VValsinghamio, eiusdem ordinis, similis probitatis, & paris doctrinæ viro, vt auctor est Lelandus. Inter eximios, qui ex huius scholis prodierunt, discipulos, numeratur Ioannes VValsinghamius, qui in suis scriptis, huius magistri sui perhonorificam non semel facit mentionem. Ob singularem pietatem, doctrinam, prudentiam, grauitatem, auctoritatem, & in rebus gerendis dexteritatem, in generali suorum, apud vrbem Genuam Liguriæ principem, conuentu, communi omnium suffragio totius ordinis sui per Angliam & Scotiam fuit electus Minister Prouincialis. Quo in munere laudabiliter exequendo, postquam triennium compleuisset, à Clemente Papa quinto creatus est Episcopus Midensis in Hibernia, vbi reliquam exegit vitam, & mortuus accepit sepulturam. Doctrinæ porrò & ingenij, quod Lelandus diuinum prædicat, hæc sequentia monimenta inuenio

1280.
406.

Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.*
Placita Theologica, *Librum vnum.*
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.*

Concionum ad populum, *Librum vnum.*
De perfectione intellectus, Librum vnum. Intellectus humanus suum habet.
De veritate formali, Librum vnum. Vtrum veritas sit formæ substantial.
De noticia actuali, Librum vnum. In intellectu creato quædam vis est.
De ente rationis, Librum vnum. Rectitudo motus est, vt Philosophus.
Vixisse dicitur anno post aduentum Messiæ 1280, sub Edvvardi primi regno.

De Ioanne Derlingtono.

1284. 407. IOANNES Derlingtonus in Anglia natus, & ab adolescētia in studijs artium liberalium benè institutus, ordinem Prædicatorum S. Dominici iuuenis intrauit, vbi in omni virtutis & eruditionis genere mirè proficiens, inter suos inclarescere cœpit. Vndè euectus ad sacræ Theologiæ Doctoratum, Anglorum Regi Henrico tertio factus est à confessionum secretis, & quia (vt loquitur Matthæus Paris) ad annum Domini 1256,) *litteratura pollebat excellenter & consilio*; summis Pontificibus, qui eius tempore Apostolicæ Sedi profuerunt, magno erat in precio. Nam à Ioanne Papa vicesimo primo, à Nicolao tertio, & Martino quarto ad colligendos in Anglia & Hibernia S. Petri denarios, constitutus & confirmatus fuit quæstor. Donec tandem ad Archiepiscopatum Dubliniensem in Hibernia sublimatus esset. Porrò quæ scripta multo sudore composuerit, & ad vtilitatem posteritatis, suique nominis perpetuam memoriam, in lucem emiserit, partim ex Lelando, partim ex Nicolao Triueto colligimus. Scripsit

Disceptationes scholasticas, *Librum vnum.*
Concordantias Anglicanas magnas, *Librum vnum.*
Sermonum ad clerum & populum, *Librum vnum.*

Tandem postquàm ad septennium plus minus Archiepiscopatum rexisset, reuersus in Angliam, annò post Christi natiuitatem 1284, Londini fatis concessit, & ibidem inter Prædicatores fratres suos sepulturam habuit, regnante in Anglia Edvvardo primo.

De Hugone de Nouo Castro.

1284. 408. HVGO de Nouo Castro, natione Anglus, patria Dunelmensis, apud Nouum Castrum oppidum non incelebre, factus ordinis S. Francisci Monachus, in pietatis & bonarum litterarum studijs sub illa regula omnem exegit ætatem. Doctor Scholasticus vulgò cognominatus. Eratque Ioannis Duns subtilis Doctoris sectator diligens, defensor strenuus. Habetur vnus ex quatuordecim præcipuis Doctoribus illius ordinis, qui in circuitu sepulcri præfati Duns nominibus æri incisis, leguntur, in Ecclesia conuentus veteris Minorum Coloniæ, hoc modo: *Magister Hugo de Nouo Castro.* Videtur aliquandò vel priuatim Theologiam scholasticam docuisse. Nam teste Henrico Vvillotto in suis Franciscanorum Athenis scripsit

Super Magistrũ sententiarum, *Libros iiij.* Reportata super eosdem libros.
De finali iudicio, *Tractatum.*
De victoria Christi contra Antichristum, *Librum vnum.* Non sum Propheta, nec filius Prophetæ.

Vixisse videtur circa annum Christi 1284, sub Angliæ Rege Edvvardo primo.

De Ioanne Rufo.

IOANNES Rufus, vulgò Redad, natione Anglus, patria Cornubiẽsis, ordinis Prædicatorum Monachus. Vir ingenio, pietate, doctrina, clarus. In natali loco humanioris litteraturæ prima rudimenta percepit, incrementum fecit alias Angliæ scholas inuisendo. Tandem historijs legendis, & antiquitatum monimentis scrutandis deditus, varia partim ex alijs collegit, partim ex suis composuit, omnia in bonam methodum redegit, & in lucem emisit: quæ pleraque in Carmelitarum bibliotheca Norvvicẽsi seruata fuisse auctor est Lelãdus. Vetusta igitur non pauca, paucis tamen verbis breuitati consulens, scripsit

1284.
409.

De Imperatoribus Romanis, *Librum vnum.*
De Pontificibus Romanis, *Librum vnum.*
Annales patriæ suæ, *Librum vnum.*

Claruisse creditur circa annũ gratiæ 1284, regnante in Anglia Edvvardo primo.

De Ioanne de Hida.

IOANNES de Hida, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Vvintoniensis, in cœnobio suburbij Septentrionalis, quod Hida dicebatur, vndè & cognomen accepit. Vir qui bonarum litterarum & virtutum studijs multum enituit. Historijs etenim maximè sacris, & diuini verbi partim priuatæ meditationi, partim publicæ prædicationi se totum consecrauit, vt his modis & medijs Dei gloriã promoueret, suæque & multorũ æternæ saluti optimè prospiceret. Vitã denique totam ità instituit, vt bonas litteras aut didicerit semper, aut docuerit, & præclaris pietatis & eruditionis monimẽtis nominis sui memoriã posteritati imò verò quodãmodò æternitati mirificè cõmendauerit. Cuius veritatis vsque in hodiernũ diem, testes habemus varias illius eruditas lucubrationes. Nam prætérquam quòd scribant nonnulli eum aliqua posteritati tradidisse de Anglorum Rege Alphredo Magno, & de antiquitatibus Hidæ Monasterij, quod ille Rex fundasse perhibetur, doctè etiam composuit ad Episcopum Vvintoniensem

1284.
410.

Vitam patientis Jobi, *Librum vnum.* Venerabili patri & amico speciali.
Homiliarum, *Librum vnum.*

Coniectura saltem est mihi eum circa annum Virginei partus 1284, floruisse, qua tempestate in Anglicani regni solio sedebat Edvvardus primus.

De Rogero Bacone.

1284. 411. ROGERVS Bacon seu Baconus, Baccanitanum non rectè vocat Vvillottus, natione Anglus, ordinis S. Francisci Monachus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, à suis *Doctor mirabilis* salutatus. Dum adolescens Oxonij Dialecticam, & Philosophiam disceret, stupendum ingenij monstrauit acumen, quod & quotidianis exercitationibus indies auxit, & tandem planè ad miraculum subtile & perspicax reddidit, vt eum Ioannes Picus Mirandula Comes non immeritò virum ingeniosissimum prædicauerit. Cuius simile testimonium dederunt doctissimi quique illius & sequentium ætatum scriptores. Ad has naturæ dotes accessit industria, & assiduum penè per totam vitam ingenij, memoriæque exercitium, & tam diligens cultura, vt in omni planè doctrinæ scientiæque genere excelluerit, suique parem vix vnquam viderit. Ioannes Lelandus ex quibusdam coniecturis est in illa opinione vt existimet eum sacræ Theologiæ, necnon Græcæ & Hebraicæ linguæ Parisijs operam dedisse. Quicquid sit, accuratè calluit poësim, rhetoricam, omnemque politiorem doctrinam, omnes artes liberales, omnes scientias Mathematicas, Medicinam, Philosophiam omnem, omnem Theologiam, & Iurisprudentiam, Græcas & Hebræas litteras, historias etiam omnia venerandæ antiquitatis monimenta. Adeò vt nihil illi defuerit ad virum omnibus suis numeris perfectissimè eruditum, & in omni prorsus scientia summè doctum.

Sanctum Edmundum Archiepiscopum Cantuariensem, & Richardum Fitzacriũ seniorem Dominicanorũ amicos, in studijs fautores, & aliquando Magistros habuit. Quo tempore Rex Angliæ Henricus tertius consilio potissimùm Petri Episcopi Vvintoniensis, Pictauienses & alios exteros in Angliam introduceret, hic & frater eius Robertus Oxonij coram Rege conciones habuerant contra dictum Petrum, seriò suadentes Regi ne vltra pateretur se Petri consilijs duci vel potiùs seduci, nec traderet munitiora patriæ loca hominibus externis custodienda. Dum Mathematicas scientias, & Philosophiam maximè naturalẽ, curiosiùs forsan, quàm par erat, inspiceret, profundiùs contemplaretur, & penitiùs penetraret; tam arcanas indè traxit consequentias, & tam mirabiles rerum reconditarum intulit conclusiones, vt apud imperitum vulgus haberetur mirus præstigiator, apud quosdam etiam non indoctos de magicis artibus vehementer fuerit suspectus, imò & à maleuolis tandem grauiter accusatus. Super quibus siuè vulgi suspicionibus, siuè maleuolorum accusationibus, ab Hieronymo de Esculo ordinis totius Ministro Generalj ferunt eum Romam vocatum, & iussu Clementis Papæ quarti examinatum, vix satis se de nimis periculosa curiositate purgasse, & ideò ad tempus carceribus mancipatum fuisse. Sed, saluo meliore iudicio, hic locum habet versus ille Ouidianus. *Fructus obest, peperisse nocet, nocet esse feracem.* Certè malum hac in parte non videtur ho-

mini euenisse, nisi ex suo bono: nam fœcundum illud & profundũlitteratissimi hominis ingenium difficilia multa inuenit, quæ aliorum ingenia, si alta, à se non inuenta dolebant, & ex inuidia accusabant; si vulgaria, ne inuenta quidem capere poterant. Itaque vel ex inuidia vel ex ignorantia calumniabantur & condemnabant illa, quæ suam vel effugerant industriam, vel superauerant captum.

Porrò Baconus aliquandò Romam misit discipulum suum Ioannem Londinensem eiusdem instituti Monachum ad præfatum Pontificem, cum libellis & instrumentis Mathematicis à se compositis, & suæ sanctitati auctoris nomine præsentandis, vt ex illis colligere posset Pontifex eum longè penitiùs quàm vulgus Doctorum, citra omnem artem illicitam, has sciẽtias non inspexisse solũ, sed etiam penetrasse. Iam verò ad immensam librorum, quos de omni penè materia scripsit, multitudinem veniamus, quo nullum multiplicis eius doctrinæ locupletius esse potest testimonium. Scripsit igitur

Sermonum seu concionum, *Librum vnum.*
Commentarios in Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.*
Compendium studij Theologici, *Libros quinque.* Quoniam autem in omnibus causis. M S. Cum alijs quibusdam tractatibus eius duobus voluminibus in bibliotheca Baronis de Lumleio.
De perspectiuis & multiplicatione specierum tractatum. M S. ibidem.
Iterum de multiplicatione specierum, *Librum vnum.* Primum capitulum circa influ.
Perspectiuam singularem, *Librum j.* Hîc aliqua dicenda sunt de perspect.
Perpectiuam distinctam, *Libros tres.* Propositis radicibus sapientiæ tam.
Perspectiuam continuam, *Librum vnum.* Cupiens te & alios sapientiores.
De impedimentis sapientiæ, *Librum vnum.*
De situ orbis, *Librum vnum.* MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De regionibus mundi, *Librum vnum.*
De situ Palæstinæ, *Librum vnum.*
De locis sacris, *Librum vnum.*
De rerum mirabilibus, *Librum vnum.*
Responsum ad epistolam D. Bonauenturæ, *Librum vnum.*
Ad Clementem Papam quartum, *Librum vnum.* Sanctissimo patri Domino Clementi.
De vtilitate scientiarum, *Libros vndecim.*
De causis ignorantiæ humanæ, *Librum vnum.*
De potestate mirabili artis & naturæ, *Librum vnum.* Quem eumdem esse puto qui est.
De lapide Philosophico. Vestræ petitioni respondeo quemadmodum.
Descriptiones locorum mundi, *Librum vnum.* Ad hoc autem quod certius & plan.
De occultis operibus naturæ, *Librum j.* Superius quidem dictum est quid.
Summã Grammaticalem, *Librum vnum.* Oratio Grãmatica aut fit medium.

De constructione partium, *Librum vnum*. Ad completam cognitionem construct.

Grammaticam Græcam, *Librum j.* MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.

Grammaticam Hebræam, *Librum vnum*. MS. ibidem.

De laudibus artis Mathematicæ, *Librum vnum*. Post hanc scientiam experimentalem.

De quinta parte Mathematices, *Librum vnum*. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De arte Chimiæ, *Librum vnum*. Extat Francofordiæ anno 1603.

Breuiarium Alchimiæ, *Librum j.* MS. Cantabrigiæ in Collegio Caij.

Speculum Alchimiæ, *Librum j.* Multifariam multisque modis loquens.

Documenta Alchimiæ, *Librum vnum*.

De Alchimistarum artibus, *Librum vnum*.

Artem experimentalem, *Librum vnum*. Positis fundamentis primis &c.

De septem experimentis, *Librum vnum*.

Cosmographiam, *Librum vnum*.

De geometria, *Librum vnum*.

De valore Musices, *Librum j.* Secundum Boëtium & cœteros auctores.

De vtilitate Astronomiæ, *Librum j.* Post locorum descriptionem debent.

Introductionem ad Astrologiam, *Librum vnum*. Fusiùs quidem dictum est de Astronom.

De iudicijs Astrologiæ, *Librum vnum*.

De radijs solaribus, *Librum vnum*,

De locis stellarum, *Librum vnum*. Quoniam infinitum est discernere.

De secretis, *Librum vnum*. Interrogationi tuæ respondere instit.

Prognostica ex siderum cursu, *Librum vnum*.

De aspectibus lunæ, *Librum vnum*.

De visu & speculis, *Librum vnum*. De speculorũ miraculis volente Deo.

De speculi facultate, *Librum vnum*.

De forma resultante in speculo, *Librum vnum*. Quæritur de forma result.

De speculis vstorijs, *Librum vnum*.

De gradibus intentionalibus, *Librum vnum*. Omnis forma inhærens recipit intentionem.

De retardatione senectutis, *Librum vnum*. Domine mundi qui ex nobilissima. MS. Oxonij in bibliotheca publica.

De vniuersali regimine senum, *Librum vnum*. Summa regiminis vniuersal.

De prolongatione vitæ, *Librum j.* MS. Cantabrigiæ in Aula Pembrochi.

Antidotarium vitæ humanæ, *Librum vnum*. MS. ibidem.

De erroribus medicorum, *Librum vnum*. Vulgus medicorũ non cognoscit.

De retardatione accidentium, *Librum vnum*.

Communia naturalis Philosophiæ, *Libros quatuor*. Postquam tradidi Gram.

In Philosophiam naturalem, *Libros octo*.

Computum naturalem, *Librum vnum*. Omnia tempus habent suum iuxta.

De materia prima, *Librum vnum*.

De

De paßionibus animæ, Librum vnum.
De intellectu & intelligibili, Libros duos.
De somno & vigilia, Libros duos.
De cælo & mundo, Libros duos. Prima igitur veritas circa corp.
De fluxu & refluxu maris, Librum vnum. Descriptis his figuris.
De fluxu maris Britannici, Librum vnum. Visis effectibus illis qui ex.
De ponderibus, Librum vnum.
De regibus mundi, Librum vnum.
De vtilitate linguarum, Librum j. Multæ præclaræ radices ex manifest.
De conseruatione sensuum, Librum vnum. Cogito & cogitaui ab initijs primorum.
Rogerinam maiorem, Librum vnum. Sicut ab antiquis. MS. Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij. Et in priuata bibliotheca Gualteri Copi.
Rogerinam minorem, Librum vnum. Humana natura. MS. ibidem.
Logicam, Librum vnum. Introductio est breuis & aperta.
In posteriora Aristotelis, Libros duos. Dictum est de syllogismo in vniuers.
Leges multiplicationum, Librum vnum. Expletis quatuor partibus tert.
De Philosophia morali, Librum vnum. Manifestaui in præcedentibus.
De Metaphysica, Librum vnum.
De speciebus, Librum vnum.
De copiæ & inopiæ causis, Librum vnum.
De coloribus per artem fiendis, Librum vnum.
De rebus metallicis, Librum vnum.
De sculpturis lapidum, Librum vnum.
De centris grauium, Librum vnum.
De vniuersalibus, Librum vnum.
Parabolas de quadratura, Librum vnum.
Venti nouem distinctiones, Librum vnum.
De arte memoratiua, Librum vnum.
De planis, Librum vnum.
In Auicennam de anima, Librum vnum.
In opera Virgilij, Libros plures.
Contra Necromanticos, Librum vnum.
De Necromanticis imaginibus, Librum vnum.
De Geomantia, Librum vnum. MS. in bibliotheca Lumleiana.
De Excantationibus, Librum vnum.
Practicas Magiæ, Librum vnum. Et alia multa.

Obijt anno nati Seruatoris 1284, apud Franciscanos Oxonij sepultus, dum regalem apud Anglos maiestatem splendidè tueretur Edvvardus primus.

De Guilhelmo Vviccamo.

GVILHELMVS Vviccamus (Vviccheranum perperam vocat Polidorus) illustribus in Anglia parentibus natus, & omni virtutis 1285. 412.

atque eruditionis genere clarus. Quibus titulis magnam apud omnes, vt scribit Nicolaus Brigamus, famam consecutus est. Adeò vt tandem ad Archiepiscopatum Eboracensem euectus fuerit. De quo suo loco. Quod autem ad eruditionem attinet, erat in elegantia linguæ Latinæ valdè versatus & qui in lectione historiarum, atque rerum memorabilium inuestigatione multum temporis vtiliter triuerat. Tandem inter alia, quæ pleraque certè perierunt, scripsit egregium opus, cui titulum præposuit

Memoriale, *Librum vnum*. De alijs hactenus nil prorsus inuenio. Eboraci tandem extinctus & intumulatus est anno Dominicæ incarnationis 1285, dum Angliam regalibus legibus temperabat Edvvardus primus. Vide quem composuimus de Archiepiscopis Eboracensibus Catalogum.

De Hugone Atrato.

1287. 413.

HVGO Atratus, natione Anglus, patria Vvigorniensis, ex oppido Eueshamo. Apud suos vsque ad iuuentutis florem in bonis litteris & ingenuis artibus insigniter instructus, successu temporis tantos in studijs fecit progressus, vt eruditionis multiplicis splendido apparatu, vitæ innocentis insigni integritate, & cultissimis moribus, ità mirificè luceret, vt suo tempore vix cuiquam esset secundus. Ingenio tam fœlici, tam tenaci memoria, vt quocumque se daret, omnia perciperet, penetraret, comprehenderet, & penè in singulis excelleret. Postquam in patria omnes liberales artes vbertim hausisset, & Mathesim atque Philosophiam adiunxisset, medicinæ se totum dedidit, cuius tum contemplationem, tum praxim vt accuratius consequi posset, post frequentatas Academias Anglicanas, regiones exteras petijt, Gallam & Italiam peragrauit, celebriora gymnasia vbique inuisit, cum litteratissimis viris semper contulit, & adeò tandem insignis medicus eua sit, vt sui temporis Phænix non immeritò fuerit appellatus, & per Angliam, Galliam, atque Italiam, imò verò, per vniuersam penè Europam hoc cognomine innotuerit. Hinc factum est vt exortis Romæ circa rem medicam difficillimis quæstionibus, Martinus Papa quartus circa annum Domini 1280, hunc celeberrimum virum eò vocauerit, eiusque inter alios expertissimos medicos sententiam audire desiderauerit. Qui cùm aduenisset, non solum omnium de se conceptæ opinioni abundè satisfecit, sed etiam spem & expectationem longè superauit. Euenitque in illo contrarium illius quod cōmuniter accidere consueuit. Quia in eo non minuit, sed multo magis *auxit præsentia famam*. Sūmus itaque Pontifex, omnisque Doctorū cœtus maiora in homine reperientes quàm sperauerant aut expectauerant, eum summis honoribus dignum iudicauerunt. Itaque non multo post tempore decimo calendas Aprilis apud vrbem veterem cum sex alijs, ab eodem Papa Martino creatione prima anno Domini 1281, creatus est

S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Laurentij in Lucina. Hæc partim ex Ioanne Everisdeno Monacho Buriensi in sua temporum serie, partim ex Onuphrio Panuino in opere de Pontificibus decerpsi.

Porrò ferunt Hugonem ex eo tempore suscepto Sacerdotio, ad studia Theologica se totum accinxisse, & tam seriam deinceps animarum, quàm priùs corporum curam habuisse & egisse. Nec difficulter adducor vt hæc credam, propter clarum Pauli Curtesij testimonium. Is enim libro primo de Cardinalatu ad Iulium Papam secundum capite septimo sic scribit: *Ijsdem temporibus Hugo Atratus habitus est Theologica disciplina doctus, qui non modò ex heroum Vatidicorum carminibus, rerum copiam ad concionandi vsum traduxit, sed etiam maximè tum princeps genealogiæ humanæ explicandæ fuit, ex qua cæteris posteà facilior aditus ad interiora enodanda patuit.* Aliqua huius Atrati memorabilia monimenta adhuc Romæ extare, præsertim in Ecclesia S. Laurentij in Lucina, scripsit ad me aliquando illustris Dominus Nicolaus Fizherbertus. Quæ autem scriptis doctissimis exarauit Atratus, nescio quibus infortunijs, penè omnia (quod sine dolore dicere non possum) perierunt. Pauca tamen ex multis, secundum titulos quos inuenio, hic ascribam. Edidisse namque dicitur

De genealogijs humanis, *Librum vnum.*
Canones medicinales, *Librum vnum.*
Super opere febrium Isaac, *Librum vnum.* Quoniam de filij bonitate sicut est.
Problematum, *Librum vnum.* Et alia plurima. Romæ tandem cum alijs multis Cardinalibus, ex quibus sex aut septem nominat Onuphrius, peste obijt teste Platina in Conclaui habito post mortem Honorij Papæ quarti apud Sanctam Sabinam in monte Auentino. Visitur adhuc splendidum eius sepulchrum in Ecclesia S. Laurentij in Lucina propè Sacristiam. Annus autem obitus eius fuit à Christi natali 1287, dum Anglis regali potestate præesset Edvvardus primus.

De Theobaldo Stampensi.

THEOBALDVS Stampensis Sacerdos Anglus, strenuus pietatis & bonarum artium cultor. Postquam in patria sua prima fundamenta scientiarum optimè posuisset, Galliam & Italiam discendi studio peragrauit, & in clero honoratissimus extitit, tum eruditionis titulo, tum multò magis virtutis exemplo. Romam tandem pergens apud Nicolaum Papam quartum se insinuauit, deindè gratia pollens & auctoritate, ab eodem creatus est S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli Sanctæ Sabinæ. Illa igitur eminentissima dignitas, & monimenta doctrinæ quæ scriptis consignauit, hominem posteris non mediocriter commendatum reddiderunt. Hæc mihi inter alios suppeditauit Guilhelmus Hormannus. Porrò cœperant ijs temporibus quidam homines temerarij publicè in

1289.
414.

concionibus asserere Christum Dominum non tradidisse Sancto Petro Apostolo eiúsque successoribus regimen & curam totius Ecclesiæ. Contra quorum errorem hic auctor erudité scripsit, maximè ad Robertum Capitonem Episcopum Lincolniensem, & egregium fidei Catholicæ propugnatorem

Disputationum variarum, *Librum vnum.*

Contra errantem in Theologicis, *Librum vnum.* Quisquis prædicat, aut prædicando. De alijs eius scriptis nihil scio. Romæ tandem debitum naturæ soluit sub præfato Papa circa annum gratiæ 1289, sub Angliæ Rege Eduvardo primo.

De Ioanne Chelmestono.

1290. 415. IOANNES Chelmestonus, vel de Chelmeston, aliàs Cheluestоn, natione Anglus, patria Eboracensis, professione Monachus ordinis Carmelitani, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & ibidem, nisi fallor, publicus Professor. Vir inculpatæ vitæ, perspicacis ingenij, magnæ doctrinæ, vt inter alios testatur Lelandus. A Gerardo Generali ordinis Magistro missus in inferiorem Germaniam, Brugis & alibi docuit, disputauit, multísque litterarijs exercitationibus se celebrem reddidit, & ob eruditionem varijs virtutibus decoratam, multorum gratiam & beneuolentiam conciliauit, vt auctores sunt Gobelinus Alemannus in libro de Pœnitentijs, & Ioannes Vinetus chronici sui capite quinto. Ex ijs autem quæ scripsit, quædam diu seruata fuisse ferunt in Carmelitarum Bibliotheca Noruvicensi. Ex eius autem lucubrationibus has attexo:

Determinationes Theologicas, *Librum vnum.* Vtrum per peccata venialia.

Lecturas scholasticas, *Librum vnum*

Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.* Vtrum sit aliquod sacramentum quod.

Quodlibeta, *Librum vnum.* Vtrum Spiritus sanctus distingui.

Sermonum & collationum, *Librum vnum.* Et alia plurima. Vixit ânno post gratiam per Christum humano generi factam 1290, cùm Eduvardus primus ad Anglicani regni gubernaculum fœliciter sederet.

De Ioanne Actono.

1290. 416. IOANNES Actonus vel de Actona, perperàm Athon nonnulli vocant, in Anglia natus, Oxonij ad annos benè multos in studijs enutritus, tandem ibidem vtriusque iuris Doctor creatus est. Posteà Lincolniensis Ecclesiæ factus Canonicus, ad alios docendum, atq; etiam ad scribendum animum appulit. Edidit certè non pauca, quæ partim Roberto Capitoni, partim Guilhelmo de Montibus tribuuntur. Et quoniam hi tres fuerunt Lincolnienses, dubium nonnunquam est quæ

opera cuique sint tribuenda, cum tituli libris præfixi sine adiecto sæpè præseferant *Lincolniensis*. Qui titulus licet communiter competat Roberto Capitoni, tanquàm quodammodò primo analogato, tamen nonnunquam alijs etiam accommodatus, ambiguitatem parit. Præterea non est apud me dubium, quin Actonus imitatus Capitonem, de quibusdam rebus sub eodem planè titulo scripserit. Verbi gratia scripsit vterque Summam iusticiæ. Tractatum qui benè præsunt. Tractatum moralem de veneno, &c. Itaque certò mihi persuadeo Ioannem Actonum scripsisse

Tractatum moralem de veneno. M S. Cantabr. in Biblioth. pub. Summam iusticiæ. M S. Cantabr. in Collegio S. Benedicti.

Tractatum generalem qui benè præsunt. M S. ibidem.

Septuplum & apparatum super constitutiones legatorum Othonis & Ottoboni, *Librum vnum.* Ad succidendos palmites pest. M S. Oxonij in Collegio Nouo.

In statuta Anglicana, *Librum vnum.* Quoniam domum Dei fortitudo. Scripsit etiam alia multa, quorum titulos non inuenio. Claruit anno redemptionis humanæ 1290, regnante in Anglia Edvvardo primo.

De Thoma Bungeio.

THOMAS Bungeius, vel secundùm Vvillotum, de Bungei, natione Anglus, patria Norfolcensis, in oppido Bungei ad ripam Auonæ fluminis in lucem editus, ordinis S. Francisci sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & inter suos ibidem Professor ordine decimus. Præter Philosophicas & Theologicas scientias, tam insignem rerum Mathematicarum consecutus est peritiam, & tam mirabiles exercuit praxes, vt ab imperita multitudine non tā pro Mathematico duceretur, quàm pro Mago traduceretur. Puto illum Rogeri Baconi libris & experimentis vsum legitimis, nullam planè culpam, sed vanam tantum vulgi suspicionem immeritò incurrisse. Nam alioquin sine dubio nunquam electus fuisset ordinis sui per Angliam Prouincialis. Hæc pleraque de illo scribit Lelandus, & illustrium Franciscanorum catalogus. Erat etiam alius eiusdem cognominis & ordinis regnante Edvvardo tertio. Porrò scripsit hic noster Bungeius

1290.
417.

Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.* Fidem vestram clipeis munire.

Quæstionum Theologicarum, *Librum vnum.*

De Magia naturali, *Librum vnum.* Et alia plura. Claruit anno salutis reparatæ 1290, sceptrum Anglici regni tenente Edvvardo primo.

De Thoma Borstallo.

1290. 418.

THOMAS Borstallus, natione Anglus, patria Norfolcensis, ordinis eremitarum S. Augustini Doctor Theologus. Postquam in Academijs Angliæ sua studia peregisset, lauream que supremam accepisset, vt auctor est Thomas Colbius, & ex eo Iosephus Pamphilus Siguinus Episcopus in Chronicis Fratrum Eremitarum S. Augustini, ad exteras regiones perrexit, & maximè Parisijs scholas frequentauit, Bibliothecas perlustrauit, cum Doctoribus sæpè disputauit, & cum selectissimis Theologis pene quotidianos congressus & conferentias habuit. Ibi tam humanas, quàm diuinas scientias, quas priùs hauserat, adeò perpoliuit & perfecit, vt inter Parisienses Theologos fieret apud Sorbonam Doctor Theologus, atque inter suos sacræ Theologiæ Professor. Ex ijs autem ingenij doctrinæque monimentis, quæ posteritati reliquit, hæc pauca sequentia inuenio

Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor,*
Quodlibeta scholastica, *Librum vnum.*
Disceptationes ordinarias, *Librum vnum.* Et alia multa. Norvvici tandem in suo Monasterio mortuus & sepultus est circa annum post aduentum Messiæ salutarem 1290, in Anglia regnante, in Gallia triumphante Edvvardo primo.

De Michaele Mathematico.

1290. 419.

MICHAEL Mathematicus, cognomento Scotus, natione Anglus, patria Dunelmensis, nam ibi, teste Lelando, fuit in lucem editus, & vsque ad iuueniles annos in bonarum literarum studijs educatus. Maturescente autem cum ætate ingenio, partim Oxonij, partim Parisijs Mathematicas & Philosophicas sciẽtias diligenter didicit, & Astrologus cum primis peritissimus euasit. Peragratis autem multis regionibus, & visitatis varijs Academijs, tandem Theologicis studijs se dedidit, in quibus non pœnitendos fecit progressus. Vndè Ioannes Baccandorpius in parte tertia sententiarum distinctione tricesima tertia, agens de iusticia legis, hunc citat tanquam auctoritatis magnæ Theologum. Sed ingenij naturali propensione, quasi quodam suo pondere, ita ferebatur ad studia Mathematica, vt cæteris postpositis, in his potissimùm desudauerit, maximamque ætatis suæ partem posuerit. Quem etiam in finem ferunt eum præter linguas Gręcam & Hebræam, Arabicam etiam & Chaldaïcam incredibili feruore perdidicisse, vt eum non effugerent illa, quæ de rebus Mathematicis, in quacunque lingua scripta esset. Quod & colligi posse videtur ex Rogero Bacono in libro de vtilitate linguarum. In prædictionibus futurorum ex inspectione motuum, cursuum, coniunctonum siderum, planetarum, & aliorum cælestium corporum; item in exercitio & praxi mirabili magiæ naturalis, tam occultos penetrauit rerum ab-

ſtruſarum receſſus, tam reconditos præſciuit & prædixit effectus, vt apud vulgus pro Necromantico haberetur. Prudentum tamen & cordatorum hominum longè aliud fuit iudicium, qui potius perſpicax eius in ſcrutandis rebus abditis admirabantur ingenium, laudabant induſtriam; quàm reprehendendam iudicabant curioſitatem, ſuſpiciebantque hominis ſcientiam, non ſuſpicabantur culpam. Eum Imperator Fridericus ſecundus habuit in delicijs. Eum ſuis temporibus inter alios ſummis ornabant laudibus Ioannes Picus Mirandulæ Comes, Symphorianus Champerius, Cornelius Agrippa viri doctrina inſignes. Sed optimum omnium teſtimonium auctori præbebunt opera ſua, quibus apud omnem poſteritatem nomen ſuum reddidit immortale. Licet enim ex ijs quæ in re Philoſophica ſcripſit, non omnia, & quæ de Theologicis myſterijs exarauit, nulla prorſus inueniam; talia tamen ad nos venerunt, quæ & qualia ſingularem hominis eruditionem omnibus abundè teſtatam faciunt. Scripſit enim maximè Friderici ſecundi Cæſaris iuſſu

De animalibus ad ipſum Cæſarem, *Librum vnum.*
In Ariſtotelis ethica, *Libros decem.*
In eius meteora, *Libros quatuor.* Tibi Stephane depromo hoc opus.
In meteora contra Auerroëm, *Librum vnum.*
In Ariſtotelem de anima, *Librum vnum.* Intendit per ſubtilitatem demonſtrare.
De cælo & mundo, *Libros duos.*
De memoria & reminiſcentia, *Libros duos.*
De generatione & corruptione, *Libros duos.*
De ſomno & vigilia, *Libros duos.*
De ſenſu & ſenſato, *Libros duos.*
Super auctorē ſphæræ, *Librum vnum.* Sicut dicit Philoſophus in principio.
de conſtitutione mundi, *Libros quatuor.* Maxima cognitio naturæ & ſcientiæ.
De ſubſtantia orbis, *Librum vnum.*
Aſtrologorum dogmata, *Librum vnum.*
Imagines Aſtronomicas, *Librum vnum.*
De ſignis planetarum, *Librum vnum.*
De Chiromantia, *Librum vnum.*
De Phyſiognomia, *Librum vnum.*
Abbreuiationes Auicennæ, *Librum vnum.* Et alia plurima. Claruit anno poſt incarnatum Dei Verbum 1290, dum in Anglicani regni ſolio ſedebat Edvvardus primus.

De Gregorio Vvintonienſi.

GREGORIVS Vvintonienſis, vel de Vvintonia, natione Anglus, patria Southantonienſis, natalitium locum habuit ipſam ciuitatem Vvintonienſem. Anno Domini 1237, regulam S. Benedicti am- 1290. 420.

plexus dicitur in cœnobio Glaucestrensi. Vbi ab adolescentia vsque ad extremam senectutem, per annos circiter sexaginta in stricta disciplinæ regularis obseruantia, & in virtutum ac bonarum litterarum studio constanter perseuerauit. Quo ferè toto tempore omnes vacuas horas in historiarum lectione & scriptione vtiliter posuit, & sui Monasterij res notatu digniores ab anno Christi sexcentesimo octogesimo sumens exordium, vsque ad annum 1290, ordinatè deduxit. In quo opere multa de regibus Merciorum durante Heptarchia, tum postea de regibus Anglorum florente Monarchia, obseruata annorum serie optimè prosecutus est. Totique operi titulum præfixit

Annales sui cœnobij, *Librum vnum.* Anno ab incarnatione Domini 681, regni. De alijs eius scriptis nihil habeo comperti. Claruit senex anno postquam Virgo peperit 1290, dum Edvvardus primus ad Anglicani regni gubernaculum potenter sederet.

De Thoma Hilleiensi.

1290. 421.

THOMAS Hilleiensis, quem de Illeia vocant aliqui, natione Anglus, patria Suffolcensis, ab incunabulis cura parentum in timore Dei educatus, quàm primùm annos adolescentiæ attingeret, religioso voto se obstrinxit, & inter fratres ordinis beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli in cœnobio Gippesvvicensi, eorum habitu suscepto, & successu temporis professione facta, Monachus vixit vsque ad vitæ finem. Vir mirè litterarum amans, & ingenij fœlicis magnæque industriæ. Perceptis inter suos in Monasterio cultioribus disciplinis, imò omnibus ingenuis artibus, & Philosophicis scientijs, propter magnam quam alij conceperant de futura eius doctrina spem, Cantabrigiam ad Theologica studia missus est, vbi strenuam operam nauatam secutum est debitum præmium, laurea scilicet Doctoralis. Illic etiam ex cathedra Magistrali Theologiam tam scholasticam, quam interpretatiuam summo cum auditorum applausu, & pari cum fructu publicè professus est. Ibi, teste Lelando, Chrisolithi cognomentum sortitus est. Posteà missus in inferiorem Germaniam, Brugis etiam vtramque similiter Theologiam docuit, Chelmestono collega factus, vt scribit Gobelinus. Porrò ingenij, pietatis, & eruditionis hæc in scriptis argumenta posteris ad vtilitatem, sibi reliquit ad perpetuam memoriam

In Apocalypsim S. Ioannis, *Librum vnum.* Apocalypsis reuelatio dicitur.
In varia sacræ scripturæ loca tractatus.
Quæstionum Theologicarum, *Librum vnum.*
Introductiones ad lecturam, *Librum vnum.*
Concionum ad populum, *Librum vnum.* Et alia non pauca. Fuit autem in viuis anno post apparitionem Dei in carne 1290, imperante apud Anglos Edvvardo Rege primo.

De

De Mauritio Dominicano.

MAVRITIVS, vitio typographorum factum existimo, quod subinde Gauritius legatur, ordinis S. Dominici Monachus, opinor, Anglus. Vir religione & doctrina conspicuus. Sic enim scribit Antonius Senensis in sua Prædicatorum Bibliotheca, qui & testatur eum in subsidium concionatorum vtile quoddam opus per ordinem Alphabeti edidisse, cui titulum dedit 1290. 422.

Distinctiones octoginta nouem ad prædicandum, *Librum vnum*. Quod opus asserit inueniri M S. Neapoli in quodam conuentu Dominicanorum. Et dicitur etiam haberi M S. bis Oxonij in Coll. Mertonensi.

In Isaiam, *Librum vnum*. M S. Oxonij in Collegio Nouo.
In Hieremiam, *Librum vnum*. M S. ibidem.
In Baruch, *Librum vnum*. M S. ibidem. Et alia plura. Claruit anno virginei partus 1290, dum Anglicani regni diadema gestaret Edvvardus primus.

De Richardo Clapoello.

RICHARDVS Clapoellus, Clapvvellum vel Cuapvvellum aliqui vocant, natione Anglus, ordinis Prædicatorum S. Dominici prædicator insignis. Hic priuatim in Monasterijs ordinis sui litteras humaniores, omnesque artes ingenuas, & Philosophicas scientias sub diuersis præceptoribus diligẽter didicit. Tandem etiam emenso Theologicorum studiorum cursu, in publicum prodijt, & subtiliter disputando, doctè concionando, magnam apud omnes sibi famam acquisiuit, ita vt ad supremam in Theologia lauream peruenerit. Et qui diù didicerat, iam alios docere incepit. Per id tempus inter Monachos ordinum S. Dominici & S. Francisci variæ fuerunt controuersiæ, graues æmulationes, acerbæ querelæ. Quibus ita se immiscuit in publicis disceptationibus Clapoellus, vt in quibusdam lapsus doctrinam non satis sanam proposuisse, imò sententias erroneas tenuisse diceretur. Superiores tum euasere Franciscani, tum propter æquitatem causæ, tum etiam quia Ioannem Peccamum Archiepiscopum Cantuariensem ordinis S. Francisci Monachum habebant fautorem, & Dominicanis, atque imprimis huic Richardo infestum. Sed de his alibi. Scripsit autem Clapoellus, vt habet Antonius Senensis in sua Bibliotheca fratrum ordinis Prædicatorum, & alij 1290. 423.

Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor*.
Additiones in D. Bonauenturam, *Librum vnum*.
Lecturas scholasticas, *Librum vnum*.
De immediata Dei visione, *Librum vnum*.
Quæstionum Theologicarum, *Librum vnum*.
Quæstiones quodlibeticas triginta quatuor, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Collegio sancti Petri.

Concionum, *Librum vnum.*

Vel correctorium operum contra corruptorium Diui Thomæ, *Librum vnum.*

De vnitate formarum, *Librum vnum.* Et alia quædam. Abbreuiator Gesneri scribit eum peruenisse vsque ad annum Domini 1310, sed ego potiùs existimo eum floruisse anno gratiæ 1290, dum solium Anglicani regni obtinebat Edvvardus primus.

De Thoma Suttono.

1290. 424.

THOMAS Suttonus, Suetonium alij vocant, natione Anglus, ordinis Prædicatorum prædicator eximius, sacræ Theologiæ Doctor in Sorbona Parisiensi. Vir pietate & eruditione celebris multiplici, vt in libro quarto de viris illustribus testatur Leander Albertus, & post illum Antonius Senensis in Bibliotheca Fratrum ordinis Prædicatorum, licet eum ibi Thomam de Suetonia vocet. His nominibus eum ætas sua, imò & omnis hactenùs posteritas plurimùm venerata est. Erat autem acutus in disputando, subtilis in distinguendo, solidus in iudicando, lucidus in explicando. Enodatis varijs tum in Philosophia, tum etiam in Theologia difficultatibus, & sententijs obscuris, opera multa composuit, & egregia laboris & ingenij testimonia posteris reliquit, nec pauca numero, nec exilia existimatione. Catalogum singulorum, quæ reperi, operum, præsertim ex Bostono Buriensi, Leandro Bononiensi, & Antonio Senensi hic subnectam. Scripsit igitur

Commentarios in Psalterium, *Librum vnum.*

Breuiarium Theologiæ, *Libros quatuor.*

Summam Theologiæ cum quæstionibus difficillimis, *Librum vnum.*

Concordiam Theologorum, *Librum vnum.*

Quodlibetorum de relatione, *Librum vnum.*

Quæstionum difficilium, *Librum vnum.*

Contra æmulos & detractores fratrum Prædicatorum, *Librum vnum.*

MS. Oxoniæ in Collegio Lincolniensi.

In prædicamenta Aristotelis, *Libros tres.*

Super sex principia, *Librum vnum.*

Super Aristotelis priora, *Libros duos.*

Super eius posteriora, *Libros duos.*

In Perihermenias, *Libros duos.*

Complementum D. Thomæ in Perihermenias, *Librum vnum.*

Illustrationes seu tractatum de declaratione eiusdem, *Librum vnum.*

De vnitate formarum, *Librum vnum.*

De relatione, *Librum vnum.* Et alia plura. Claruit anno reconciliationis humanæ 1290, in throno Anglicani regni sedente Edvvardo primo.

De Thoma Vvíccio.

THOMAS Vviccius, natione Anglus, ordinis S. Augustini Canonicus regularis in cœnobio Osney iuxta Oxonium. Academiæ vicinitate fretus, & quasi foro vsus, omnium bonarum artium quandam vberem fecit mercaturam. Nam cum probitate morũ singularem coniungens eruditionem, celebris in vtroque genere euasit. Ab ipsa enim ferè pueritia iugum Domini portare didicit, nec vllo etiam tempore pro captu & ætate bonarum artium exercitia neglexit. Poëta non inelegans, Rhetor disertus, & in omni litteratura humaniore valdè politus. Historijs Angliæ legendis non mediocriter delectatus, ad scribendum in eo genere animum appulit. Collectis igitur, & in ordinem redactis principum, magnatum, Regum etiam Angliæ, & singulorum Abbatum sui cœnobij celebrioribus rebus gestis, ab initio regni Guilhelmi Normannici, hoc est, ab anno Christi 1066, ad regnum Edvvardi primi deduxit historiam, quod opus ad annos multos asseruatum fuisse ferunt in bibliotheca Gorlestonensi fratrum ordinis S. Augustini. Opus autem hoc titulo insigniuit

1290. 425.

Chronica compendiosa, *Librum vnum*. Anno incarnationis Domini.
Catalogum Abbatum Osnientium, *Librum vnum*. Anno Domini 1129, regnante Henrico.
Increpationem gulæ, *Librum vnum*. Pandens in mensa, ventris depo.
Commendationes vini, *Librum vnum*. Sincerum mihi dede merum, si vis.
Et alia multa tum soluta, tum ligata oratione. Claruit anno postquam Verbum caro factum est 1290, regnante apud Anglos Edvvardo primo.

De Guilhelmo Delamare.

GVILHELMVS Delamare, Lamarensem cognominant Trithemius & Vvillottus, ordinis S. Francisci Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis. Vir ingenio & eruditione celebris, & vitæ sanctimonia conspicuus. Diligens D. Bonauenturæ sectator, in multis S. Thomæ de Aquino aduersabatur. Nomen suum his scriptis sequentibus posteritati commendauit. Scripsit enim

1290. 426.

Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor*.
Lecturas scholasticas, *Librum vnum*.
Reprehensorium D. Thomæ, *Librum vnum*.
Defensorium D. Bonauenturæ, *Librum vnum*.
Additiones in eundem, *Librum vnum*.
Quodlibeta sophistica, *Librum vnum*. Et alia nonnulla.

Sunt qui annos vitæ huius Doctoris multum constringunt, alij valdè producunt. Ego medium sequutus, in quo & virtus semper & veritas nonnunquam consistit, annum Domini quo floruit illi attribuo 1290, quo tempore regali potestate præsidebat Anglis Edvvardus huius nominis primus.

De Ioanne Peccamo.

1292. 427. IOANNES Peccamus pauperibus in Anglia natus parentibus, patria Cicestriensis, ordinis S. Francisci Monachus, S. Bonauenturæ aliquando discipulus, & imitator non indiligens. Vir quantumuis humili loco natus, alto tamen ingenio præditus. Aspirans ad magna, paulatim virtutum suarum meritis peruenit, & voti compos factus est. Primùm propter omnis generis insignem doctrinam, Oxonij sacræ Theologiæ supremam lauream Doctor, & primam in eadem facultate cathedrã Professor accepit. Deindè Parisijs publicitùs Magistrum sententiarum prælegit, vtrobique sacram scripturam exposuit, & irrepentes tum quasdam vocum nouitates eruditè confutauit, imò penitùs exterminauit. Nec multo post tempore fuit ordinis sui per Angliam Prouincialis. Romam tandem profectus, vtrique iuri strenuam nauauit operam, & ibi sacris Pontificijs adhibitus, tandem à Nicolao Papa tertio euectus est ad Archiepiscopatum Cantuariensem, & Angliæ totius Primatũ. De quibus inter alios vide Thomam Vvalsinghamum ad annum Domini 1279, & sequentem. Non obstantibus tamen diuersis his & difficilibus muneribus, multis & ijs doctissimis scriptis suum nomen posteritati commendauit. Ex quibus hæc sequentia apud probatos auctores inuenio

Collectanea Bibliorum, *Libros quinque*. Deum qui te genuit dereliquisti. Coloniæ anno 1513. Vidi in bibliotheca Carthusianorum Cantauiæ prope Iuliacum,

Locorum ex vtroque Testamento, *Librum vnum.*

Postillam in Cantica Canticorum, *Librum vnum.* Dissolueris filia vaga, prouerb.

In threnos Hieremiæ, *Librum vnum.* Tempus plangendi & tempus psal.

Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.*

Quæstiones quodlibeticas, *Librum j.* Inter thesauros sapientiæ & scientiæ.

De decem præceptis, *Librum vnum.* Duo sunt mandata Dei præcipua.

Super Symbolo, *Librum vnum.* Credimus sanctam Trinitatem esse.

Quæstiones de Eucharistia, *Librum vnum.*

Speculum Ecclesiæ de Missa, *Librum vnum.* Dicit Apostolus ad Ephesios.

Speculum animæ, *Librum vnum.* Audi Domine, & vide, & inclina.

Postillam super Marcum, *Librum vnum.*

De Trinitate, *Librum vnum.* MS. in bibliotheca Baronis Lumlei.

Meditationem de corpore Christi, *Librum vnum.* MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De paßione Domini, *Librum vnum.* Pullus aquilæ sanguinem lambit.

Psalterium meditationum beatæ Mariæ, *Librum j.* Mente concipio laudes.

Quæstiones ordinarias, *Librum j.* Vtrum Theologia ex duobus compos.

Sermones Dominicales viginti quinque, *Librum vnum.* Honestè ambuletis sicut in die.

Collationes de omnibus Dominicis per annum, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.
Officium S. Trinitatis, *Librum vnum*. Quod approbatum à summis Pontificibus, idem esse putatur, quod adhuc in Breuiario legimus.
De ratione diei Dominicæ, *Librum vnum*. Ecce charissime, singulis festis.
De vanitate rerum mundanarum, *Librũ j*. Non is vtique liber inutilis erit.
De vanitate sæculi, *Librum vnum*.
De peccatis capitalibus, *Librum j*. Quæstio est de peccatis capitalibus.
Lecturas Oxonienses, *Librum vnum*.
Quodlibeta scholastica, *Librum j*. Vtrum Deus prædestinatum ab æterno.
Contra insipientem, *Librum vnum*. Perfectus omnis erit, si sit sicut.
De perfectione Euangelica, *Librum vnum*. Quis dabit capiti meo aquam.
Statuta synodalia, *Librum vnum*. Ab exordio nascentis Ecclesiæ Christi.
Constitutiones prouinciales, *Librum j*. Ne quis per ignorantiam se excuset.
Hæc autem statuta & constitutiones scripsit maximè in Concilijs Radingi & Lambethi celebratis. Titulos hic subijcere operæpreciũ iudicaui.

De summa Trinitate & fide Catholica. Ignorantia Sacerdotum.
De constitutionibus. Quia incontinentiæ.
De sacra vnctione. Cùm sacri Chrismatis.
De Sacramentis iterandis. Quod in constitutione.
De filijs presbyterorum. Cùm à iure.
De officio Archidiaconi. Eisdem etiam.
De officio Archipresbyteri. Ignorantia Sacerdotum.
De postulando. Veloces ad audiendum.
De procuratoribus. Exhorrenda.
De iudicijs. Cuidam ruralium.
De vita & honestate clericorum. Quamuis religionis
De clericis non residentibus. Præthereà & in.
De præbendis & dignitatibus. Audistis fratres.
De institutionibus. Ex solito cursu.
De locato & conducto. Vendentes.
De testamentis. Religiosa sinceritas.
De parochijs & alienis parochianis. Altissimus.
De regularibus. Sanctimoniales.
De religiosis domibus. Plures inueni.
De iure patronatus. Per nostram.
De celebratione Missarum. Sacerdotes.
De baptismo & eius effectu. Circa Sacrament.
De custodia Eucharistiæ. Dignissimum.
De apostatis. Prætereà sunt nonnulli.
De eo qui furtiuè ordines recepit. Cùm secundùm.
De priuilegijs. Sacramentum pœnitentiæ.
De purgatione Canonica. Clerici pro suis criminibus.

De pænis. Tantum inualuit.
De pænitentijs & remißionibus. Cùm salubriter.
De sententia excommunicationis. Cùm malum. Et infrà. Et alia quædam.
Scripsit etiam
Expositiones in constitutiones Otthonis & Othoboni. MS. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.
De confeßione fratribus facta, *Librum vnum.* Tandem quæ sunt fratri·
Super confeßionibus fratrum, *Librum vnum.* Nouella quæstio quæ nobis
Tractatum pauperis, *Librum vnum.*
Dialogum Francisci & paupertatis, *Librum vnum.* Inter cæteras præcl.
Pro S. Bonauentura, *Librum vnum.*
De mysterijs Minorum, *Librum vnum.*
De eorum paupertate, *Librum vnum.*
Contra Richardum Clapoëllum, *Librum vnum.*
Contra Priorem Cistercienstum, *Librum j.* Super tribus sceleribus & quat.
Epistolarum ad Oxonienses, *Librum vnum.*
Itinerarium suum, *Librum vnum.*
Hæresewv à se damnatarum, *Librum vnum.*
Carminum diuersorum, *Librum vnum.*
Apologeticon, *Librum vnum.*
Apologiam Synodalium statutorum, *Librum vnum.*
De Sphæra, *Librum vnum.* Corporum mundanorum principalium.
Disceptationes Thomæ & Peccami, Librum j. MS. Oxon. in Coll. Merton.
De numeris tractatũ. Quia Domine. MS. Oxoniæ in Coll. Lincolniensi.
De mystica interpretatione numerorum in sacra scriptura, Librum j. MS. ibid.
Expositionem regulæ S. Francisci, *Librum vnum.*
Canticum pauperum, *Librum vnum.* Confitebor tibi Domine Rex &c.
Perspectiuam communem, Librum j. Inter Philosophicæ considerationis. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri. Et cùm figuris per L. Gauricum emendata & distincta Venetijs anno 1504.
Perspectiuam particularem, Librũ vnum. Perspectiua cum sit vna de scient.
Notabilia Metaphysices, Librũ vnum. Vno modo dicitur quod non habet.
Mathematica rudimenta, Librum vnum. Scripsi dudum rogatus à socijs.
Theoricam planetarum, *Librum vnum.* Et alia plurima.
Cantuariæ ex ergastulo corporis euolauit eius anima, sepulturamque cadauer ibidem suscepit anno gratiæ 1292, cùm Edvvardus primus in Anglia rerum potiretur. Vide quem scripsimus de Archiepiscopis Cantuariensibus Catalogum.

De Hugone Manchestrensi.

1294. 428. HVGO Manchestrensis, vel de Manchestria ordinis S. Dominici Monachus Anglus, à primis adolescentiæ suæ temporibus, vt indolem ad litteras & virtutes aptam ostendit, ita in ijs diligenter sub optimis præceptoribus semper institutus fuit. Appropinquantibus iuue-

nilis ætatis annis, placuit illi mirum in modum regula S. Francisci, ita vt illum ordinem sanctumque institutum toto corde amplexus fuerit. Sub horum patrum disciplina tantum successu temporis profecit in pietate, doctrina, prudentia, in omni denique virtute, vt teste Nicolao Triueto, inter illos factus fuerit primùm sacræ Theologiæ Doctor & Professor, deindè illius ordinis per Angliam Prouincialis. Erat Regi Edvvardo primo, eiusque matri Alienoræ mirificè charus, & quasi inter amicos familiares habitus. Vndè etiam nomine Regis cum adiuncto sibi Guilhelmo Geinesburgo Minorita, apud Philippum Francorum Regem anno Domini 1295, de recuperandis quibusdam in Aquitania terris, honoratissimam obierit legationem. Vide Thomam Vvalsinghamum ad annum 1295, in Edvvardo primo. Nomen suum non tam copiosis libris, quàm magnis virtutibus posteritati memorabile reddidit. Scripsit tamen

Compendium Theologiæ, *Librum vnum.*
Contra fanaticorum deliria, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Claruit anno redempti generis humani 1294, dum Anglis imperaret Rex Edvvardus primus.

De Richardo Strauanellio.

RICHARDVS Strauanellius, natione Anglus, ordinis Prædicatorũ S. Dominici Monachus. De quo scribit Antonius Senensis in sua bibliotheca fratrum ordinis Prædicatorũ quòd fuerit vir spectatæ virtutis, & multiplicis eruditionis, rerumque variarum cognitione insignis, & quem his titulis omnis posteritas meritò debet venerari. Sacrarum scripturarum, vt videtur, lectioni & meditationi impensè deditus. Admodùm tamen pauca in lucem edidisse inuenio, nisi quòd laboriosè collegerit, & optimo ordine in corpus vnum redegerit copiosas sacrorum bibliorum concordantias, quas communiter vocant 1295. 429.

Concordantias Anglicanas, *Librum vnum.* Parisijs inueniri dicitur hoc opus in bibliotheca Dominicanorum.

De alijs nihil habeo certi. Claruit anno à Christi Natiuitate 1295, sub regno prospero Edvvardi primi.

De Guilhelmo Hothuno.

GVILHELMVS Hothunus, vel Hodonus, de Odone Leander Bononiensis & Antonius Senensis vocant, ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus. Vir acuti & astuti ingenij, animi celsi, magni, & per omnia constantis. Denique siue doctrinæ præstantiam, siue virtutum eminentiam, morum grauitatem, vitæ integritatem, singularem in rebus gerendis prudentiam, & in negotijs expediendis dexteritatem respicias, erat cum præstantissimis illorum temporum hominibus meritò comparandus. Parisijs in sacra Theologia Doctoralem gradum accepit. Propter summam quam apud suos na- 1298. 430.

ctus erat auctoritatem, ordinis sui per totam Angliam Prouincialis ei cura bis commissa fuit, vt scribit Antonius Senensis. Tandem missus ab Anglorum Rege Edvvardo primo Romam ad Bonifacium Papam octauum, magna cum laude suam obiuit legationem, & mira cum prudentia, dexteritate, fide commissa sibi negotia expediuit. Ita vt ibidem ab eodem Papa anno Domini 1298 crearetur Archiepiscopus Dubliniensis. Eodem autem anno ex vrbe rediens, Diuioni in Burgundia diem obijt extremum in die profesto S. Augustini. Quæ autem ante mortem ad vtilitatem posteritatis, & sui nominis memoriam scripsit, non oportet silentio prætermittere. Edidit

Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.*
Quæstionum super primam partem, *Librum vnum.*
Lecturas scholasticas, *Librum vnum.*
De immediata diuinæ essentiæ visione, *Librum vnum.*
De vnitate formarum, *Librum vnum.* Et alia nonnulla. Obijt, vti dixi, Diuioni vicesimo septimo die Augusti anno post Virginis partum 1298, & corpus eius in Angliam deportatum, honorificè Londini sepultum fuit, Edvvardo primo rerum in Anglia potiunte.

De Simone Gandauensi.

1298. 431. SIMON Gandauensis seu de Gaunt, vel, vt Matthæi Vvestmonasteriensis verbis loquar, *Magister Simon de Gandauo editus Londini, vir in arte Theologiæ peritus.* Erat enim patre Flādro Gandauensi, matre Angla Londini natus, & in patria ab ipsa adolescētia liberaliter educatus, humaniorem literaturam, omnésque ingenuas artes fidelissimè didicit, posteà maiorum studiorum non segnior cultor, sacris literis, & diuinarum rerum contemplationi se addixit. Demùm ætate maturus, morum suauitate, doctrinæ varietate, vitæ integritate, omnique virtutis cultu, magnatum sibi conciliauit beneuolentiam, principum animos in sui amorem pellexit, ipsique tandem regi charus esse cœpit. Cuius fauore, virtute comite, circa annum Domini 1297, ad Episcopatum Sarisburiensem euectus est. Huius præclari viri laudes non tacuerunt sui temporis & sequentium ætatum eruditi scriptores: Geruasius Dorobernensis in historiæ suæ paralipomenis, necnon auctores chronicorum Ecclesiæ Sarisburiensis, Lelandus denique in suo de viris illustribus opere. Scripsit autem Simon inter cætera ad virgines Terentinas Dorseti commorantes

De vita solitaria, *Libros septem.* M S. Oxonij in Coll. Magdalenensi.
Meditationem de statu Prælati, *Librum vnum.* M S. in Bibliotheca Lumleiana. Statuta Ecclesiastica.
Ad suos Sacerdotes, *Librum vnum.* Et alia plurima. Claruit anno à Christi Natiuitate 1298, dum in Anglia summa rerum ad Edvvardum primum pertineret. Vide eum quem confecimus de Episcopis Sarisburiensibus catalogum.

De

De Henrico de Hanna.

HENRICVS de Hanna, de Harena ſecundum Petrum Lucium in Bibliotheca Carmelitarum, natione Anglus, patria Norvvicenſis, vitæ amator ſolitariæ, inſtitutum Monachorum montis Carmeli, vt auctor eſt Lelandus, amplexus eſt, in Syluestri Norfolcenſis regionis cœnobio apud Brunhamiam habitum ſuſcepit, profeſſionem edidit, & inibi multos vitæ ſuæ dies in diuinarum rerum contemplatione ſanctè exegit. Sæpè apud ſuos, nonnunquam apud populum doctos ſermones habuit. Cùm autem ſpectata viri pietas, integritas, prudentia, & ſingularis tum in ſacris, tum in profanis litteris eruditio ſatis manifeſtis innoteſcerent indicijs; anno Domini 1254 Londini in capitulo generali merito ſuarum virtutum electus eſt totius ordinis ſui per Angliam Magiſter Prouincialis ordine ſecundus. In quo munere annis octodecim ſuo cum honore, ſuorumque fructu ſtrenuè verſatus eſt. Eo tempore rogauit & impetrauit domum Richardi Comitis Cornubiæ, quam apud Oxoniam in vio Stocvvel habebat, eamque in ſuorum Monaſterium vertit. Tandem etiam in Gallijs factus Prouincialis per regna Franciæ, Scotiæ, Hiberniæ, denique ferè per totam Germaniam ædificatis Monaſterijs incredibili induſtria ſuum ordinem longè latéque propagauit. Hæc pleraque & ſimilia ſumpſi ex indice Iacobi de Plebe Piſani ordinis Seruorum, qui addit eum ſcripſiſſe maximè ad fratres ſuæ profeſſionis, id eſt, ordinis Carmelitani

Epiſtolarum, *Librum vnum.* Dilectis in Chriſto filijs Londinenſi.
Ordinationes conuentuum, *Librum vnum.*
Concionum variarum, *Librum vnum.* Et alia quædam. Tandem laboribus & annis confectus, ex hac ad meliorem vitam migrauit apud Stanfordiam quarto Calendas Decembris, anno poſt Aduentum Meſſiæ 1299, cum in Anglia rerum potiretur Edvvardus primus.

1299.
432.

ÆTAS DECIMAQVARTA.

De Richardo Midletono.

RICHARDVS Midletonus, ſeu de Media Villa, Mediouillanum vocat Sixtus Senenſis, ſed non rectè, Scotum fuiſſe ſcribit, ordinis S. Franciſci Monachus Anglus, & quidem pereruditus. Annos adoleſcentiæ in capeſſendis artibus liberalibus, florem iuuentutis in perdiſcendis omnibus Philoſophicis ſcientijs optimè collocauit, & ingenium quod ipſa natura dederat peracutum, harum diſciplinarum exercitijs, & quotidiano cultu mirificè inſtruxit, & longè acutius reddidit. Oxoniæ poſteà itá operá dedit Theologiæ, vt ſupremam ibi Doctoratus Lauream acceperit. Adiunxit etiam ſpeculationi praxim, totumque ius Canonicum accuratè legit. Vetus etiam & nouum Teſtamentum ſæpè & multa cum attentione percurrit, imò maxima ex

1300.
433.

parte commentarijs illustrauit. Parisijs etiam inter Doctores Sorbonicos varijs tum lectionibus, tum disputationibus nomen magnum consecutus est. *Ibi Doctoris solidi & copiosi, fundatissimi* etiam & *authorati* cognomen sortitus est, vt inter alios in suis Franciscanorum Athenis scribit Henricus Vvillottus. In difficillimis sacræ scripturæ locis exponendis adeò fuit exercitatus, vt ætate sua vix quisquam repertus fuerit, qui abstrusos & reconditos sensus acutiùs penetrauerit, subtiliùs discusserit, clariùs exposuerit, promptiùs quæcunque occurrentia dubia soluerit. Scripsit ijs temporibus quidam Petrus Ioannis noua dogmata, & à fidei Catholicæ sinceritate aliena, quorum examen à Bonagratia totius ordinis decimo Ministro Generali commissum fuit huic Richardo. Qui hominem hæresis conuicit & condemnauit. Non est etiam omittendum illud laudis eius monimentum, quod Coloniæ Agrippinæ in circuitu tumuli Ioannis Scoti cum alijs quatuordecim ordinis sui præcipuis Doctoribus, nomen eius ære insculptum sic legatur, *Magister Richardus de Media Villa*. Sed iam ad eruditionem eius veniamus, qua certè famam apud posteros nullis vnquàm sæculis interituram obtinuit. Scripsit enim multa pereruditè, ex quibus quædam aliquandò vidi in Bibliotheca Iemblacensi. Non desunt qui asserant eum in vniuersam sacram scripturam edidisse commentarios. Constat saltem quòd scripserit

Libros singulos super singula Euangelia, *libros quatuor.*
Super epistolas D. Pauli, *Libros quatuordecim.*
Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.* Abscondita produxit in lucem. Extat opus Venetijs anno 1509, & Brixiæ anno 1591. Vidi in Bibliotheca Franciscanorum Nancæi. Et habetur M S. partim Oxoniæ in Bibliotheca publica, & in Collegijs Mertonensi & Balliolensi, partim Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.
Super distinctionem decreti, *Librum vnum.* Patres nostri omnes sub nube.
De ordine iudiciorum, *Librum vnum.*
De *Conceptione B. Mariæ Virginis*, *librum vnum.*
Opusculorum, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Collegio Mertonensi.
Quodlibeta Theologica octoginta quæstionum, *Librum vnum.* In nostra disputatione. Venetijs 1509. Vidi in Bibliotheca Franciscanorum Nancæi.
Commentarios imperfectos, *Librum vnum.*
In regulam S. Francisci, *Librum vnum.*
Contra Petrum Ioannis, *Librum vnum.* Et alia multa. De illo citat hoc sequens distichon in suis Franciscanorum Athenis Henricus Vvillottus: *Sacra refert celebris Richardus dogmata, quondam*
Quem genuit Media Villa decora virum.

Tandem inter suos mortuus & sepultus est circa annum partus virginei 1300, cum esset in Anglia summa rerum penes Edvvardum primum.

De Roberto Crucio.

ROBERTUS Crucius, natione Anglus, ordinis S. Francisci Monachus, & suorum aliquando per Angliam Minister Prouincialis. Vir, vt auctor est Lelandus, integritate vitæ, subtilitate ingenij, & non contemnenda doctrina apud suos clarus. Philosophicis studijs vsque ad multam ætatem totus immersus, vix tandem postremis vitæ suæ annis ad Theologiam se contulit, speculatiuas etiam in rebus sacris subtilitates solertiùs inuestigans, quàm literalem sensum quęrens. Scripsit autem, vt habet Franciscanorum catalogus

1300. 434.

Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.*
Quæstionum difficilium, *Librum vnum.*
In Physicam Aristotelis, *Libros octo.*
In eiusdem Ethica, *Libros decem.* Et alia eiusmodi.

Claruit anno gratiæ 1300, sub Angliæ Rege Edvvardo primo.

De Thoma Spermanno.

THOMAS Spermannus, Opermannum nonnulli vocant, natione Anglus, ab ipsa penè pueritia inter Fratres Prædicatores ordinis S. Dominici educatus, suo tempore eorum habitum induit, & institutum amplexus est. Vir acuto & subtili ingenio, atque ad ea quæ intendebat, persuadendum accommodato. Postquam Doctoralem gradum consecutus esset, animum ad scribendum appulit. Et vt videre est in Leandro Bononiensi, Sixto & Antonio Senensi, & ex Prædicatorum annalibus elaboratè composuit

1300. 435.

Commentariorum in totam Genesim, *Librum vnum.*
In epistolam D. Pauli ad Hebræos, *Librum vnum.*
In epistolam Canonicam D. Iacobi, *Librum vnum.*
Quæstiones disputatas, *Librum vnum.* Et alia non pauca.

Claruit anno à Natiuitate Christi 1300, regnante apud Anglos Edvvardo primo.

De Gualtero Excestrensi.

GUALTERUS Excestrensis, vel de Excestria, natione Anglus, patria Deuoniensis, &, vt videtur, in ipsa primaria regionis ciuitate Exonia Monachus ordinis Prædicatorum Sancti Dominici. Vir plus quàm vulgariter doctus, & antiquitatis scrutator non indiligens. Hic apud Sanctum Carocum in Cornubia diù commoratus, anno Domini 1301 rogatu Baldvvini cuiusdam ciuis Excestrensis, scripsit

1301. 436.

Vitam Guidonis Comitis Uvarvvicensis, Librum vnum. Aliud eius scriptũ hactenus nullum inuenio. Claruit anno salutiferæ reparationis 1301, sub Angliæ Rege Edvvardo primo.

De Hunfredo Nectono.

1303. 437.

HVNFREDVS Nectonus, natione Anglus, patria Norfolcensis, ordinis Carmelitani Monachus Norvvicensis. Cantabrigiæ multis annis operam dedit bonis litteris, & ibidem ordinis sui omnium primus, anno Domini 1259, creatus est sacræ Theologiæ Doctor, & non multo post tempore Professor. Vt ad hæc perueniret, fauore & liberalitate Guilhelmi Ludhami tum Academiæ Rectoris, postea Eliensis Episcopi, patroni sui singularis, vsus est. Erat vir solidè doctus, disputator subtilis, concionator vehemens. De illo hoc sequens distichon scriptum reliquit Ioannes Lelandus:

Laudibus Hunfredum meritis super astra feramus,
Cui data Grantanæ laurea prima scholæ.

Ex ijs quas in lucem emisit lucubrationibus has saltem sequentes inuenimus, testibus Iacobo de Plebe & Petro Lucio,

Sermones Dominicales, *Quatuordecim.* Omne debitum dimisi tibi.
Super articulis Theologicis, *Librum vnum.*
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.*
Lecturas scholasticas, *Librum vnum.* Et alia nonnulla. Tandem plenus dierum, & bonorum operum ferax in pace quieuit Norvvici in suo Monasterio, vbi & solemniter sepultus est anno post Christum natum 1303, regnante apud Anglos Edvvardo primo.

De Guilhelmo Maclefeldo.

1304. 438.

GVILHELMVS Maclefeldus, natione Anglus, patria Couentriensis, professione Monachus ordinis Prædicatorum S. Dominici. Vir cui pietas & eruditio celebre nomen conciliauerant, & cui secundum Antonium Senensem primus inter eruditos viros accubitus meritò debebatur. Annos iuueniles in disciplinis Philosophicis optimè collocauit, quibus excellenter instructus, maturiorem ætatem in sacra Theologia non minus vtiliter posuit, & in vtraque disciplina summam scientiam consecutus est, Parisijs Baccalaureus, Oxoniæ Doctor creatus, vt non obscurè insinuat Onuphrius. Denique his nominibus fama hominis apud omnes vbique mirè percrebuit. Ita vt Benedictus Papa vndecimus eum S. R. E. Presbyterum Cardinalem tituli S. Sabinæ absentem, imò iam vita functum, sed morte eius nondum Romæ cognita, vt scribunt Onuphrius in Benedicto Papa vndecimo, & Antonius Senensis in chronico fratrum ordinis Prædicatorum. Item Thomas Vvalsingamus in Edvvardo primo ad annum Domini 1304. Nam dum hæc agerentur, rediens ille à Bisuntino capitulo generali, in itinere diem suum obijt. Inter ea autem quæ scripsit, hæc sequentia reperimus

Orationum ad Clerum, *Librum vnum.*
Conclusiones ordinarias, *Librum vnum.*

Variorum problematum, Librum vnum. Et similia. Mortuus est autem in Anglia mense Augusto anno post exortum iustitiæ Solem 1304, corpus eius Londinum allatum, ibidem honorificam habuit sepulturam. Atque hæc ita gesta sunt sub imperio regis Angliæ Edvvardi primi.

De Guilhelmo Messelecho.

GVILHELMVS Messelechus, Messelech vocat Antonius Senensis in Bibliotheca fratrum ordinis Prædicatorum, Iosephus Pamphilus Massetum vocat. Ordinis S. Dominici sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Pietatis & eruditionis titulis insignis, & in Theologia præsertim scholastica benè versatus, S. Thomæ Aquinatis pertinax in omnibus defensor & propugnator. Vnde cum Parisijs aliquando liberum cuique permitteretur quosdam articulos contra D. Thomam tenere, vt scribit Ioannes Baconus libro tertio sententiarum distinctione vicesima nona, Iacobus Viterbiensis, Henricus de Gandauo & alij quidam Doctores maximè Parisienses in publicis suis lectionibus & disputationibus D. Thomæ doctrinā in multis oppugnabant. Aduersus quos hic Doctor calamum arripiens, scripsit vt ex Iosepho Pamphilo colligo, & in Antonio Senensi expressiùs inuenio 1304. 439.

Contra corruptorium correctorij D. Thomæ, Librum vnum.
Postillas super aliquot libros sacrorum bibliorum, Librum vnum.
Quæstionum de Angelis, Librum vnum.
De decem virginibus, Librum vnum.
De vnitate formarum, Librum vnum. Et alia quædam. Claruit secundum Lelandum circa annum Domini 1304, dum Anglis regali potestate præsideret Edvvardus primus.

De Gualtero Vvinterborno.

GVALTERVS Vvinterbornus, Vvinterbornensem cognominat in chronico fratrum ordinis Prædicatorum Antonius Senensis, natione Anglus, patria Sarisburiensis, ordinis Prædicatorum S. Dominici Doctor Theologus, & Edvvardo primo Angliæ Regi à confessionum secretis. Fuit in adolescentia Poëta elegans, Rhetor facundus, in iuuentute Philosophus acutus, matura tandem ætate Theologus insignis. Iamque intuitu virtutum & multiplicis eruditionis omnium oculi in eum conuerti cæperant. Vnde propter singularem pietatem, doctrinam, prudentiam, modestiam, mansuetudinem, aliasque virtutes, principibus viris, & imprimis Edvvardo Regi magno fuit in precio. Tandem anno Domini 1304, Romæ intellecta Guilhelmi Maclefeldi morte, eius loco à Benedicto Papa vndecimo, in quatuor temporibus Aduentus, creatus est S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Sabinæ. Quo cognito, ex Anglia properauit in Italiam, & Perusium veniens mortuum inuenit Papam Benedictum, & interfuit electioni Clementis Papæ quinti. Anno autem sequente, confectis ne- 1305. 440.

gotijs, in Angliam redire parans, apud Genuam in itinere mortuus est. Hæc pleraque ex Onuphrio & Sixto Senensi, & Thoma Vvalsingamo loco iam dicto. Porrò dum in viuis fuit, ad memoriam sui nominis hos saltem ingenij fœtus edidit

Summam Theologiæ,	*Libros tres.*
Quæstionum Theologicarum,	*Librum vnum.*
Exhortationum ad clerum Angliæ,	*Librum vnum.*
Sermonum coram Rege,	*Librum vnum.*

De peccato originali, Librum vnum. Et alia plura. Genuæ mortuus est mense Septembri anno gratiæ 1305, & primùm quidem ibidem in conuentu ordinis sui sepultus fuit, posteà verò in Angliam corpus eius translatũ Londini honorificentiùs intumulatum fuit, sub Edvvardo primo Angliæ Rege.

De Ioanne Castorio.

1306. 441. IOANNES Castorius, qui etiam Fiber, & vulgò Beuer dicitur, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Vvestmonasteriensis. Hunc Ioannes Lelandus tanquam bonum & veracem historicum commendat, eiusque auctoritatem plurimi facit. Post absoluta more hominum suæ professionis studia, omne liberum tempus Britannicis historijs legendis, & in antiquitatibus nostræ Insulæ inuestigandis diligenter posuit. Historiam gentis tandem scripsit, lucidoque ordine, multoque iudicio eam disposuit, in qua regum & aliorum illustrium virorum res gestas ab aduentu Briti vsque ad annum obitus sui fusè satis, clarè etiam & dilucidè explicauit. Titulum operi præfixit

Chronicorum editionem, Librum vnum. Ænæas cum Ascanio filio fugiens.
De rebus cœnobij Vvestmonasteriensis, Librum vnum. Et alia quædam.
Claruit anno redemptionis humanæ 1306, Edvvardo Angliæ Rege primo ad finem regni simul & vitæ vergente.

De Ioanne Scoto.

1308. 442. IOANNES Scotus, quem alij Dyns, alij Duns, nonnulli etiam Dunscot vocandum putant. Aliqui denique Ioannem Duns Scotum appellant Σκότινον intelligunt, vt olim teste Seneca epistola duodecima Heracleto *cognomen Scotinon fecit orationis obscuritas.* Sixtus Senensis libro quarto Bibliothecæ sanctæ Dunsium Scotũ appellat, non tam à patria vel natalicio loco, quã ab ingenio obscuro. Sic enim scribit: *Ob profundissimam dicendi obscuritatem σκοτινὸς, id est, tenebricosus, quod olim obscurissimi Anaxagoræ cognomen fuit, cognominatus.* Non rectè tamen addit fuisse natione Scotum. Nam quare tam sollicitè probat cognominatum Scotum ab obscuritate, si sic vocari existimet à natione? Dicamus igitur & ego, quod Heracletus, & ille quod Anaxagoras sint natione Scoti. Sed reuera, vt ego ex Lelando, & Lelandus ex vetustis codicibus Collegij Mertonensis Oxonij manifestè colligimus, fuit hic Ioannes

Scotus cognomento, Anglus natione, Northumbrius patria, parochia de Emildon, villula Dynstam, contractè Dyns, quæ tribus circiter ab Aluevvico distat milliaribus Anglicis, & ad Mertonense Collegium, vbi aliquando Scotus studuisse dicitur, pertinet. Fuit vir mediocri fortuna, ingenio ad litteras planè facto, & ad miraculum subtili atque acuto, vt non tam hominem acie mentis stupendum, quàm inter argutos Philosophos quemdam dixeris Deum. Postquàm Oxonij ad aliquot annos magno cum fructu studuisset, in patriam suam Northumbriam reuersus, apud Nouum Castrum Dunelmensis Episcopatus oppidum non ignobile, Diui Francisci sanctionibus se obstrinxit, habitum suscepit, & suo tempore sub illa sancta obseruantia professionem solemnem edidit. Successu temporis denuò missus ad Oxoniensem Academiam intermissum nonnihil studiorum curriculum ardente quadam discendi auiditate, & inextinguibili scientiarum siti redintegrauit. Adeoque incessanter libris inhæsit, vt pedem non retraxerit, donec ibi supremam in sacra Theologia lauream esset consecutus, simul in ea sublimi facultate & Doctor creatus, & Professor factus. Itaque primùm Oxonij Magistrum sententiarum explicauit, deinde anno Domini 1307, ab ordinis Generali Gonsaluo Tolosæ in Capitulo constitutus Regens seu Professor Parisiensis, vbi denuò Theologiæ cursum docuit. Tertiò tandem Coloniæ Agrippinæ idem præstitit incredibili cum auditorum applausu, & mira subtilis ingenij sui testificatione. Nihil enim erat tam obscurum, densaque caligine inuolutum, quod ille sibi saltem non reddiderit perspicuum & clarum: nihil tam occultum & abstrusum, quod perspicax eius ingenium non penetrauerit, & è tenebris eruerit: nihil denique tam nodosum, quod ille, quasi quidam Oedipus non dissoluerit.

Non desunt qui scribant hunc fuisse primum auctorem, fundatorem, & institutorem Academiæ Coloniensis, eumque illuc missum, à primoribus vrbis obuiàm procedentibus, cum clero & populo perhonorificè susceptum, & quasi solemni pompa vsque ad conuentum suorum deductum fuisse. Posteà scholas aperuisse, sacram Theologiam docuisse, iam tertiò Magistrum sententiarum publicitùs commentarijs illustrasse, suæque eruditionis & ingenij monimenta indelebilia ibi reliquisse, vt vsque in hodiernum diem, excellentis huius Doctoris nomen & eruditio, opiniones seu sententiæ, argumenta & solutiones, fundamenta solida, & subtiles distinctiones, omnis denique mirabilis viri memoria summo in honore illic habeantur. Ferunt tamen non tunc, sed post annos ferè centum, anno videlicet Domini 1388, sub Vrbano Papa sexto publicis fundatis lectionibus, debitis assignatis stipendijs, Academiam erectam, stabilitam, & priuilegijs munitam ad Vniuersitatis Parisiensis similitudinem, suum exordium accepisse.

Quo tempore Coloniæ docuit, concurrentibus vndique viris do-

ctissimis, orta est in scholis controuersia grauis, quid de Conceptione beatæ Mariæ Virginis sentiendum? essetnè in originali peccato an secus concepta? omnes Alberti Magni sectatores in peccato conceptam fuisse asseruerunt. Scotus & quotquot erant suæ scholæ contrarium mordicùs tenuerunt. Quæ sententia nunc etiam potiores partes obtinet, magisque communiter & piè defenditur. In hac autem concertatione Scotus tam accuratè, tam subtiliter, tam neruosè omnia contrariæ partis argumenta in publica disputatione dissoluit, vt ipsi etiam aduersarij, vel inuiti stupendum hominis ingenium confessi, cum vniuerso præsentium consensu, tamquam vno ore Doctorem subtilem eum prouinciauerũt. quo titulo vsque in hodiernũ diem innotescit. Sed vnde euidentius argumentũ magni illius ingenij sumere poterimus, quàm ex ijs quæ viuens scripsit, & moriens posteris reliquit? Scripsit autem pro breuitate vitæ quam vixit, & altitudine rerum, & multitudine librorum planè mirabilia.

Lecturam in Genesim, *Librum vnum.*

De rerum principio, *Librum vnum.*

De primo rerum principio, *Librum vnum.* Domine Deus noster. M S. Oxonij in Collegio Nouo. Extat Venetijs anno 1497. Nancæi vidi in bibliotheca Franciscanorum.

Commentarios in Euangelia, *Libros quatuor.*

In epistolas D. Pauli, *Libros plures.*

Sermones de sanctis, *Librum vnum.*

Sermones de tempore, *Librum vnum.* Erunt signa. In hoc Euangelio.

In Magistrum sententiarum commentarios Oxonienses, *Libros quatuor.* Vtrum homini pro statu isto sit. M S. Oxonij in Collegio Nouo, & in Mertonensi, & Balliolensi. Cantabrigiæ in publica, in Collegio S. Petri. Et in Collegio Caij habetur M S. in primum sententiarum, cum his versibus in fine libri:

Istud opus scripsit Scotus dum corpore vixit,
Parisijs dixit, & ob hoc sua fama reuixit.
Nam sibi subtilis nomen subtilia donant,
Quem vestis vilis, pes nudus, corda coronant.

In eumdem Magistrum reportationes Parisienses, *Libros quatuor.* Circa prologum primi sententiarum. M S. Cum multis alijs eius operibus Oxonij in Collegio Balliolensi, Lincolniensi, Orialensi.

De cognitione Dei, *Librum vnum.* Quia summa nobis cognitio est.

De perfectione statuum, *Librum vnum.* Status Prælatorum præsupponit. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Quodlibeta Scholastica, *Librum vnum*, Cunctæ res difficiles, ait Salomon. M S. Oxoniæ in Collegio Nouo, Merton. Magdal. Cantabrigiæ in publica, & in Collegio Caij. Extant Norembergæ anno 1481. Vidi Nancæi apud Franciscanos.

Quæstiones in Porphirium & veterem artem Aristotelis, *Librum vnum.* M S. Oxoniæ

Oxoniæ in publica. Extant Venetijs anno 1512.

De modis significandi, *Librum vnum.* M S. ibidem.
In libros Priorum & Posteriorum, *Libros duos.* M S. ibidem.
In Categorias Aristotelis, *Librum vnum.*
Quæstiones vniuersalium, *Librum vnum.*
Quæstiones Prædicamentorum, Librum vnum. Puto esse quæstiones viginti & vnam quæ habentur Oxoniæ M S. in Collegio Vvicc amico, & Mertonensi. Vbi etiam habentur MS. multa alia eius opera.
Quæstiones in Metaphysicam, Libros duodecim. In principio Metaphysicæ. M S. Oxonij in Collegio Balliolensi. Extant Venetijs anno 1497. Et 1501. Vidi in bibliotheca Franciscanorum Nancæi.
In Analytica Posteriora, Libros duos. Scire autem opinamur vnũquodque.
In Aristotelis Physica, *Libros octo.*
In eiusdem Meteora, Librum vnum. M S. Oxonij in Collegio Magdalen. Balliol. Orial.
In Elenchos, *Librum vnum.*
Theorematum, Librum vnum. Tertio principaliter circa dicta Doctoris. Extant Venetijs 1497. Vidi in bibliotheca Franciscanorum Nancæi.
Quæstiones in libros de anima, *Librum vnum.*
Commentarios imperfectos, Librum j. Et alia plurima. Inueniuntur operum *Eius volumina octo.* M S. Oxonij in Collegio Mertonensi. Quinque in Collegio Balliolensi. Pleraque eius Philosophica M S. sunt Oxonij in Collegio Balliolensi. Et Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.

Tandem ætate virili præpropera morte raptus est Coloniæ tactus apoplexia sexto Idus Nouembris anno Christi 1308, sub Angliæ Rege Edvvardo secundo. Iacet autem ibi sepultus in magno Franciscanorum Conuentu in medio chori ante summum Altare, tumba admodum splendida, in cuius circuitu nomina quindecim Doctorum ordinis S. Francisci insculpta leguntur. Videlicet in parte superiore tres summi Pontifices, & duo sunt Cardinales. A lateribus hinc indè Doctores decem, ex quibus sex sunt Angli natione. Ad pedes autem hoc sequens epitaphium laminis æneis incisum habetur:

Ante oculos saxum Doctorem deprimit ingens,
Cuius ad interitum sacra Minerua gemit.
Siste gradum lector, fuluo dabis oscula Saxo,
Corpus Ioannis hæc tenet vrna Scoti.
Annus milleno ter centum cùm adderet octo,
Postremum clausit letho agitante diem.

Ibidem in appensa tabula versus sequentes ab eius discipulis compositi leguntur:

Parisijs plora mæstis incede lacernis,
Hic perit in toto quod volat orbe decus.
O Sorbona tuis humiles compone cathedras,
Cuius ab ingenijs fons sacer artis abest.

Straminis in vico placidi certaminis ordo.
Cespitat, heu belli desinit esse caput.
Pondere supremi valido componite luctu,
Doctiloqui pulset tristia corda pauor.
Hunc posito vultu læto, deflete togati,
Discipulis labor hic omnibus vnus erit.

Item in alia vetusta tabella.

Clauditur hic riuus, fons Ecclesiæ, via, viuus
Doctor iusticiæ, studijs flos, arca Sophiæ.
Ingenio scandens, scripturæ condita pandens,
In terris tantus fuit ergo memento Ioannis.
Hunc ornauit, fac cœlitus esse beatum.
Pro Patre translato modulemur pectore grato.
Dux fuit hic cleri, claustri lux, & tuba veri.

De Guilhelmo Lidlingtono.

1309. 443. GVILHELMVS Lidlingtonus, siuè is in Comitatu Lincolniensi, siuè quod alij volunt, in Cantabrigiensi iuxta Reistonū, natus fuerit, erat Anglus, & ordinis Carmelitani Monachus Stanfordiensis, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir eruditione, pietate, prudentia, omni denique virtutum laude celebris. Postquam assidua diuini verbi prædicatione multum in populo fructum fecisset, & magnam apud omnes famam conciliasset, suorum in Anglia Prouincialis electus est, illudque munus plus quam quadrienniū obiuit strenuè. Deindè in Galliam Narbonensem à Gerardo Bononiensi Magistro totius ordinis Generali ad generale Capitulum cum alijs vocatus est. Vbi anno Domini 1303, quantum potuit, resistente Lidlingtono, diuisi sunt Angliæ Carmelitæ in duas prouincias. Lidlingtonus autem ascitis sibi nonnullis alijs, non acquieuit, imò libris scriptis decreto contradixit. Sed tandem superiorum auctoritate compressus, cessit. Compositisque rebus, Parisijs factus est sacræ Theologiæ Professor & anno Domini 1309, in Capitulo Geneuensi, constitutus est terræ sanctæ totiusque Palæstinæ & Insulæ Cypri Prouincialis. In patriam nihilominus tandem redijt, vbi & diem suum obijsse perhibetur. Scripsit teste Gobelino

In Euangelium S. Matthæi, Librum vnum. Anima mea conturbauit me.
Sermones ad populum, Librum vnum.
Lecturas Theologicas, Librum vnum.
Determinationum, Librum vnum.
Contra decretum Capituli Narbonensis, Librum vnum. Et alia quædam.

Stanfordiæ tandem mortuus & sepultus dicitur circa annum Domini 1309, regnante in Anglia Edvvardo secundo.

De Brinklæo Minorita.

GVALTERVS Brinklæus vel Brinkel ordinis S. Francisci Monachus Anglus, quem Vvillottus alicubi Doctorem Bonum, alibi antiquum Doctorem & sophistam vocat, & duos, vt opinor non rectè facit videlicet Brinclæum alterum, alterum Vvalterum Brinkel. Sed vnum & eumdem fuisse existimo. Erat autem sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & ibidem inter suos in eadem suprema facultate Professor. Eius sanè scripta satis indicant hominem fuisse acuti & subtilis ingenij, & qui argutias scholasticas, tum in Philosophia, tum etiam in Theologia, penitiore oculo inspexerit, imò penetrauerit longè acutiùs quàm vulgus Doctorum. Nec solum ipse mysteria Theologica mentis acumine percepit; verum etiam tantam habuit in ijsdem explicandis perspicuitatis gratiam, vt difficilia quæque clarè exponendo suis auditoribus reddiderit plerumque opinione faciliora. Scripsit autem

1310.
444.

Super Magistrum sententiarum, Libros quatuor. Vtrum per aliquam disciplinam.

Distinctiones scholasticas, Librū vnum. Ad sciendam primam originem &,

Determinationes, Librum vnum. Sit aliqua conclusio Theologiæ.

In varia opera Aristotelis accuratos commentarios. Et alia quædam.

Claruit anno postquam Verbum caro factum est 1310, regnante in Anglia Edvvardo secundo.

De Ioanne Vviltono.

IOANNES Vviltonus Senior, in Anglia natus, & ibidem in bonis litteris ab ætate tenera solicitè educatus, indolem quam natura dederat præclarem, præstantiorem reddidit cultura. Nam in gymnasijs Anglicanis non sine industria liberalibus artibus animum excoluit, totumque adolescentiæ tempus in ijs perdiscendis vtilissimè collocauit. Vt autem deinceps simùl Deo & bonarum litterarum studijs liberiùs vacare posset; ex turbulentis huius mundi procellis, & periculosis fluctibus, in tranquillum religiosi status portum sibi nauigandum iudicauit. Elegit itaque S. Augustini regulam, probè sciens in domicilijs illius professionis simùl semper cohabitare vitæ sanctitatem, & omnis generis meliorem doctrinam. Ibi primùm Philosophicis, deindè Theologicis studijs vtilem nauauit operam, & in vtrisque ita profecit, vt absoluto in Anglia studiorum curriculo, Parisios profectus, paulò pòst in sacra Theologia Doctor & Professor constitutus fuerit: vti etiam posteà Oxoniæ. Vtrobique doctis concionibus, eruditis lectionibus, acutis & subtilibus disputationibus magnum apud omnes sibi nomen acquisiuit. Quibus titulis Ioannes Bacondorpius in suis super primum & secundum sententiarum commentarijs, de eo non semel honorificam fecit mentionem. Sed adhuc de eo manifestius præbebunt testimonium opera quæ omni eruditionis genere refecta posteris reliquit. Compo-

1310.
445.

fuit enim vt inuenio apud Iosephum Pamphilum in suo chronico Eremitarum S. Augustini

In Magistrum sententiarum, Libros quatuor.
Determinationum in Theologia, Librum vnum.
Sermonũ { *De Sanctis*, Librum vnum. Simili pœna affectus est seruus.
Quadragesimalium, Librum vnũ. Memor esto vndè excideris.
Aestiualium, Librum j. Quæ sursum sunt quærite, nõ quæ.
Hyemalium, Librum vnũ. Sicut in die honestè ambulemus. }
In Priora Aristotelis, Libros duos.
In Posteriora eiusdem, Libros duos.
In eius Ethica, Libros decem.
Quæstiones & lecturas, Librum vnum. Et eiusmodi alia. Obijt tandem Oxoniæ circa annum reparatæ salutis 1310, Edvvardo secundo ad Anglicani regni gubernaculum sedente.

De Roberto Vvalsinghamo.

1310. 446.

ROBERTVS Vvalsinghamus, Rupertum Vvalsigen vocat Sixtus Senensis, natione Anglus, ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de monte Carmeli in Monasterio Norvvicensi, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis, vbi inter alios celebres discipulos, auditorem habuit Ioannem Bacondorpium mirabilis tunc ingenij iuuenem, qui & hunc suum Magistrum in scriptis non rarò, & planè qua par est reuerentia citat. Citat etiam aliquando, maximè in sua doctrinali fidei, Thomas Vvaldensis, tanquam idoneum Catholicæ veritatis testem & propugnatorem, atque errorum hostem. Hic acriter defendit partes Guilhelmi Lidlingtoni contra Gerardum Bononiensem, nec adduci potuit vt consentiret decreto capituli, quo statutum erat, vt ordo Carmelitarum in Anglia in plures diuideretur prouincias. Dicitur etiam contra varios Theologos, tum sui temporis, tum antiquiores, diuersas opiniones tenuisse, & mira subtilitate defendisse. Erat enim vir acuti ingenij, solidi iudicij, bonæ vitæ, magnæ doctrinæ, vti scripta quæ post se reliquit, abundè testantur. Scripsit autem

Super Ecclesiasticum, Librum vnum. Sicut dicit Augustinus in libello de.
Determinationes scripturæ, Librum vnum. Ego sum via, veritas, & vita.
Elucidationes sententiarum, Libros quatuor. Verbum dulce multiplicat amicos.
Quodlibeta maiora, Librum vnum. Quæstio in Ecclesia olim fuit, vtrũ.
Quodlibeta minora, Librum vnum. In ista quæstione de quolibet.
Conciones ad populum, Librum vnum.
Quæstiones ordinarias, Librum vnum. Vtrum respectus vestigialis form.
Alias quæstiones ordinarias, Librum j. Vtrum ens, verum, & c. nom.
Quæstiones solemnes, Librum vnum. Vtrum in diuinis persona producẽs.

Quæstiones vesperiales duodecim, *Librum vnum.* Vtrum Christus per suum intellectum.

Contra Gerardum de Bononia, *Librum vnum.* Et alia multa. Obdormiuit in Domino in Monasterio Norvvicensi anno Messiæ 1310, Mense Ianuario, dum Edvvardus secundus *impiger Anglorum regni tractaret habenas.*

De Ranulpho Lokeslæio.

RANVLPHVS Lokeslæius natione Anglus, & Franciscanę professionis in Oxoniensi conuentu Monachus. In bonarum litterarum studijs ab adolescentia educatus, Lelando teste, tum in Philosophia, tum in Theologia fructus vbertim produxit. Et Oxoniæ tandem sacræ Theologiæ Doctor creatus, Professor constitutus Magistri Lombardi sententias ex suprema cathedra publicitùs docuit, eiusque textum eruditis commentarijs illustrauit. Quantæ autem fuerit pietatis & doctrinæ, scripta, quæ posteris reliquit, locupletes testes esse possunt. Edidit

1310. 447.

Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.*
De paupertate Euangelica, *Librum vnum.*
Super Aristotelis opera varia, *Libros plures.* Et alia quædam. Claruit anno salutis 1310, dum summa rerum apud Anglos esset penes Edvvardum secundum.

De Richardo Greckeladensi.

RICHARDVS Greckeladensis, natione Anglus, ordinis S. Augustini Canonicus Regularis, in cœnobio Comitatus Norfolcensis, non longè ab oppido Vvalsinghamio, quod Cric vel Crickeslad vulgò dicebatur, vndè & ipse cognomen accepit. Vir quem sanctitatis opinio & multiplicis eruditionis existimatio iã celebrẽ reddiderãt. Erat enim in argutijs Philosophicis laudabiliter versatus, in Theologicis disciplinis solidè fundatus, & concionator suo tempore non vulgaris. Plura eruditè scripsisse perhibetur, quàm ad posteritatis notitiam peruenire permisit temporum iniquitas. Aliquarum saltem lucubrationum eius titulos in probatis auctoribus inuenimus, quos hîc subijciendos iudicauimus

1310. 448.

De testamento Patrum, *Librum vnum.*
De connubio Iacob, *Librum vnum.*
Homiliarum ad populum Anglicè, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia plura. In suo tandem cœnobio mortuus & sepultus est circa annum Verbi Incarnati 1310, sub Anglorum Rege Edvvardo secundo.

De Gualtero Iorsio.

GVALTERVS Iorsius, quibusdam Ioyce, ordinis S. Dominici Monachus Anglus. Hunc Antonius Senensis in chronico Fra-

1310. 449.

trum ordinis Prædicatorum non dubitat pronunciare virum grauitate morum, & doctrina insignem. De cuius virtutibus aliquid infrà in Thoma Iorsio breuiter tangemus. Hîc satis sit virtutum præmia, & solidæ doctrinæ attexere monimenta. Virtutes eius remunerauit summus Pontifex Clemens quintus. Nam anno Domini 1306 Pictauis existens, eum Archiepiscopum Armachanum, & totius Hiberniæ creauit Primatem. Eruditionis autem hos sequentes proferemus testes

Summam Theologiæ,	*Libros quatuor.*
Promptuarium Theologiæ,	*Libros tres.*
Quæstionum variarum,	*Librum vnum.*
De peccatis in genere,	*Librum vnum.*
De peccato originali,	*Librum vnum.* Et alia. Claruit anno

Christi 1310, sub Angliæ Rege Edvvardo secundo.

De Ioanne Hormingero.

1310. 450.

IOANNES Hormingerus claris parentibus apud Suffolcenses in Anglia natus. Bonarum literarum singularis fautor, cultor etiam non indiligens. Philosophus non vulgaris, historiarum maximè patriarum scrutator studiosus, regionum peragrator laboriosus. In ijs quæ ad Deum sunt pius, in moribus vrbanus, in agibilibus prudens. Cùm aliquandò Romæ ageret, & cum Italis atque aliarum nationum hominibus in familiari congressu discursus incideret de cuiusque regionis commoditatibus, hic Angliam nostram à temperie cæli, à fertilitate soli, ab amœnitate pascuorum, à numerositate pecorum, à piscosis fluminibus, à multiplici venatione, ab abundantia mercaturæ, à facilitate nauigationis ad omnes orbis partes, denique ab eorum omnium copia, quæ ad victum & vestitum pertinent; A diuitijs etiam & delitijs, ab vrbanitate incolarum, & ab alijs multis elegantissimè commendauit. Super quibus omnibus, in patriam reuersus, scripsit idiomate Anglicano

Angliæ commendationes, *Librum vnum.* Vt ad beneplacitum & solatium Sereniss. De alijs nihil habeo comperti. Claruit anno Dominicæ Incarnationis 1310, *Dum penes Edvvardum fuit Anglia tota secundum.*

De Nicolao Stanfordo.

1310. 451.

NICOLAVS Stanfordus, natione Anglus, ordinis Cisterciensis Monachus, si Lelandi coniecturæ credimus, in eo maximè fundatæ, quòd extra illorum Monachorum Bibliothecas, vix vspiam hominis supersit memoria. Virum fuisse eruditum, & vtilem operam in sacrarum literarum studijs collocasse, tum ex aliorum testimonijs, tum multò magis ex ipsius scriptis liquidum est. Quo impensiùs etiam dolendum, eius diligentiam aliorum negligentia magna ex parte quodammodò perijsse, vel saltem neque nobis ad vtilitatem, neque illi profuisse ad debitam nominis famam. Ex paucis

eius eruditis libris, qui inuenti sunt, tanquàm ex vngue leonem, facilè collegeris quantus & qualis fuerit Doctor. Ioannes Lelandus, qui ex eius operibus quædam legit, omnia laudat. Fatetur se & hominis solidam doctrinam, & sermonis admirari elegantiam. Virum denique planè dignissimum iudicat, qui illustris scriptoris titulo gaudeat. Gaudeat igitur, licet pauca eius scripta inueniamus. Inuenimus saltem

Moralitatum in Genesim, *Librum vnum.*

Concionum, *Librum vnum.* Claruisse eum putat Lelandus circa annum Domini 1310, sub Angliæ Rege Edvvardo secundo.

De Roberto Bastonio.

ROBERTVS Bastonius illustri apud Anglos stemmate natus, patria Eboracensis, non longè à Nottinghamia natalitium locum habuit. Fuit tandem ordinis fratrum beatæ Mariæ semper Virginis de monte Carmeli, & inter suos in cœnobio Scarburgensi Prior. Philippum etiam germanum fratrem habuit eiusdem ordinis non indoctum Monachum. Vir, vt ita dicam, *Integer vitæ, scelerisque purus.* Et in omni humaniori litteratura tam politus, vt Oxonij non immeritò tum Rhetoricam, tum Poëticam acceperit lauream. Hunc Edvvardus primus Angliæ Rex, vt testis est Hector Boëtius libro decimo quarto historiæ Scotorum, anno Domini 1304. in Scotiam secum duxit, vt obsidionem Striuelinensis castri, totumque illud bellum carmine describeret, quod & egregiè veraciterque præstitit. Sed miser post annum in manus Scotorum incidit, & vt loco citato scribit idem Hector, iussu Roberti Brusij tormentis compulsus est, vt contrarium scriberet, quasi Scoti de Anglis triumphassent. His conformia scribit Ioannes Maior in quinto suorum chronicorum libro, & Ioannes Bellenden in Scotica translatione. Thomas de la Moor in Edvvardo secundo fatetur Anglos, fugiente Rege, magnam cladem accepisse. Scripsit quasi inuita Minerua, & contradicente conscientia

1310.
452.

De Striuelinensi obsidione, *Librum vnum.* De planctu cudo metrumcum carmine.

De altero Scotorum bello, *Librum vnum.* Me cordis angustia cogit mira fari.

Orationum synodalium, *Librum vnum.*

De varijs mundi statibus, *Librum vnum.* Totum regnat seculum Papæ potestas.

De diuite & Lazaro, *Librum j.* Paupertate melior est argenti mar.

De Scotiæ guerris varijs, *Librum j.* Ludere valentibus ludo paro lyram.

De sacerdotum luxurijs, *Librum vnum.* Scribere decreui, quia ludum fingere.

Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Venerabili patrum cætui frater.

Contra artistas, *Librum vnum.* Meum est propositum gentis imperitæ.

Tragœdiarum & comediarum Anglicè, *Librum vnum.*

Poëmatum & rithmorum, *Librum vnum*. Et alia multa. Nottinghamiæ tandem viuendi finem fecit, & requiescendi locum elegit, circa annum aduentus Messiæ 1310, dum Anglicani regni solium occuparet Edvvardus secundus.

De Guilhelmo Vvhetleio.

1310. 453.

GVILHELMVS Vvhetleius, Boëtianum Lelandus cognominat, quia multus erat in Boëtij libris explicandis. Vir omnis humanioris litteraturæ, imò omnium artium liberalium peritissimus. His enim studijs in Oxoniensi Academia longo tempore sub optimis præceptoribus strenuam nauauit operam, & non pœnitendos fecit progressus. Tandem virtutis & eruditionis meritis factus est Ecclesiæ Iathisberiensis Pastor. Quo etiam loco & tempore, nec à studijs cessauit, nec à consuetis colloquijs, conferentijs, & frequenti doctorum hominum consuetudine, quantum licuit, abstinuit. Hæc pleraque ex Lelando. Quod ad eius lucubrationes attinet, has sequentes à probatis auctoribus nominatas, vel in vetustis Bibliothecis cum blattis & tineis quasi dimicantes inuenimus

Super Boëtium de Consolatione, *Libros quinque*. Philosophiæ seruias, vt inde. M S. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.

In eundem de disciplina scholarium, *Librum vnum*. Hominum natura multipliciter est. M S. ibidem & Oxonij in Collegio Mertonensi.

De diuisionibus eiusdem, *Librum vnum*.

Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum*. Et alia. Vixit circa annum gratiæ 1310, sub Angliæ Rege Edvvardo secundo.

De Guilhelmo Gainesburgo.

1310. 454.

GVILHELMVS Gainesburgus ordinis S. Francisci Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & in eadem Academia Professor vicesimus quintus eorum qui ex illo ordine Theologiam ibi docuerunt. Vir pietate, prudentia, omnique melioris doctrinæ genere instructus. Quibus nominibus apud magnates & principes benè cognitus, & magis extitit dilectus. Hunc Edvvardus primus Angliæ Rex cum Hugone Manchestrio ordinis S. Dominici Monacho in legatione misit ad Philippum Francorum Regem, de componendis in Aquitania rebus, vbi strenuè se gessit, & negotium sibi commissum pro votis confecit. De quo vide Thomam Vvalsinghamum ad annum 1295, in Edvvardo primo. Romæ etiam sacri Palatij prælectorem fuisse testatur Thomas Eclestonus. Propter perspicuitatem in legendo & explicando, subtilitatem in disputando & distinguendo, elegantiam & feruorem in concionando, magnum apud omnes nomen habuit. Tandem anno Domini 1310. à Bonifacio Papa

octauo

octauo ad Episcopatum Vvigorniensem euectus est. Scripsit, teste Lelando,

Sermonum ad clerum & populum, *Librum vnum.*
Quaestionum subtilium, *Librum vnum.*
Disceptationum, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia non pauca.

Milleno viguit post partum virginis anno,
Si ter centenos adijcis, atque decem,

Regnante apud Anglos Edvvardo secundo. Vide nostrum de Vvigorniensibus Episcopis Catalogum.

De Thoma Iorsio.

THOMAS Iorsius, Ioyce cognominant aliqui, natione Anglus, ordinis S. Dominici seu Praedicatorũ Praedicator insignis, sacrae Theologiae Doctor & Professor Oxoniẽsis. Totius ordinis sui per Angliã electus Prouincialis, ad integrum septennium praefuit. Posteà Galliam & Italiam peragrauit, & nonnihil temporis Neapoli in quodam suorum conuentu consumpsisse dicitur. Vir morum grauitate, religionis integritate, vitae innocentia, & eruditionis eminentia valdè venerandus, imò verò planè admirandus. Harum & similium virtutum intuitu, Clemens Papa quintus hominem Lugdunum vocauit, & anno Domini 1305, in ieiunijs quatuor temporum Aduentus, decimo octauo calendas Ianuarij eum Presbyterum Cardinalem tituli S. Sabinae creauit. Apud probatos auctores scriptum legi hunc Thomam sex fratres habuisse germanos, hoc est, eodem patre & matre natos, omnes in eundem ordinẽ S. Dominici coaptatos, iisdem virtutibus ornatos, pari ferè doctrina imbutos. Huic autem Thomae varij libri ascribuntur, quos aliqui putant à D. Thoma Aquinate compositos, alios etiam à D. Thoma inchoatos, ab isto Iorsio completos multi asserunt. Et haec pleraque de isto Thoma scribunt Onuphrius in Clemente Papa quinto, Sixtus & Antonius Senensis in chronico fratrum ordinis Praedicatorum, adduntque Edvvardo secundo Angliae Regi fuisse à confessionum secretis. Scripsisse dicitur commentarios

1311.
455.

In Genesim, *Librum vnum.* Non recedat. Venetijs in Bibliotheca SS. Ioannis & Pauli:

Postillã in Psalmos viginti quinque, *Librum vnum.* Beatus vir qui custodit.
In Isaiam, *Librum vnum.*
In Hieremiam, *Librum vnum.*
In Cantica Canticorum, *Librum vnum.*
In epistolas Canonicas, *Librum vnum.*
In Apocalypsim S. Ioannis, *Librum vnum.*
In S. Augustinum de ciuitate Dei, *Librum vnum.*
In Boëtium de Consolatione, *Librum vnum.*
Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.*
Sermonum per annum, *Librum vnum.*

In Boëtium de disciplina scholarium, *Librum vnum.*
De Conceptione beatæ Mariæ virginis, *Librum vnum.*
Quæstionum Theologicarum, *Librum vnum.*

Hunc puto esse eundem Thomam Anglicum cuius commentarij in D. Thomam de Aquino, & opus contra Ioannem Scotum extant Monachij Bauarorum in Bibliotheca Ducali.

Onuphrio & Antonio Senensi testibus mortuus est apud Allobroges dum legatione fungeretur ad Imperatorem Henricum septimum, anno Christi 1311. Corpus eius Oxonium perlatum, illic apud fratres Dominicanos splendida sepultura conditum fuit, regnante in Anglia Edvvardo secundo.

De Guilhelmo Hanabergo.

1311. 456.

GVILHELMVS Hanabergus, natione Anglus, in Southreia non longè Londino ortus, Oxonij in pietatis & bonarum litterarum studijs, teste Lelando diligenter educatus, ab ipsis teneris, vt aiunt, vnguiculis. Iuuenis factus est Monachus ordinis beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli. Nec intereà studiorum cursum interrupit, donec Oxoniæ supremam in sacra Theologia lauream esset consecutus. Successu temporis in capitulo Norvvicensi anno Domini 1278, constitutus est ordinis sui in Anglia Prouincialis quintus, proximus videlicet post Rogerum Crostvviccum, non multo ante tempore morte sublatum. Et exiguo post eum spacio Heruæus de Burneham vicariam exercuit potestatem. Porrò Hanabergus suo munere sanctè soliciteque fungendo, à summis Pontificibus in fauorem suorum in Anglia multas obtinuit immunitates, quas ab Angliæ Regibus, Episcopis, & omnibus, quorum intererat, confirmari curauit. Quod ad eius doctrinam attinet, scripsit

Sermonum variorum, *Librum vnum.*
Lecturas Theologiæ, *Librum vnum.*
Determinationes celebres, *Librum vnum.*
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.* Vtrum actus virtutis moralis.

Londini senex mortuus & sepultus est, anno post aduentum Messiæ 1311, regnante apud Anglos Edvvardo secundo.

De Guilhelmo Radingio.

1312. 457.

GVILHELMVS Radingius ordinis Carmelitani sacræ Theologiæ Doctor Anglus, patria Bathonensis. Pietatis & eruditionis cultor insignis, & diuinæ gloriæ zelo incredibiliter feruidus, omnium vitiorum osor, omnium virtutum amator. In Oxoniensi Academia multo tempore vixit, vnde Londinum aliquando vocatus est, vt cum alijs Doctoribus sub Archiepiscopo Cantuariensi Vvinchelseio pro tribunali Templarios de quibusdam immanibus & atrocibus sceleribus examinaret. Existimo etiam eum interfuisse Concilio Viennensi

in Gallia, in quo mandante Clemente Papa quinto, Templariorum ordo fuit penitus exterminatus. Porrò Radingius collectis in vnum accusantium articulis, & accusatorum responsionibus, scripsit

Templariorum examinationes, Librum j. Ad perpetuam rerum memor.

Quæstionum quarumdam, Librum vnum. Vtrum viator inuitè mereri. Et alia non pauca. Claruit anno post Christum natum 1312, cùm ad Anglicani regni gubernaculum sederet Edvvardus secundus.

De Guilhelmo Rishangero.

GVILHELMVS Rishangerus, natione Anglus, à teneris annis in bonarum litterarum studijs & timore Dei enutritus, anno ætatis suæ vicesimo primo apud S. Albanum Diui Benedicti regulam amplexus, in illorum fratrum contubernium admissus est. Hic cùm esset doctus, & studijs maximè historiarum & antiquitatis delectatus, factus est pro eo Monasterio regius Chronographus sub Henrico tertio, Edvvardo primo & secundo. Nam id in nostra Britannia semper moris erat, vt in quolibet ex maioribus Monasterijs, vnus ex Monachis esset Regis historicus, qui res in regno gestas fideliter & diligenter per singulos annos scriberet. Compilauit igitur hic Guilhelmus historiam Anglorum ab anno Domini 1259. vsque ad suum tempus, quam Ioanni Abbati suo nuncupauit, cui titulum hunc præfixit

1312.
458.

Chronicorum opus, Librum vnum. Sunt quædam vetustatis indicia. Quod opus puto esse illam collectionem historicorum tractatuum quæ habetur M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Quod opus scribit Thomas Vvalsinghamus ad annum 1322, suo tempore asseruatum fuisse in Monasterio S. Albani. Scripsit etiam *appendicem seu continuationem Matthæi Paris ab anno 1260. vsque ad vltimum annum Henrici Regis tertij*, Librum vnum. Rex Henricus componit cum Rege. M S. in Bibliotheca Lumleiana.

Annales Edvvardi primi, Librum j. Anno Domini 1300. septimo nonas.

De bellis Levves & Euesham, Librum vnum. Quamplurimùm praua inoleuit cons.

De Ioanne Baileolo Rege, Librum j. Conuenientibus apud Norham Dn.

Super electione Regis Scotorum, Librum j. Ad Regiæ Celsitudinis Angliæ.

De iure Regis Anglorum ad Scotiam, Librum vnum. Sanctissimo in Christo Patri. Scripsit etiam alia plura, quorum ne titulos quidem iam inuenimus. Grandæuus tandem & plenus dierum, necnon abundans bonorum operum in suo cœnobio ex hoc corporis ergastulo euolauit ad cæleste præmium, licet corpus ibidem quiescens expectet extremæ sonitum tubæ. Mortuus est autem circa annum à plenitudine temporis 1312, dum Edvvardus secundus in Anglia rerum potiretur.

De Radulpho Baldocco.

1313.
459.

RADVLPHVS Baldoccus, natione Anglus. Vir miti placidoque ingenio, mira affabilitate, incredibili morum suauitate. Propter quas animi dotes cum singulari pietate & eruditione pari coniunctas, magnatum & principum beneuolentiam gratiamque mirificè conciliauit. Imprimis eum magno in precio habuerunt Reges Edvvardus primus, eiusque filius Edvvardus secundus. Vndè ad virtutes hominis accedente Regis fauore, tandem factus est Episcopus Londinensis. Erat multæ lectionis, & in voluendis historijs, atque nostræ gentis antiquitatibus perscrutandis vtilissimè versatus. Operæprecium enim iudicabat ea quæ vel apud probatos auctores legerat, vel ipse viderat, vel aliàs à fide dignis acceperat, fideliter posteritati, quasi per manus æternitati tradenda, tradere. Scripsit igitur Britannorum & Anglorum, continuata successionis serie, chronicon, cuius facit mentionem Ioannes Burgensis in suis annalibus Anglicanis, & Ioannes Lelandus illud opus aliquandò Londini se vidisse testatur. Operi titulum dedit

Historiam Anglicam, *Librum vnum.* Alia nonnulla. Scripsisse dicitur, sed eorum ne titulos quidem inuenio. Obijt anno redemptionis humanæ 1313, regnante apud Anglos Edvvardo secundo. Vide quem scripsimus de Episcopis Londinensibus Catalogum.

De Roberto Vvinchelseio.

1313.
460.

ROBERTVS Vvinchelseius, natione Anglus, à pueritia Cātuariæ educatus, ab adolescentia Academiæ Oxoniensis alumnus factus, in Collegio Mertonēsi studijs Philosophicis vtilem nauauit operā. Postquàm autē liberalium artium & Philosophiæ magisterio fuit insignitus, maiora animo voluens, & ad altiora aspirans, Lutetiam Parisiorū in Gallia florentissimam Academiam petijt, vbi sacrarum litterarū studia pertinaci quadā diligentia strenuè prosecutus, Theologiam omnem ita accuratè didicit, vt post annos non multos eandē ibidem docuerit cum applausu publicus Professor. Fama doctrinæ eius in Anglia paulatim percrebuit. Ipse famam secutus in patriam redijt. Fortuna reuerso arridens eum in Eastsaxia ad Archidiaconatum euexit, & tandem virtute comite ad Cantuariensem Archiepiscopatum perduxit. De quo fusiùs suo loco. Non desunt qui scribant eum post iacta primorum studiorum fundamenta Cantuariæ indè in adolescentia Parisios ad Philosophiam audiendam profectum, ibi Magisterium in artibus suscepisse, ad Theologiam perrexisse, eam tamen Oxoniæ absoluisse, & ad gradum Doctoralem promotum fuisse. Quod autem ad hominis attinet monimenta litteraria, non dubito, quin & domi & foris multa scripta ediderit, ex quibus tamen hactenùs nihil inuenire potui præter Cōstitutiones prouinciales sub his titulis sequentibus, de quibus Matthæus Vvestmon. ad annum 1295.

De maioritate & obedientia. Presbyteri,& infrà.
De iureiurando. Presbyteri stipendiarij.
De sepulturis. Quia inter Rectores.
De decimis, Cùm propter diuersas.
De celebratione Missarum. Presbyteri stipendiarij.
De Ecclesijs ædificandis. Vt parochiani.
De pœnitentijs & remissionibus. Presbyteri stipendiarij.
Alia si scripserit, me latet. Hæc ferè ex Ioanne Lelando & Guilhelmo Linvvodo, qui & asserunt eum hanc vitam cum meliore commutasse anno reparatæ salutis 1313, dū in Anglicani regni solio sedebat Edvvardus secundus. Vide quem composuimus de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Thoma Cabhamo.

THOMAS Cabhamus vel de Cabham Sacerdos Anglus, sacræ Theologiæ Doctor,& Ecclesiæ Sarisburiensis Canonicus,necnon ibidem Vicedecanus. Vir ita mitis, benignus, sobrius, & modestus, vt his nominibus ab omnibus mirè diligeretur, & vulgò *probus Presbyter* cognominaretur. Hæ virtutes & eximia doctrina fuerunt in causa,quod anno Domini 1313, per electionem Archiepiscopus Cantuariensis designaretur. Cui tamen Rex Edvvardus secundus Gualterum Reginaldum præferri voluit, & Chabhamo V vigorniensem Episcopatum contulit. Erat sanè ad omne munus Ecclesiasticum,& præsertim Episcopale aptissimus, quippe qui omnem suam doctrinam, omnemque industriam, ad docendum & instruendū in Christianæ pietatis officijs populum,ad conseruandam Ecclesiasticam disciplinā, & ad animarū salutem omni ratione procurandam & promouendam direxit. Hunc Thomas V valsinghamus virum supereminentis litteraturæ, multisque virtutibus redimitum asserit. Testes etiam horum omnium lucupletissimi sunt libri quos omni tum pietatis, tum eruditionis genere refertissimos reliquit ad posteritatis vtilitatem. Nam in lucem emisit

1316. 416.

Summam de casibus pœnitentiæ & Ecclesiasticis officijs, Libros septem. Cùm miserationes Domini sint super. M S. Oxonij in bibliotheca Orialensi. Cantabrigiæ in Archiuis Caij.
De peccatis in genere, *Librum vnum.* Cùm summa Theologicæ fac.
Speculum Ecclesiæ, Librum vnum. Pœnitentiam agite appropinquabit.
De baptismo tractatum. Ob diuinam prouidentiam & curam circa.
Sermonum, *Librum vnum.*
Diuersorum commentariorum, *Librum vnum.* Et alia quædam.
Claruit anno reparatæ salutis 1316, sub Anglorum Rege Edvvardo secundo. Vide quem fecimus de V vigorniensibus Episcopis Catalogum.

De Petro Babione.

1317. 462. PETRVS Babion natione Anglus, ab adolescentia in humanioris litteraturæ studijs solicitè sub optimis præceptoribus educatus, in oratione tum ligata, tũ soluta ita se exercuit, vt Poëta & Rhetor euaserit elegantissimus. De quo tanquã de Poëta versu, tanquam de oratore, prosa, mihi loqui licet. In eo sanè laudãtur, quæ in plerisque desiderãtur

Ingenium fœlix, inuentio, lucidus ordo,
Gratia, maiestas, ad rem benè congrua verba.

Accedente autem cum annis maturiore iudicio, committere noluit, vt omnem ætatem, & tantum ingenium in illis solum exercitijs consumeretur. Itaque ad sacrarum scripturarum lectionem animum adiecit. In quo labore, ne sibi tantum videretur proficuus, prædicandi verbi diuini munus suscepit, ad quòd multum illi seruiuit apparatus ille politioris sermonis, quo adhuc iuuenis se copiosissimè instruxerat. Fœlices igitur etiam in hac via successus habuit, ita vt ascriptus albo Theologorum, nomen inter eos non vulgare fuerit consecutus, cuius vsque in hodiernum diem splendorem tuentur opera quæ ad vtilitatem posterorum scripta reliquit. Nam ex Bostono Buriensi accepimus hæc sequentia: Commentarios

In Euangelium S. Matthæi, *Librum vnum.* Dominus ac Redemp.
De officio Missæ, *Librum vnum.*
Sermonum septuaginta, *Librum vnum.* Dicite, pusillanimes conforta.
Homiliarum, *Librum vnum.*
Comodiam carmine, *Librum vnum.* Me dolor infestat foris, intus.
Carminum diuersorum, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Claruit anno communis salutis 1317, regnante in Anglia Edvvardo secundo.

De Ioanne Canonico.

1320. 463. IOANNES Canonicus vel Canon', qui & Marbres à quibusdam cognominatus est, natione Anglus, ordinis S. Frãcisci Monachus, & tandem sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis. Nam Oxoniæ primùm in Anglia, deindè Parisijs in Gallia fuit subtilis Doctoris Ioannis Scoti diù auditor, semper imitator. Et successu temporis in omni pietatis & eruditionis genere tantum profecit, vt summam in vtroque lauream mereretur. Erat enim omnis Philosophiæ, tum sacræ, tum profanæ, omnis iuris tum Pontificij, tum Cæsarij peritissimus. Parisijs etiam ad annos aliquot eum publicum Professorem egisse ferunt. Scripsit ad posterorum vtilitatem, suique nominis immortalitatem, vt testes sunt Trithemius & Vvillottus

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Lecturas Magistrales, *Librum vnum.*
Quæstiones disputatas, *Librum vnum.*

In Aristotelis Physica, *Libros octo.* Quæritur vtrum subst.
MS. Oxoniæ in Collegio Balliolensi. Et Cãtabrigiæ in Collegio S. Petri.
Quæstionum dialecticarum, *Librum vnum.*
Claruit anno post Christum natum 1320, sub Anglorum Rege Edvvardo secundo.

De Ioanne Goldestono.

IOANNES Goldestonus, Glodestonum vocat Antonius Senensis in bibliotheca Carmelitarum, natione Anglus, patria Eboracensis, professione Monachus Carmelitanus sacræ Theologiæ primùm Doctor Parisiensis, deindè tum ibi, tum etiam aliquando Oxoniæ publicus Professor, vtrobique magno cum auditorum applausu, nec minore cum fructu docuit. Erat enim vir integritate morum, & exemplo bonæ vitæ conspicuus, vtraque Philosophia diuina scilicet & humana instructissimus, eloquio facundus, in iudicando maturus, in sententijs grauis, in conclusionibus suis solidus & constans. Vergens iam ad senectutem postpositis alijs, se totum sacrarum scripturarũ lectioni, contemplationi & explicationi dedidit, & quod diebus operarijs corde conceperat, & in thesauro pectoris recondiderat, id Dominicis & Festis deprompsit, & quasi bonus atque fidelis verbi diuini dispensator è suggestu ad vtilitatem populi viua voce dispersit ac distribuit. Tandem eximijs ingenij doctrinæque monimentis in scripta redactis, nomen suum posteritati, imò verò æternitati commendauit. Scripsit, vt testes sunt partim Sixtus Senensis, partim Iacobus de Plebe in indice, partim Petrus Lucius in bibliotheca Carmelitarum

1320.
464.

Moralitates in psalterium, Librum vnum. Christus est super omnia non ta.
Commentarios in S. Matthæum, Librum j. Cùm primò prædicasset Euang.
Moralitates in eundem, Librum vnum. Sciendum quòd triplex est merces.
Moralitates in Euangeliũ S. Ioannis, Librum j. Hic est Ioannes Euangelista.
In Canonicam Ioannis, Librum vnum. Semen ipsius in eo manet, quod.
Diuisiones sermonum, Librum vnum. Ter orauit Christus propter pecc.
Sermones de sanctis, Librum vnum. Similis factus est leoni in oper.
Sermones quinquaginta de tempore, Librum vnum.
Collectaneorum, Librum vnum. Quid homo sit secundùm formam.
In Magistrum sententiarum, Libros quatuor. An viatori manẽti in via possit.
Disputationes sententiarũ, Librum vnum. Vtrum Deus sua ratione formali.
Determinationes Theologiæ, Librum j. Vtrum hæc sit vera homo factus est.
Quodlibeta varia, Libros duos. Quæritur vtrum Christus sit simpli.
Quæstiones ordinarias, Librum vnum. Vtrum idæa in diuinis pertineat ad.
Orationum ad clerum, Librum vnum.
Claruit anno postquàm Verbum caro factum est 1320, cum in Anglia rerum summa resideret penes Edvvardum secundum.

De Guilhelmo Manusfeldo.

1320. 465. GVILHELMVS Manusfeldus, ordinis S. Dominici Monachus Anglus, & sacræ Theologiæ Doctor. Non possum adduci, vt credam hunc eumdem fuisse quem aliqui Massettum seu Macelecũ vocnat. Error enim hîc ex tribus aut quatuor causis, nisi fallor, ortus est. Videlicet ex conuenientia eiusdem nominis & ordinis, ex vicinitate aliqua cognominis & temporis, & ex quibusdam de eadem materia scriptis editis, propter certas controuersias, quas habebãt ea tempestate Doctores sæculares, maximè Parisienses, cõtra fratres Dominicanos. Porrò Manusfeldusiste adolescens humaniores litteras, omnesque ingenuas artes; iuuenis omnem Aristotelicam Philosophiã; & vir matura iam ætate sacras litteras, atque scholasticam Theologiam ità accuratè didicit; vt ætate sua doctorum hominum feracissima, vix instructiorem omni eruditionis genere pepererit Anglia. Post acceptum gradum Doctoralem se totum ad legendum, docendum, & scribendum contulit: eum non immeritò Leander Bononiensis in quarto Prædicatorum libro inclytum Theologiæ Paofessorem appellat. Sed ad insignes ingenij doctrinæque fœtus, quos protulit, veniamus. Nam ex fructu cognoscitur arbor. In gratiam posteritatis thesaurum litterarium his sequentibus auxit diuitijs, vt auctor est Bostonus Buriensis

Sacrorum Bibliorum postillas,	*Librum vnum.*
In vetus Testamentum,	*Librum vnum.*
Jn nouum Testamentum,	*Librum vnum.*
De decem Virginibus,	*Librum vnum.*
Quæstionum de Angelis,	*Librum vnum.*
Quæstiones ordinarias,	*Librum vnum.*
Defensorium S. Thomæ Aquinatis,	*Librum vnum.*
Contra corruptores eiusdem,	*Librum vnum.*
Contra Henricum Gandauensem,	*Librum vnum.*
De comparatione statuum,	*Librum vnum.*

Claruit anno post aduentum Messiæ 1320, sub Anglorum Rege Edvvardo secundo.

De Roberto Plimtono.

1320. 466. ROBERTVS Plimtonus, natione Anglus, patria Deuoniensis, ad normam S. Augustini Canonicus regularis in pago Plimtõ à quo cognomen accepit. Vir pius, & non contemnendæ, secundùm Lelandum, litteraturæ. Ferunt eum circa hæc tempora apud Tornesium in Deuonia fuisse Archidiaconum, vbi S. Ioannem Baptistam imitatus, de pœnitentia, & aduentu regni cœlorum frequentes & feruentes ad populum habere solitus est conciones. Quibus strenuè suos auditores hortatus est, vt vitia fugerent, virtutes colerent, de præteritis malis pœnitentiam agerent, de futuro vitæ emendationem seriò proponerent.

Quæ cùm videret præsentibus prodesse, scripto mandauit, vt etiam posteris essent vtilitati. Scripsit igitur

De pænitentia, Librum vnum.
Sermones Dominicales, Librum vnum.

Claruisse putatur circa annum salutis restauratæ 1320, dum Anglis regali præesset potestate Edvvardus secundus.

De Theobaldo Anglico.

THEOBALDVS Anglicus, sacri Carthusiensis ordinis Monachus. Vir insignibus naturæ dotibus & multiplici scientia clarus. Hic omne tempus quòd ab horis nocte diéque in choro cantandis, & à meditatione, rerumque cælestium contemplatione vacuum habere potuit, sacris historijs legendis impendit. Peruoluit igitur labore infatigabili sacra Biblia, legitque vitas sanctorum primatiuæ post Christum Ecclesiæ, scrutatúsque est historias Ecclesiasticas sequentium ætatum: collegit denique & in vnum volumen redegit omnium penè sanctorum hominum res præclarè gestas, ab initio mundi vsque ad suum tempus. Operique titulum dedit

1320.
467.

De progressu Sanctorum Patrum, Librum vnum.
De vita contemplatiua, Librum vnum.

Claruit anno partus virginei 1320, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus secundus.

De Roberto Grimmo.

ROBERTVS Grimmus, natione Anglus, professione Monachus ordinis S. Benedicti in celebri Manasterio Bardeneiensi in prouincia Lindisseiorum. Ab adolescentia virtutis & bonarum litterarum studijs deditus, teste Lelando non vulgares in vtrisque fecit progressus. Ad maturam autem ætatem vbi peruenit, in sacrarum scripturarum quotidiana lectione, & perpetua meditatione sibi & alijs vtilem collocauit operam. Quicquid enim suis laboribus inuenit ad illustrandam fidei Catholicæ veritatem conducibile, vel ad excitandum virtutis studium vtile; id omne non solum ad animæ suæ salutem in pectoris thesauro reposuit atque recondidit, sed etiam ad fructum in populo Dei faciendum suo tempore deprompsit, & è suggestu in concionibus docuit, denique vt posteris prodesset, scripto commisit, & futuris sæculis reliquit

1320.
468.

Commentarios in quatuor Euangelia, Libros quatuor.
Concionum variarum, Librum vnum.

Vixit circa annum Verbi Incarnati 1320, dum in Anglicani regni solio sederet Edvvardus secundus.

De Nicolao Occamo.

1320.
469.

NICOLAVS Occamus, natione Anglus, regulæ S. Francisci diligens obseruator, & illius instituti Monachus professus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & ibidē in suo cœnobio decimus octauus Professor. Huius virtutem & eruditionem inter alios mirè prædicant Thomas Ecclestonus, & Ioannes Lelandus. Nec tacet inter recentiores Henricus Vvillottus in suis Franciscanorum Athenis. His etiam testibus scripsit

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Opus de Verbo, *Librum vnum.*
Quodlibeta scholastica, *Librum vnum.*
De latitudine oppositionum, *Librum vnum.*
Astrologi iudicium, *Librum vnum.*

Claruit anno gratiæ 1320, sub Angliæ Rege Edvvardo secundo.

De Stephano Eitono.

1320.
470.

STEPHANVS Eitonus vel Edonus, natione Anglus, instituti Augustiniani Canonicus regularis in Monasterio Vvarotrensi, non longè à Crago Eboracensis prouinciæ castro. Huius vtiliter in studijs collocatam operam valdè commendat Ioannes Lelandus. Patriam plus quàm naturali affectu diligebat, regemque tunc Edvvardum secundū incredibili amore prosequebatur. Sed rempublicam à Scotis perturbari, eorum res prosperè procedere & augeri, Anglorum contrà, regis culpa & desidiosa inertia pessimè habere, imò pessum ire, egerrimo ferebat animo. Scripsit igitur non sine dolore, bona fide, vt veritas exigebat, res à rege malè gestas, patriæque calamitatem, & sui principis desidiam quasi lugubri scripto deplorabat, ab anno in annum tristem historiam prosequens. Cui operi titulum præfixit

Acta Regis Edvvardi secundi, *Librum vnum.* Post mortem toti mundo deflendam. Claruit anno postquam Verbum caro factum est 1320, dum ad Anglicani regni gubernaculum sederet Edvvardus secundus.

De Thoma Castelfordo.

1320.
471.

THOMAS Castelfordus, natione Anglus, patria Eboracensis, professione Monachus ordinis S. Benedicti in cœnobio Pontefractensi. Ab adolescentia in bonarum artium studijs, & pietatis exercitijs educatus, in vtrísque congruos fecit fructus, eósque sibi & suis vtiles. Fuit teste Lelando scrutator antiquitatum non indiligens, ex cuius scriptis se multa didicisse non diffitetur idem Lelandus. Quoniam autem penè omnem ab adolescentia ætatem in suo Monasterio præfato exegit, quasi gratus alumnus, omnia loci antiqua monimenta curiosissimè perquisiuit, fideliter cartis commisit, & immortalita-

te quadam in gratiam posterorum donauit. Scripsit enim

Historiam Pontisfracti, Librum vnum.
Gesta dicti cœnobij, Librum vnum.

Claruit anno Domini 1320, sub Anglorum Rege Edvvardo secundo.

De Guilhelmo Asketello.

GVILHELMVS Asketellus, Chettel perperàm aliqui vocant, Anglus natione, clericus Beuerlacensis, vt, non sine ratione, existimat Lelandus. Vir pius & doctus, legendisque & scribendis historijs potissimùm sacris, impense deditus. Et quoniam in varijs antiquis codicibus multa inuenit obscurè notata, quæ clariorem lucem merebantur, præsertim de Ecclesia Beuerlacensi, & illius loci patrono S. Ioanne Archiepiscopo quondam Eboracensi, operæpretium existimauit, ea in vnum corpus colligere, in ordinem perspicuum redigere, scripto committere, posteris tradere. Eum autem non latuit, Fulcardum Dorobornensem his de rebus scripsisse, & rerum seriem vsque ad Normannorum in Angliam aduentum luculenter deduxisse, ideoque vsque ad illud tempus omnia vel leuiter transiuit, vel breuiter percurrit. A Normannico autem ingressu vsque ad suum tempus, accuratam contexuit memorabilium rerum narrationem, & opus Thomæ Beuerlacensis Ecclesiæ Præposito nuncupauit

1320.
472.

De rebus Beuerlacensis Ecclesiæ, Librum vnum.
Vitam S. Ioannis Beuerlacensis, Librum vnum.
De miraculis eiusdem, Librum vnum.

Claruit anno post Seruatoris Natiuitatem 1320, dum clauum Anglici regni teneret Edvvardus secundus.

De Philippo Bostono.

PHILIPPVS Bostonus, natione Anglus, patria Nottinghamensis, & in ipsa ciuitate Nottinghamia Carmelitani ordinis Monachus. Cuius etiam ordinis habuit Fratrem Germanum Robertum, & ipsum virum doctum, de quo suprà. Porrò Philippus iste Oxoniæ multo tempore studuit, & post emensa tum Philosophiæ, tum Theologiæ studia, quasi postliminio reuersus ad litteras humaniores, Poëta & Rhetor euasit insignis. Ita tamen Theologiæ studium admiscuit, vt ad populum frequentes & perutiles haberet conciones. Vnde, vt ex Lelando colligo, ad posterorum vtilitatem, suique memoriam post se reliquit

1320.
473.

Doctarum concionum, Librum vnum.
Epistolarum, Librum vnum. Venerabili cætui Magistrorum.

Mortuus & sepultus dicitur in suo conuentu Nottinghamensi circa annum gratiæ 1320, sub Angliæ Rege Edvvardo secundo.

De Radulpho Actono.

1320. 474. RADVLPHVS Actonus, natione Anglus, ab adolescentia sua bonarum litterarum studia cum virtutum exercitijs semper coniunxit, & in vtroque tantum profecit, vt vtriúsque nomine celebris euaserit. Postquàm cura parentum sub optimis præceptoribus in triuialibus Angliæ scholis elegantiam linguæ Latinæ, & omnes liberales artes didicisset, Oxoniam ad maiora studia missus, primùm in Philosophicis, deindè in Theologicis scientijs tam vberes fecit fructus, vt suo merito supremum in Theologia Magisterium consecutus fuerit. His ritè peractis, ad suos reuersus, & cuidam Ecclesiæ præpositus, sacrarum scripturarum lectioni, meditationi & explicationi, necnon verbi diuini prædicationi, curæque animarum se totum consecrauit. Huius veritatis locupletissimos testes habemus eius eruditas lucubrationes, quas ex Lelando colligo fuisse

Expositorum seu homilias in Euangelia Dominicalia, *Librum vnum.* Cùm in Ecclesia mea quietus residerem, & Io. M S. Oxonij in Collegio Lincolniensi.

Homiliarum in epistolas, *Librum vnum.* Hora est iam nos de somno surgere. M S. ibidem.

Homilias de tempore, *Librum vnum.*

Sermonum de Sanctis, *Librum vnum.* Ambulans Iesus iuxta mare.

De Communi Sanctorum, *Librum vnum.* Dixit Iesus disc. Ego sum vitis.

Super epistolis de Sanctis, *Librum vnum.* Corde creditur ad iustitiam.

Homilias Morales, *Librum vnum.* Dei verbis charissimi fratres. Ex his aliqua dicuntur haberi M S. Cantabr. in Collegio S. Petri.

Commentarios in epistolas D. Pauli, *Libros quatuordecim.*

In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*

Claruit anno post Christum natum 1320, sceptrum Anglicani regni tenente Edvvardo secundo.

De Godefrido Cornubiensi.

1320. 475. GODEFRIDVS Cornubiensis, ordinis fratrum Sanctæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Monachus Anglus. Vir pietate & doctrina celebris, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, necnon Parisiensis. Hunc Ioannes Bacondorpius ab excellenti ingenio, Lelandus ab eruditione plurimùm laudant. Ex quibus ille eâ appellat Doctorem solemnem, & ad auctoritatem homini conciliandam, eius argumentis & rationibus, magna cum reuerentia citato nominatim auctore, non raró vtitur. Parisijs Theologiam diù docuisse dicitur. Quo tempore Gerardus Bononiensis ordinis Carmelitarum Magister Generalis, ex vna suorum apud Anglos prouincia, plures facere voluit; hic cum Guilhelmo Lidlingtono & quibusdam alijs multùm restitit, nec, vt in hoc consentiret, vnquàm adduci potuit. Porrò ex eruditi pectoris

thesauro hæc arma scholastica deprompsisse perhibetur.

Super Magistrum Sententiarum,	*Libros quatuor.*
Decem quodlibetorum,	*Librum vnum.*
Super prædicamenta,	*Librum vnum.*
In posteriora Aristotelis,	*Libros duos.*
In Physica eiusdem,	*Libros octo,*
In eius Metaphysicam,	*Libros duodecim.*
In sex principia Gilberti Porretani,	*Librum vnum.*
Contra Gerardum Bononiensem,	*Librum vnum.*

Claruit anno post aduentum Christi in carne 1320, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus secundus.

De Thoma Languefordo.

1320. 476.

THOMAS Languefordus vel Langfordus, natione Anglus, patria Essexiensis, non procul à Maldona in lucem editus, ordinis S. Dominici seu Prædicatorum Prædicator celebris. In Monasterio Chelmesfordiensi litteras humaniores didicit. Posteà maturior factus, & Cantabrigiam ad maiora studia missus, indè pedem non retraxit, donec in sacra Theologia gradum Doctoratus suscepisset. Erat, teste Leandro Bononiensi, vir in humaniore literatura satis elegans, in Philosophia subtilis, in sacris scripturis benè versatus, & in Theologia scholastica non mediocriter eruditus. Denique teste Antonio Senensi, in antiquis historijs tum legendis, tum etiam scribendis vtiliter occupatus. Quod & res ipsa palàm loquitur. Nam ex veteribus collegit, & ordine disposuit ab exordio mundi vsque ad sua tempora

Chronicon vniuersale,	*Librum vnum.*
Commentarium seu postillam super Iob,	*Librum vnum.*
Sermonum per totum annum,	*Librum vnum.*
Variarum disputationum,	*Librum vnum.*

Claruit anno à partu virgineo 1320, dum in Anglia regnaret Edvvardus secundus.

De Ioanne Gatisdeno.

1320. 477.

IOANNES Gatisdenus, alij Gadesdenum, alij Anglicum vocant, Oxonij ingenuas artes, & omnem Philosophiam accuratè didicit in Collegio Mertonensi. Posteà se totum medicinæ studijs dedidit, in quibus ità emersit, vt primùm Doctor, deindè ad integrũ septennium publicus medicinæ Professor efficeretur. Tandem ne in domesticos aut patriotas primum faceret artis suæ periculum, exteras regiones ad praxim discendam & exercendam petijt. Ad multam ætatem superuixit, & inter sui sæculi medicos expertissimos suo iure reputabatur. Quo nomine à Symphoriano Champerio & Remaclo Limburgensi multum laudatur. Sed qui testium verbis non credit, operum eius testimonijs saltem credat. Scripsit

De particularibus morbis Rosam Anglicam, *Librum vnum.* Galenus in

primo de regimine sanit. M S. Oxonij in Collegio Mertonensi.

Rosam Anglicam in medicina, *Librum vnum*. Coëgerat me. M S. Oxonij in Collegio omnium animarum, & in Bibliotheca publica. Extat Venetijs 1502, 1516. Vidi vtrunque opus Iuliaci in Bibliotheca Vvolfij Doctoris Ducalis.

De simplicibus medicinis, *Librum vnum*. Aurum temperatius est omni metallo.

De regimine acutorum, *Librum vnum*. De cibis & potibus præpa.

De digerentibus & euacuantibus, *Librum vnũ*. Quoniam quidẽ de melio.

De phlebotomia, *Librum vnum*. Propositum præsentis negotij simpli.

Quid pro quo, *Librum vnum*. Pro Arist. rot. ruta domestica.

Practicem medicinæ, *Librum vnum*.

Pro dietarijs, *Librum vnum*.

De instrumentis artis suæ, *Librum vnum*. Dicitur exemplum quæuis cõfectio. Claruit anno redemptionis humanæ 1320, *dum penes Edvvardum fuit Anglia tota secundum*.

De Ioanne Dumbletono.

1320. 478. IOANNES Dumbletonus in Anglia natus, in Oxoniensi Academia educatus, & ibidem Collegij Mertonensis alumnus. Vir subtilis & acuti ingenij, quique ità fœliciter in bonarum literarum studijs operam collocauit, vt in omni tum sacra, tum profana Philosophia peritissimus euaserit. Testes eruditionis eius locupletissimi sunt doctæ quas edidit ad nominis sui memoriam, & posteritatis vtilitatem lucubrationes. Scripsit

Commentarios in Cantica, *Librum vnum*.

Summam Theologiæ maiorem, *Libros decem*. Plurimorum scribentiũ grati.

Summam Theologiæ minorem, *Librum vnum*.

Summam artium, *Librum vnum*.

De Logica intellectuali, *Libros nouem*. De sophismatibus quæ non re, sed nom. M S. Oxoniæ in Collegio Mertonensi.

De Philosophia naturali, *Libros nouem*. Incipiendum est à primis naturę. M S. ibidem. Nec dubito quin sit idem opus, quod aliter intitulatur nouem partes, & habetur M S. Cantabrigiæ in Archiuis Coll. Caij.

In Philosophiam moralem, *Libros decem*.

Claruit anno post Christi Natiuitatẽ 1320, regnante in Anglia Edvvardo secundo.

De Thoma Norvvodo.

1320. 479. THOMAS Norvvodus, ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus. Vir ob religiosæ vitæ sanctimoniam plurimùm venerandus, ob singularis doctrinæ præstantiam non minus laudandus, in litteris diuinis, & omnibus Theologicis disciplinis feliciter versatus, solidè doctus, vt inter alios testis est Antonius Senensis in

Bibliotheca Prædicatorum. Pauca tamen eruditionis eius monimenta ad nos venerunt. Cætera, quantum hactenùs scire possum, etiam quoad ipsos titulos penitùs intercidisse videntur. Constat saltem eum hæc sequentia ad posteros transmisisse

Super epistolam ad Romanos, *Librum vnum.*
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*

Claruit anno post salutem humani generis reparatam 1320, dum sceptrum Anglicani regni teneret Edvvardus secundus.

De Richardo Nottinghamo.

RICHARDVS Nottinghamus, natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis, & ibidem aliquando Cancellarius. Vir sacrarum scripturarum studijs non mediocriter delectatus, ad fidem etiam orthodoxam propugnandam, & ad hæreses & errores examinandos & expugnandos mirè zelosus. Scripsit erudita opera non pauca, licet nos admodum pauca nunc inueniamus, 1320. 480.

Expositiones in quatuor Euangelia, *Librum vnum.* MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
In omnes epistolas D. Pauli, *quatuordecim.*
In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Conclusiones ordinarias, *Librum vnum.*
Contra errores Pelagij, *Librum vnum.* MS. Oxonij in Collegio Mertonensi. Vixit anno post aduentum Messiæ 1320, dum in Anglicani regni solio sederet Edvvardus secundus.

De Richardo Belgrauio.

RICHARDVS Belgrauius, in Comitatu Southsaxiæ, & ex vrbe primaria vel eiusdem territorio natus, vrbi nomen est Cicestria. Fuit ordinis fratrum beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Vir magis doctus quàm eloquens, religiosæ & integerrimæ vitæ, & doctrinæ non spernendæ, licet pauca eius opera iam inueniamus. Constat saltem eum scripsisse 1320. 481.

Determinationum Theologicarum, *Librum vnum.* Vtrum essentia diuina possit videri?
Quæstionum ordinariarum, *Librum vnum.*

Claruit anno post humanæ salutis reparationem 1320, sub Angliæ Rege Edvvardo secundo.

De Adamo Goddamo.

ADAMVS Goddamus, ordinis S. Francisci Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis. Maximam enim vitæ partem, vt scribit Ioannes Maior, Londini, Norvvici, & Oxonij transegit. Vir inculpatæ vitæ, magnæ grauitatis, acuti ingenij, profundi iudicij, in Theologia quondam tanti fiebat, vt eum tum Pe- 1320. 482.

trus Tartaretus, tum alij Doctores in suis scriptis cum honore non rarò citauerint. Eius eruditionem cum varijs virtutibus coniunctam omnes venerabantur. Eius scholam & lectiones hominum multitudo propemodum infinita frequentabant. Vbi autem animum ad scribendum appulit, multas egregias lucubrationes in publicum emisit, & ad posteros transmisit, ex quibus adhuc ferunt in manibus hominum versari quædam. Et teste Vvillotto seruantur aliqua eius opera in Bibliotheca Patrum Societatis Iesu Louanij. Quædam etiam vidi in Bibliotheca Franciscanorum Nancæi. Scripsit

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*. Ita est enim lex Adam Domine. Extat Parisijs anno 1512. apud Ioannem Grapium.

Determinationum, *Librum vnum*.

Claruit anno post gratiam humano generi factam 1320, regnante apud Anglos Edvvardo secundo.

De Thoma Hasilvvodo.

1321. 483.

THOMAS Hasilvvodus, natione Anglus, professione Canonicus regularis ad normam S. Augustini in Monasterio de Leidis in Cantia. Illic adolescēs in hanc disciplinam se tradidit, humaniores litteras, & omnes ingenuas artes perdidicit, quas etiam successu temporis suos ibidem docuit, & iuniores diligenter instituit. A quo tandem onere, tanquàm emeritus miles, iam ad senectutem vergens, historijs legendis & conscribendis animum oblectauit. Vnde posteà Guilhelmus Botonerus eum in chronographorum illustrium album retulit. Nec iniuria certè. Constat enim quòd de rebus Anglicis non pauca in lucem emiserit, & maximè opus illud cui titulum fecit

Chronicon compendiarium, *Librum vnum*.

Claruit anno gratiæ per filium Dei hominibus factæ 1321, cùm ad Anglicani regni gubernaculum sederet Edvvardus secundus.

De Thoma de la Moore.

1326. 484.

THOMAS de la Moore, Equestri in Anglia familia natus, patria Glaucestrensis, *Pacis & armorum vir artibus vndique clarus*. A Rege Edvvardo primo militari gladio & cingulo donatus, Eques creatus est, eique diù non minùs fœliciter quàm fideliter contra Scotos militauit. Deinde filio eius Regi Edvvardo secundo intimus fidelissimè domi bellique adhæsit. De vtriusque rebus gestis nonnulla scripsisse perhibetur, quasi testis omnium oculatus, & secretissimorum consiliorum particeps. Cùm autem Edvvardus secundus postquam annis penè viginti regnasset, primùm regno, deinde vita priuatus esset, scripsit hic noster Thomas

De vita & morte Regis Edvvardi secundi, *Librum vnum*. Extat Oxonij in Bibliotheca publica anno 1602.

Claruit

Claruit anno post Christi natiuitatem 1326, regnum suum in Anglia fœliciter inchoante Edvvardo tertio.

De Ioanne Vvinchelsæo.

IOANNES Vvinchelsæus, natione Anglus, Oxoniæ Doctor & publicus Professor in sacra Theologia. Vir integritate vitæ conspicuus, & in omni tum sacra tum profana Philosophia insigniter doctus. Postquam in sæculo celeberrimum propter singularem doctrinam nomen apud omnes esset consecutus, senex tandem imitatus humilitatem Christi, & ad Christianam aspirans perfectionem, apud Sarisburiam institutum D. Francisci miro feruore amplexus est; sed adhuc nouitius eodem anno quo sæcularem statum cum religioso mutauit, etiam ex hac vita ad meliorem commigrauit. Dum autem in sæculo vixit, ex ijs quæ in scholis legit, non pauca scriptis mandauit, & posteritati tradidit, videlicet

1326.
485.

Sermonum de festis, *Librum vnum.*
Quodlibeta Theologica, *Librum vnum.*
Lecturas scholasticas, *Librum vnum.*
Super Aristotelis Logicam, *Librum vnum.*

Sarisburiæ senex in ordinis sui Monasterio vitam finiuit, & sepulturam accepit anno post aduentum promissi Messiæ 1326, inchoante apud Anglos Edvvardi tertij fœlicissimo regimine.

De Roberto Ceruino.

ROBERTVS Ceruinus, Carevvalij cognominant, natione Anglus, studijs apud Oxoniam traditus, primùm in Philosophia, deinde in Theologia tantos fecit progressus, vt ad supremum Doctoratus gradum suo merito fuerit euectus, & ex discipulo Magister, ex auditore cœperit esse prælector. Multas tum Philosophicas tum Theologicas difficultates mira illustrauit perspicuitate, quam operam in sacris potissimùm scripturis explicandis diligentissimè præstitit. Multa ingenij doctrinæque moniméta chartis commisit, & posteritati tradidit, ex quibus posteritas admodum pauca conseruauit. Ioannes Lelandus in huius viri eruditione laudanda non est parcus, neque tamen supra meritum copiosus. Scripsit autem hic auctor

1326.
486.

Super varios sacræ scripturæ textus tractatus.
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Tria sunt mihi difficilia, &c.
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.*
In posteriora Aristotelis, *Libros duos.* Testante Lincolniensi in primo poster. Claruit anno Christi 1326, qui fuit exordium regni fœlicis Edvvardi tertij.

De Richardo Vvalingfordo.

1326. 487.

RICHARDVS Vvalingfordus, id est, ex oppido Vvalingfordo ad Tamisis ripam, patre fabro ferrario natus. Vir in omnibus artibus liberalibus insigniter eruditus, & Mathematicarum scientiarum ad miraculum peritus. Hic adolescens à parentibus Oxoniam ad studia missus, in Collegio Mertonensi ita litteris operam dedit, vt pietatis exercitia nunquam etiam negligeret, & in vtrisque mirè proficeret. Vnde crescente virtutis amore, animum ad statum religiosum adiecit, & non multo post tempore, vt scribit Lelandus, ad S. Albanum S. Benedicti regulam & institutum amplexus est. Cuius ingenium ad litteras natum vt intellexit Abbas, eum à studijs auocare noluit. Mathematicis itaque scientijs se totum dedidit, & præsertim in Arithmetica, Geometria, & Astronomia summam peritiam consecutus est. Nec interea credibile est eum alias scientias præterijsse, aut virtutis studium intermisisse. Nam successu temporis Abbate mortuo, domum reuocatus, ex tanto Monachorum numero, inter quos nec pij defuerunt, nec docti, solus electus & in Abbatem euectus est. Iam verò sui iuris factus, & in aliorum regimine constitutus, opima locupletatus conditione, & ad voluntatem diuitijs affluens; ad ostentationem artis & ingenij, imò & ad opum forsan iactantiam, in suo Monasterio tale fabricauit horologium, quale, siue mirabilis ingenij portentosum inuentum, siue operis elaborati stupendum artificium, siue sumptus regali splendore dignos respicias, simile aut secundum Europa vix aut ne vix quidem vnquam habuisse existimatur. In eo videre erat solis & lunæ cursus, stellarum ortus & occasus, siderum fixorum & errantium motus & coniunctiones, maris fluxus & refluxus, omnium denique cælestium corporum figuras, operationes, effectus, affectiones, & similia penè infinita, quæ vel appositè suis exprimere nominibus,

Non opis est nostræ, maioremque exigit artem.

Prætereà consulens operis immortalitati, vt permaneret *monimentum ære perennius*, scripsit quosdam canones quasi suæ scientiæ conseruatores, titulumque libro præfixit *Albion*, tum vt eo vocabulo ad sui Monasterij nomen, S. scilicet *Albanum* alluderet; tum etiam vt hoc totum opus ab vno, vel per vnum solum compactum & compaginatum fuisse insinuaret. *Albion* enim vel All by one, omnia per vnum, Anglicana nostra lingua significat. Scripsit igitur insignis hic Mathematicus

Canones in Albion, *Librum vnum*. Albion est Geometricū instrumentū.
De iudicijs Astronomicis, *Librum vnum*. Ad perfectam notitiam eorum.
De sinibus demonstratiuis, *Librum vnum*. Quia canones non perfectè.
De chorda & arcu, *Librum vnum*. Arcus dicitur pars circunferent.
De rebus Astronomicis, *Librum vnum*.
De diametris, *Librum j* Cuius mentio fit inter libros MS. bibl. Lumleij.
De eclypsibus solis & lunæ, *Librum vnū*. Super quo scripsit tabulas Ludouicus Caerleon vt habetur inter libros M S. Bibliothecæ Lumleianæ.

De rectangulo, Librum vnum.
Exafrenon, Librum vnum.
De rebus Arithmeticis, Librum vnum.
De computo, Librum vnum.

Lepra tandem interijsse dicitur, in suo cœnobio honorificè sepultus, circa annum postquàm Verbum caro factum est 1326, dum in Anglia regnare fœliciter inciperet Edvvardus tertius.

De Roberto Perscrutatore.

ROBERTVS Perscrutator, natione Anglus, patria Eboracensis, ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus. Vir ingenij mirum in modum curiosi, tam accuratus Mathematicarum scientiarum, omnisque Philosophiæ profanæ, imò & sacræ, vt scribit in Bibliotheca sua Antonius Senensis, scrutator, vt inde cognomen Perscrutatoris non immeritò consecutus fuerit. Opera eius auctorem suum nonnullis de magia suspectum reddunt. Curiosiùs forsan, quàm par erat, in quorundam arcanorum inuestigatione laborauit, maximè habita ratione status, & religiosæ professionis. Ego tamen neminem iudico. Ioannes Lelandus vir in scriptis suis vbique modestus & veridicus, scribit eum nimis anxium fuisse in omnibus Philosophiæ penetralibus perscrutandis, vt alia taceam, quæ magis temeraria & periculosa videntur. Ex ingenio plus satis curioso sequentes hos produxit fœtus

1326.
488.

De impreßionibus aëris, Librum vnum. In anno Christi 1325, in ciuitate.
De mirabilibus elementorum, Librum vnum.
De Magia ceremoniali, Librum vnum.
De mysterijs secretorum, Librum vnum.
Correctorium Alchimiæ, Librum vnum. Cùm omnis rerum emendatio illi.

Claruit ab exordio salutis per Christum anno 1326, regnum finiente Edvvardo secundo, inchoante tertio.

De Gualtero Reginaldo.

GVALTERVS Reginaldus seu Rainaldus, natione Anglus, vir omnis virtutis & eruditionis titulis insignis. Quibus nominibus ad obeunda summa in republica munia fuit assumptus. Primùm enim factus est Edvvardi secundi Regis Anglorum Thesaurarius, deinde Vvigorniensis Episcopus, tum regni totius supremus Cancellarius, & demùm Archiepiscopus Cantuariensis. Dum Archiepiscopus fuit tria dicitur celebrasse Concilia, vnum Londini, alterum Oxonij, tertium Lambethi, nisi fortè primum & postremum vnum & idem censendum sit. Ferunt autem eum vt optimum bonarum litterarum fautorem, in Concilio Lambethensi constituisse, vt clerici ex singulis argenti libris redituum suorum quadrantem contribuerent pro salario ad Hebraicam lectionem Oxonij publicè fundandam. Pauca admodum, quod sciam, eruditionis suæ monimenta posteris reliquit. Saltem constat eum

1327.
489.

in Concilijs quæ celebrauit scripsisse sub titulis sequentibus Constitutiones Prouinciales. Et primùm in Londinensi

De scrutinio in ordine faciendo. Cum quanta.
De Clericis peregrinis. Cum quanta.
De temporibus ordinandorum. Cum quanta.
De sacra vnctione. Sacerdotes.
De Sacramentis iterandis. Sacerdotes.
De officio Archidiaconi. Sicut Ecclesiarum.
De celebratione Missarum. Linteamina.
De sponsalibus. Matrimonium.
De pœnitentijs & remißionibus. Sacerdos.

Item in Londinensi Concilio, *De appellationibus constitutionem.*
In Concilio Oxoniensi, *De appellationibus constitutionem.*
Tandem è viuis excessit anno postquam humani generis salus visibilis nobis apparuit 1327, inchoante fœliciter regnũ suum Edvvardo tertio. Vide quem coaceruauimus de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Nicolao Triuetho.

1328. 490. NICOLAVS Triuethus claris in Anglia parentibus natus in Comitatu Norfolcensi, patrem habuit Thomam Triuethum Equestris ordinis virum, Regis aliquandò summum Iusticiarium. Nicolaus autem iste Londini apud Prædicatores ordinis S. Dominici à pueritia educatus, adolescens eorum regulam, & sanctiones sanctissimas amplexus habitu suscepto, suo tempore professionem edidit, & diuinis obsequijs sub illa disciplina se totum deuouit. Atque ita ab ipsa adolescentia didicit iugum Domini suaue, & onus leue ferre. Ad perdiscendas bonas artes Oxoniam missus, incredibili scientiarum amore captus, dies noctesque in bonis studijs ità fœliciter, propter ingenij dexteritatem, & ardens discendi desiderium, collocauit, vt emenso studiorum cursu, ad supremam in Theologia dignitatem eueheretur. Deindè Lutetiam Parisiorum se contulit, vt scientiæ rerum, linguarum etiam cognitionem adiungeret, & inter exteros viuendo, experientiam disceret. Vir sanè vitæ sãctimonia perspicuus, eruditionis varietate clarus, Poëta, Rhetor, Historicus, Mathematicus, Philosophus & Theologus insignis. Acer in disputando, subtilis in distinguendo, dilucidus in explicando, facundus in declamando, vehemens in concionando, & in omni scholastici exercitij genere promptissimus. Tandem ex Gallijs reuersus Londinum sui conuentus electus est Prior. Quam quietem nactus, & ab omni sæcularium negotiorum strepitu remotus, animum ad scribendum appulit, & omne tempus quod à precibus, meditationibus, officijs diuinis, & obseruantia regulari vacuum habere potuit, in eo collocauit, vt ingenij doctrinæque suæ monimẽta chartis committeret, & posteris ad vtilitatem, sibi ad perpetuam memoriam relinqueret. Immenso labore histo-

rias ab exordio mundi, vsque ad Christum natum, & indè vsque ad suum tempus congessit, in ordinem digessit, & continua serie deduxit, Hugoni de Engolesmo Cantuariensi Archidiacono nuncupauit, totumque opus hoc titulo insigniuit

Annotationes temporum ab exordio mundi, *Libros plures.*

In Genesim, *Librum vnum.* Corruptio humanæ naturæ ex primo.

In Exodum, *Librum vnum.* Deus visitabit vos & ascendere.

In Leuiticum, *Librum vnum.* Expositionem librorum legis Mosaicæ. Quod opus dedicauit Haimerico ordinis sui Generali.

In psalterium ad Ioannem suum in Anglia Prouincialem, *Librum vnum.* In psalterio decachordo psallam tibi. MS. Oxon. in bibliotheca publica.

In Paralipomenon, *Libros duos.* Inter celebres veteris Testamenti.

Super sacra Biblia dicta sanctorum Patrum concatenando, *Libros plures.* Eodem ferè modo quo S. Thomas fecit in Euangelia.

De computo Hebræorum, *Librum vnum.* Expleta expositione Leuitici.

Super S. Augustinum de ciuitate Dei, *Libros decem.* Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri. In his commentarijs conficiendis adiutorem habuit Thomam Vvalleis, & opus impressum fuit Venetijs anno Domini 1489, & habetur in bibliotheca cuiusdam conuentus S. Dominici Neapoli, vt scribit Antonius Senensis.

Flores super regulam S. Augustini, *Librum vnum.* Inter multas & varias, religiosam. MS. in bibliotheca Lumleiana.

Super Boëtium de Consolatione, *Libros quinque.* Explanationem librorum Boëtij. MS. Oxoniæ & Cantabrigiæ in bibliothecis publicis.

In Boëtium de disciplina scholarium, *Librum vnum.* Boëtius in lib. de Trinit.

De Missa & eius partibus, *Libros septem.* Fons sapientiæ verbũ Dei in excel. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri, Oxonij in Collegio Mertonensi.

De officio Missæ, *Librum vnum.* Rogatus à quibusdam vt de Missa.

De perfectione iustitiæ, *Librum vnum.* Insinuauit mihi nuper amicus.

De virtutibus, *Librum vnum.*

De peccatis, *Librum vnum.*

Quodlibeta Theologica, *Librum vnum.*

De scuto veritatis contra impugnantes statum perfectionis, *Librum vnum.*

De fato cum opusculis Theologicis, *Librum vnum.* MS. Oxonij in publica.

Quæstionum variarum, *Librum vnum.*

Super Valerium Maximum ad Rufinum de vxore non ducenda, *Librum vnum.* Mulier si primatum habeat.

In declamationes Senecæ, *Libros octo.* Filij potentes alant parentes. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri. Et in priuata Lumleiana bibliotheca.

In tragœdias Senecæ, *Libros nouem.* Sicut docet Tullius duo sunt genera. MS. Oxonij in publica.

In epistolas S. Pauli ad Senecam, & Senecæ ad S. Paulum cõmentarios. MS. ibid.

Expositionem historiarum externarum quarum fit mentio apud S. Augustinum. MS. ibidem.

In alia Senecæ opuscula, Librum vnum. Rudis adolescentiæ petulantiam.
De Astronomia, *Librum vnum.*
Super Titum Liuium, *Librum vnum.*
Super Iuuenalem, *Librum vnum.*
Super allegorias Metamorphosis Ouidij, *Libros quindecim.* A veritate quidam auditum auert. M S. Oxonij in Collegio Mertonensi.
Super Aristotelis problemata, *Librum vnum.*
Canones de coniunctionibus, oppositionibus, & eclypsibus solis & lunæ.
Historiā (Quā dixi) *ab orbe cōdito vsque ad Christū*, *Libros quinq;*. Inter eos qui.
Annales à Christo nato vsque ad suum tempus, *Librum vnum.*
Historiam sex Regum Angliæ, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Catalogum Regum Anglo-saxonum durante heptarchia. M S. Oxonij in Collegio Mertonensi.
Annales Regū Angliæ qui à Comitibus Andegauensibus originē ducunt, *Lib. j.*
De gestis Imperatorum, *Regum*, *Apostolorum Gallicè*, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Collegio Magdalenensi.
Appendicem ad Chronica, *Librum vnum.* M S. in bibliotheca Lumleiana. Londini tandem obijt plus minus septuagenarius, & ibidem in suo Monasterio sepultus est anno Domini 1328, regnante in Anglia, triumphante in Gallia Edvvardo tertio.

De Osberto Pickenghamo.

1330. 491. OSBERTVS Pickenghamus ordinis fratrum beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli Monachus Anglus, in Linensi Norfolcensium cœnobio. Successu temporis sacræ Theologiæ Doctor & Professor Parisiensis, & tandem in conuentu Londinensi factus Prior suos vsque ad extremum vitæ suæ diem ibi sanctissimè rexit. Fuit vir pietate & eruditione non incelebris, Philosophus subtilissimus, Theologus solidissimus, in sacris scripturis benè versatus, Disputator acutus, Concionator vehemens. Ordinem & patriam varia multiplicique doctrina mirè illustrauit, eiusque fama non Angliam solum, sed & Galliam, vbi diù vixit, studuit, docuit; peruasit. Ita vt inter doctissimos sui sæculi viros non immeritò computaretur. Cuius rei testes habemus Trithemium, Burellum, Bostium, Lelandum, & alios. Sed luculentissimum omnium testimonium perhibent eius lucubrationes omni eruditionis genere refertæ. Scripsit postillas seu
Commentarios sacrorum Bibliorum, *Librum vnum.*
Sermonum variorum, *Librum vnum.*
De Conceptione beatæ Mariæ virginis, *Librum vnum.*
De clara Dei visione, *Librum vnum.*
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Conclusio vna proposita.
Item quæstiones sententiarum, *Libros iiij.* Pro introductione sententiarum.
Determinationes Theologiæ, *Librum vnum.* Vtrum sit possibile Deum per-

Replicationum suarum, *Librum vnum.* Vtrum voluntas creata sit potent.
Quodlibetorum, *Libros duos.* Vtrum ex puris naturalibus.
Placita Theologica, *Librum vnum.*
In Londinensi suo Monasterio mortuus & sepultus, inscriptum habuit tumulo Gallicum epitaphium, circa annum redempti generis humani 1330, regnante in Anglia Edvvardo tertio.

De Ioanne Vvalsinghamo.

IOANNES Vvalsinghamus nobili apud Anglos loco natus, professione Carmelita in Monasterio Norvvicensi seu in Burnhamiensi Comitatus Norfolcensis. Vir pius, prudens, & omni genere melioris eruditionis instructus. Iuuenis Oxoniæ Philosophicis, maturior Lutetiæ Theologicis studijs operam dedit, vtrisque tanta fœlicitate, vt teste Trithemio, Parisijs inter Doctores Sorbonicos Doctor primùm, deindè etiam Professor in Theologia fieret. Posteà cum hac eruditionis celebri fama in patriam reuersus, anno Domini 1326, factus est ordinis sui per Angliã Prouincialis vndecimus; quod munus paulò plus biennio sanctè soliciteque obiuit. Albiensi in Aquitania Concilio interfuit. Vndè vocatus à Ioanne Papa vicesimo secundo Auinionem perrexit, vt contra Guilhelmum Occamũ de potestate summi Põtificis alijsque quibusdam articulis disputaret; sed Occamus malè sibi conscius, metuensque nè suæ temeritatis debitas lueret pœnas, comparere non est ausus. Charus quidem fuit Vvalsinghamus præfato Papæ Ioanni, sed charior illius successori Benedicto vndecimo, apud quem non mediocri in honore diù moratus est. Porrò celebris hic Doctor scripsit teste Trithemio & alijs

1330. 492.

In Prouerbia Salomonis, *Librum vnum.* Viam sapientiæ monstrabo tibi.
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Vtrum Theologia sit scien.
Determinationes Theologiæ, *Librum vnum.* Vtrum efficaci ratione possit.
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.* Vtrum relationes in diuinis.
Quodlibeta, *Librum vnum.* In disputatione de quolibet.
Conclusiones disputabiles, *Librum vnum.* Quod quidditas rei naturalis.
Lecturas in Theologia, *Librum vnum.*
De cursu sacræ scripturæ, *Librum vnum.*
Sermonum sexaginta, *Librum vnum.*
De Ecclesiastica potestate contra Occamum, *Librum vnum.*
Apud suos Carmelitas Auinione in Gallia mortuus & sepultus dicitur circa annum à plenitudine temporis 1330, dum in Anglico solio potentes sederet Edvvardus tertius.

De Ioanne Thanatensi.

IOANNES Thanatensis, natione Anglus, patria Cantianus, in insula Thaneta vndè cognomen sortitus est, in lucem editus, ordinis S. Benedicti Monachus Cantuariensis ad fanum Seruatoris, & ibidem chori

1330. 493.

Præcetor. Vir pius & eruditus, atque Mathematicarum scientiarũ, præsertim Musices peritissimus. Ità dilexit decorem domus Dei, vt omne suum tempus, omnes labores in ornatu templorum, in Musica excolenda, & in sacris ceremonijs, officijsque Ecclesiasticis ordinandis, vt omnia decenter fieri possent, libenter impenderet. Atque vt huius piæ diligentiæ, diligentisque pietatis memorabilia post se relinqueret exempla, scripsit

De officijs Cantuariensis Ecclesiæ, *Librum vnum.* Quia propter diuersas.
De vitis quorundam Sanctorum, *Librum vnum.*

Cantuariæ demùm mortuus & sepultus est circa annum post Messiam promissum in hunc mundum missum 1330, regnante apud Anglos Edvvardo tertio.

De Richardo Coningtono.

1330.
494.

RICHARDVS Coningtonus natione Anglus, cum in ipsis teneris annis optimam indolem præ se ferret, Oxoniam missus sub eximijs præceptoribus in bonarum litterarum studijs, & virtutum exercitijs sedulò nutritus est. Nec sanè spem opinionemque de se conceptam fefellit, sed frugum messis cultorum laboribus abundè respondit. Nam in virtute & eruditione maximos fecit progressus. Testes sunt insignis vitæ religiosæ integritas, & doctissimorum, quos edidit, librorum copiosa suppellex. Matura ætate S. Francisci regulam amplexus, factus est illius instituti Monachus. In illa rebelli contentione quam habuit Guilhelmus Occamus contra Ioannem Papam vicesimum secundum, sui summi Pastoris partibus fideliter adhærens, contra Occamum scripsit. Ioannes Lelandus scribit quòd cum doctissimis quibusque sui temporis viris summa ei intercesserit necessitudo. In obseruantia disciplinæ religiosæ tantum profecit, vt ad suorum regimen assumptus, dignus haberetur, qui per Angliam Minister Prouincialis præesset. Vir temperantiæ, castimoniæ, modestiæ, grauitatis, & humilitatis laudibus insignis. In colloquijs suauis & benignus, lepidus etiam & elegans, in omni congressu moderatè familiaris, nulli se fecit nimiùm sodalem; omnibus tamen vrbana quadam affabilitate mirè gratus. Sed ad eminentis doctrinæ suæ testimonia veniamus. Scripsit

In psalmos pœnitentiales, *Librum vnum.* Sæpiùs dum sedebam solitarius.
Sermones solemnes, *Librum vnum.*
In quadragesimale S. Gregorij Papæ, *Librum vnum.*
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Quodlibetorum, *Librum vnum.*
De Christi dominio contra Occamum, *Librum vnum.*

Cantabrigiæ tandem sanctissimè diem suũ obijt, & ibidem in cœnobio suo sepulturam accepit anno Virginei partus 1330, sub fœlici Regis Edvvardi tertij in Anglia regimine.

De

De Ioanne Rideuallo.

IOANNES Rideuallus seu de Rideual, natione Anglus, hunc aliqui volunt fuisse ordinis Minorum S. Francisci. Sed ego potiùs assentior ijs, qui cũ Iosepho Pamphilo in suo chronico ponunt eũ inter eremitas S. Augustini. Quicquid sit, erat sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir omni virtutis & eruditionis laude florens. Iuuenis Latini sermonis elegantiam auidè didicit, matura ætate accuratè eadem studia reuoluit, & per totam vitam impensè coluit. Et quamuis prouectioribus annis in diuinis litteris fixum studium posuerit, ad humanas tamen animi gratiâ nonnunquam excurrere, & vetera repetere mirè gestiuit, vt, ex nostro Ioanne Lelando colligo. Atque ita factum est, vt vbique ministras illas scientias summæ scientiarum dominæ Theologiæ fecerit ancillari, & quasi detractis Ægyptiorum spolijs templum Dei ornauerit. Nam Theologica eius scripta poësi, historia, rhetoricísque flosculis, tanquam quibusdam gemmis distincta splendent, & sua multiplici varietate lectoris animum mirificè oblectant. Multos eruditos auctores tum antiquos, tum recentes, tum sacros, tum profanos luculentissimis commentarijs illustrauit. Omnia, quantum fieri poterat, vel ad virtutis amorem, vel ad vitij fugam conuertere consueuerat. Quod maximè palam fit in ijs explanationibus, quas mythologias Fulgentij composuit. Vbi confinxit quasdam picturas virtutum & vitiorum sub imaginibus Deorum & Dearum, quos olim pagani superstitiosè colebant. Quamuis in istis à quibusdam nequaquam probetur. Nescio quam ob causam nonnulli scriptores hunc auctorem Ioannem de Musca vocent. Indices eius doctrinæ sequentes inuenimus

1330.
495.

Super Psalterium, *Librum vnum.*
Super Cantica, *Librum vnum.* Diligenti discretione cautum est.
In Euangelium S. Ioannis, *Librum vnum.*
In Epistolas D. Pauli, *Libros quatuordecim.*
In Sanctum Augustinum de Ciuitate Dei, *Libros viginti duos.*
In Mythologias Fulgentij, *Libros tres.* Intentio venerabilis viri Fulgentij. M S. Cantabr. in Bibliotheca publica.
Moralem expositionem in Metamorphosim Ouidij super fabulas ducentas & octodecim. In huius expositionis initio multa. M S. ibidem.
Lecturas Scripturarum, *Librum vnum.*
Sermonum per annum, *Librum vnum.*
Quæstiones ordinarias octo, *Librum vnum.* Primus articulus quæstionis
In Ualerium ad Rufinum de vxore non ducenda, *Librum vnum.* Loqui prohibeor, & tacere non.

Claruit anno post Christum pro humano genere hominem factum 1330, sub Angliæ Rege Eduuardo tertio.

De Guilhelmo Altono.

1330. 496. GVILHELMVS Altonus vel Alton, Attonum non desunt qui cognominant, natione Anglus, patria Southamptoniensis, ex oppido Alton, in cuius vicinio natus sum ego, ordinis Prædicatorum prædicator eximius, sacræ Theologiæ Doctor Parisiensis inter Sorbonicos. Vir pius & integerrimæ vitæ, in Philosophicis & Theologicis disciplinis apprimè doctus, in lectione etiam & meditatione sacrarum Scripturarum exercitatissimus. Quibus nominibus à Vincentio Bandello, Leandro Bononiensi, & Petro Vincentino scriptoribus Italis multum laudatur. Postquam Parisijs diù docuisset, animum ad scribendum appulit, & commentarios in pleósque sacræ Scripturæ libros edidit, ex quibus quidem maior pars perijsse videtur. Inuenimus tamen testibus Bostono Buriensi & Antonio Senensi.

In Ecclesiastem, *Librum vnum.*
In Euangelium S. Matthæi, *Librum vnum.*
De decem Virginibus, *Librum vnum.*
Variarum quæstionum, *Librum vnum.*

Floruit anno postquam Verbum caro factum est 1330, fœlicissimè in Anglia regnante Edvvardo tertio.

De Guilhelmo Exoniensi.

1330. 497. GVILHELMVS Exoniensis vel de Excestria seu Exonia, natione Anglus, patria Deuoniensis, ipsa ciuitate Exonia ortus, & ibidem successu temporis Ecclesiæ cathedralis Canonicus. Vir pietatis & doctrinæ laudibus clarus. Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Qua tempestate Guilhelmus Occamus quædam ausu temerario, doctrina non sana, in scriptis effutiuit contra Ioannem Papam vicesimum secundum, hic summi Pastoris partes constanter secutus, scripsit contra præfatum Occamum

Pro Ecclesiæ proprietate, *Librum vnum.* Sæpè expugnauerunt me à iuuent.
Determinationem pro fratribus mendicantibus, *Librum vnum.*
De paupertate contra fratricellos, *Librum vnum.*
De generatione Christi, *Librum vnum.*

Vixit post vitam humano generi per Christum reparatam anno 1330, dum sceptrum Anglicani regni non minùs fœliciter quàm potenter teneret Edvvardus tertius.

De Richardo Fizacrio.

1330. 498. RICHARDVS Fizacrius vel de Fishacre, suspicor hunc eumdem esse, quem Sixtus Senensis vocat Richardum Exoniensem. Erat enim natione Anglus, patria Deuoniensis, & ex ipsa ciuitate vel certè territorio Exoniensi ortus. Ordinis S. Dominici sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis. Vir acuti ingenij, multæ lectionis, insi-

gnis pietatis & eruditionis. Nota quòd primus Doctor ordinis Prædicatorum in Anglia fuit huius nominis, cognominis, eiusdem etiam ordinis, familiæ, & patrię. Sed constat illũ obijsse anno Domini 1248, hunc autem adhuc floruisse anno Domini 1330. Hic autem vt illi in alijs similis, ita & in doctrina fuit diligens sectator, & in virtute studiosus æmulator. Scripsit

Super psalmos, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Collegio Nouo.
Super varios sacrorum Bibliorum textus.
Super Magistrum Sententiarum, Libros quatuor. M S. Oxonij in Colleg. Balliolensi & Lincolniensi. Cantabr. in Collegio Caij.
De Indulgentijs, *Librum vnum.* M S. Cantabr. in Colleg. S. Benedicti. Claruit anno salutis humanæ per Christum reparatæ 1330, dum ad Anglicani regni gubernaculum potenter sederet Edvvardus tertius.

De Guilhelmo Aluevvico.

GVILHELMVS Aluevvicus natione Anglus, patria Northumbrius, ex oppido Aluevvico munitissimo olim contra vicinos Scotos, ortus, ordinis S. Francisci Monachus, & in sacra Theologia Doctor & Professor Oxoniensis. Vir pietatis & doctrinæ titulis insignis, & tum in sacris, tum in profanis litteris optime versatus. Hunc Almoic cognominat Vvillottus, producitque eius vitam vsque ad annum Domini 1360. Sed ignoscendum homini extero, si in his leuioribus lapsus fuerit. Non desunt qui scribant istum Aluevvicum Italiam in ætate matura peragrasse, & in ea regni Neapolitani Prouincia, quæ vulgò *terra de Labore* dicitur Episcopum fuisse. Nos interim ad litterarios eius labores veniamus. Scripsit vt scribunt Eisingrenus & Vvillottus

1332. 499.

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Registrum quoddam, *Librum vnum.* M S. Cantabr. in Coll. S. Benedicti.
In Physicam Aristotelis, *Libros octo.*
Sophismatum elenchos, *Librum vnum.*

Obijt Auinioniæ, vt ex Bartholomæo Pisano colligo, anno gratiæ 1332, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus tertius.

De Thoma Pontio.

THOMAS Pontius seu Pontinus ordinis S. Benedicti Monachus Cantuariensis in cœnobio S. Augustini, & tandem ibidem Abbas. Vir domi forísque propter insignes virtutes cum non mediocri eruditione coniunctas multis cognitus & dilectus: his nominibus Romæ degens Romanis magno fuit in precio. In huius laudibus multus est Guilhelmus Thorneius in suo de Abbatibus Cantuariensibus opere. Ioannes etiam Lelandus hominis præclaras dotes silentio non preterit. Quid tamen scripserit non inuenio, præter

1332. 500.

De clara Dei visione, Librum vnum.

Viguit anno postquam in carne visibilis apparuit Dei filius 1332, dum habenas Anglici regni tenuit Edvvardus tertius.

De Guilhelmo Herberto.

1333. 501.

GVILHELMVS Herbertus, Herbettum corruptè vocant aliqui, illustri Britonum familia in Vuallia natus. Hic post imbibitas bonas artes, & religionis amorem, obseruantia regulæ S. Francisci se obstrinxit apud Minoritas Herefordenses. Vndè missus ad Academiam Oxoniensem studiorum causa, tantum ibi tum in sacra, tum in profana Philosophia profecit, vt in publicis disputationibus, & sacris concionibus mirè floruerit, & successu temporis supremam Doctoratus Theologici lauream fuerit consecutus, necnon apud suos ibidem sacræ Theologiæ Prælector quadragesimus tertius extiterit. Hæc partim ex Ioanne Lelando, partim ex Thoma Eclestono decerpsi. Porrò scripsit eruditos commentarios

In Deuteronomium, Librum vnum.
In Apocalypsim S. Ioannis, Librum vnum.
Quodlibeta scholastica, Librum vnum.

Inter suos demùm apud Herefordiam viuendi finem fecit, & requiescendi locum accepit anno reconciliationis humanæ 1333, potenter apud Anglos regnante Edvvardo tertio.

De Ioanne Burlæo.

1333. 502.

IOANNES Burlæus ordinis Beatæ Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli Monachus Anglus in cœnobio Stanfordiensi Comitatus Lincolniensis, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & quidem ætate sua non obscurus. In scrutandis naturæ arcanis mirè ingeniū suum exercuit, & multa abscondita acutè indagauit, vt auctor est Lelandus. Quo tempore inter Gerardum Bononiensem ordinis huius Generalem, & Guilhelmum Lidlingtonum eiusdem ordinis per Angliam Prouincialem oriretur controuersia de Carmelitis Anglis in plures prouincias diuidendis; Burlæus iste Lidlingtoni partibus adhæsit, nec consentire voluit in hanc diuisionem. Quamuis vterque cum suis adhærentibus legitimæ Generalis auctoritati tandem cedere compulsi fuerint. Sed quid de suo contulerit ad rempublicam literariam, videamus. Scripsit, vt ex Lelando & alijs colligo,

In Porphirium
In Aristotelem,
In Gilbertum,
In Petrum Lumbardum,
} Libros saltem triginta & septem.

Stanfordiæ senex obijt, & illic apud suos sepultus est anno Domini 1333, regnante in Anglia Edvvardo tertio.

De Simone Mephamo.

SIMON Mephamus celeberrimus apud Anglos Theologus. Post emensum studiorum cursum, in Southsaxia factus est Canonicus Cicestrensis. Sed accedente ad merita virtutum, & eruditionis laudem, Regis Eduuardi tertij fauore, inde euocatus est ad Archiepiscopatum Cantuariensem. In qua dignitate constitutus multa se planè digna præstitit. Et inter alia, conuocato ad D. Paulum Londini Concilio, Canones Anglicanæ Ecclesiæ valdè conducibiles & salutares fecit, eosque libro edito in lucem emisit. Quædam etiam alia scripsisse innuunt Ioannes Burgensis & Lelandus, sed illorum operum titulos nec illi ponunt, nec ego hactenùs inuenio. Canones autem, vt dixi, hos sequentes composuit 1333. 503.

De iusticijs. Item omnes illi.
De ferijs. Animarum saluti.
De appellationibus. In Concilio Oxoniensi.
De testamentis. Item quia.
De decimis. Quia quidam.
De Ecclesijs ædificandis. Statuimus.
De clandestina desponsatione. Quia ex contractibus.

Obijt anno salutis reparatæ 1333, sceptrum Anglicani regni fœliciter tenente Eduuardo tertio. Vide illum quem de Archiepiscopis Cantuariensibus composuimus Catalogum.

De Thoma Vvalleis.

THOMAS Vvalleis, seu Guallensis, siue is Anglus, siue Vvallus, in Angliæ saltem regno natus est. Erat hic ordinis S. Dominici seu Prædicatorum Prædicator insignis, & sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir qui in omni vita sua virtutum & bonarum litterarum studia semper coniunxit, fuitque tum in sacris, tum in profanis disciplinis egregiè doctus. Promptus in eloquendo, subtilis in disputando, perspicuus in explicando, & veritatis in omnibus pia quadam pertinacia tenacissimus. Quibus nominibus à Trithemio Abbate, & à nostro Ioanne Lelando multum laudatur. Ferunt eum in quibusdam controuersijs summo Pontifici Ioanni Vicesimo tertio restitisse intrepidè, vt quondam S. Petro D. Paulus restitit. Ob id factum anno Domini 1332. in vincula coniectum, sed anno sequente liberatum fuisse. Sed ad eius scripta, quæ omnem laudem superant, veniamus. Multis enim eximijs libris nomen suum posteritati, imò quodammodò æternitati commendauit, vt auctores sunt Trithemius, Lelandus, Antonius Senensis, tum in chronico, tum in Bibliotheca, & alij. Scripsit commentarios in Pentateuchum, hoc est 1333. 504.

In Genesim, *Librum vnum.* Philosophus in libro de animalibus. M S. Oxonij in Collegio Nouo, Mertonensi, & Magdalenensi.

In Exodum, *Librum vnum*. Signa legem in discipulis meis. M S. ibidem.
In Leuiticum, *Librum j*. Masculum immaculatũ offeres ad. MS. ibidem.
In Numeros, *Librum vnum*. Recensiti sunt filij Israël per. M S. ibidem.
In Deuteronomiũ, *Librum j*. Vide terrã quã Dominus Deus. M S. ibidẽ.
In Iosue, *Librum vnum*. Surge & transi Iordanem istum. M S. ibidem.
In Iudicũ, *Librum vnum*. Post mortem Iosuæ surrexerunt. M S. ibidẽ.
In Ruth, *Librum vnum*. Quocumque perrexeris pergam. MS. ibidem.
In Isaiã, *Librum vnum*. Lauamini & mundi estote, auferte MS. ibidem.
In Psalterium, *Librum vnum*. Beatus vir qui custodit veritatem. M S. Oxonij in Collegio Exoniensi. Cantabrigiæ in Pembrochiana.
In Prouerbia Salomonis, *Librum vnum*. In absconditis parabolarum.
In Ecclesiasten, *Librum vnum*. Dixi igitur in corde meo, vadam.
In Cantica Canticorum, *Librum vnum*. Canticorum liber additur quo.
In duodecim Prophetas minores, *Libros duodecim*.
Super Matthæum, *Librum vnum*. Tria insinuantur hoc loco, vt ad.
In epistolam ad Hebræos, *Librum vnum*. Beatus homo qui sperat in te.
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*.
In S. Augustinum de Ciuitate Dei, *Libros decem*. Fluminis impetus lætificat ciuitatem. M S. Oxonij in Collegio Mertonensi.
Moralitates scripturarum, *Librum vnum*.
Lecturas sacrorum Bibliorum, *Libros plures*.
Sermonum, *Librum vnum*.
De statu animarum post mortem, *Librum vnum*. Memento mirabiliũ eius.
De videndo faciẽ Dei post resurrectionẽ, *Librum vnum*. MS. Cantabr. in pub.
De theoria vel arte prædicandi ad Theobaldum de Vrsinis Archiepiscopum Panormitanum, *Librum vnum*. Cùm prædicationis officium sit potius. M S. Oxonij in Collegio Lincolniensi. Cantab. in Coll. S. Petri.
De quatuor prædicabilibus ad omne genus hominum, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.
Contra Iconoclastas, *Librum vnum*.
De temporibus in potestate patris, *Librum vnum*. Non est vestrum nosse tempora vel momenta. Forsan est epistola illa de instantibus & momentis quæ habetur M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica, & in Collegio S. Petri. Super qua fuit magna controuersia. Vnde etiam scripsit
Articulos hæreticales & responsa, *Librum vnum*. M S. ibidem.
Campum florum iuris Canonici, *Librum vnum*. Disciplinæ claustrali.
Moralizationes in Ouidium, *Libros quindecim*. Ouidius in primo libro Metamorpho. M S. Cantabrigiæ in Archiuis.
De formis veterum Deorum, *Librum vnum*. A veritate quidam auditum. Quædam etiam alia scripta dubiè vel hinc Thomæ vel Ioãni Guallensi tribuuntur. Nonnulli producunt eius vitam vsque ad annum Domini 1410. sed constat eum vixisse anno 1333, sub Anglorum Rege Edvvardo tertio.

De Richardo Blitonio.

RICHARDVS Blitonius, natione Anglus, patria Lincolniensis, & teste Lelando, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, professione Carmelita, & ordinis sui per Angliam Prouincialis decimus. Vir integritate vitæ & singulari doctrina clarus, quique cum præstantissimis sui sæculi concionatoribus meritò erat conferendus. Eius eloquentiam, feruorem, & zelum in sermonibus publicis sæpè admiratus Angliæ Rex Edvvardus secundus, hominem vehementer amare & colere cœpit, eumque tandem sibi à confessionum secretis fecit, videlicet dum Prouincialem ageret. Quem tamen Magistratum propter instantes alias necessitates & occupationes citò deposuisse videtur. Quod autem attinet ad monimenta litteraria, scripsit

1334.
505.

Repertorium Sententiarum, *Librum vnum.* Cupientes aliquid de penuria.
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.*
Sermonum per annum, *Libros duos.*
De priuilegijs mendicantium, *Librum vnum.* Cùm sanctissimus pater.
Epistolarum, *Librum vnum.* Reuerendo in Christo Patri.

Obijt tandem ætate decrepita Lincolniæ, vbi etiam sepultus est anno Dominicæ Incarnationis 1334, sub imperio cordatissimi Regis Edvvardi tertij.

De Ioanne Bloxamo.

IOANNES Bloxhamus, Anglus natione, ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli Monachus in cœnobio Cestriensi, sacræ Theologiæ Doctor & Prælector Oxoniensis. Vir pius, prudens, eruditus, & in omni tum diuina, tum humana Philosophia versatissimus. Propter virtutes exploratas, & animi miram moderationem atque constantiam, à suis electus est per Angliam Prouincialis. Deinde ad omnia Monasteria sui ordinis in Scotia & Hibernia destinatus est Visitator, proximus, vt videtur, post Ioannem Baconthorpium. Prouincialis munus in Anglia laudabiliter obiuit duobus annis cum dimidio. Cùm autem esset penè in ipsa sua iuuentute Edvvardo secũdo charissimus, & propter exploratam probitatem in ætate prouectiore Regi Edvvardo tertio notissimus; in rebus difficillimis non semel, tum in Scotiam, tum in Hiberniam honoratissimas obiuit legationes. In quibus dum versaretur, nunquam, quoad fieri potuit, ordinis sui negotia neglexit, imò per illas occasiones multum promouit. In Hibernia super quorundam abusuum reformatione primores suorum conuocauit ad locum qui dicitur Atrium Dei, vbi sua prudentia & auctoritate multa vtiliter correxit, & fœliciter emendauit. Sed nunc ad hominis doctrinam veniamus. Scripsit

1334.
506.

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Quæstiones disputatas, *Librum vnum.*

Sermonum, *Librum vnum.*
Annotationes in Apocalypsim, *Librum j.* De apertione septem sigillorũ.
Hibernensium ordinationes, *Librum vnum.*
Epistolarum centum octoginta sex, *Librum vnum.* Viro venerabili ac discreto. Oxonij tandem mortuus & sepultus est circa annum à virginco partu 1334, dum ad Anglicani regni clauum potenter sederet Edvvardus tertius.

De Martino Aluevvico.

1336. 507. MARTINVS Aluevvicus ex oppido Aluevvico Comitatus Northumbrensis in Anglia prope Scotiam natus, institutum S. Francisci in cœnobio Nouocastrensi professus est adhuc adolescens. Ad studia deinde tum Philosophica, tum Theologica missus Oxoniam, ad insignem in vtrisque peruenit scientiam, & supremam in sacra Theologia lauream illic accepit, denique ibidem inter suos tricesimus secundus in scholastica Theologia prælector constitutus est. Pauca admodum habemus ex eius monimentis litterarijs quæ posteritati reliquit

In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Disputationum, *Librum vnum.*
Chronicorum opus, *Librum vnum.*

In Nouicastrensi cœnobio in viuis esse desijt, & ibidem sepulturam accepit anno post aduentum Messiæ 1336, sub fœlicissimo in Anglia Regis Edvvardi tertij regimine.

De Henrico Cosseio.

1336. 508. HENRICVS Cosseius vel Costesaius, natione Anglus, ordinis S. Francisci Monachus Oxoniensis cœnobij, Philosophus, teste Lelando, cum primis sui temporis meritò conferendus, Doctor etiam atque Professor sacræ Theologiæ. Vir acuti & feruidi ingenij, quique mira industria sacrarum scripturarum arcanos scrutatus est sensus, multos abstrusos mysteriorum recessus incredibili fœlicitate penetrauit, & perspicuis commentarijs illustrauit. Nec contemplanti, sacrasque scripturas meditanti vnquàm defuit quod diceret aut scriberet, adeo vt in Apocalypsim S. Ioannis triplices ediderit commentarios. Hos autem sequentes in vniuersum operum titulos apud auctores probatos inuenimus.

Multorum textuum sacræ scripturæ explanationes, *Librum vnum.*
Expositionũ in Psalterium, *Librum vnum.* Apertiam in Psalterio proposit.
Lecturam in Apocalypsim, *Librum vnum.* Quod vides scribe.
Commentarios maiores in eandem, *Librum vnum.* Ecce descripsi eam tibi tripliciter. Ergo adhuc aliam fecit eiusdem explanationem. Ex quibus saltem vna expositio MS. inuenitur Cantabrigiæ, in Aula Pembroch.
Concionum, *Librum vnum.*

Mortuus & sepultus est apud Balvvellam propè Buriam in Suffolcia anno

anno gratiæ 1336, sub florentissimo Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Guilhelmo Nottinghamo.

GVILHELMVS Nottinghamus, sacerdos Anglus, & Eboracensis Ecclesiæ Canonicus, atque Præcentor. Tandem etiam ordinis S. Francisci Monachus, & Oxonij sacræ Theologiæ Doctor atque Professor, demùm Franciscanorum in Anglia Prouincialis. Fratrem germanum habuit Augustinum etiam eiusdem instituti Monachum, quem posteà Clemens Papa quintus Episcopum constituit Laodicensem. Guilhelmus autem postquam Prouincialem annis quatuordecim egisset, in Capitulo suorum Metensi Magistratum illum cessit Richardo Coningtono, & in Italiam rectâ profectus est. Inde autem reditum parans apud Genuam peste correptus, ægrè mortem euasit: euasit tamen & in patriam redijt. Vir erat verè pius, prudens, & doctus, vti de illo scribunt Stephanus Patringtonus & Thomas Scropus in collectaneis. Ab alijs etiam sui temporis scriptoribus laudatur in eo linguæ facundia, subtilitas ingenij, morum grauitas, in regendo auctoritas, iudicij maturitas, quas omnes eximias naturæ dotes ingenuis artibus, & sacrarum litterarum studijs mirificè excoluit. Vndè & hos sequentes ingenij fœtus produxit: longo ante tempore Clemens Langthonus inchoauerat quandam quatuor Euangeliorum Concordantiam, quam hic Nottinghamus fœliciter ad finem perduxit. Quod opus sic prænotauit

1336.
509.

Concordantiam quatuor Euangeliorum, Libros duodecim. Da mihi intellectum & scrutabor. M S. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.

Commentarios Euangeliorum, Libros quatuor. Vnum ex quatuor. M S. Oxonij in Coll. Merton. Balliol. Magdal. Lincol. & Cantabr. in publ. & S. Benedicti. Hoc opus in compendium redegit Ioannes Vviccamus.

Quæstiones in Euangelia, Librum j. Quæritur super illo dicto Christi.

Sermones super Euangelia Dominicalia totius anni secundùm vsum Sarum. Libros duos. Cùm appropinquasset. &c. in hoc. M S. Cantabrig. in Bibliotheca publica.

In omnes D. Pauli epistolas, Libros quatuordecim. Bonam inspirationem.

Super Magistrum Sententiarum, Libros quatuor.

Lecturas scripturarum, Librum vnum.

Quæstiones de oratione Dominica, Librum j. M S. Oxonij in Col. Merton.

Quæstiones ordinarias, Librum vnum. M S. Cantabrig. in Aula Pẽbroch.

Distinctiones Theologiæ, Librum vnum. Acedia aduersatur hominis saluti.

Pro lege Christianorum, Librum vnum. Numquid Deus possit reuelare.

De obedientia, Librum vnum.

Regulam viuendi, Librum vnum. M S. Oxonij in Collegio Mertonensi.

Contra errores Pelagij, Librum vnum. M S. ibidem.

Suarum replicationum, Librum vnum.

Leicestriæ fatis concessit, & sepulturam accepit, tertio Nonas Octo-

bris, anno Domini, vt testis est in suis Franciscanorum Athenis Vvillottus, 1336, dum Edvvardus tertius meritò dictus fortunatus, fœliciter in Anglia regnaret, potenter in Gallia triumpharet.

De Richardo Stradleio.

1336. 510.

RICHARDVS Stradleius in Occidentali Anglia, ipsisque Vvalliæ finibus natus. A teneris annis bonam indolem & ingenium ad pietatem bonasq; litteras formatū ostendit. Vndè in vtrisque pro singulari parētum solicitudine, diligenter instructus est. In ętatis flore cōstitutus, & optimis disciplinis imbutus, apud Herefordiam regulam Monachorum Cistercienſium ingenti feruore spiritus amplexus est. In qua professione successu annorum tam vberes in omni virtute fructus fecit, vt omnibus præluxerit pietatis exemplo, & eligentibus Monachis, omnibus præfuerit auctoritate & officio. Fuit semper animo à rebus terrenis auerso, ad cœlestes cōuerso. Noctes & dies in assiduis contēplationibus, & sacrarum scripturarum meditationibus libenter collocauit, magis solicitus, vt animā spiritualibus, quàm vt corpus carnalibus pasceret alimentis, se potiùs supernis, quàm corruptibilibus oblectabat delicijs, gustu futurorum miserijs præsentibus mederi satagebat. Hæc ferè omnia ex nostro Ioanne Lelando.

Sed quoniam ex fructu quæuis cognoscitur arbor,
Conijciasque sua plerumque ex prole parentem:

Videamus quid ex bono cordis thesanto deprompserit hic Doctor. Scripsit commentarios

In Euangelia,	*Libros quatuor.*
In Orationem Dominicam,	*Librum vnum.*
In quosdam sacræ Scripturæ textus,	*Librum vnum.*
Homiliarum,	*Librum vnum.*

Claruit circa annum gratiæ 1336, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Ioanne Euerisdeno.

1336. 511.

IOANNES Euerisdenus instituti Benedictini Monachus Anglus in cœnobio Buriensi, quod ad S. Edmundum dicitur, vbi etiam fuit, vt vulgò dicunt, Cellarius. Ab ipsis teneris annis in virtutum & bonarum litterarū exercitijs ita educatus, vt vtraque simul cum eius ætate crescerent, & quodammodò adolescerent. Omnem humaniorem litteraturam perfectè calluit, impensè coluit, & polita sermonis elegantia suis in scriptis semper vtens, eloquentiæ virtutem ostendit. Bonus Poëta & Rhetor, Historicus in rebus verax, in verbis nitidus & comptus, in sententijs grauis. Iurisprudentiam tanquàm certissimam æquitatis normam summo in precio habuit, eiusque vim & neruos accuratè intellexit. In his eruditionis generibus tantam famam consecutus est, vt eius nomen & auctoritas apud posteros multum semper valuerit. Sed quos doctrinæ fœtus pepererit hoc fœcundum & facundum ingenium videa-

mus,& ex multis quæ in lucem emisit, hîc pauca saltem subnectamus. Scripsit

Concordantias historiæ diuinæ, *Librum vnum*. Barbarismus corruptus sermo, species.

Concordiam decretorum, *Librum j*. Tractaturus Gratianus de iure Canon.

Legum medullam carmine, *Librum vnum*. Disce quid humanum ius.

De Regibus & Episcopis Angliæ, *Librum vnum*. Regna pr istina Angliæ & eorum Episco.

Seriem temporum, *Librum vnum*. Fructuosum arbitror seriem tẽporum. Babvvellæ, id est, Buriæ in suo cœnobio viuendi finem fecit, & locum quiescendi elegit, circa annum ex quo Verbum caro factum est 1336, dum in Anglicani regni solio sederet Edvvardus tertius.

De Gualtero Burlæo.

GVALTERVS Burlæus, Sacerdos Anglus, & Doctor Theologus Oxoniensis, receptus & approbatus etiam posteà Parisiẽsis. Oxonij ferunt eum fuisse de societate Collegij Mertonensis. Vir acutissimi ingenij, & Philosophorum sui temporis facilè princeps. Fuit aliquando Guilhelmi Occami Parisijs condiscipulus sub Magistro Ioanne Scoto subtili Doctore, sed sui præceptoris in Anglia posteà deuenit acerrimus impugnator, eminentem eius in Philosophia scientiam, & subtilis ingenij miram fœlicitatem, scripta quæ post se reliquit abundè testantur. Scripsit 1337. 512.

In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*. Cupientes aliquid, &c. In hoc pro.

In Isagogen Porphyrij, *Librum vnum*. Quia de dictis in Logica intendo.

De vniuersalibus, *Librum vnum*. Circa vniuersalia sunt dubitationes.

De categorijs Aristotelis, *Libros tres*. Circa libros Prædicamentorum est. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri. Oxoniæ in bibliotheca publica.

De natura syllogismorum, *Librum vnum*.

In sex principia, *Librum vnum*. Iste liber intitulatur sex principia.

De puritate Logicæ, *Librum vnum*. Suppositis significatis terminorum.

In Logicam Scoti, *Librum vnum*.

In Perihermenias, *Libros duos*. Nomen libri Perihermenias, qui.

In Priora Aristotelis, *Libros duos*.

In eius Posteriora, *Libros duos*. Secundùm Philosophum in Moralibus. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri, & Caij. Extat Venetijs anno 1537, Oxonij in publica.

In Elenchos & Topica, *Libros sex*. MS. Cantabrigiæ in Collegio Caij.

In totum Organum & octo libros Physicorum. MS. Oxonij in Collegio Balliolensi, Nouo, & in Collegio Omnium animarum. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri, & Caij, in Aula Pembrochiana, & in publica. Extat Venetijs anno 1590.

In problemata Aristotelis, *Librum vnum*. Fœlix qui potuit rerum co-

gnoſcere cauſas. M S. Oxonij in Collegio Magdalenenſi.
In eius Parua naturalia, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Collegio omnium animarum, & Orialenſi.
De relatione, qualitate, & quantitate, *Librum vnum.*
In Ariſtotelis Meteora, *Libros quatuor.* Vtrum aliqua ſpeculatio ſit in. MS. Oxonij in Collegio Magdalenenſi & Orialenſi.
In Porphyrium, Gilbertum, & artem veterẽ Ariſtotelis. Venetijs anno 1509.
Quaſtiones ſuper libros Meteororum, *Librum vnum.* MS. Oxonij in Collegio Nouo, & Balliolenſi. Cantabrigiæ in publica S. Petri, & Pembrochi.
De cœlo & mundo, *Libros quatuor.* In hoc libro primò ſunt quædam. M S. Oxonij in Collegio Magdalenenſi, Omnium animarum & Orial.
Quaſtiones in eoſdem, *Libros quatuor.* Vtrum Philoſophiam ſpeculatiuam.
In Ariſtotelem de anima, *Libros tres.* Sicut dicit Themiſtius in opere. MS. Oxonij in Collegio Nouo, Balliolenſi, Omnium animarum, Cantabrigiæ in publica, S. Petri, & Pembrochi.
De potentijs animæ. M S. ibidem, & in Collegio Caij.
De longitudine & breuitate vitæ, *Libros duos.* Intentio in hoc tractatu eſt, determ. M S. Oxonij in Collegio Orialenſi.
De ſomno & vigilia, *Libros duos.* M S. Oxonij in Coll. omniũ animarum.
De memoria & reminiſcentia, *Libros duos.* MS. ibidem, & in Collegio Orialenſi, & Magdalenenſi.
De generatione & corruptione, *Libros duos.* M S. Oxonij in Collegio Orialenſi, & Omnium animarũ.
De quinque ſenſibus, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Collegio Orialenſi.
De ſenſu & ſenſato, *Libros duos.* M S. ibidem.
De motu animalium, *Librum vnum.* De motu autem eo, qui eſt. M S. ibid.
De ſubſtantia orbis, *Librum j.* Proœmium huius libri continet. M S. ibid.
Tractatum de formis. M S. ibidem.
De fluxu & refluxu maris Anglicani, *Librum vnum.* Viſis effectibus quorum cauſa latet. M S. ibidem.
De ſenſibilibus, *Librum vnum.* In homine ſunt quinque ſenſus.
De mixtione elementorum, *Librum vnum.* Dubium apud multos eſſe ſolet.
In Ariſtotelem de natura, *Libros tres.*
De ſenſibus interioribus, *Librum vnum.* Notandum quòd materia prima.
De principijs per ſe, *Librum vnum.*
De toto & parte, *Libros duos.*
De finito & infinito, *Libros duos.*
De duobus principijs, *Librum vnum.*
De modo diffiniendi, *Librum vnum.*
De abſtractis, *Librum vnum.*
De potentijs actiua & paſſiua, *Librum vnum.*
De tribus agentibus, *Librum vnum.* Sicut fructus eſt vltimum.
Iterum de tribus agentibus, *Librum vnum.* Intelligendũ quòd in vniuerſo.
In Ethica Ariſtotelis ad Richardum, *Libros decem.* Reuerendo in Chriſto Patri ac Domino. MS. Oxonij in Collegio Nouo, Magdalenenſi & Bal-

liolensi, Cantabrigiæ in publica, S. Petri, & Pembrochi.

Quæstiones in Ethica, Libros decem. Prima quæstio istius libri primi. M S. Oxonij in Collegio Nouo, & Balliolensi, Cantabrigiæ in publica, S. Petri, & Pembrochi.

In Politica Aristotelis, Libros octo. Subiectum libri Politicorum est. M S. Cantabrigiæ in publica, & S. Petri, Oxonij in Magdalenensi.

Quæstiones Politicorum, Libros octo. Prima quæstio, quid est seruus.

In Metaphysicam Aristotelis, Libros duodecim.

De diuisione entis, Librum vnum. Circa diuisionem entis in decem,

De idæis, Librum vnum. Augustinus in libello suo de octoginta.

De diuisione scientiarum, Librum vnum. Sicut dicit Philosophus in primo,

Rationes Terminorum, Librum vnum.

De vitis & moribus Philosophorum, Librum vnũ. M S. Ratisponæ in bibliotheca Dominicanorum.

Super Oeconomicis, Librum vnum.

De via modernorum, Librum vnum.

In artem Cabalisticam Lullij, Libros duos.

In Aristotelem de moribus, Libros quinque.

Claruit, vt ex Lelando colligo, sexagesimum secundum agens annum, & adhuc alia scribens, anno reconciliationis humanæ 1337, dum in Anglia regnauit, & in Gallia triumphauit Edvvardus, cognomento fortunatus, huius nominis tertius.

De Simone Burnestono.

SIMON Burnestonus, de Borastona cognominant alij, natione Anglus, ordinis Prædicatorum Prædicator magnus, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, & Dominicanorum in Anglia Prouincialis. Vir doctrina, pietate, & prudentia, & alijs etiam virtutibus celebris. Inter illustres scriptores eum meritò ponunt Bostonus Buriensis in suo maiore scriptorum Catalogo, & Leander Albertus Bononiensis in gestis Prædicatorum. Erat Doctor solidus, disputator subtilis, cõcionator eloquens in laudandis virtutibus, nec minùs vehemẽs in reprehendẽdis vitijs. Sed ad doctrinæ virtutisque testimonium non tam aliena verba, quàm ipsius hominis opera litteraria adhibeamus. Scripsit enim ad vtilitatem posteritatis, & immortalitatem sui nominis

1337. 513.

Alphabetum de vocabulis prædicabilibus, Librum vnum. Abijcere debemus diuitias tempor. M S. Oxonij in Collegio Mertonensi.

Concordantiam quorundam Doctorum, Librum vnum.

Distinctiones Theologiæ pro Sermonibus faciendis, Librum vnum. Abijcere secundùm auctorem de natura. M S. ibidem. Et Cantabrigiæ in Collegio S. Petri, Pembrochi. Et in Archiuis Caij.

De criminibus corrigendis, Librum j. Corripiet me iustus in misericordia.

Compilationem de ordine iudiciario, Librum vnum. MS. Oxonij in Collegio Lincolniensi, Cantabrigiæ in publica.

De vnitate & ordine Ecclesiasticæ potestatis, Librum vnum. M S. ibidem.
De mutabilitate mundi, Librum vnum. M S. ibidem.
Sermonum in Euangelia, Librum vnum.
Sermonum in epistolas, Librum vnum. Hora est iam nos de somno surgere.
Sermonum subtilium, Librum vnum.
De postulandis suffragijs, Librum vnum. Regnare videtur Rex.

Claruit anno post salutem per Christum humano generi factam 1337, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus tertius.

De Rogero Cestrensi.

1339. 514. ROGERVS Cestrensis, vel de Cestria, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus ad S. Vverburgam in ipsa vrbe Cestrensi. Vir in omni politioris litteraturæ genere eleganter doctus, & historijs tum legendis, tũ scribendis vehementer delectatus. Vndè à suo Capitulo, & loci Episcopo fautore & patrono optimo rogatus, ab origine mundi contexuit historiam, in qua vt Britonum & Anglorum res antiquitùs gestas è tenebris erueret, in luce poneret, & anilium fabularum nugis purgaret, vetustissimos quosque codices incredibili diligentia scrutatus est, deduxitque rerum narrationem vsque ad annum Christi 1314. Deindè adiunctis annis viginti quinque ad annum Domini 1339, omnia puro, terso, & nitido stylo. Quo nomine non semel ab Hugone Virleio in historiarum figuris honoris causa citatur. Historiam porrò maiorem hoc titulo insigniuit

Polycratica temporum, Libros septem. Proœmium incipit: Intrabo in agros priscorum subsequi. Initium libri primi: Iulius Cæsar diuinis humanisque rebus.

Additamentum viginti quinque annorum, Librum vnum. Septimo anno Regis Edvvardi.

Claruit anno post aduentum promissi Messiæ 1339, & in suo cœnobio de Cestria tandem mortuus & sepultus est, regnante apud Anglos Edvvardo tertio.

De Gaufredo Alieuanto.

1340. 515. GAVFREDVS Alieuantus, natione Anglus, patria Eboracensis, ordinis Carmelitani, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, vt auctor est Lelandus. Vir pietate & doctrina clarus. Scripsit

Commentarios in D. Lucam, Librum vnum. Quoniam quidem multi.
Tabulam originalium, Librum vnum. Abimelech.
Sermones ad populum, Librum vnum.
Quæstiones ordinarias, Librum vnum.

Claruit anno gratiæ 1340, sub Anglorum Rege Edvvardo tertio.

De Hugone de S. Neoto.

HVGO de Sancto Neoto, id est, ad fanum S. Neoti in Anglia natus, ordinis Carmelitani Monachus in cœnobio Huchinensi Comitatus Hartfordensis, qui Cantabrigiæ multo tempore studijs melioribus diligenter inuigilans, tandem post emensum laudabiliter illum cursum, Theologici Doctoratus insignibus ibidem solenniter donatus est, vt auctor est Lelandus. Theologiam inter suos aliquandò docuisse dicitur, & insignis diuini Verbi præco frequentes apud populum sermones habere solitus est. Vndè pietatis, ingenij, doctrinæ hæc sequentia monimenta ad posteritatis vtilitatem reliquit, vt scribunt Trithemius, Sixtus Senensis, & alij. 1340. 516.

In S. Lucam, *Librum vnum.* Beatus Lucas istud Euangelium.
De Conceptione B. Mariæ Virginis, Librũ vnũ. An beata Virgo fuerit in orig.
Sermonum per annum, *Librum vnum.*
Quæstiones disputatas, *Librum vnum.*

Obijt Huchini & ibidem sepultus est sexto Idus Septembris, anno postquam misit Deus filium suum in hunc mundum 1340, regnante in Anglia Gallorum triumphatore Edvvardo tertio.

De Luca Bosdeno.

LVCAS Bosdenus, Bosderum quidam exteri scriptores perperàm cognominant, in Occidentalibus Angliæ partibus natus, vt testis est Lelandus, in patria regulam Fratrum de Monte Carmelo sanctè amplexus est, & sub eadem disciplina vsque ad vitæ finem perseuerauit. Adolescens Oxonium ad studia missus, ibidem fœliciter suas horas collocauit, & per omnes artes atque scientias gradatim ascendens, ætate matura ad supremam in Theologia lauream tandem peruenit. Erat enim integerrimæ vitæ, & solidæ doctrinæ. Testantur lucubrationes quas post se reliquit ad sui nominis memoriam & posterorum fructum. Scripsit 1340. 517.

In sex principia Gilberti Porretani quæstiones vndecim, *Librum vnum.*
Prout vult Aristoteles in quinto.
Quæstionum Theologicarum, *Librum vnum.*
In Philosophiam naturalem, *Libros octo.*

Claruit anno salutis reparatæ 1340, dum vni Edvvardo tertio Regi tum Anglia, tum omnis penè Gallia pareret.

De Ioanne Barvvicano.

IOANNES Barvvicanus seu de Barvvic ordinis S. Francisci Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & ibidem inter suos multo tempore Prælector. Huius eruditos libros ex indice Franciscanorum Doctorum, & ex chronico Thomæ Eclestoni mirè laudat noster Ioannes Lelandus, hominisque multiplicem solidamque 1340. 518.

ſcientiam ſilentio non prænterit Ioannes Picus Mirandulæ Comes, libro duodecimo contra Aſtrologos. In lucem emiſit

Commentarios in Magiſtrum Sententiarum, Libros quatuor.
Lecturas ſcholaſticas, Librum vnum.
Ordinarias quæſtiones, Librum vnum.
Quæſtiones de formis, Librum vnum.
Super prognoſticis Aſtrologorum, Librum vnum.

Claruit anno partus virginei 1340, ſub Præfato Rege Edvvardo tertio.

De Stephano Brouno.

1340. 519.

STEPHANVS Brounus natione Anglus, profeſſione Monachus, Theologus, & diuini verbi præco non contemnendus, ſcripſit

Conciones, Librum vnum.
Lecturas ſcholaſticas, Librum vnum.

Claruit anno Domini 1340, ſub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Petro Anglico.

1340. 520.

PETRVS Anglicus cognomine & natione, ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus. Vir tum in ſacris, tum in profanis litteris nobiliter doctus. Vndè primùm ad magiſterium artium & Philoſophiæ, deindè ad ſacræ Theologiæ Doctoratum euectus eſt. Nec in eo virtus erat inferior doctrina, tam moribus pius, quàm eloquio facundus, & ſcientia profundus. Ex ijs tamen quæ ſcripſit, vix aliquid inuenio, niſi quòd Philippus Vvolphius Dominicanus in ſuo de vitis peritorum virorum opere, vndè hæc pleraque deprompſi, teſtetur eum ſcripſiſſe

Inſignem tabulam ſuper Gloſſam ordinariam, Librum vnum.

Claruit anno Incarnationis Dominicæ 1340, regnante fœliciter apud Anglos & Gallos Edvvardo tertio.

De Benedicto Iceno.

1340. 521.

BENEDICTVS Icenus, ſeu Nortfolcenſis, ordinis S. Auguſtini eremita Anglus in cœnobio Norvvicenſi. Vir pius, prudens, facundus, omnique ſcientiarum genere nobiliter inſtructus, & cum primis ſui temporis Theologis meritò conferendus. Ob ſingularem in concionibus gratiam, & perſuadendi vim, apud Antonium per id tempus Epiſcopum Norvvicenſem magno fuit in precio, qui & eum in ſuffraganeum elegit, ſuique tum oneris, tum honoris participem fecit, eumque titulo Cardicenſis Epiſcopatus inſigniri curauit. Quod autem ad hominis doctrinam attinet, vt habet in Auguſtinianorum chronico Ioſephus Pamphilus, ſcripſit

Sermonum per annum, Librum vnum.
Epiſtolas hortatorias, Librum vnum.
Alphabetum Ariſtotelis, Librum vnum. Homo noſce tuam vitam, noſce.

Nor-

Norvvici tandem mortuus & sepultus est circa annum salutis reparatæ 1340, dum in Anglici regni solio gloriosè sederet Edvvardus tertius.

De Rogero Glactono.

ROGERVS Glactonus, Glastonum aliqui vocant, ex Huntingdonensi Comitatu natus, & ibidem in vrbe principe iam ætate maturus ad normam & institutum S. Augustini Monachus, & Academiæ Cantabrigiensis Doctor Theologus, tandem totius ordinis eremitarum S. Augustini per Angliam Prouincialis. Vir vitæ sanctimonia & multiplici doctrina celebris, in cultioribus disciplinis benè versatus, scripsit stylo puro, modesto, graui: in concionibus ad populum suauis ad delectandum, vehemens ad persuadendum, eloquẽs ad laudandum seu vituperandum fuisse perhibetur, atque ita appositè dicere solebat, vt ad subiectam materiam nunquàm ei deesset sermo congruus & apta oratio. Celebriorem reddidit hominis famam necessitudo quam habuit cum Roberto Episcopo Sarisburiensi, quorum elegantes & eruditæ epistolæ salibus moderatis, & varijs argutijs refertæ, perpetuam apud posteros conciliarunt vtrique memoriam. Scripsit igitur Rogerus iam senior ad præfatum Præsulem 1340. 521.

Epistolarum sacrarum,	*Librum vnum.*
Sermonum per annum,	*Librum vnum.*
Lecturarum,	*Librum vnum.*
Quæstionum,	*Librum vnum.*

Senex tandem Huntingtoniæ apud suos mortuus & sepultus est, circa annum à Christi Domini Natiuitate 1340, dum prospero cursu res Anglica sub Edvvardo Rege tertio proueheretur.

De Adamo Carthusiano.

ADAMVS Carthusianus illius sacri ordinis Monachus Anglus, & Doctor Theologus. De quo apud Ioannem Molanum, & apud Theodorũ Petreium in sua Carthusianorum Bibliotheca legi, quòd fuerit vir sanctæ, & religiosæ vitæ, nec contemnendæ doctrinæ. Obseruata strictè regulæ suæ disciplina, cum hominibus raró, cum Deo & sanctis per contemplationem semper loquebatur, & quo magis linguam inter homines refrænabat per silentium, eò fortius eleuabat mentem ad Deum per cælestium rerum meditationem. Nam dies noctésque vsque ad decrepitam senectutem cum Deo continuum miscens colloquium, in cælis perpetuam habuit conuersationem. Quoniam autem labilis est humana memoria, nec inhærent, nisi scriptis commissa, & identidem repetita, quæ mente tantùm & corde conceperis: ideò non paucas suas meditationes descripsit, vt priùs mansum spiritualem cibum (quod faciunt animalia munda de nutrimento corporali) denuò ruminaret. Non igitur sibi tantum, sed etiam 1340. 522.

posteris optimè consultum cupiens, hæc in scriptis relinquenda esse iudicauit

Scalam cæli attingendi, Librum vnum. Dum die quadam corporali manuum.

De sumptione Eucharistiæ, Librum vnum. Quando Dominum nostrum sub panis.

De patientia tribulationum, Librum vnum. Primus Magister dixit: Si aliquid.

Vitam S. Hugonis Episcopi Lincolniensis, Librum vnum.

Claruit anno post aduentum Messiæ 1340, regnante fœliciter in Anglia, triumphante potenter in Gallia Edvvardo tertio.

De Thoma Halensi.

1340. 523.

THOMAS Halensis vel de Hales ordinis S. Francisci Monachus Anglus, Doctor Theologiæ apud Sorbonam Lutetiæ creatus. Vir cui pietas & doctrina magnũ nomen cõciliauerant. Erat enim tum in humana, tum in diuina Philosophia insigniter eruditus. Disputator in scholis acerrimus, præco diuini verbi apud populum celeberrimus, atque his nominibus non solum per Angliam, sed etiam per Galliam & Italiam notissimus, quem inter alios Petrus Vincentinus Dominicanus Italus in suis collectaneis, tanquam Doctorem auctoritatis non contemnendæ sæpè cum reuerentia citat. Sed ad irrefragabile doctrinæ testimonium, eruditas videlicet eius lucubrationes veniamus. Edidit teste Henrico Vvillotto,

De beata Virgine Maria, Librum vnum.
Sermones Dominicales, Librum vnum.
Disputationes scholasticas, Librum vnum.

Vixit anno reparatæ salutis 1340, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Thoma Eclestono.

1340. 524.

THOMAS Eclestonus ordinis Minorum sub regula D. Francisci Monachus Anglus. Scholas Oxonienses diù frequentauit, & doctus supra vulgarem studiosorum morem successu temporis euasit. Cùm autem miro pietatis affectu ferretur in ordinis sui primum fundatorem & institutorem Sanctum Franciscum; de eius vita, moribus, regula, ordinis initio, incremento, progressu, & successu diligenter inquisiuit, & accuratè scriptis omnia mandauit, & maximè quæ à suis gesta fuerunt in Anglia, postquàm ibi sedem fixerunt. Collectis igitur summa diligentia, quæ ad hanc rem faciebant, omnibus; historiam ab aduentu Aquelli Pisani in Angliam deduxit vsque ad Guilhelmum Nottinghamum per id tempus totius ordinis in Anglia Prouincialem. Opus iam perfectum & absolutum dedicauit Simoni Esslebio amico suo & eiusdem ordinis Monacho, prænotauítque

De aduentu Minorum in Angliam, Librum vnum. In dulcedine Domini & Saluatoris.

De ordinis impugnatione per Dominicanos, *Librum vnum*. Anno Domini 1269. circa Quadrages.

Vixit anno virginei partus 1340, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Brenlanlio Britanno.

BRENLANLIVS cognomento & natione Britannus, seu Anglicus. Vir in omni humanioris litteraturæ genere, & in Philosophia insigniter doctus. Hic Astrologiam iudiciariam nulla ratione ferre potuit, & in eam vehementer inuectus merum reputauit dæmonis inuentum. Vndè teste Gesnero eiusque abbreuiatore, scripsit 1340. 525.

Contra Astrologorum prænotiones, *Libros plures*.

Vixisse videtur circa annum Verbi incarnati 1340, quo tempore Anglicani regni habenas tenuit Edvvardus tertius.

De Roberto Eliphato.

ROBERTVS Eliphatus natione Anglus, professione Monachus, secundùm Henricum Vvillottum ordinis S. Francisci, secundùm Iosephum Pamphilum ordinis S. Augustini, qui addit eum aliquando fuisse auditorem Gregorij Ariminensis. Quicquid sit, constat eum penè ab annis puerilibus sub Monastica disciplina in ingenuarum artium studijs, & virtutum exercitijs ita educatum, vt in vtrisque progressus vberes fecerit. Post decursa Philosophica stadia, & studia peracta Theologica, supremam Doctoratus lauream Parisijs accepit. Propter acutissimas concertationes scholasticas Lutetiæ celebris & Oxoniæ, nunquam finem fecit scribendi in Magistrum Sententiarum, illudque opus prægrande in immensum excreuit, quod Parisijs posteà fuit abbreuiatum à Philippo Caisarbelo Carmelita Flandro. Scripsit itaque Eliphatus 1340. 526.

Quæstiones super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*. Quæritur vtrum commensuratio. Extat Parisijs apud Augustinianos.

Conclusiones ordinarias, *Librum vnum*.

Lecturas Theologicas, *Librum vnum*.

Claruit anno Domini 1340, dum in Anglia potentissimè rerum potiretur Edvvardus tertius. Sunt qui scribunt eum tandem fuisse Archiepiscopum Armachanum.

De Roberto Contono.

ROBERTVS Contonus, aliàs Cothon, ordinis S. Francisci Monachus Anglus, hoc institutum à iuuenilibus annis amplexus est. Oxoniæ studijs humanioribus & Philosophicis, Lutetiæ Parisiorum Theologicis operá dedit, vbi inter Doctores Sorbonicos, & ipse Theologiæ Doctor promotus est. Vir acuti ingenij, & solidi iudicij, & ætate sua paucis in scientia rerum Theologicarum secundus. *Doctor amœnus* vulgò vocatus est. Acriter defendere solebat beatissimæ Mariæ 1340. 527.

Virginis conceptum fuiſſe ab omni originalis peccati labe alienum, quod illi grauiſſimarum diſceptationum frequentes præbuit occaſiones cum ijs, qui vel certam, vel magis probabilem exiſtimabant contrariam ſententiam. Scripſit autem eximius iſte Theologus

Sermones ad crucẽ D. Pauli Londini, *Librum j.* Quæcumque dixerint vobis.

Inceptorium ſuper primum librum Sententiarum, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Colleg. Merton.

Super Magiſtrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Sicut dicit B Ambroſius. M S. Oxonij in Colleg. Nouo, Balliol. Merton. Cantabrig. in Colleg. ſancti Petri, & Pembroch.

Abbreuiationes ſuper eaſdem Sententias, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Colleg. Lincol. & Magd.

Quodlibeta ſcholaſtica, *Librum vnum.* An inquiſitor huius ſcient.

Diſceptationes Magiſtrales, *Librum vnum.*

Floruit anno gratiæ 1340, ſub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Galfredo Grandfeldo.

1340. 528.

GALFREDVS Grandfeldus, natione Anglus, patria Northamptonienſis, & in eiuſdem ciuitatis Monaſterio ordinis eremitarum S. Auguſtini Monachus, ſacræ Theologiæ Doctor Cantabrigienſis. Ad quem gradum & dignitatem poſtquam euectus eſſet, doctè in ſcholis legendo, clarè res difficiles explicando, magni tum Philoſophi tum Theologi nomen acquiſiuit. Sed potiſſimùm in concionibus eminebat. Erat omni virtutum genere ornatus, & omnibus melioribus ſcientijs inſigniter inſtructus. Romam ſucceſſu temporis profectus Cardinali cuidam Epiſcopo Tuſculano fuit à ſacellis, & tandem à Benedicto Papa vndecimo ipſe Epiſcopus creatus, & in Angliam miſſus eſt. Quo etiam tempore Cardinalis ille Tuſculanus ſcripſit ad Epiſcopum Vvintonienſem elegantem epiſtolam in qua ſuum Galfredum egregiè commendauit. Porrò, vt habeo ex Colbio, & ex Ioſepho Pamphilo in ſuo chronico eremitarum S. Auguſtini, Galfredus iſte non vulgaria litterarum monimenta poſt ſe reliquit

Sermones Dominicales, *Librum vnum.*

Lecturas Theologiæ, *Librum vnum.*

Determinationum, *Librum vnum.*

Epiſtolarum ad diuerſos, *Librum vnum.*

Northamptoniæ tandem in ſuo cœnobio diem obijt extremum, & ibidem ſepultus eſt circa annum poſt aduentum Meſſiæ 1340, dum ſumma rerum in Anglia reſideret penes Edvvardum tertium.

De Guilhelmo Liſſeio.

1340. 529.

GVILHELMVS Liſſeius, vel Liſſouius, qui & à quibuſdam frater Guilhelmus de Liſſo vocari ſolet, ordinis S. Franciſci Monachus Anglus. A ſuis cognominatus Doctor eximius. Hic omnem ferè æta-

tem, vt auctor est Vvillottus in oraculis Prophetarum perscrutandis & illustrandis consumpsit. Nec aliud eum scripsisse inuenio, nisi in Prophetas. Erat in suis scriptis multum eruditus, at parum elegans, & qui neruos rerum, neglecto fuco verborum strenuè sectabatur. Edidit postillas

In Hieremiam, *Librum vnum*. Direxit opus eorũ in manibus Prophet.
In eius Threnos, *Librum vnum*. Quis dabit capiti meo aquam?
In Baruch, *Librum vnum*. Post lamentationem & fletum ex.
In Oseam, *Librum vnum*. Ossa duodecim Prophetarum pullulant.
In Ioëlem, *Librum vnum*. Sanctus Ioël apud Hebræos.
In Amos, *Librum vnum*. Amos Propheta ille est.
In Abdiam, *Librum vnum*. Iacob Patriarcha sanctus, hic.
In Ionam, *Librum vnum*. Sanctum Ionam &c. hic est.
In Michæam, *Librum vnum*. Temporibus Ioachæ &c. hic est.
In Nahum, *Librum vnum*. Nahum Propheta ante aduentum.
In Abacuch, *Librum vnum*. Quatuor Prophetæ, &c. primus prol.
In Sophoniam, *Librum vnum*. Tradunt Hebræi cuiusque Prophetæ.
In Aggæum, *Librum vnum*. Hieremias Propheta ob causam.
In Zachariam, *Librum vnum*. Anno secũdo Darij Regis, cum.
In Malachiam, *Librum vnum*. Omnis Verbi Domini &c. hæc Prophet.

Eius postilla super duodecim Prophetas minores habetur M S. Oxonij in Collegio Mertonensi.

In alios sacræ scripturæ libros commentariorum, *Libros plures*.

Claruit anno post Christum natum 1340, sub florentissimo in Anglia Edvvardi tertij regno.

De Guilhelmo Encurto.

GVILHELMVS Encurtus, seu de Encurt, ordinis S. Dominici Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & inter suos aliquando, tum Oxonij, tum Cantabrigiæ Prælector sacras scripturas exposuit, & apud populũ frequentes sermones habuit. Bostonus Buriensis in magno scriptorum Catalogo testatur hunc fuisse virum religiosæ vitæ, & non vulgaris doctrinæ, & humanis atque etiam diuinis scientijs insigniter instructum asserit. Ex multis tamen quæ scripsit hæc pauca ponit Bostonus, nec ego hactenùs plura inuenio 1340. 530.

Lecturam in Ecclesiasten, *Librum vnum*. M S. Oxonij in Col. Balliol.
Sermonum ad populum, *Librum vnum*.

Floruit circa annum reparatæ salutis humanæ 1340, dum Anglicani regni gubernaculum potenter dirigeret Edvvardus tertius.

De Edmundo Albono.

EDMVNDVS Albonus, natione Anglus, &, vt videtur, Monachus, necnon sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Ioannes Lelandus diuinum hominis ingenium in diuinarum rerum indagatione, & ar- 1340. 531.

canorum mysteriorum perscrutatione plerumque occupatum, mirificè prædicat, & quasi in cælum summis effert laudibus. Maximè quod industriè versatus fuerit in perlustrandis, imò & luculenter illustrandis plerisque operibus Boëtij, quæ de reconditis rebus agunt. Non desunt qui asserunt eum commentarios edidisse in auctoris prædicti volumen de Consolatione Philosophiæ, de quo tamen ego nihil certi affirmare ausim. Saltem constat illum commentarijs illustrasse

Boëtium de Trinitate, *Librum vnum.*

Vixit anno postquam Verbum caro factum est 1340, regnante fælicissimè in Anglia Edvvardo tertio.

De Hugone de Dittona.

1340. 532. HVGO de Dittona, de Ductona habet Leander Bononiensis & Antonius Senensis in Bibliotheca sua, ordinis S. Dominici seu Prædicatorum Monachus Anglus, in Comitatu quidem Cantabrigiensi natus, Oxonij tamen in studijs educatus, & ibidem Doctor Theologiæ creatus, tandem suorum in Anglia Prouincialis. Vir multa prudentia, grauitate, morum integritate præditus, & in omni tum sacra tum prophana Philosophia insignitè doctus, si præfato Leandro credimus, qui libro quarto illustrium Prædicatorum, ingentem in viro prædicat litteraturam. Monimenta tamen tantæ doctrinæ pauca accepit posteritas. Scripsit saltem ex Eisingreni & Antonij Senensi testimonijs

Lecturas Theologiæ, *Librum vnum.*
Scholasticas disceptationes, *Librum vnum.*
Sermones de Sanctis, *Librum vnum.*
Concionum capitularium, *Librum vnum.*

Claruit anno partus virginei 1340, florente Anglia sub fortunato Rege Edvvardo tertio.

De Guilhelmo de Southamptonia.

1340. 533. GVILHELMVS de Southamptonia, id est, ex illustri illo oppido, quod toti Comitatui nomen communicauit, oriundus, diœcesis Vvintoniensis, fuitque in eodem oppido suo natalitio Monachus Dominicanus. Hic ab ipsa ferè infantia in studijs virtutis & bonarum litterarum sollicitè educatus, virili ætate, maturescente iam iudicio prædictum religiosum institutum amplexus est, vt relicto mundo, Deo & rerum diuinarum contemplationi liberiùs vacare posset. Ibi itaque exorsus denuò studiorum curriculum, litteras humaniores, & liberales artes celeriter percurrit, Philosophiam etiam & Theologiam primùm didicit, deinde docuit. Apud populum etiam frequentes conciones habuit. Eius lucubrationes doctrinam non vulgarem, pietatem etiam in Deum, charitatem denique in proximum abundè testantur.

Exarauit

Postillas in Isaiam, Librum vnum. Isaias Propheta magnus in com.
In Moralia S. Gregorij, Librum vnum. Abstinentia. Solus in illicitis non.
Sermonum de Sanctis, Librum vnum. Sapiẽtiam sanctorũ narrent populi.
Sermonum de tempore, Librum vnum.
Super Magistrũ Sententiarũ, Libros quatuor. De vti primo quæritur, cũ sit.
Quæstiones Theologiæ, Librum vnum.

Claruit circa annum Dominicæ Incarnationis 1340, sub florentissimo in Anglia Edvvardi tertij regno.

De Adamo Nizardo.

ADAMVS Nizardus, Poëta Anglus, vir in omni humaniore litteratura nitidus & politus. Oxonij bonis litteris operam dedit, Poësim, Rhetoricam, & Philosophiam didicit, & vt eorum, sub quorum egit disciplina, desiderio satisfaceret, artium liberalium, & Philosophiæ factus est Magister. *Sed nihil inuita facies dicesve Minerua*: iam emancipatus & sui iuris factus, nec Philosophiam dilexit, nec ad Theologiam perrexit. Sed ad inferiora studia, quo eum quoddam naturæ pondus ferebat, miro feruore reuersus est. Oxoniæ Grammaticam & Dialecticam docuit, tam sedulò, vt ipsa Magistri sedulitas & alacritas vel torpentes auditorum animos ad studendum non incitaret solum, sed inflammaret. Hinc factum est vt ibi mirè florerẽt humaniores litteræ. Nam ex eius scholis multi prodierunt insignes Oratores, & Poëtæ non vulgares. Fuit ingenio acuto, memoria fœlici, lingua prompta, & stylo scripsit terso atque polito. Musicam etiam multum dilexit, peritè intellexit, & animum studiorum laboribus fatigatum Musicis harmonijs non rarò recreabat, *depellens cithara dulci modulamine curas.* Scripsit Grammaticalia quædam & Poëtica ex quibus inuenio

1340. 534.

Neutrale quoddam, Librum vnum. Aspirans precibus vestris.
Verborum significata, Librum vnum. Quoniam saxea distinguere.
De speciebus lapidum, Librum vnum. Euax Rex Arabum legitur scripsisse. Sed ego hoc opus de lapidibus certò existimo esse Marbodi, vt suo loco habetur. Claruisse dicitur Nizardus circa annum à Natiuitate Domini 1340, sub florente in Anglia Regis Edvvardi tertij imperio.

De Ioanne Lutterello.

IOANNES Lutterellus, natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, cuius etiam Academiæ fuit aliquando Cancellarius. Vir scientiarum auidissimus. Mathematicus, Philosophus, & Theologus apprimè eruditus. Acutus ingenio, facundus eloquio, in distinguendo subtilis, in explicando clarus & dilucidus. In suis lectionibus, scholijs, commentarijs, ita rebus obscuris attulit lucem, vt in eo genere per illa tempora vix parem habuerit. Controuersiæ graues aliquando illi fuerunt cum Guilhelmo Occamo, ita vt contra eum etiam libris scriptis egerit. Dum esset Sarisburiensis Ecclesiæ Canonicus, inde vocatus Oxoniam, factus est ibidem, vt dixi, Cancellarius. Scripsit aduersus

1340. 535.

quædam dicta & disputata Guilhelmi Occami

Determinationum, *Librum vnum*. De primo articulo in libro Mag.
Ad quendam Romæ disputantẽ, *Librum j*. Attentiùs supplicasti, vt breuiter.
De visione faciali epistolam. M S. Cantabrigiæ in bibliotheca publica.
Prælectiones Oxonienses, *Librum vnum*.
In vesperijs Magistrorum, *Librum vnum*.

Claruit anno post aduentum Messiæ 1340, regnante in Anglia Gallorum debellatore Edvvardo tertio.

De Ioanne Burgensi.

1340. 536. IOANNES Burgensis honestis in Anglia natus parentibus, & in litteris ac pietate benè nutritus, cùm per ætatem iudicium ei maturesceret, vt se totũ diuinis manciparet obsequijs, sub regula S. Benedicti Monachum induit, inter eos qui fuerunt Congregationis Cluniacensis, qui & successu temporis, propter eximias virtutes cum eruditione singulari coniunctas, Abbatis dignitatem in Petroburgensi magnifico cœnobio euectus est. Vir ingeniosus, doctus, elegans, & inter celebriores sui temporis historicos meritò reputatus. Ioannes Lelandus hominem mirificè commendat, quòd antiquitates Britannicas diligenter fuerit scrutatus, & quæ apud alios sparsim legerat, in optimum ordinem redegerit, atque ad posteritatis vtilitatem scriptis mandauerit. Libenter autem præ cœteris illa notauit, quæ ad bonas litteras, & litteratorum hominum fautores ac patronos pertinere inuenit. Multa scripsit de Rege Arthuro, de eruditis, qui apud eum in precio fuerunt, viris, & de Academia per eum in vrbe legionum erecta. In lucem igitur emisit

Annales Anglorum, *Librum vnum*.
Sermonum variorum, *Librum vnum*.

Floruit anno humanæ salutis reparatæ 1340, dum sub prospero Regis Edvvardi tertij regimine splendidè floreret regnum Anglicanum.

De Ioanne Polestedo.

1340. 537. IOANNES Polestedus natione Anglus, patria Suffolcensis ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli Monachus cœnobij Gipesvvicensis, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, vti apud Lelandum, Iacobum de Plebe, & Petrum Lucium inuenio. Vir prudens, modestus, grauis, integerrimæ vitæ, insignis doctrinæ. Acutus Philosophus, profundus Theologus, Concionator elegans & disertus. Hæ virtutes & eximiæ dotes in causa fuerunt, quòd anno Domini 1335, suorum in Anglia Prouincialis fuerit electus, quod munus sanctè soliciteque obiuit ad integrum plus minùs septennium, scilicet vsque ad vitæ suæ finem. Dum autem vixit, sequentes ingenij produxit fœtus

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*.
Concionum per annum, *Librum vnum*. Dicite filiæ Sion, ecce Rex.

Sermones

Sermones in visitationibus, *Librum vnum.*
Indices copiosos in S. Augustinum, *Librum vnum.* Amat mortem qui præcepta Dei.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Omnibus Christi fidelibus.
Quæstiones varias, *Librum vnum.*
In Aristotelis Physicam, *Libros octo.* Consideratio Philosophi in hoc.
Eboraci in suorum cœnobio ex hac vita ad meliorem migrauit, & ibidem sub polito marmore tumulatus est, quarto Idus Octobris anno Verbi incarnati 1341, dum Anglicani regni sceptrum fœliciter teneret Edvvardus tertius.

De Ioanne Bamptono.

IOANNES Bamptonus in Occidentalibus Angliæ partibus in lucem editus, ordinis fratrum S. Mariæ Virginis de Monte Carmelo Monachus Cātabrigiensis, in qua Academia diù studuit, & ibidem tandem in Theologia Doctoralem dignitatem accepit. Vir, teste Lelando, acutissimi ingenij, & qui in perscrutandis Aristotelicis subtilitatibus nec parùm nec inutiliter desudauit. Scripsit 1341. 538.

Octo quæstiones de veritate propositionum, *Librum vnum.* Quæro de veritate istius quæstionis.
Lecturas scholasticas in Theologia, *Librum vnum.*
Claruit anno redemptionis humanæ 1341, dum apud Anglos regni solium obtineret Edvvardus tertius.

De Ioanne Campsceno.

IOANNES Campscenus, Canscon vocat Petrus Lucius in sua Carmelitarum bibliotheca, ordinis etiam Carmelitani Monachus Anglus. Vir, Trithemij testimonio, in lectione sacrarum scripturarum & sanctorum patrum non mediocriter versatus. In scriptis suis copiosus & grauis, in concionibus ad populum vehemens. Multa exarasse perhibetur, sed ego hactenùs operum titulos non inuenio, præter 1341. 539.

Sermonum. { *De tempore*, *Librum vnum.*
{ *De sanctis*, *Librum vnum.*

Vixisse dicitur circa annum Domini 1341, dum Anglici regni diademate fulgeret Edvvardus tertius.

De Gualtero Cattono.

GVALTERVS Cattonus vel Gathonus ordinis S. Francisci Monachus Anglus in conuentu Norvvicensi. Vir qui ob multiplicem rerum scientiam, & eximias virtutes magnum sibi nomen acquisiuerat. Erat enim, teste Lelando, in omni tum humana, tum etiam diuina Philosophia versatissimus. Mathematicarum scientiarum non ignarus, in quibus abusus quosdam acerrimè reprehendit, & Astrologiam iudiciariam tanquam Deo odibilem, & inuentum planè diabolicum damnauit. 1343. 550.

Porrò successu temporis in tantum creuit fama virtutis & eruditionis, vt Auinionem vocatus, summi Pontificis Pœnitentiarius fuerit constitutus. Sed eius supellectilem litterariam inspiciamus. Partim Lelando, partim Vvillotto, partim alijs testibus, scripsit

Super Magistrum Sententiarum, Libros quatuor.
Resolutiones Quæstionum, Librum vnum.
De paupertate Euangelica, Librum vnum.
Contra Astrologos iudiciarios, Librum vnum.

Obijt apud Auinionem anno post filium Dei factum hominem 1343, dum coronam Angliæ gestaret Edvvardus tertius.

De Hugone Virleio.

1344. 541. HVGO Virleius professionis Carmelitanæ Monachus Anglus in cœnobio Norvvicensi. Ortus nobilibus parentibus, generis claritatem virtutũ ornamẽtis multum illustrauit. Fœlicis ingenij, & bonarum litterarũ auidi. Eum in iuuentute sua *Oxonij ingenuas didicisse fideliter artes*, auctor est Lelandus. Vbi & successu temporis supremam Theologici studij palmam accepit. Tantæ lectionis erat, vt vix aliquid inter antiquissimos auctores lectu dignum, eius diligentiam effugerit. Vndè in intellectu multiplex scientia, in stylo puritas, selectior verborum ornatus, respondens sententiarum grauitas, & sermonis, vbi res requirebat, magnificentior sublimitas. Quæ omnia doctrinæ ornamenta, tunc in eius cõcionibus ex viua voce deprehendebantur, & vsque hodiè in eius libris scriptis attentè legenti manifestè conspiciuntur. Quamuis autem multus esset in lectione peritissimorum Oratorum, Poëtarum, Historicorum, omnemque litteraturam humaniorem studiosissimè coluerit: studia tamen Theologica adeò non neglexit, vt etiam in scholasticis disciplinis, & sacris scripturis Oxoniæ multo tempore fuerit prælector. Sed amplissimum florentis ingenij, doctrinæque multiplicis argumentum ex eius libris omni melioris eruditionis genere refertis petatur. Nam, vt ex Trithemio, Sixto Senensi, Iacobo de Plebe, Petro Lucio, & alijs colligo, scripsit hæc opera sequentia. Ex omnibus penè quos legerat auctoribus, nobile volumen compilauit, cui titulum præfixit

Figuras historiarum, Librum vnum. Litteralis sacræ scripturæ sensus.
Commentarios in S. Matthæum, Librum vnum. Gesta spectabilia celeriter.
Collationes octodecim in eundem, Librum vnum. Reminiscamini quia ego.
Prælectiones in D. Paulum, Librum vnum.
Lectiones scripturarum, Librum vnum.
Placita Theologica, Librum vnum.
Sermonum per annum, Librum vnum.
Determinationes nonaginta sex, Librum vnum. Ignorantia an fuerit causa.
Quæstiones ordinarias, Librum vnum. Vtrum solis Dei amicis conferatur.

Claruit anno salutis reparatæ 1344, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus tertius.

De Ioanne Bacondorpio.

IOANNES Bacondorpius, Baconem, vel de Bacone cognominant aliqui, ex Bacondorpio, vili in Norfolcensi regione pago natus, & non longè à natalitio loco in ipsa adolescentia Carmelitanus Monachus in cœnobio Nigriensi, vulgò Blacney, quinque circiter passuum millibus à Vvalsinghamio, vti scribit Lelandus, intra priuatos parietes sub optimis ordinis sui Magistris litteras humaniores, disciplinam Monasticam, omnemque pietatem atque virtutem humiliter didicit. Tandem ingenij specimen tantum dedit, vt ijs, quorum regimini subijciebatur, expedire visum sit, eum Oxonium ad altiora studia capessenda mittere. Illic igitur Philosophicum cursum terminauit, Theologicum inchoauit. Sed indè missus Lutetiam perrexit, vt quæ in patria fœliciter inceperat, apud exteros fœliciùs perficeret & finiret. In omnibus nullius de se bonam opinionem conceptã fellit, imò omnem planè omnium spem longè superauit. Ibi vtriusque iuris, & Theologiæ Doctor creatus est, admirantibus omnibus stupendum hominis ingenium, multiplicem doctrinam, & solidum iudicium. Omnes Auerois sententias mordicùs tenuit, & illius scholæ suo tempore quasi princeps haberi voluit. Cognomentum etiam accepit Doctoris resoluti. Collecto igitur vndique instar apis sedulæ dulcissimo scientiarum melle, in patriam reuersus est, & non multo post tempore, anno Domini 1329, Londini in publico suorum conuentu communibus omnium suffragijs in Prouincialem totius per Angliam ordinis ordine duodecimus electus est. Quo munere postquam annis quatuor functus esset, Romam vocatus est super grauissimis de matrimonio dubijs. Tum cœpit fama hominis apud Italos, vti priùs apud Gallos, magis magisque indies clarescere. Erat quidem, vt alter Zachæus, statura pusillus, sed ingenio magnus, vt mirum sit in tam exili corpusculo tantas habitasse virtutes, & naturam in tantillo homuncione tam sublime collocasse ingenium. Tam ingentia scripsit volumina, vt corpus non tulisset, quod ingenium protulerat. Nam si moles librorum eius, composita sarcina, auctoris humeris imposita fuisset, homulum sine dubio comprimere suffecisset. Ex illo ordine (quantunuis doctissimorum Carmelitarum ferax Anglia) vix huic vnquam produxit parem, imò vix orbis Christianus illa ætate doctiorem. Nemo doctiùs confundebat Iudæos; nemo neruosiùs confutabat Turcos, vel quoscunque infideles; nemo fœliciùs expugnabat hæreticos; nemo solidiùs Christi veritatem dilucidabat; nemo manifestiùs Antichristi falsitatem & imposturas detegebat, suisque coloribus depingebat; nemo subtiliùs difficiles nodos soluebat; nemo clariùs obscura sacræ scripturæ loca explanabat, & sensus reconditos & arcana mysteria dilucidiùs aperiebat. Tales enim laudes ei, nec immeritò, tribuit Paulus Pansa orator I[illegible]lus. Sed quid hominis virtutes omni laude maiores, hîc laudare aggredior? Loquantur pro auctore opera eius, & illis præbeant copio-

1346.
542.

ſam laudandi materiam, qui de eo prolixam laudationem inſtituere cupiunt. Satis nobis eſt dicere, eum ex ſuis ſcriptis apud omnem poſteritatem, tam immortalem famam eſſe conſecutum, vt illam nulla vnquàm delere obliuio, vel obſcurare valeat vetuſtas. Vndè vt inquit ille, *Caſurum nullo tempore nomen habet.* Catalogum igitur librorum quos edidit, ex Trithemio, Iacobo de Plebe, Petro Lucio, & alijs, hîc attexamus. Scripſit enim, vt hi teſtantur Auctores, commentarios in omnes & ſingulos ſacrorum bibliorum libros, videlicet

In Geneſim, *Librum vnum.* Tria debent in vniuerſitate rerum attendi.
In Exodum, *Librum vnum.* Hîc incipit ſecunda pars ante legem.
In Leuiticum, *Librum vnum.* Liber iſte vocatur Hebraïcè Vaijcra.
In Numeros, *Librum vnum.* In poſtilla quam feci ſuper Matthæum.
In Deuteronomium, *Librum vnum.* Hic vltimus liber diuiditur in tres.
In Ioſue, *Librum vnum.* Factum eſt poſt mortem Moyſi ſerui.
In librum Iudicum, Librum j. Iudicum liber Hebraïcè dicitur Sophtim.
In Ruth, *Librum vnum.* In diebus vnius Iudicis, quando.
In libros Regum, *Libros quatuor.* Fuit vir vnus, &c. In hoc primo.
In Paralipomenon, *Libros duos.* Adam, Seth, Enos, &c. Repetitio.
In Eſdram & Nehemiã, Libros iiij. In anno primo Cyri Regis Perſarum.
In Tobiam, *Librum vnum.* Tobias ex tribu & ciuitate Nephtali.
In Iudith, *Librum vnum.* Apud Hebræos liber Iudith ſecundùm.
In Heſter, *Librum vnum.* In diebus Aſueri qui regnauit.
In Iob, *Librum vnum.* Materia huius libri duplex eſt.
In pſalterium, *Librum vnum.* Beatus qui cuſtodit verba Prophetiæ.
In Prouerbia Salomonis, *Librum vnum.* Parabolæ Salomonis filij Dauid.
In Eccleſiaſten, *Librum vnum.* Verba Eccleſiaſtis, &c. In hoc libro.
In Cantica Canticorum, *Librum vnum.* Oſculetur me oſculo oris ſui.
In librum Sapientiæ, *Librum vnum.* Diligite iuſtitiam qui iudicatis.
In Eccleſiaſticum, *Librum vnum.* Omnis ſapientia à Domino Deo eſt.
In Iſaiam, *Librum vnum.* Viſio Iſaiæ, &c. In exponendo.
In Hieremiam, *Librum vnum.* Verba Hieremiæ, &c. Poſtquam.
In eiuſdem Threnos, *Librum vnum.* Lamentationes Hieremiæ poſt capt.
In Baruch, *Librum vnum.* Libellus iſte qui Baruch nomine.
In Ezechielem, *Librum vnum.* Factum eſt in triceſimo anno, in.
In Danielem, *Librum vnum.* Anno tertio regni Ioachim Regis Iuda.
In minores Prophetas, Libros duodecim. Sciendum eſt primò hos duodecim.
In Machabæos, *Libros duos.* Machabæorum libri iuxta Hieronymum.
In Euangel. S. Matthæi, Librum vnum. Dicit Apoſtolus Paulus ad Heb.
In Sanctũ Matth. iterum, Librum vnum. Matthęus qui & Leui, ex publ.
In Euang. S. Marci, Librum vnum. Paſſio Chriſti intelligitur, cum Leo.
In Euangel. S. Lucæ, Librum vnum. Hic prologus diuiditur in quatuor.
Poſtillas in Sanctũ Lucam, Libr. vnum. Mons Sina non coniungi. Hier.
In Euangel. S. Ioannis, Librum vnum. Ioannes Euang. in hoc prologo.
In D. Paulũ ad Romanos, Lib. vnũ. Chriſtus factus eſt ex ſemine Dauid,
Ad Corinthios, *Libros duos.* Oſtenſo in epiſtola ad Romanos,

Ad Galatas, *Librum vnum.* In hac epistola ad Galatas est.
Ad Ephesios, *Librum vnum.* Ad intelligendum huius epistolæ.
Ad Philippenses, *Librum vnum.* Ostenso superiùs in postilla quã feci.
Ad Colossenses, *Librum vnum.* Paulus Apostolus Iesu Christi per.
Ad Thessalonicenses, *Libros duos.* Epistola hæc prima dicitur ad.
Ad Timotheum, *Libros duos.* Moyses dixit, tremebundus sum &.
Ad Titum, *Librum vnum.* Titum instruit Apostolus de suo.
Ad Philemonem, *Librum vnum.* Familiares Philemoni litteras.
Ad Hebræos, *Librum vnum.* In epistola ad Hebręos probatur.
Rursus in epistolas D. Pauli, Libros quatuordec. Ad intelligendũ huius epi.
In Acta Apostolorum, *Libros quatuor.* Sanctus Euangelista Lucas in.
In Epistolas Canonicas, *Libros septem.* De cultura cælestium præcept.
In Apocalypsi S. Ioannis, *Librum vnum.* Apocalypsis Iesu Christi.
De Æternitate Dei, *Librum vnum.*
In S. Augustinum de Ciuit. Dei, Libr. viginti duos. Intentio Augustini in.
In eundem de Trinitate, *Libr. quindecim.* Lecturus hæc quæ de Trinit.
In Anselmũ de Incarnatione Verbi, Librum vnum. Anselmus in hoc libr.
In Anselmum cur Deus homo? *Libros duos.* Prima particula qualiter.
De Fide & Baptismo, *Librum vnum.*
Sermonum, *Libros duos.* Rationabiliter lex Christi per.
Iterum Sermonum, *Librum vnum.* Lex Christiana timorem docet, &.
De Aduentu Meßiæ, Librum vnum. An ex scripturis veteris Testamẽt.
Compendium legis Christi, Libr. vnũ. Et vt per omnia fides & mores cha.
Concordiam Christi & Prophetarũ, Libr. vnũ. Miracula quæ refert Matth.
De Dominio Christi, *Librum vnum.*
De paupertate Christi, *Librum vnum.*
De Conceptione Mariæ, Libros tres. Nondũ erant abyssi, & ego iã concep.
Iterum de Conceptione, *Librum vnum.* Conceptio carnalis beatę Mariæ.
De cessatione legalium, *Libr. vnum.* Lex Christi statim post Passionem.
Regulas Christianæ fidei, *Libr. j.* Prima regula totius Christia.
De præceptis & consilijs, *Libr. j.* Præcepta continet lex Christiana.
Compendium vitæ Christianæ, Libros quatuor. Ordinauit in me charitatem.
De peccatis & remedijs, *Libr. j.* Peccatum rationabiliter Christus.
De dignitate Ecclesiæ, *Librum vnum.*
De perfectione iustitiæ, *Librum vnum.* Vtrum Christus & Apostoli in.
De sanctificatione Festorum, *Libr. j.* Vniuersis præsens documentum.
Canones Pontificum, *Librum vnum.*
De generali iudicio, *Libr. j.* Iudicium de peccatis Christus const.
De Beatorum visione, *Librum vnum.*
Quod in cælo sit laus vocalis, *Librum vnum.*
In Magistrũ Sententiarũ, Libros quatuor. Vtrum ad habendã supernatural.
Quæstiones ordinarias, *Libr. j.* Cùm ex scripturis sacris colligi possit.
Placita Theologica, *Libros tres.* Vtrum sola fide sit tenendum, animam.
Determinationum, *Librum vnum.* Vtrum possit in Scriptura Canonica,

De iurisdictione Claustralium, *Librum vnum.*
Tractatum de suo ordine, *Libr.* j. Omnibus Christi fidelibus in Domino.
Speculum Carmelitarum, *Libr.* j. Imprimis attende quid beata Virgo.
In regulam Carmelitarum, *Librum vnum.* Cuiuslibet religionis titulus.
Compendium iurium eorundē, *Librum* j. B. Bernardus in sermone quodā.
De non ducenda Fratria, *Librum vnum.*
Contra Magicas artes, *Librum vnum.*
Contra superstitiones, *Librum vnum.*
Contra vanitates sæculi, *Librum vnum.*
Contra Idololatriam, *Librum vnum.*
De Sphæra iudiciali, *Librum vnum.*
De Astrorum scientia, *Librum vnum.*
Contra Ioannem de Poliaco, *Librum vnum.*
De Iudæorum perfidia, *Librum vnum.* Iudæi an credere debeant prædi.
Rationes contra Iudæos, *Librum vnum.* Vtrum in Scriptura Canon. Iudæi.
In Prædicamenta Aristotelis, *Libros tres,* Circa librum Prędicament. pri.
In Perihermenias, *Libros duos.* In hoc primo Perihermeniarum.
In eius Priora, *Libros duos,* Primùm quidem oportet constituere.
In Posteriora, *Libros duos,* Omnis doctrina & omnis disciplina.
In Topica, *Libros quatuor.* Propositum quidem negotij est.
In Elenchos, *Libros duos.* De Sophisticis autem Elenchis.
De sophismatibus, *Librum vnum.* Cū alicui secundùm eius entitatem.
In Physica, *Libros octo.* Quoniam intelligere & scire.
In Aristotelem de anima, *Libros tres.* Intentio mea est secundū verba lit.
Quæstiones de potentijs animæ, *Libr.* j. Vtrum potentiæ animæ realiter.
In Meteora, *Libros quatuor.* De primis, &c. Docet hic liber.
De cælo & mundo, *Libros quatuor.* Philosophus hîc suam de cælo &.
De generatione & corruptione, *Libros duos.* Tractaturus de generatione.
De sensu & sensato, *Libros duos.* Quoniam autem de anima secundùm.
De sensu & sensibili, *Libros duos.*
De multiplicatione specierum, *Libr.* j. Species multiplicata ad medium.
De motu animalium, *Librum vnum.* Secundùm Philosophū tert. Physic.
De memoria & reminiscentia, *Libros duos.* Reliquorū autem pri. est consi.
De somno & vigilia, *Libros duos.* Considerandum est in hoc de somno.
De longitudine & breuitate vitæ, *Libros duos.* De eo autem quod est esse.
In politica Aristotelis, *Libros octo.*
In Ethica ad Cancellarium, *Libros decem.* Vt dicit cōmentator in prolog.
In Metaphysicam, *Libros duodecim.* Est enim mea intentio in hoc opere.

Londini tandem inter suos mortuus & sepultus dicitur circa annum postquàm Deus misit filium suum in hunc mundum 1346, dum ad Anglici regni gubernaculum sederet Edvvardus tertius.

De Ioanne Mandvvitho.

IOANNES Mandvvithus, natione Anglus, Oxoniensis ad multos annos in studijs alumnus, de societate Collegij Mertonensis. Vir in scientijs Mathematicis, Medicina, atque etiam Theologia nobiliter eruditus, quibus nominibus magnam sibi præsertim apud ætatis suæ doctos viros conciliauit famam, beneuolentiam etiam non minorem, vt auctores sunt Bostonus Buriensis & Ioannes Lelandus. Qui testantur insuper eum multa scripsisse, maximè in Astronomiam, & Medicinam, ex quibus tamen pauca nunc extare inueniuntur. Habemus saltem adhuc in quibusdam Bibliothecis

1346. 543.

De doctrina Theologica, Librum vnum. Legimus in scripturis sacris.
Tabulas Astronomicas, Librum vnum.
De chorda recta & vmbra, Librum vnum.

Floruit anno communis salutis 1346, sub fœlicissimo Edvvardi tertij apud Anglos regno.

De Ioanne Guallensi Iuniore.

IOANNES Guallensis cognominatus Iunior, natione Anglus, vt auctores sunt Gesnerus & eius Abbreuiator, in lucem emisit

1346. 344.

Super Magistrum Sententiarum, Librum vnum.
Disputationum scholasticarum, Librum vnum.

Claruit anno redemptionis humanæ 1346, dum Anglicani regni coronam gestaret Edvvardus tertius.

De Thoma Straueshano.

THOMAS Straueshanus seu de Straueshavv, in Occidentalibus Angliæ partibus natus, ordinis S. Francisci Monachus Bristoliensis. Oxoniæ bonas litteras ita industriè didicit, vt teste Lelando, sublimis ibi tum Philosophus, tum Theologus meritò haberetur. Et quia cum studijs litterarum pietatem semper coluit, à pijs & eruditis quibusque illius tēporis viris summè diligebatur. Scripta deniq; quæ luce donauit, famam ei perpetuò victuram pepererunt. Scripsit

1346. 545.

In D. Lucam collectanea, Librum vnum.
De salutatione Angelica, Librum vnum.
De excellentia Nominis Iesu, Librum vnum.
Conuertimini ad Deum, Librum vnum.
Sermonum, Librum vnum.
Tabulam Doctorum vniuersalem, Libr. j. Abstinentia. Carnotēs. lib. quint.
In lecturam Guilhelmi de Vvara, Librum vnum. Absolutum. Vtrum suppositum illud.
In Delamarum contra Thomam, Librum vnum. Angelus. Vtrum Angelus sit compositus.
In lecturam Roberti Cantoni Libr. j. Attributum. An Attributa distingui.
Cursum moralem, Librum vnum.

Obijt Auinione anno communis salutis 1346, dum summa rerum in Anglia penes Edvvardum tertium resideret.

De Radulpho Kelleio.

1347. 546. RADVLPHVS Kelleius seu Kulley natione Anglus, vir cui multiplex eruditio & virtus spectata celebrem contulerunt famam. Vndè temporis successu, magnorum meritorum intuitu ad Archiepiscopatus Cassalensis in Hibernia fastigium sublimatus fuit, quam cathedram suis virtutibus plurimùm decorauit. Quod autem ad rem attinet litterariam, scripsit

In iure Canonico, *Librum vnum.*
Epistolas Familiares, *Librum vnum.*

Claruit anno virginei partus 1347, regnante in Anglia Gallorum debellatore Edvvardo tertio.

De Gualtero Hemmingfordo.

1347. 547. GVALTERVS Hemmingfordus natione Anglus, ordinis S. Augustini Canonicus regularis in cœnobio Gisburnensi, quod ædificauit R. Brius ad Thesim fluuium in Eboracensi Ciuia. Vir, vt auctor est Lelandus, bono ingenio, & scientiarum auido. Vndè accedente ad indolem naturalem labore, & industria, ad summam eruditionem peruenit. Cùm autem transacto studiorum suorum curriculo, sui iuris esset, vt cui vellet scientiæ se applicare posset; amor patriæ eum impulit, vt historias Angliæ legeret, & ex ijs notatu digniora seligeret, atque accurata methodo posteritati traderet. Historiam igitur à Normannorum ingressu aggressus, à Guilhelmo primo vsque ad Edvvardum secundum, hoc est ab anno Domini 1066, ad annum 1308 deduxit. Vbi, vt in suis collectaneis auctor est Guilhelmus Hormannus, res gestas Anglorum stylo non inelegante, cura magna, & fide pari describit. Quod opus prænotauit

Historiam Anglorum, seu chronica de gestis Regum Angliæ, *Librum vnum.*
Ne fastidiosus. M S. Cantabr. in Collegio S. Benedicti.
Chronicon Edvvardi tertij, *Librum vnum.* Edvvardus post conquestum tertius.
Sermonum, *Librum vnum.*

Obijt & sepulturam accepit Gisbornæ in cœnobio suo, anno post incarnatum Filium Dei 1347, dum in Anglia fœliciter regnaret, in Gallia potenter triumpharet Edvvardus tertius.

De Guilhelmo Occamo.

1347. 548. GVILHELMVS Occamus, ordinis S. Francisci Monachus Anglus, Philosophus & Theologus insignis, Ioannis Scoti subtilis Doctoris auditor aliquando & discipulus, & eiusdem posteà semper acerrimus impugnator. Primus enim extitit auctor Nominalium, sicut

ſicut ille Realium, qui quaſi ex diametro ſibi inuicem opponebantur. Reſtitiſſe dicitur Ioanni Papæ viceſimo ſecundo fratricellorum hæreſim damnanti. Et cùm in hac cauſa multi Theologi, præſertim Angli, Auinionem Galliæ Narbonenſis ciuitatem confluerent, & Occamum confutarent, declinans ille talis diſputationis periculum, transfugit ad Petrum Corbarienſem Picenum, quem Ludouicus Bauarus Imperator quartus Papã ſchiſmaticè creare moliebatur. Quapropter excommunicatus eſt. Sed nihilominùs in errore pertinaciter perſeuerauit, ſcripſitque dialogos in fauorem prædicti Imperatoris, in quibus Imperatoriam maieſtatem nimis exaltabat, & Pontificiam auctoritatem plus æquo deprimebat. Audacter etiam Imperatori in hæc verba loqui conſueuit; *Defende me gladio, & ego te defendam verbo.* Mãſit itaque excommunicatus cum excommunicatis, nec ante mortis articulum abſolutus eſt. Quidam ſcribunt eum aliquandò deſignatum Archiepiſcopũ Dublinienſem in Hibernia, ſed nec ab Hibernis receptum, nec à ſummo Pontifice confirmatum. Academia Pariſienſis eum excommunicatum reiecit, quem tamen poſteà gratioſè admiſit. Non obſtantibus autem his omnibus turbis & moleſtijs, hanc apud ſuos gratiam habuit, vt cum alijs quatuordecim ordinis ſui doctiſſimis viris, eius etiam nomen æri ſit inciſum in circuitu tumbæ Ioannis Scoti Coloniæ Agrippinæ. Sed hoc ad inanẽ gloriæ fucum, ſi aliud non accederet. Vulgò ſalutari ſolebat *Venerabilis inceptor & ſingularis Doctor.* Partim de rebus Philoſophicis, partim de Theologicis doctiſſimè ſcripſit & copioſiſſimè

Super Magiſtrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Circa prologum quæro Vtrum. MS. Oxonij in Coll. Balliol. & Merton. Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij. Ext. Lugd. anno 1495.

Compendium Theologiæ, *Librum vnum.*

De ſacramento altaris, *Librum j.* Stupẽda ſupernæ munera. Venetijs 1516.

De corpore Chriſti, *Librũ j.* MS. Oxonij in Coll. Mert. Argẽtaurati 1491.

Concionum variarum, *Librum vnum.*

De prædeſtinatione Sanctorum, *Librum vnum.*

De paupertate Chriſti, *Librum vnum.*

De paupertate Apoſtolorum, *Librum vnum.*

Apologiam quandam, *Librum vnum.*

Centilogium Theologicum, id eſt, centum concluſionum, *Librum vnum.* Anima nobis innata. Extat Lugduni anno 1495, vti etiã varia eius opuſcula.

De poteſtate Pontificum & Imperatorum, *Librum vnum.* Extat ibidem eodem anno 1495.

Defenſorium ſuum, *Librum vnum.* Omni quippe regno deſiderabilis. M S. Oxonij in Coll. Magd.

Errores quos affinxit Papæ Ioanni, *Librum vnum.* Locuti aduerſum me in lingua prohib.

Compendium eorum errorum, *Librum vnum.* Etiam perhibetur.

Dialogum militis & clerici, *Librum vnum.* Miror optimè miles in paucis: prohibetur.
De fautoribus hæreticorum, *Libros septem.* In omnibus rebus curiosis.
De actibus Hierarchicis, *Librum vnum.*
Epitomen quandam, *Librum vnum.*
Opus nonaginta dierum, *Librum vnum.* Prohibetur.
De præceptore & discipulo, *Librum vnum.*
De inuisibilibus, *Librum vnum.*
De scientiarum ingressu, *Librum vnum.* Studiosissimè sæpiúsque rogatus.
Quodlibeta magna, *Librum vnum.*
Quodlibeta septem, *Librum vnum.* Argentinæ extant anno 1491.
Super Porphyrium, *Librum vnum.* Quoniam omne operans quod in.
Summam Logices ad Adamum, *Librum j.* Omnes Logicæ tractatores.
Maiorem summam Logices, *Libros quatuor.* Dudum expletis lectionibus. M S. Cantabrigiæ in Coll. S. Petri, & Caij. Extat Venetijs anno 1522.
Defensorium Logices, *Librum vnum.* Dominus potest facere omne.
De decem generibus, *Librum vnum.*
In prædicamẽta Aristotelis, *Libros tres.* Cõpleta expositione libri Porphyrij.
In Perihermenias, *Libros duos.* Postquam Philosophus in.
Super Elenchos, *Libros duos.*
Dialecticam nouam, *Librum vnum.* Contradictio in Deo non est.
Quæstiones in libros Physicorum, *Libros octo.* Vtrum priuatio sit aliqua res. M S. Oxonij in Coll. Merton. Extat Venetijs anno 1506.
Quæstiones de anima, *Librum vnum.*
De quatuor causis, *Librum vnum.*
De forma prima, *Librum vnum.*
De forma artificiali, *Librum vnum.*
De pluralitate formæ contra Suttonum, *Librum vnum.*
De materia prima, *Librum vnum.*
De priuatione, *Librum vnum.*
De subitanea mutatione, *Librum vnum.*
Quæstiones posteriorum, *Libros duos.*
Commentarios in Metaphysicam, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio sancti Petri & Caij.
In omnia opera Aristotelis commentariorum, *Libros plures.*

De tempore obitus & loco sepulturæ dubium me reddidit Henricus Vvillottus, qui in suis Franciscanorum Athenis, relicta vel saltem postposita Trithemij sententia, nullo nominato auctore (auctor ergo ipse habeatur) scribit Occamum Capuæ (Monachij dicere debuit) mortuum & sepultum cum hoc sequente epitaphio:

Hic iacet corpus excellentißimi Doctoris & inceptoris Ockam, Anglici, ordinis Minorum, qui obijt hic tempore Ioannis 22, & Domini Regis Roberti. Et hic composuit dialogum de potestate Eccl. Obijt autem die 20. Sept. anno 1320.

Sic ad verbum Vvillot. Ego verò, propendens in Trithemij sententiam,

vt longè probabiliorem, tum propter hominis familiaritatem cum Ludouico Cæsare Bauaro, tum propter inimicitiam cum Papa Ioanne vicesimo secundo iudicaui Occamum non apud Capuanos procul Cæsare, prope Pontificem, sed potiùs apud Noricos procul Pontifice, prope Cæsarem, & vitam egisse & animam. Scripsi igitur (vt in similibus dubijs sæpè aliàs) ad cognatum meum Thomam Pitsium, qui Monachij agit in Aula Ducis Bauariæ, vt de rei veritate inquireret. Inquisiuit, inuenit, rescripsit in hæc verba:

Guilhemus Oikam Monachij in Conuentu ordinis sui mortuus est, & ibi sepultus in choro ad dexterum cornu altaris, cum hac inscriptione insculpta lapidi Marmoreo:

Anno Domini 1347. *decimo Aprilis obijt eximius Doctor sacræ Theologiæ, frater Guilhelmus dictus Occam de Anglia.* Rerum in Anglia tum potiebatur Edvvardus tertius.

De Ioanne Folshamo.

IOANNES Folshamus, Iolihmum vocat Petrus Lucius in sua Carmelitarum Bibliotheca, ordinis fratrum de monte Carmeli, in conuentu Norvvicēsi, Monachus Anglus, in Northvvallia natus, & teste Lelando, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Nam illam Academiam ab adolescentia coluit, & in bonis litteris altricem habuit. In omni vita studium virtutum & bonarum artium semper coniunxit, & pari procedens in vtrisque passu, similes in vtrisque fecit progressus. Aptus per doctrinam vt alios instrueret in omni tum humanarum, tum diuinarum rerum scientia: aptior per virtutem vt suos erudiret in timore Dei, in morum integritate, omnique vitæ sanctimonia. Probè vtique nouit pietatem esse ad omnia vtilem, multumque venerabatur charitatem quæ ædificat, nec minùs verebatur scientiam quæ inflat. Hæc Euangelica, imo Angelica vitæ perfectione in multis sui concitauit admirationem, non paucos allexit ad amorem, & suorum maximè conciliauit gratiam, qui eum sibi tanquàm exemplar ad imitandum proposuerunt, in cuius vita & moribus quasi in speculo, illum, ad quem aspirabant, contemplati sunt religiosæ perfectionis eminentem gradum. Hinc tandem factum est, vt è viuis excedente Polestedo, communi & vnanimi suorum suffragio in capitulo vel synodali conuentu, electus fuerit ordinis sui per Angliam Minister Prouincialis decimus quintus. Quem Magistratum sanctè sollicitéque gessit ad annos sex, nec nisi simul cum vita deposuit. Scripsit

1348.
549.

Commentarios in aliquot libros Salomonis, *Libros plures.*
Flores ex S. Ioanne Chrysostomo, *Librum vnum.* Quod Psalm. quinquagesi.
Quæstiones Theologiæ, *Librum vnum.* In præsenti quæstione quæritur.
Indices super Anselmum, *Librum vnum.* Absentia boni nihil est aliud.
De arte prædicandi, *Librum vnum.* Sciendum quod à themate inco.
Moralitates rerum, *Librum vnum.* Triplex est esse rerum, quædam.

De matrimonio, *Librum vnum*. An matrimonium sit de iure.
Collationes per annum, *Librum j*. Immensi vinculo debiti constrictus.
In Isagogen Metaphysices, *Librum j*. Omnes homines natura scire.
Norvvici tandem in suo Monasterio mortuus & sepultus est die decimo octauo Aprilis anno Domini 1348, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Ioanne Stratfordo.

1348.
550.

IOANNES Stratfordus, natione Anglus Stratfordiæ in Comitatu Vvarvvicensi natus, vir pietatis & doctrinæ titulis insignis, quorum intuitu primùm ad Episcopatum Vvintoniensem, deinde ad Archiepiscopatũ Cantuariensem euectus est. Sed per calumniã apud Regem læsæ maiestatis accusatus, multas passus est molestias, quibus tamẽ omnibus se expediuit, & dilutis in publico regni cõcilio criminibus obiectis, se purgans, in Regis gratiam denuò receptus est. Erat in rebus gerendis dexter & prudens, & iuris tum Pontificij, tum Cæsarij peritissimus. egregium pietatis suæ monumentum reliquit magnificam Ecclesiam Collegiatam, quam Stratfordiæ ædificandam curauit. Nonnulla etiam scripsit, vt ex Thoma Vvalsinghamo, & Guilhelmo Linvvodo colligere est

De controuersijs cum Rege, *Librum vnum*.

Decreta etiam synodalia, quorum titulos hîc pono. Scilicet

De constitutionibus. Exterior habitus.
De iudicijs. Excussis & infra.
De foro competenti. Dierum inualescens.
De sequestratione possess. Frequens peruersorum.
De vita & honestate clericorum. Exterior habitus.
De clericis non residentibus. In decimis.
De institutionibus. Item quia Archidiaconus.
De concessione præbendarum. Esurientis auaritiæ.
De locato & conducto. Licet bonæ memoriæ.
De Donationibus. Cordis dolore.
De testamentis. Statutum bonæ memoriæ.
De sepulturis, Quia sæpè.
De decimis. Erroris damnabilis.
De celebratione Missarum. Quàm sit inhonestum.
De Ecclesijs ædificandis. Licet parochiani.
De immunitate Ecclesiæ. Accidit nouitate.
De clandestina desponsatione. Humana concupiscentia.
De purgatione Canonica. Licet & infra.
De pœnis. Cùm reus & infra.
De sententia excommunicationis. Superno Dei munere.
De Verborum significationibus. Quamquam ex soluentibus.

Obijt anno Dominicæ Incarnationis 1348, Edvvardo tertio in Anglia

regnante, in Gallia & Scotia triumphante. Vide nostrum de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Ioanne Guento.

IOANNES Guentus, in Cambria Britannorum sanguine natus, ordinis S. Francisci Monachus. Vir in sacris ac profanis litteris apprimè eruditus, &, vt satis innuit Lelandus, Oxoniensis in Theologia Doctor, & ibidem saltem inter suos Professor. Crescentibus tandem virtutis & eruditionis meritis, suorum in Anglia Prouincialis designatus est. Quo officio vigilanter ad suum meritum, & ordinis vtilitatem prudenter functus est. Nec intereà nomen suum aliquo litterario monimento posteritati commendare neglexit, in scholis disputando, ad populum concionando. Scripsit enim

1348. 551.

Commentarios in Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Sermonum ad populum, *Librum vnum.*
Quæstiones disputatas, *Librum vnum.*

Herefordiæ demùm naturæ debitum persoluit anno postquam Verbum caro factum est 1348, dum ad clauum Anglicani regni potenter sederet Edvvardus tertius.

De Roberto Leicestrio.

ROBERTVS Leicestrius, vel de Leicestria, ordinis S. Francisci Monachus Anglus. Philosophus & Theologus præclarus, & in omni genere concertationis scholasticæ apud Oxonienses exercitatissimus habitus, vbi inter suos ad aliquot annos publicitùs docuit, tanta cum laude, vt per vniuersam penè Angliam hominis fama longè latéque diffunderetur. Propter egregias etiam conciones apud magnates magnam conciliauit gratiam. Illum præ cæteris hoc nomine mirè venerabatur Robertus Episcopus Herefordensis, eoque familiarissimè vsus est. Vt igitur sui nominis memoriam posteris relinqueret, sicut testes sunt Lelandus, Vvillottus, & alij, scripsit

1348. 552.

Lecturas sacræ scripturæ, *Librum vnum.*
Commentarios in Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
De computo Hebræorum, *Librum vnum.* Prima earũ est à creatione mundi.
De computo Latinorum, *Librum vnum.* Operis iniuncti nouitatem, pater.
De ratione temporum, *Librum vnum.* Ad planiorem præscripti tractatus,
De paupertate Christi, *Librum vnum.*
Quodlibeta varia, *Librum vnum.*
Distinctionum, *Librum vnum.* Cuius operis mentionem facit quidam liber M S. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.
Opusculorum diuersorum, *Librum vnum.*

Lichefeldiæ viuendi finem fecit, & requiescendi locum accepit in Monasterio sui ordinis anno post aduentum Messiæ 1348, regnante apud Anglos, triumphante apud Gallos Edvvardo tertio.

De Ioanne Rodingtono.

1348. 553. IOANNES Rodingtonus, Rodingcon appellat Vvillottus, natione Anglus, patria Lincolniensis, secundùm quosdam Monachus Benedictinus, sed rectiùs Franciscanus in cœnobio Stanfordiensi. Vir qui inter suos virtutis & eruditionis titulis emicuit. Ioannes Maior libro primo capite quinto de gestis Scotorum scribit eum Oxoniæ Philosophiam, atque etiam Theologiam didicisse, ad perfectam tamen vtriusque perfectionem demùm Parisijs peruenisse. In Anglia autem ad aliquot annos ordinis sui Prouincialem egit. Petrus Vincentinus hoc in eo notat, quòd mordicùs tenuerit Deiparam virginem in originali peccato fuisse conceptam. Cultiorem linguæ Latinæ sermonem non magni fecit, scholastico, sicut illa ferebant tempora, contentus stylo, pluris æstimans rerum solidam scientiam, quàm inanem verborum ornatum. Nihil etiam, quod sciam, scripsit, præter illa quæ concertationes Theologicas concernunt. Quorum hos titulos inuenimus

Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor*. Da mihi intellectum.
In textum sententiarum, *Librum j*. Circa hanc distinctioné quærendum.
Determinationes Theologiæ, *Librum vnum*.
Quæstiones disputatas, *Librum vnum*. Vtrum Sacramenta nouæ legis sint.
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum*. Circa Dei potentiam principium.
Quæstiones extraordinarias, *Librum j*. Vtrum visio diuinæ essentiæ claré.
Quodlibeta maiora, *Librum vnum*. Vt habetur tricesima septima quæst.
Quodlibeta minora, *Librum j*. Secundùm beatum Augustinum de ciuit.
Replicationes scholasticas, *Librum vnum*.

Bedfordiæ migrauit ad Dominum anno post partum Virginis 1348, regnante in Anglia Edvvardo tertio.

De Richardo Cicestrio.

1348. 554. RICHARDVS Cicestrius, vel de Chichestre, id est, ex ea ciuitate natus, quæ est Episcopalis sedes, & vrbs Comitatus Soutsaxiæ princeps, ordinis S. Benedicti Monachus Vvestmonasteriensis. Bonarum litterarum omnisque virtutis strenuus cultor. Semper enim aut sacris scripturis meditandis, aut historijs patrijs voluendis attentũ habuit animum. Vndè & inter chronographos sui temporis facilè principatum obtinuit, vt ex Bostono Buriensi non obscurè colligitur. Præcipuas totius Angliæ bibliothecas inuisit, quæ ad rem suam faciebãt, ex probatissimis auctoribus decerpsit, & ipse pulcherrimam historiam ordinauit. Exordium sumpsit ab ingressu Anglosaxonum in Britanniam, & ab ipso Hengisto continuata serie descendit vsque ad annum Edvvardi Regis tertij vicesimum secundum, annos cõplectens ferè nongentos, ab anno scilicet Christi 449, narrationem continuans vsque ad annum Christi 1348. Opus in duas partes diuisit. Primam partem vocauit

Speculum historiæ, *Libros quatuor*. Post primũ insulæ Britanniæ Regem.

Secundam partem Anglosaxonum Chronicon, *Libros quinque*. In historico namque contextu. Pars vtraque M S. reperitur Cantabrigiæ in bibliotheca publica.

Chronicorum epitomen, *Librum vnum*. Hieronymus ad Eugenium. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Claruit anno gratiæ 1348, sub Angliæ florentissimo Rege Edvvardo huius nominis tertio.

De Roberto Holcotho.

ROBERTVS Holcothus Northamptoniæ in Anglia natus, & ibidẽ ordinis S. Dominici seu Prædicatorũ Prædicator eximius, in sacra Theologia Doctor & Professor Oxoniæ. Vir solidi ingenij, constantis iudicij, multi laboris, incredibilis industriæ, tantæque lectionis, vt penè omnes melioris notæ antiquiores Theologos perlustrauerit. Prudens in rebus agendis, fœlix in negotijs dirigendis, dexter in expediendis. Litteras humaniores, & omnes liberales artes, vtcumque tenuit, meliùs Philosophicas scientias, Theologicas autem & accuratissimè didicit, & vtilissimè docuit. Non enim solum in Theologia scholastica, sed etiam in antiquis patribus, in primis Ecclesiæ Doctoribus, in œcumenicis Concilijs, & in sacris denique scripturis valdè fuit exercitatus. Vt non immeritò has & similes laudes ei tribuant inter alios Trithemius, Sixtus Senensis, & Leander Albertus Bononiensis. Non desunt, qui duos huius ordinis, professionis, nominis, & cognominis Anglos fuisse asseverant, veriti hæc omnia opera subscripta vni tantùm tribuere, ne fidem videantur excedere. Vndè & horum alterum quinquaginta circiter annis alterum præcessisse scribunt. Ego tamen vnum tantummodò auctorem fuisse existimo. Qui scripsit

1349.
555.

In Sapientiam ducentas & tredecim lectiones, *Librum vnum*. Dominus petra mea & robur. M S. Oxonij in bibliotheca publica. In Collegio Nouo, Balliolen, Mertonensi, Lincolniensi. Et Cantabrigiæ in Collegio S. Petri, in Aula Pembrochiana, & in Archiuis Collegij Caij. Extat Venetijs annum. 1509, & 1586.

Morales expositiones, *Librum vnum*. Extat ibidem.

In Prouerbia, *Librum vnum*. M S. Oxonij in Collegio Balliolensi. Extat Parisijs 1515.

In Oseam, *Librum vnum*. Libri duodecim Prophetarũ in duo. MS. ibid.

In Ioëlem, *Librum vnum*. Hic ponitur secunda porta scrip. M S. ibidem.

In Amos, *Librum vnum*. Incipit tertia porta scripturæ. MS. ibidem.

In Abdiam, *Librum j*. In duobus Prophetis præcedentibus. M S. ibid.

In Jonam, *Librum vnum*. Ionas interpretatur colũba dolens. M S. ibid.

In Michæam, *Librum j*. Michæas qui interpretatur humilitas. M S. ibid.

In Nahum, *Librum vnũ*. Nahum interpretatur germinãs eis. MS. ibid.

In Abacuch, *Librum j*. In prima parte istius capituli. M S. ibidem.

In Sophoniam, *Librum vnum*. Iste Sophonias est porta. MS. ibidem.

In Aggæum, Librum j. Aggæus vno modo interpretatur. M S. ibidem.

In Zachariam. Librum vnum. Zacharias est porta illa quæ di. M S. ibid.

In Malachiam, Librum j. Malachias interpretatur Angelus Domini. M S. ibidem. Denique in hos duodecim minores Prophetas habetur. M S. Oxonij in publica.

In Cantica Canticorum, *Librum vnum.*

In Ecclesiasten, *Librum vnum.*

In septem priora capita Ecclesiastici octingentas & octo lectiones. Magister & Dominus Gondisaluus. Nota quòd dum exponeret caput septimum, obijt.

In quatuor Euangelia, *Libros quatuor.*

Iterum in Euangelium S. Matthæi, *Librum vnum.*

Exempla Scripturæ, *Librum vnum.*

Allegorias vtriusque Testamenti, *Librum vnum.*

Moralizationes sacræ Scripturæ pro Euangelizantibus verbum Dei, *Librum j.* Quoniam misericordia & veritas. M S. Oxonij in Collegio Magdalen.

De Prædicatoris officio, *Librum vnum.* A sacro canone tanquam à fonte.

Sermones per annum, *Librum vnum.* Ecce nunc tempus acceptabile. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.

Sermones de sanctis, *Librum j.* Extant Monachij in bibliotheca Ducali.

Sermones festiuales, *Librum vnum.* Erunt signa in sole & luna.

Sermones Quadragesimales, *Librum vnum.* Ductus est Iesus in desertum.

In Magistrū Sententiarum, *Libros quatuor.* Ierusalem Euangelistam dabo. M S. Oxonij in Collegio Balliolensi, Mertonensi, Orialensi.

Quæstiones super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Vtrum quilibet viator existens. Extant Lugduni anno Domini 1497, & 1510.

Quæstionum determinationes, *Librum vnum.* Vtrum aliquis in casu necessitatis. Extat ibidem anno 1497.

Quodlibeta, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.

Conferentias, *Librum vnum.* Sex sunt articuli. Lugd. anno 1497. Vidi in bibliotheca Franciscanorum Nancæi.

Super articulis impugnatis, *Librum vnum.* Primus articulus fuit quòd.

Distinctionum, *Librum vnum.* M S. Oxonij in publica, & in Collegio Mertonensi. Extat Lugd. 1510.

Super allegorijs vtriusque Testamenti, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.

Lecturas scholasticas, *Librum vnum.*

De immortalitate animæ, *Librum vnum.*

De præscientia & prædestinatione, *Librum vnum.* Vtrum præscitus sicut & prædestinatus.

De peccatis mortalibus, *Librum vnum.* Hæc est via ambulate in ea.

Moralizationes historiarum, *Librum vnum.* Theodosius de vita Alexandri.

De libertate credendi, *Librum vnum.*

De fautoribus hæreticorum, *Libros quatuordecim.*

De imputabilitate peccati, *Librum vnum.* Vtrum omne peccatum sit imputabile voluntati? Lugduni anno 1497. Vidi in bibliotheca Franciscanorum Nancæi.

De amore, *Librum vnum.*
Super quinque vniuersalia, *Librum vnum.*
De ludo scaccorum, *Libros quatuor.* Multorum fratrum ordinis nostri.
Dictionarium, *Librum vnum.* Adulator est nutrix diaboli, lact.
De vmbra, naturis, motibus, & effectibus stellarum, *Libros duos.*

Extant aliqua eius opera Coloniæ anno 1586. Multa eius opuscula habentur Monachij in bibliotheca Ducali. Northamptoniæ peste obijt anno Domini 1349, ibi in suo cœnobio sepultus, regnante in Anglia Edvvardo tertio.

De Richardo Hampolo.

RICHARDVS de Hampolo Pampolitanum perperàm vocant Iosephus Pamphilus, Sixtus Senensis, & plerique externi, sed verè cognominari debet Hampolus vel de Hampolo, videlicet à cœnobio sanctimonialium quod Hampolense vocatum erat, & quatuor plus minus milliaribus ab oppido Duncastro in agro Eboracensi distat, vbi Richardus iste, vero cognomine Rollus, eremiticam egit vitam, obijt mortem, accepit sepulturam, non longè etiam ab eodem loco, (vti ferunt) in hanc lucem editus. Vir multiplici doctrina, omnique virtutum ornatu instructissimus. Hic postquã annos multos in studijs pietatis & bonarum artium strenuè vtiliterque collocasset, in sæculo Doctoralem dignitatem suo iure suscepit. Sed exosam habens nimiam dissolutè viuendi licentiam, & morum intolerabilem corruptelam, quam etiam nonnunquã in ipsis Ecclesiasticis personis deprehendebat, huic mundo nequam valedixit, vitam eremiticam toto corde amplexus est. In qua miracum simplicitate, in rigida quadam austeritate, in carnis & carnalium passionum mortificatione, denique in quotidiana rerum diuinarum contemplatione constans vsque ad vitæ finem perseuerauit. Hoc autem sanctum institutum secutus est, vt mundi illecebras declinaret, diuinis obsequijs se totum manciparet, animæ suæ saluti consuleret, & alios à vitijs ad virtutem exemplo suo traduceret. Scripsit autem partim dum commercium habens cum hominibus egit in sæculo, partim dum in solitudine positus vacauit Deo, multa pulcherrima opera, pleraque solidam doctrinam, omnia pietatem & Christianam perfectionem redolentia

1349.
556.

Moralia in Iob, *Librum vnum.*
Paruum Iob, *Librum vnum.* Dilecte Domine, animæ parcas.
Super psalterium, *Librum vnum.* Magna Spiritualis suauitatis iucunditas. MS. Oxonij in Coll. Balliolensi, Cantabrigiæ in Coll. S. Benedicti.
In psalmum, Domine in virtute, *Librum vnum.* Cùm Christus qui est veritas dicat.

In psalmum Domine Deus meus, *Librum vnum*. M S. Oxonij in Collegio Balliolensi, Magdalenensi.

In psalmum Iudica me Deus, *Librum vnum*. M S. ibidem.

In duos primos versus Canticorum, *In textum: oleum effusum*, *In textum: adolescentuli dilexerunt*, } *Libros duos*. Suspirantis animæ delic. M S. Oxon. in Coll. Ball. & Magd.

In Threnos Ieremiæ, *Librum vnum*. Threni, vt inquit Hieronymus. Factus est postquàm in captiuitatem.

Super mulierem fortem, *Librum vnum*. Nemo ambigit humanæ diuinæq;.

In orationem Dominicam, *Librum vnum*.

In Symbolum Apostolorum, *Librum vnum*.

In Symbolum S. Ambrosij, *Librum vnum*.

In Symbolum S. Athanasij, *Librum vnum*.

In Cantica Prophetarum, *Librum vnum*.

In lectiones quæ ad suffragia mortuorum leguntur, maximè ex septimo & decimo capite Job, *Libros duos*. Parce mihi, &c. Exprimitur autem. Ex quibus priorem librum ipse scripsisse, posteriorem ex operibus S. Gregorij Magni collegisse videtur. M S. Oxonij in bibliotheca publica, & in Collegio Magdalenensi, Cantabrigiæ item in publica, & in Collegio S. Petri, & in Lumleiana.

In Apocalypsim, S. Joannis, *Librum vnum*.

Super Salue Regina, *Librum vnum*. Ad salutandã virginem gloriosam.

Meditationem ex S. Augustino, *Librum j*. Augustinus sanctus Doctor in.

De mysterijs rerum quæ sunt in Ecclesia. *Librum vnum*.

Eulogium seu de veneratione nominis Jesu, *Librum vnum*. Oleum effusum nomen tuum Domine.

Officium nominis Jesu, *Librum vnum*. Salutem mentis & corporis donet.

Stimulum conscientiæ metris Anglicis, *Librum vnum*. M S. Oxonij in Collegio Mertonensi. Cantabrigiæ in Collegio Caij.

De stimulo conscientiæ Latine, *Librum vnum*. Ab æterno & ante tẽpora fuit.

De emendatione peccatoris, *Librum vnum*. Ne tardes conuerti ad Dominum. M S. Oxonij in Collegio Balliolensi. Extat Coloniæ 1536.

Speculum de emendatione vitæ Christianæ, *Librum vnum*. M S. Oxonij in Collegio Mertonensi, Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij. Item in priuata Lumleiana.

Speculum peccatoris, *Librum vnum*. Quoniam charissimi, dum in huius.

De pœnitentia, *Librum vnum*. Pœnitemini vt deleantur peccata.

Meditationem diuini amoris, *Librum vnum*.

De incendio amoris, *Libros tres*. Cùm infœliciter florerem, & in. M S. in Lumleiana.

De spiritualibus ascensionibus, *Librũ vnum*. Beatus vir cuius est auxiliũ abs.

De reparatione lapsi, *Librum vnum*. MS. Oxonij in Collegio Mertonensi.

Regulam benè viuendi, *Librum vnum*. In initio & fine bonorum operum. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.

Orilogium sapientiæ, Libr. j. Quoniam ita res habet, quòd mors.
Scalam mundi, Libr. j. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De timore Dei & mundi contemptu, Librum vnum.
De bello spiritali, Librum vnum. Frater aut soror qui desideras.
De non iudicando proximo, Librum vnũ. Iudica me Deus & discerne cau.
Melodiam amoris, Librum vnum. Admirabar ampliùs quàm enarrare.
De virtutibus reuelatis, Librum vnum. Da pauperibus meis vnũ de.
Vehiculum vitæ, Librum vnum.
De excellentia contemplationis, Libr. j. O dulce lumen Deus illumina.
Meditationem sui ex scripturis, Libr. duos. Memẽto miser homo quoniã.
Contra amatores mundi, Librum j. Quoniam mundanorum insania ex.
Commendationẽ vitæ eremiticæ, Libr. j. Extiterunt antiqui & adhuc fortè.
De glorificatione Sanctorum, Librum vnum.
Super quarto libro sententiarum, Librum vnum.
Formulam componendi sermonem, Libr. j. M S. in Bibliotheca Lumleiana.
Sermones Quadragesimales, Libr. j. Puluis & in puluerem reuerteris.
De arte moriendi, Libr. j. Quia mortis præsagium ex hac vita.
Totum psalterium ex Latino in Anglicum Sermonem vertisse dicitur. Varia eius opuscula metris Anglicis composita M S. haberi dicuntur in Academiæ Bibliotheca publica. Omnia eius scripta sapiunt pietatem, & spiritus miram spirant dulcedinem. Sanctè mortuus & honorificè sepultus est in Hampolensi cœnobio, ipso die festo S. Michaëlis Archangeli, Angelorum societati adiunctus in cælis, qui Angelicam vitam egit in terris, anno post apparitionem Filij Dei in carne humana 1349, regnante in Anglia fortunatissimo simul & cordatissimo Rege Edvvardo tertio. Porrò Richardus post mortem miraculis coruscans, successu temporis in numerum sanctorum Confessorum relatus est.

De Richardo Aungeruillo.

RICHARDVS Aungeruillus, natione Anglus, patria Suffolcensis, ciuitate S. Edmundi Buriensis, vndè & de Buri cognominari solet, ex Monacho Dunelmensi ordinis S. Benedicti factus est primùm Regis Edvvardi tertij Cancellarius, deindè anno Domini 1333, Episcopus Dunelmensis. Vir qui cum multa pietate coniunctam habuit singularem doctrinam. Videtur fuisse sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Nam ibi, teste Ioanne Rosso Vvarvvicensi annis benè multis studuit, & ad summam tum in sacris, tum in profanis litteris peruenit cognitionem. Inter fautores bonarum artium & literatorum hominum ætate sua primas obtinuit. Plerisque doctis per illa tempora cognitus & dilectus, in quibus etiam non pauci munificentiam eius & magnas largitiones experti sunt. Plures ad Franciscum Petrarcham epistolas scripsit, plures vicissim ab eo recepit, inter quas erat illa super interrogatione de insula Thule. Mira industria & ingentibus expensis in Vniuersitate Oxoniensi, gratus alumnus, insi-

1349.
557.

gnem erexit Bibliothecam, & in publicam studiosorum vtilitatem selectissimis quibúsque libris copiosè instruxit. De cuius Bibliothecæ institutione, & miro, quem habuit librorum amore, scripsit opus egregium, quod in suo secessu Arclaudensi ad finem perduxit die vicesimo quarto Ianuarij, anno salutis humanæ 1344, ætatis suæ quinquagesimo octauo, Præsulatus vndecimo, ex quo tempore Philobiblos cognominari cœpit. Nam opus ipsum inscripsit

Philobiblon seu de amore librorum, *Librum vnum.* Thesaurus desiderabilis sapientia. M S. Oxonij in Coll. Balliol. Lincoln. Magdalenensi, & Omnium animarum. Catabrigiæ in Coll. S. Benedicti. Item in priuata Lumleiana. Extat Parisijs anno 1500. Vidi in Bibliotheca Carthusianorum Cantauiæ iuxta Iuliacum. Spiræ etiam prodijsse dicitur anno 1483.

Epistolarum Familiarium, *Librum vnum.* Richardus miseratione diuina.

Orationum ad principes, *Librum vnum.*

Claruit anno salutis reparatæ 1349, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus tertius. Vide quem de Episcopis Dunelmensibus composuimus catalogum.

De Ægidio de Fœno.

1350.
558.

AEGIDIVS de Fœno natione Anglus. Vir multiplici doctrina, necnon eximia pietate & zelo suo tempore non incelebris. Philosophus non vulgaris, & imprimis rerum naturalium scrutator acutissimus. Tandem denique scientiarū Theologicarum euasit peritissimus. In his enim omnibus studijs partim Oxoniæ, partim Lutetiæ Parisiorum tam strenuè desudauit, vt, si primas non sit consecutus, saltem in secundis tertiísve honestè constiterit. Probabile mihi videtur eum Oxonij vitæ suæ postremos dies exegisse, & ibi matura iam ætate, multa scripsisse, quæ in Bibliothecis partim Balliolensi, partim Collegij Reginæ diligenter fuerunt asseruata, & adhuc ex parte seruari dicuntur. Quod Lelandus & alij non obscurè insinuant. Et quamuis in Anglia ruente religione plurima perierint literaria monimenta, tamen adhuc ex operibus huius auctoris reperimus & aliquos titulos, & nonnullos libros

Contra flagellatores, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Coll. Balliolensi.

De vegetabilibus & plantis, *Librum vnum.*

Claruit anno gratiæ 1350, regnante in Anglia Edvvardo tertio.

De Gualtero Hestono.

1350.
559.

GVALTERVS Hestonus natione Anglus, patria Lincolniensis, oppido Stanfordio, & in eodem suo loco natali Monachus ordinis Carmelitani, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Vir integritate morum omnibus amabilis, & tum in sacris, tum in profanis disciplinis ità insigniter eruditus, vt inter suos in varijs cœnobijs pro-

pter solidam doctrinam Magister ac Professor aliquando Philosophiam, aliquandò etiam Theologiam docuerit; denique propter prudentiam & alias virtutes aliquando Prior rexerit. Hęc pleraque ex Lelando, ex quo etiam colligo quòd scripserit

Quæstiones de anima, *Libros tres.* Quæstio est quomodo scientia.
Quarumdam propositionum, *Librum vnum.*

Stanfordiæ tandem spiritum Deo reddidit, & ibidem sepulturæ traditus est circa annum redemptionis humanæ 1350, regnante in Anglia sæpè nominato, nunquàm satis laudato Rege Edvvardo tertio.

De Climitono Langleio.

CLIMITONVS Langleius natione Anglus, Philosophus acutus, Astronomus peritus, Theologus etiam non vulgaris. Testes appello hominis lucubrationes. Nam vt auctor est Gesnerus & eius Abbreuiator, scripsit

1350.
560.

Replicationum scholasticarum, *Librum vnum.*
De Orbibus Astrologicis, *Librum vnum.*
Problematum sophisticorum, *Librum vnum.*

Claruit anno post Christum natum 1350, regnante in Anglia Edvvardo tertio.

De Gualtero Bederichvvortho.

GVALTERVS Bederichvvorthus, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in famoso D. Edmundi apud Suffolcenses cœnobio quod Buriense vocatum fuit, Congregationis Cluniacensis, sacræ Theologiæ Doctor. Vir & pietatis, & omnis melioris literaturæ titulis insignis. Testes abundè locupletes sunt eius eruditæ lucubrationes. Nam ad Ecclesiæ Catholicæ bonum, & ad conciliandam apud posteros nominis immortalitatem, scripsit, vt ex Sixto Senensi, Ioanne Trithemio, Conrado Gesnero, eiusque Abbreuiatore colligo,

1350.
561.

Moralitates super psalterium, *Librum vnum.*
Commentarios super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Lecturas scholasticas, *Librum vnum.*
Collationes Monasteriales, *Librum vnum.*
Conciones vulgares, *Librum vnum.*

In Monasterio suo mortuus & sepultus est circa annum post aduentum Messiæ 1350, sub florentissimo Regis Edvvardi tertij in Anglia regimine.

De Ioanne Repingalo.

IOANNES Repingalus honestis parentibus in Anglia natus, pātria Lincolniensis, ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli, in cœnobio Stanfordiensi, sacræ Theologiæ Doctor Cātabrigiensis. Vir pietatis & eruditionis laudibus florēs, & qui

1350.
562.

non solum virtutis studio suæ saluti consuluit, sed etiam doctissimis ad populum concionibus multorum profectum in via spiritualis perfectionis promouit. Non desunt qui asserant eum tanquam publicum Professorem, Magistrum Sententiarum ad aliquot annos auditorio frequenti plausibiliter explicasse, & in omnibus scholasticis concertationibus ob ingenij subtilitatem, doctrinæ soliditatem, & iudicij maturitatem plurimùm valuisse. Hunc Ioannes per id tempus Episcopus Lincolniensis in magno precio habuit, & sibi à conscientiæ secretis in ijs quæ ad Deum sunt, assumpsit. Cuius etiam Præsulis rogatu sua scripta publica fecit, videlicet

Sermones de Dominicis octoginta tres, *Librum vnum.* Domino suo fidelissimo Ioanni.

Sermones de Sanctis quadraginta duos, Libr. j. Miserere populi tui.

Sermones Synodales, *Librum vnum.*

De Visitationibus Episcopi, *Librum vnum.*

Stanfordiæ diem suum obijsse dicitur, & ibidem in suo Monasterio sepulturam accepisse anno partus Virginei 1350, dum in Anglicani regni solio sederet Edvvardus tertius.

De Thoma Bradvvardino. Siue de Bredevvardina.

1350.
563.

THOMAS Bradvvardinus, natione Anglus, patra Southsaxia, ex ciuitate Cicestria oriundus, ab eo tempore quo prima litterarum elementa proferre, & aliquo modo percipere poterat, semper studijs consecratus, in ijs iugiter versabatur disciplinis, quarum ætas & ingenium erat capax. Adolescens Oxoniam missus statim indolis optimæ specimen, & eruditionis futuræ spem ostendit euidentem. Cùm iam humaniorem literaturam iuuenis accuratè perdidicisset; ad Mathematicas & Philosophicas scientias se contulit, quibus tam strenuam dedit operam, vt animum & oculos ab ijs non auerteret, donec in vtrisque planè excelleret. Deindè pari feruore ad Theologiæ studium se totum accinxit, noctes diésque omnes intendens ingenij neruos, vt etiam in prima scientia primus euaderet, qui iam in secundis vix cuiquam secundus habebatur. Tandem labor, industria, iudicium, ingenium eò perduxerunt hominem, vt absolutis Oxoniæ studijs supremum in sacra Theologia gradum suo iure consequeretur, & ibidem tandem in eadem facultate publicitùs fierit Professor, atque Doctoris profundi cognomine omnibus innotesceret. Cùm doctrina etiam semper pietatem coniunxit, mansuetudinem & modestiam, temperantiam & castitatem vsque ad supremum spiritum perpetuò coluit. Raphaël Volateranus & Ioannes Picus à Theologica scientia mirificè hominem laudant. Quo tempore Ioannes Bacondorpius Parisijs Oxonium reuersus est, celeberrimam habuit cum eo de præscientia & prædestinatione disputationem, sed ob reuerentiam antiqui Theologi, & in eo studiorum genere iam multis annis versatissimi,

cessit, & in eius sententiam descendit. Neutra enim doctrina fuit fidei contraria, vtraque ab Ecclesia liberè permissa. Hunc Thomam Thomas Vvaldensis in suo doctrinali fidei nonnunquam cum honore citat. Erat intuitu virtutum & litterarum adeò bonis omnibus charus, vt illi etiam vel inuito & reluctanti necessarium fuerit ad magnos honores ascendere. Qua in re variant auctores. Nam alij scribunt eum fuisse Cancellarium Oxonij, alij Londini, alij vtrobique, posteà Lincolniensem Canonicum, tandem Archiepiscopum Cantuariensem. Sed quicquid de istis sit, illud saltem constat, eum Londini ad Diuum Paulum fuisse Cancellarium, indè ad Aulam vocatum, & Regis Edvvardi tertij factum Confessarium, ab eo demùm ad Archiepiscopatum Cantuariensem euectum fuisse. Omnes hæreses, & maximè Pelagianam, exosas habuit. Nam contra Pelagianos scripsit ad suos Mertonenses (vndè eum è societate Collegij Mertonensis fuisse conijcio) scripsit inquam
De causa Dei, vel

De virtute Dei, causa causarum, *Libros octo.* Magnorum & multorum petitionibus. Ex quibus libris tres haberi dicuntur MS. Oxonij in Coll. Merton. Nouo, & Orial. Cantabrigiæ in Coll. S. Benedicti, & S. Petri. Item in Bibliotheca Baronis Lumleiani. Idem denique opus haberi dicitur Romæ in Bibliotheca Vaticana MS. anno Domini 1411, sub hoc titulo *Summa Doctoris profundi Thomæ Brauardini.* Quem librum in lucem nuperrimè edidit D. Henricus Sauilius Anglus, Eques auratus, Collegij Mertonensis in Academia Oxoniensi, Custos Magnificus, vir Græcè ac Latinè perinde doctus, venerandæ antiquitatis (vt videtur) tam exquisitus indagator, quàm ingenuus & liberalis editor

De sancta Trinitate, *Librum vnum.*
De præscientia & prædestinatione, *Librum vnum.*
De præmio saluandorum, *Librum vnum.*
Sermones per annum, *Librum vnum.*
Commentarios in Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Placita Theologica, *Librum vnum.*
Summam scientiarum, *Librum vnum.*
Geometrica principia, *Librum vnum.* Geometria assecutiua est Arith.
Geometricam speculatiuā, *Librum vnum.* Extat Parisijs 1495. Venetijs 1530.
De quadratura circuli, *Librum vnum.* Parisijs anno 1495.
Tractatum breuem de proportionibus, *Librum vnum.* Omnis proportio vel est communiter. Extat ibidem eodem anno, & Venetijs 1503.
De velocitate motuum, *Librum vnum.* Omnem motū alteri in velocitate.
Arithmeticam speculatiuam, *Librum vnum.* Quantitatum alia continua, quæ extat Parisijs 1502.

Obijt circa annum Verbi incarnati 1350, regnante in Anglia Edvvardo tertio. Vide quem scripsimus de Archiepiscopis Cantuariensibus Catalogum.

De Laurentio Cundæo.

1350.
564.

LAVRENTIVS Cundæus illustri prosapia in Anglia natus, & aliquando totius regni Admiralius. Adolescens humanioribus litteris tam strenuam nauauit operam, vt Latini sermonis elegantiam exactè didicerit. Deinde iuuenis Philosophiæ naturalis plus quàm vulgarem cognitionem acquisiuit. Denique præter naturalem ad bonas artes propensionem, tantum ex longa consuetudine contraxit habitum, vt matura iam ætate, nec domestica cura rei familiaris, nec forinseca reipublicæ quæ obiuit munia, nec Aulæ strepitus, nec bellorum tumultus eum à Musis abstraxerit, aut etiam effecerit, vt aliquid de pristino studendi feruore remiserit. Humanorum actuum rectitudinem & defectum, virtutum etiam & vitiorum omnium naturas, effectus, operationes ità curiosè scrutatus est, adeóque moralem Philosophiam animo comprehendit, vt cum antiquis sapientiæ cultoribus non immeritò conferri potuerit. Vnde multa scripsit de sublimitate regalis maiestatis, multa etiam de humili statu hominum inferioris conditionis, multa de comparatione vtriusque inter sese. Item cùm iustitiæ sit vitia punire, & misericordiæ ijsdem ignoscere, disputat vtrum magis expediat Principem esse misericordem sine iustitia, aut iustum sine misericordia? Super qua materia scripsit Anglicè ad Regem Edvvardum tertium

De comparatione inter se iustitiæ & misericordiæ, Librum vnum.

An præstet Cæsarem esse, an agricolam, Librum vnum.

Claruit vir iste clarissimus anno post partum Virginis 1350, sub florentissimo Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Richardo Vvetherseto.

1350.
565.

RICHARDVS Vvethersetus natione Anglus, vir pietate & doctrina clarus. Cuius tamen memoria, laus, opera etiam cum auctoris nomine forsan penitus intercidissent, nisi Bostonus Buriensis, & post eum Ioannes Lelandus, laudatissimi Anglicarum antiquitatum conse[illegible]tores, dum Bibliothecas diligentissimè scrutabantur, nom[illegible] & scripta eius tanquam à dentibus tinearum & blattarum extorsissent, & quodammodò mortua & semicorrosa vitæ & integritati restituissent. Controuersias aliquando cum Monachis habuisse dicitur. Nam Adamus de Vvodehamo Minorita contra eum scripsit. Cancellarius aliquando fuit Cantabrigiensis Academiæ, vbi etiam ad promouendas bonas artes multum sumptus impendit & laboris, tam benè de Academia meritus, vt per quandam excellentiam à quibusdam posteà Cantabrigiensis cognominaretur. Ex eruditis eius operibus hæc sequentia nobis saltem titulo tenus tradiderunt præfati auctores

Summam sacerdotalem seu speculum Ecclesiasticorum, Librum vnum. Qui benè præsunt, &c. Nouit Apost. M S. Cantabrigiæ in Coll. S. Bened.

De sacramentis Ecclesiæ, Librum vnum.

Opus

Opus insigne Homiliarum, *Librum vnum.*
De vitijs & virtutibus, *Librum vnum.*
De computo Mathematico, *Librum vnum.*

Claruit anno post aduentum Messiæ 1350, dum sceptrum Anglici regni teneret Edvvardus tertius.

De Christophoro Molhusensi.

CHRISTOPHORVS Molhusensis ordinis S. Dominici Monachus Anglus. Philosophus & Theologus non vulgaris. Nec ingenium otio torpere, nec animum à cælestium rerum contemplatione cessare vnquam passus est. Nec sibi tantum, sed alijs etiam doctus, frequentes apud populum habuit conciones. Præ cæteris autem strenuam nauauit operam legendis, meditandis, & explicandis sacris scripturis, adeo vt, teste Bostono Buriensi, totum nouum testamentum commentarijs illustrauerit, quod idem catalogus operum eius locupletiore testimonio confirmat. Nam edidit elucidationes eruditas

1350.
566.

In quatuor Euangelia, *Libros quatuor.*
In omnes epistolas D. Pauli, *Libros quatuordecim.*
In epistolas Canonicas, *Libros septem.*
In Apocalypsim S. Ioannis, *Librum vnum.*
Sermonum de Sanctis, *Librum vnum.*
Sermonum de tempore, *Librum vnum.*
In elenchos Aristotelis, *Libros duos.*

Claruisse putatur circa annum Christi 1350, dum in Anglicani regni solio sederet Edvvardus tertius.

De Adamo Saxlinghamo.

ADAMVS Saxlinghamus, ordinis Carmelitani in conuentu Norvvicensi Monachus Anglus. Vir in scholasticis concertationibus tum sacris, tum profanis acutus, & in concionibus ad populum non inelegans, quas conciones, vt ex Lelando colligere est, posteà Latinas edidit. Porrò scripsisse dicitur Saxlinghamus

1350.
567.

Disputationum suarum, *Librum vnum.*
Sermonum per annum, Librum vnum. Amice accōmoda mihi tres panes.

Claruit anno redemptionis humanæ 1350, sub Edvvardo tertio Anglorum florentissimo Rege.

De Galfredo Vvatertono.

GALFREDVS Vvatertonus, alijs Bedericius, vel Buriensis dictus, erat enim ad institutum S. Benedicti in cœnobio Buriensi, id est, ad S. Edmundum in Suffolcia Monachus Anglus. Vir in omni tum sacra, tum profana Philosophia versatissimus, assiduæ lectionis, nisi cum eum auocaret regularis obedientia, vel psalmodia in choro, vel contemplatio & meditatio. Tam fructuosè collocauit horas in studijs, ma-

1350.
568.

ximè politioris litteraturæ, & sacræ Theologiæ, vt suscepto doctorali gradu, confestim ad scribendum animum adiecerit, in quo negotio fælices habuit progressus, tum propter styli puritatem & facilitatem, tum etiam propter continuam, quam à longo iam tempore exercuerat, in sacris litteris meditationem. Scripsit

Moralitates in Psalterium, *Librum vnum.*
In Salutationem Angelicam, *Librum vnum.* In mense autem sexto missus.
Mariale, *Librum vnum.*
Homilias Dominicales, *Libros duos.* Hora est iam nos de somno surgere.
Collationes Monasteriales, *Librum vnum.*

Claruit anno post Christum natum 1350, circa quod tempus in suo cœnobio mortuus & sepultus dicitur, regnante fœliciter apud Anglos Edvvardo tertio.

De Ioanne Olueio.

1350. 569.

IOANNES Olueius, id est, de Olueia insula natus, non longè à Claudiocestria, in Diœcesi Vvigorniensi, sacri Carthusiensis ordinis Monachus Anglus. Sub hac enim regula, ab ipso iuuenilis ætatis flore, disciplinam Monasticam toto cordis affectu amplexus est. Nihil enim charius, nihil antiquius habuit, quàm mundi delicias fugere, carnis illecebras deuitare, omnemque sæcularem pompam cælestium rerum contemplationi postponere. Vnde in hunc ordinem, tanquam in securissimum salutis suæ portum se recepit, vitamque deinceps reliquam solitudini, precibus, & diuinarum rerum meditationi penitùs consecrauit. Vt autem consolationum suarum spiritualium participem faceret posteritatem, & intelligerent homines in sæculo agentes, solitarijs & contemplatiuis esse conuersationem in cælo, commercium cum Angelis, & quoddam cum Deo colloquium, aliquid eorum quæ mente contemplatus est, scriptis commisit, & posteris reliquit, vt habet Theodorus Petreius in sua Carthusianorum Bibliotheca

Meditationum solitariarum, *Librum vnum.*
De miraculis beatæ Mariæ Virginis, *Libros quinque.* Ad honorem Diuæ Virginis Mariæ. Claruit anno Domini 1350, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Ioanne de S. Edmundo.

1350. 570.

IOANNES de S. Edmundo, ordinis beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli, in cœnobio Gippesvvicensi Monachus Anglus. Vir in lectione & meditatione sacrarum scripturarum exercitatissimus. Vt labores suos facere posset posterorum fructus, multa scriptis mandasse dicitur. Sed operum eius vel ipsi tituli perijsse videntur. Nihil enim eorum iam inuenimus hactenùs, præter

Commentariorum in Euangelium S. Lucæ, *Librum vnum.* Quia omni legitimè certâti. Claruit anno postquam Verbum caro factum est, & ha-

bitauit in nobis 1350, dum in Anglia simul & Gallia rerum potiretur Edvvardus tertius.

De Guilhelmo Grisaunto.

GVILHELMVS Grisauntus Medicinæ Doctor Anglus. Iuuenis Oxonij Philosophiam didicit, eratque ibi de Societate Collegij Mertonensis. Vir subtilis & perspicacis ingenij, sed nimis curiosi. Mathematicis studijs ita se immersit, & in ijs tales exercuit praxes, & adeò temerarias curiositates, vt se de Magicis artibus vehementer suspectum fecerit. Matura tandem ætate Anglia relicta, Galliam petijt, & medicinæ studijs se totum dedidit, primùm in monte Pessulano, deinde apud Massiliam Galliæ Narbonensis præclaram ciuitatem pedem & sedem fixit, familiam aluit, rem medicam exercuit, & ibi reliquum vitæ in Medicinæ lectione, speculatione, & frequenti etiam praxi transegit. Scrutatúsque est ex Galeno, Hippocrate, alijsque antiquis & præstantissimis artis Medicæ Doctoribus rationem sanitatis tuendæ & conseruandæ, &, vbi læsa fuerit, restituendæ. Inuestigauit morborum signa, causas, effectus, diuersas corporum constitutiones, complexiones, naturas; herbarum, florum, radicum, qualitates, virtutes, operationes. Fuitque in omni medendi cognitione expertissimus. Filium etiam habuit, quem & suo nomine Guilhelmum vocauit. Hunc in studijs ita aluit, vt artis simul & patrimonij relinquere posset hæredem. Sed is animarum potius quàm corporum medicus fieri desiderans, studijs Theologicis se dedidit. Nam ingressus ordinem S. Augustini factus est Massiliæ Canonicus regularis, deinde ibidem Abbas, & tandem summus Pontifex dictus Vrbanus quintus. Porrò Guilhelmus noster hic senior, teste Bostono Buriensi, has sequentes lucubrationes posteris reliquit

1350.
571.

Speculum Astrologiæ, *Librum vnum*. Quoniam Astrologiæ speculo.
De qualitatibus Astrorũ, *Librum vnum*. Cũ humana corpora sint omnia.
De significationibus eorundem, *Librum vnum*.
De magnitudine solis, *Librum vnum*. Dico quòd sol apparet mag.
De quadratura circuli, *Librum vnum*. Aristoteles in eo qui de categor.
De motu capitis, *Librum vnum*. Motum accessionis & recessionis.
De causa ignorantiæ, *Librum vnum*.
De vrina non visa, *Librum vnum*. De corpore quidem humano Satur.
De iudicio patientis, *Librum vnum*.

Claruit senex anno post natum Seruatorem 1350, dum in Anglia regnaret, in Gallia triumpharet Edvvardus tertius.

De Ioanne Auonio.

IOANNES Auonius in ipso ferè Angliæ meditullio, in Comitatu & ciuitate Northamptonia natus, & ibidem ordinis fratrum de monte Carmeli Monachus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor. Vir multi-

1350.
572.

plici rerum scientia valdè instructus, & in concionandi munere satis expertus & multum disertus, eloquens, gratiosus. In Mathematicis autem scientijs planè omnes sui temporis superauit, & ex continua harum artium contemplatione, non solum omnia Mathematicis antiquis cognita cognouit, verum etiam noua quædam & nulli priùs inuenta adinuenit, & forsan nunquam anteà cogitata primus excogitauit. Scripsit quoddam opus, non malè Calendariũ Ecclesiasticum voces, in quo deinceps in perpetuum facilè videri poterant & intelligi quotannis omnia festa mobilia, immobilia, signa cœlestia, lunæ varietates, & quælibet mutationes, denique omnia quæ ad ordinandum Ecclesiasticum officium secundùm diuersas totius anni solemnitates spectant. Eratque opus quod Almanaci perpetui vices supplere potuit. Librum illum posteà commentarijs illustrauit Richardus Maidstonus eiusdem ordinis non contemnendus Theologus. Auctor porrò librum hoc titulo prænotauit

Annulum Philosophicum, *Librum vnum.*
De rebus Mathematicis, *Librum vnum.*
Concionum variarum, *Librum vnum.*

In suo Monasterio diem clausit extremum, & honestam habuit sepulturam circa annum post Verbum incarnatum 1350, regnante apud Anglos Edvvardo tertio.

De Guilhelmo de Pagula.

1350.
573.

GVILHELMVS de Pagula natione Anglus. Vir propter pietatem & eruditionem magni suo tempore nominis. Nam post acquisitam insignem vtriusque iuris & Theologiæ scientiam in Academijs Angliæ, factus est Vicarius in Ecclesia Vvinfeldēsi prope Forestam Vvindeshoriensem. Vbi nonnihil remotior à sæcularium negotiorum turba se totum lectioni dedit & scriptioni. Scribit Bostonus in suo maiori Catalogo virum fuisse grauem, modestum, auctoritate plenum, sed in reprehendendis & castigandis vitijs maximè clericorum, adhibuit cum modestia seueritatem, & cum innata mansuetudine temperatum rigorem. Scripsit ex iure Canonico

Summam summarum, *Libros quinque.* Ad honorē Trinitatis omnipotentis.
Oculum Sacerdotis dextrum, *Librum j.* Cùm Ecclesiæ quibus præficiuntur.
Oculum Sacerdotis sinistrum, *Librum j.* Ignorantia scientem non excusat.
Speculum religiosorum, *Librum vnum.* Accipe disciplinam meam, & non.
Speculum Prælatorum, *Librum vnum.*
Ad Regem Edvvardum tertium, *Librum vnum.*

Tandem apud Ecclesiam suam mortuus, & in eadem sepultus dicitur circa annum gratiæ 1350, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Guilhelmo Miluerleio.

GVILHELMVS dictus Magister, Guilhelmus Miluerleius, natione Anglus, Philosophus Oxoniensis, & qui per illa tempora, testes appello Thomam VValdensem & Ioannem Lelandum, summo in precio habebatur. Ingenij namque acumine ad argutè disputandum, subtilitate ad distinguendum, perspicuitate ad explicandum, maturitate denique ad iudicandum plurimùm valuit. Tantam autem etiam inter doctos acquisiuit famam, conciliauit auctoritatem, vt in rebus dubijs omnes ad eum recurrerent, ab eo consilium, in re maximè litteraria, peterent, eius sententijs acquiescerent, eius iudicium, tanquam oraculum quoddam sequerentur. Cùm itaque suam doctrinam præsentibus tum vtilem, tum charam esse prospiceret, committendum non putauit, vt eius fructu posteri fraudarentur. Vndè calamum arripuit, ad scribendum se accinxit, & hæc eruditionis sequentia monimenta luce donauit

1350.
574.

In Vniuersalia Porphyrij, Librum vnum. Pro superficiali notitia quinque. M S. Oxonij in Collegio Orialensi.

De propositione, Librum vnum. In materia de propositione.
De sex principijs, Librum vnum. Intentio auctoris in hoc libello.
Sophismatum, Librum vnum. De incipere, differre, & scire.

Claruit anno post aduentum Messiæ 1350, sub florentissimo in Anglia regimine Regis Edvvardi tertij.

De Rogero Suiseto.

ROGERVS Suisetus, rectiùs Suinsetus, vel potius Svvinshed, id est, porcinum caput, vulgò cognominatus Calculator, natione Anglus, Mathematicus Oxoniensis, & ibidem è societate Collegij Mertonensis, posteà Monachus Cisterciensis in quodam sui cognominis cœnobio, in agro Lincolniensi. Vir tam acuti & subtilis ingenij, vt in ijs scientijs quas professus est, suo sæculo vix parem habuerit. Tam acer rerum naturalium scrutator, vt hominibus ingenij tenuioris hoc nomine fuerit inuisus. Ille enim res ipsas quasi linceis oculis penetrauit, ad quarum superficies isti suis lippis vix pertingunt. Ille sua strenua industria multa excogitauit, quæ isti iam excogitata nequaquàm percipiunt, & eorum ferè nihil intelligunt. Multa in Mathematicis de nouo inuenit, quæ ante eum nemo inuenerat, & post eum perpauci iam inuenta comprehendere valuerunt. Hinc nonnulli, vt fieri assolet, quæ intelligere non possunt, ferre nolunt, & conuicijs proscindunt: mentisque acumen & arguta inuenta quæ non consequuntur labore, prosequuntur odio. Scripsit autem, vt Ioannis Maioris libro primo de gestis Scotorum capite quinto, verbis vtar, Calculator iste acutissimus

1350.
575.

Commentarios in Magistrum Sententiarum, Libros quatuor. Vtrum aliquis in casu ex præcepto.
In Ethica Aristotelis, Libros decem. In primo capitulo libri primi.

De cœlo & mundo, *Libros duos.* In primo de cœlo Philosophus con.
Descriptiones motuum, *Librum vnum.* Motore primo primitùs inuocato.
De motu cœli & similibus, *Librum j.* MS. Cantabr. in archiuis Coll. Caij.
Super arte cabalistica, *Librum vnum.*
De intentione & remissione, *Libros duos.* Penes quid habet intentio & re.
De diuisionibus, *Librum vnum.* Quatuor sunt diuisiones proposit.
De insolubilibus, *Librum vnum.* Circa finem seu terminum vltimum.
Sophismata logicalia, *Librum vnum.*
Ephimerides, *Librum vnum.*
Mathematicas commentationes, *Librum vnum.*
Calculationes Astronomicas, *Librum vnum.* Qui per Ioannem de Cypro emendatus & impressus dicitur Paduæ.
Introductorium ad calculationem, *Librum vnum.* Extat Venetijs anno 1505.
Calculationes cum quæst. de reactione, *Librum vnum.* Venetijs anno 1520.

Claruit anno ab exordio salutis 1350, dum in Anglicani regni solio sederet Rex Edvvardus tertius.

De Roberto Vvorsopo.

1350. 576. ROBERTVS Vvorsopus natione Anglus patria Eboracensis, & in eadẽ Prouincia ordinis S. Augustini eremita in cœnobio Ticulliensis pagi non longè ab oppido Doncastrio. Vir tum in sacris tum in profanis litteris apprimè doctus, & post absolutum studiorum suorum curriculum ad Theologici Doctoratus dignitatem euectus. Qui quoniam cum eruditione vitæ sanctimoniam semper coniunxit, tandem in Episcopum electus est. Quo in munere verbum Dei suis subditis prædicando, populum docendo, clerum reformando, magna cum laude versatus est. Scripsit testibus Ioanne Lelando & Iosepho Pamphilo

Introitum in Magistrum sententiarum, *Librum vnum.*
Scholasticas quæstiones, *Librum vnum.*
Sermonum vulgarium ad populum, *Librum vnum.*

Ticulliæ tandem in suo cœnobio mortuus & sepultus est circa annum Domini 1350, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Ioanne Teuxburiensi.

1350. 577. IOANNES Teuxburiensis, sic cognominatus à Teuxberye pago, ad Sabrinum flumen in diœcesi Vvigorniensi sito, in quo natus & vsque ad adolescentiam educatus videtur. Oxonium demùm ad studia missus humaniores litteras & Philosophicas scientias accuratè didicit. In alijs quid præstiterit non inuenio. Saltem in hoc genere scripsit

De alterationibus, *Librum vnum.* Vniformiter continuè variari.
De raritate & densitate, *Librum vnum.*
Suppositionum, *Librum vnum.*
De chiromantia, *Librum vnum.*

De elenchis sophismatum, *Librum vnum.*

Claruit anno postquam Verbum caro factum est 1350, dum Edvvardus tertius regali potestate Anglis, imò & Gallis præsideret.

De Guilhelmo Brunyardo.

GVILHELMVS Brunyardus ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus. A teneris annis liberaliter educatus, & à parentibus bonarum artium studijs quodammodò consecratus fuit, in quibus vsque ad vitæ finem, non neglecta interim pietate, constans perseuerauit. Raram & parcam admodum de hoc auctore mentionem factam inuenio, nisi quòd Bostonus Buriensis in suo scriptorum Catalogo doctrinam hominis commendet, & eruditionis eius testes producat sequentes lucubrationes

1350. 578.

Summam Theologiæ,	*Librum vnum.*
Determinationum,	*Librum vnum.*
Distinctionum,	*Librum vnum.*

Claruit anno gratiæ 1350, dum in Anglia simul & Gallia rerum potiretur Edvvardus tertius.

De Radulpho Rediptorio.

RADVLPHVS Radiptorius, ordinis S. Francisci Monachus Anglus & in Academia Oxoniensi Doctor Theologus. Ab acumine ingenij, sermonis elegantia, linguæ promptitudine, dicendi & quiduis eloquendi mira tum facilitate tum fœlicitate, cum singulari quadam gratia *dictus ab historicis vulgò facundus Apollo*. Sacrarum scripturarum lectione quotidiana, meditatione perpetua mirificè delectatus, scripsit in varios tum veteris tum noui Testamenti textus, vt inter alios Bartholomæus Pisanus testatur,

1350. 579.

Commentariorum,	*Libros plures.*
Super Magistrum Sententiarum,	*Libros quatuor.*
Lecturas scholasticas,	*Librum vnum.*
Quæstiones ordinarias,	*Librum vnum.*

Claruit anno post misericordiam humano generi factam 1350, dum ad Anglicani regni gubernaculum potenter sederet Edvvardus tertius cognomento fortunatus.

De Richardo Cheffero.

RICHARDVS Chefferus, natione Anglus, patria Norfolcensis, adolescens Monasticam vitam sub regula S. Augustini amplexus est in cœnobio Norvvicensi. Vbi omne tempus quod ab obseruantia regulari, & à pietatis exercitijs vacuum habuit, bonarum litterarum studijs strenuè neruoséque impendit. Nec sua spes eum fefellit, sed fœlicis ingenij cultura vberem ei doctrinæ messem suo tempore reddidit. Cantabrigiam enim ad maiora studia missus, in omni tum humana, tum

1354. 580.

etiam diuina Philosophia mirè profecit. Et cùm iam ad maturitatem illam iudicij peruenisset, quæ in benè formatis ingenijs, cum virili ætate florere consueuit; in concionandi munere celebris apud omnes esse cœpit. Quæ fama non solum eo viuente vixit, sed etiam illo in viuis esse desinente, posteris relicta adhuc viget, vigebitque semper in eruditis, quos scripsit, Sermonum libris. Nam ad sui nominis memoriam, & posterorum vtilitatem, vt habeo ex Ioanne Lelando & Iosepho Pamphilo, in lucem emisit.

De Natiuitate Christi, *Librum vnum*. Paruulus natus est nobis.
Sermones elegantes, *Librum vnum*. Buccinate in Neomenia tuba.
Collationum variarum, *Librum vnum*.
De quatuor nouißimis, *Librum vnum*. Fili memorare nouissima tua.

Claruisse existimatur circa annum reparationis humanæ 1354, & quod excurrit, dum Anglicani regni sceptrum fœliciter, & Gallicani populi frænum strictissimè teneret Edvvardus tertius.

De Ioanne Titlesalo.

1354. 581.

IOANNES Titleshalus à villa natalitia, teste Lelando, sic cognominatus, natione Anglus, patria Norfolcensis, & ordinis Carmelitani Monachus Norvvicensis, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, in vtroque etiam iure, eodem gradu insignitus, denique Concionator, vt testes sunt Bostonus & Trithemius, suo tempore celeberrimus. Vir integræ vitæ, alti ingenij, multæ lectionis, magnæ doctrinæ, nec minoris eloquentiæ, in rebus agendis prudens, in negotijs dirigendis solidi iudicij, in expediendis miræ dexteritatis. Quibus nominibus magnam sibi apud omnes conciliauit auctoritatē. Vndè in grauibus quibusdam causis Romam ab ordine missus, diem ibi clausit extremū. Existimo planè eundem esse qui ab aliquibus Didueshalus vocatur. Quicquid de eo sit, vt inter alios testis est Iacobus de Plebe in indice, scripsit in varios vtriusque Instrumenti textus

Commentariorum, *Libros plures*.
In Apocalypsim S. Ioannis, *Librum j*. Est autē Apocalypsis Græcus sermo.
Prælectiones sacrorum bibliorum, *Librum vnum*.
Sermonum de tempore, *Librum vnum*.
Sermonum de sanctis, *Librum vnum*.
In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*. Vtrum à Verbo incarnato sec.
Determinationes Theologicas, *Librum vnum*. Vtrū quælibet notitia creata.
Quæstiones de anima Ioannis Didueshali, *Librum vnum*. MS. Oxonij in Collegio Balliolensi.

Romæ mortuus, & ibidem in Anglorum schola sepultus est circa annum gratiæ 1354, regnante in Anglia Edvvardo tertio.

De

De Guilhelmo Bretono.

GVILHELMVS Bretonus antiquorum Britonum stirpe in Cambria natus, teste Vvillotto, bonus & pius Monachus ordinis Sancti Francisci. Hic à teneris annis in studijs bonarum litterarum semper educatus, & solicitè instructus, in omni eruditionis genere peritus euasit, Poëta, Rhetor, Philosophus, denique Theologus insignis. Nam in his scientijs ita floruit, vt suo tempore paucos sibi pares habuerit, & vix quemquam superiorem. Doctissimis sui sæculi viris doctrinæ intuitu charus erat, eiúsque scripta auctore adhuc viuente, non solum in Anglia, sed etiam in Gallia & Italia, multis magno erant in precio. Quædam eius opera tum Oxonij in Bibliotheca publica, tũ in alijs priuatis Angliæ, Gallię, Italiæ reperiri adhuc dicũtur. Erat autẽ & in rebus sacris & in profanis explicandis solicitus vocabulorum interpres, multum interesse dictitans, vt quis cuiusque verbi propriam & natiuam significandi vim intelligat. Nam licet metaphoris & alijs figuratis locutionibus vti possimus, tamen proprietatem sermonis ignorare nequaquàm debemus. Multa igitur obscura vocabula, in sacris maximè Biblijs dilucida interpretatione clariora reddidit. Quo in genere vidi quoddam opus eius M S. in Pergameno in Bibliotheca Augustinianorum Prioratus Montis Sancti in Lotharingia, quod opus agit quasi de etymologijs vocabulorum sacræ scripturæ, & licet prosa scriptum sit, tamen initium seu proœmium habet versu rithmico hexametro

1356.
582.

Summam vel expositiones vocabulorum Bibliæ, Librum vnum. *Difficiles studeo.*

Difficiles studeo partes quas Biblia gestat
Pandere; sed nequeo, latebras nisi qui manifestat
Auxiliante Deo, qui cui vult singula præstat,
Dante iuuamen eo, nihil insuperabile restat, &c.

In Prologum Bibliorum, Librum vnum. Ad euidentiam huius epistolę.
Bibliothecam sanctorum Patrum, *Libr*. j. M S. Oxonij in Coll. Balliolensi.
Idem opus abbreuiatum. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
In diuisiones Boëtij, Librum vnum.
In dicta quædam & alia opera Alexandri Neccam, Librum vnum.
Grammaticalia quædam, Librum vnum.
In Isagogen Porphyrij, Librum vnum.
In Prædicamenta Aristotelis, Libros tres.
In Perihermenias, Libros duos.
In Elenchos Aristotelis, Libros duos. De sophisticis autem Elenchis.
Quæstiones Elenchorum, Libros duos.
In sex principia, Librum vnum.

Obijt apud Grimmesby anno Incarnationis Dominicæ 1356, sedente in Anglicani regni solio Edvvardo tertio.

De Adamo Vvodehamensi.

1358.
583.

ADAMVS Vvodehamensis, id est, ex oppido Vvodehamo, Diœcesis Vvintoniensis, Comitatus Southamptoniensis, ordinis S. Francisci Monachus Anglus, Guilhelmi Occami aliquando discipulus, vt scribit Vvillottus ex Sixto Senensi, & tandem sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir ijs temporibus ingenio, pietate, & doctrina percelebris. Ioannes Major libro quarto de gestis Scotorum capite vicesimo primo eum Occamo æqualem prædicat eruditione. In multis ordinis sui cœnobijs Theologiam docuit, ad quem audiendum concurrebant etiam frequentes externi homines & sæculares. Adeoque percrebuit eius fama, vt inter doctissimos sui temporis viros non iniuria reputaretur. Quam etiam existimationem posteritati propter eruditas suas lucubrationes, reliquit. Scripsit enim

Commentarios in Cantica Canticorum, *Librum vnum.*
Postillam in Ecclesiasticum, *Librum vnum.*
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Determinationes vndecim, *Lib.j.* Vtrum officium Propheticum sit sal.
Sententias Oxoniensis Concilij, *Libr.j.* Sententiæ septem ponuntur quæst.
De foro pœnitentiario fratrum, *Libr.j.* Absolutio criminis, siuè peccati.
Contra Richardum Vvethersetum, *Librum vnum.*

Obijt & sepulturam accepit Babvvellæ prope Buriam anno post aduentum Seruatoris 1358, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Thoma de Hanneia.

1359.
584.

THOMAS de Hanneia Grammaticus Anglus, & quidem suo sæculo valdè celebris. Litteras humaniores, omnémq; artem Poëticam & oratoriam non solum apud suos in Anglia, sed etiam apud Gallos Tolosæ in prouincia Narbonensi, magna cum laude & pari fructu docuit. Multa hoc in genere scripsit & in publicum emisit opuscula, quæ hominum incuriâ pleraque perierunt. Londini tamen aliquando ferunt extitisse scriptum eius eruditum omnem artem Grammaticalem compendio breui complectens, cui titulũ præfixit.

De quatuor Grammaticæ partibus, *Librum vnum.* In qualibet arte diffusio fasti Claruit anno postquàm Verbum caro factum est 1360, ad Anglici regni clauum sedente Edvvardo tertio.

De Ioanne de Sancta Fide.

1359.
585.

IOANNES de Sancta Fide, natione Anglus, patria Norfolcensis, ordinis Fratrum de Monte Carmeli primùm Monachus; deindè Prior in cœnobio Burnhamiensi. Studuit in Academia Oxoniensi, vt auctor est Lelandus, donec susciperet Theologici Doctoratus insignia, tale est enim honorarium testimonium temporis in studijs benè collocati. Erat autem hic Ioannes vir egregijs sanè tum animi, tum

corporis dotibus præditus, & qui nihil reliquum fecerat ad summam in omni pietate & doctrina perfectionem. In communi conuictu candidus & sincerus, in Philosophia & iurisprudentia optimè versatus, in sacris scripturis explicandis clarus & perspicuus, in concionibus ad populum eloquens, & facundus, in fide Catholica promouenda feruidus & zelosus. Sed eruditionis & ingenij monimenta, quibus nomen suum apud omnem posteritatem reddidit immortale, testimonium omni exceptione maius de ipso perhibeant. Scripsit enim, vt partim Trithemius, partim Sixtus Senensis, & alij testantur,

In Euangelium S. Matthæi, *Libr.* j. Liber generationis. &c. In hoc.
Directorium eiusdem operis, *Libr. vnum.* Adorare Christũ Magi veniẽtes.
Glossemata in Ioannem, *Libr.* j. Cũ iam de prologo mentionem facere.
In Canonicam eiusdem, *Librum vnum.* Sicut dicit Apostolus Paulus.
Annotationes in eandem, *Librum vnum.* Accusare peccatorẽ solet sua.
Encomium S. Ioannis, *Librum vnum.* Charissimi Doctores & sacratum.
Collationes seu collectiones Scripturarum, *Libr.* j.. Sufficit tibi gratia mea.
Lecturas scripturarum, *Librum vnum.*
Quæstiones disputatas, *Librum vnum.*
Sermones de Sanctis, *Librum vnum.*
Sermones sexaginta tres de tempore, *Librum vnum.* Veritas de terra orta est.
Tabulam iuris, *Librum vnum.* Alma mater Ecclesia iure suo.
Loca contrarietatum quæ esse videntur, *Libr.* j. Venerabilis Doctor Beda.
Concordantias D. Thomæ, *Librum* j. Abstinentia in secunda secundæ.
In Aristotelem de cælo & mundo, *Libros duos.* Philosophus in procemio.
Horum omnium elenchos, *Librum vnum.* Abimelech Prælatus malus est.

Burnhamiæ tandem in suo Monasterio mortuus & sepultus est die decimo octauo mensis Septembris anno reparationis humanæ 1359, dum in Anglia regnaret, & in Gallia triumpharet fortunatissimus ille Edvvardus tertius.

De Thoma Lilo.

1360. 586.

THOMAS Lilus, alijs File, ordinis S. Dominici Monachus Anglus. Per omne adolescentiæ suæ tempus in pietate & litteris optimè educatus, in flore posteà iuuentutis angustam virtutis viam, relicto vitæ sæcularis itinere lato, ingressus est. Vbi sub præceptoribus sanctissimis perindè ac doctissimis studia prosecutus, ad eminentem tum in sacris, tum in profanis disciplinis scientiam peruenit. Susceptísque in Academia Gantabrigiensi Magisterij Doctoralis insignibus, in scholis docere, apud populum concionari, aliaque munia suæ professionis, cum eximia virtutis & doctrinæ testificatione exercere cœpit. Vndè crescentibus meritis, & crebrescente fama, beneficio regis ad Eliensem Præsulatum eleuatus est. Qua in functione dum strenuè se gereret, & non solum populi, sed etiam principum, & ipsius tandem regis vitia vel excessus liberè reprehenderet, tantam ex illo zelo sibi

conflauit inuidiam, vt, teste Thoma Vualsinghamo, in exilium eiectus fuerit. Vndè factum existimo, vt, quantumuis doctus extiterit, pauca tamen propter exilij incõmoda scripserit, & ex ijs quæ scripsit, pars bona perierit. Constat nihilominùs eum edidisse

Scholasticas quæstiones, *Librum vnum.*
Concionum per annum, *Librum vnum.*

Romæ diem suum obijsse dicitur anno post Christi natiuitatem 1360, dum Anglicani regni sceptrum teneret Edvvardus tertius. Vide eum quem composuimus de Episcopis Eliensibus catalogum.

De Rogero Convvaio.

1360.
587.

ROGERVS Convvaius, vel Connouius, ex ãntiquissimo oppido Connouio in frigidissimis Cambriæ montibus, non longè à littore maris sito, natus, cùm esset à natura ad litteras & pietatem factus, religiosum statum elegit, & hanc viam adolescens tempestiuè ingressus, sub regula S. Francisci tantum profecit, vt nihil sibi reliquum fecerit ad supremum. Nam Oxonij decurso studiorum stadio, sacræ Theologiæ creatus est Doctor, & inter suos etiam Professor. Virtutis etiam laude tam clarus extitit, vt communi suorum omnium consensu & suffragio dignissimus reputaretur, qui vniuerso ordini suo per Angliam suprema Prouincialis potestate præsideret. Fuit per illa tempora, vti scribit Ioannes Lelandus, quidã vir doctus Richardus Radulphius Hibernus, & in Hibernia Archiepiscopus Armacanus. Hic in omnes fratres mendicantes, & potissimùm in Frãciscanæ professionis Monachos, ita infesto erat animo, vt etiam libris in vulgus emissis eos impeteret, & in quibusdam grauiter taxaret. Ad hunc igitur Rogerum recurrerunt boni fratres, vt is se tanquàm murum opponeret pro domo Dei, totiúsque ordinis sui in hac causa patrocinium susciperet. Suscepit ille, & suos, vti par erat, conuitijs aduersarijs neruosè confutatis, strenuè defendit, scripsitque in ea controuersia de confessionibus audiendis

Contra informationes Armacani, *Librum vnum.* Confessio & pulchritudo in conspectu. M S. Cantabr. in pub. & in Coll. S. Benedicti. Extat Parisijs 1496, 1511.
Sermones, *Librum vnum.*
Lecturas, *Librum vnum.*
Quæstiones Theologiæ, *Librum vnum.*
Determinationes scholasticas, *Librum vnum.*
De extrauagantis intellectione, *Librum vnum.* Veruntamen quia iuste Dominus reueren. Londini in suo cœnobio naturæ debitum soluit, & ibidem sepulturam accepit anno reparatæ salutis 1360, dum in Anglia simul & Gallia rerum potiretur Edvvardus tertius.

De Ioanne Godvvico.

IOANNES Godvvicus ex prouincia Norfolcensi in Anglia oriundus. Ineunte adolescentia se in Linnési cœnobio disciplinæ fratrum ordinis S. Augustini tradidit, inter eos habitum suscepit, suo tempore professionem edidit, & in illo instituto vsque ad vitæ finem sanctè constanterque perseuerauit. Humaniores litteras, imò omnes ingenuas artes diligenter hausit Cantabrigiæ. Deinde missus Oxonium ad maiora studia, tam vtiliter horas suas collocauit, vt post annos non multos ad summum Theologici Magisterij gradum eueheretur, & publicus in Academia Prælector constitueretur. Vir prudens & grauis, eloquens & facundus, & qui suo tempore in concionibus mirè floruit, quas insigni cum applausu coram Rege regnique proceribus habuit frequentes. His nominibus apud suos opinio sanctitatis, apud sæculares eruditionis fama, denique apud omnes incredibilis ei creuit auctoritas. Hinc tandem factum est, vt supremum, quem ei sui deferre poterant, acceperit honorem, & in Prouincialem electus in Anglia, atque etiam in Hibernia toti ordini suo magna cum laude, pari cum fructu præsederit. Sed iam litteraria monimenta quæ posteris ad vtilitatem, sibi reliquit ad gloriam, videamus. Scripsit enim in varios sacræ Scripturæ libros commentarios, quorum tituli plerique cum ipsis operibus non mediocri detrimento perierunt, vt inter alios scribit Radulphus Marhamus eiusdem ordinis Historicus in suo chronicorum manipulo. Hos tamen sequentes titulos potissimùm apud Thomam Colbium, Iosephum Pamphilum, Sixtum Senensem & alios inuenimus

1360. 588.

Lecturas in Genesim,	*Librum vnum.*
Lecturas in Psalmos,	*Librum vnum.*
Commentarios in Danielem,	*Librum vnum.*
De hebdomadibus Danielis,	*Librum vnum.*
In quadam D. Pauli dicta,	*Librum vnum.*
Sermones per annum,	*Librum vnum.*
Conciones solemnes coram Rege regnique proceribus,	*Librum vnum.*
Quæstiones disputatas,	*Librum vnum.*

Tandem in Linnensi suo cœnobio mortuus & sepultus est circa annum redemptionis humanæ 1360, dum summa rerum in Anglia penes Edvvardum tertium resideret.

De Ioanne Deiro.

IOANNES Deirus (eundem planè esse puto, quem Ioannes Frumentarius Deuros, & plerique M S. libri in Anglicanis Bibliothecis Deuerose vocant) in illa Northumbriæ Prouincia, quæ Deira dicitur, natus, vt ex ipsius scriptis colligere est. Oxonij litteris operam dedit primùm prophanis, deinde sacris, cum vtrisque semper pietatis studium coniungens, imò primo loco ponens,

1360. 589.

Imbibit has artes cum relligionis amore.

Postquàm autem humaniores litteras, & Philosophicas scientias didicisset, ijsque relictis ad Theologica studia ascendisset, apponens manum ad hoc diuinum aratrum, nunquàm respexit retrò, sed reliquum vitæ tempus in his lucubrationibus strenuè consumpsit, sacra Biblia indefesso labore, neruosa industria semper solitus *nocturna versare manu, versare diurna.* In ijs etiam quæ ad sacram spectant praxim, cultumque diuinum, assiduus erat, vti ex scriptis manifestum est. Scripsit enim, vt ex Bibliothecis, ex Ioanne Frumentario, & Lelando in Catalogo colligo,

Distinctiones quas vocauit peram spiritualium, *Libros quatuor.*

Cùm in Prouincia Deirorum ad tempus.

Super historijs sacræ Scripturæ, *Librum vnum.*

Determinationes { *De adoratione imaginum.* MS. Oxonij in Col. Merton. *De peregrinatione.* M S. ibidem. *De prædicatione Verbi Dei.* M S. ibidem. *De stipendijs annalium sacerdotum.* M S. ibidem.

Responsiones ad mendacia sibi ab aduersarijs imposita. M S. ibidem.

Claruit circa annum Virginei partus 1360, dum Anglici regni sceptrum teneret Edvvardus tertius.

De Guilhelmo Dorochio.

1360. 590.

GVILHELMVS Dorochius, alij Dorchedam vocant, natione Anglus, &, vt auctor est Lelandus, iuris vtriusque Doctor Oxoniensis. Nam ab ætate tenera in bonis artibus iugiter enutritus, iuuenis sciẽtias Mathematicas, maturior ætate iurisprudentiam impensè coluit, eosque successu temporis fecit progressus, vt supremum, quem dixi, in iure suo consecutus sit honorem. Postquàm autem ad speculationem scholasticam addidisset praxim forensem, ex causis quas egit penè quotidiè, collegit præcipua quædam fundamenta, & in vnum volumen compacta edidit

Summam auream, *Librum vnum.* Cùm omne artificium per suum.

Tractatum de occultis, *Librum vnum.*

Claruisse dicitur circa annum post aduentum Messiæ 1360, dum Anglicani regni diademate redimitus sederet fortunatus ille Edvvardus tertius.

De Simone Hentono.

1360. 591.

SIMON Hentonus, vel de Hentona, nonnullis perperàm de Hareston, eundem planè esse existimo, quem Antonius Senensis in sua fratrum Prædicatorum Bibliotheca Simonem de Vvintonia vocat. Illum forsan fefellit nominum propinquitas, me vt ita credam, inducit locorum vicinitas. Nam Henton pagus est non multum à Vvintonia mea dissitus. Et fortè fuit hic Simon Hentoniæ natus, Vvintoniæ

in ſtudijs educatus, & Monachus factus, vt ab vtroque loco non iniuriâ cognominari poſſit. Erat autem Hentonus ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus. Ab infantilibus, vt ita dicam, annis, conſecratus Muſis, in omni tum ſæculari, tum Chriſtiana Philoſophia nobiliter eruditus, in exercitijs ſcholaſticæ doctrinæ valdè verſatus, in publicis concionibus promptus & expeditus, in exponendis ſacris Scripturis tanto fretus tum iudicio, tum acumine, tum perſpicuitate, vt paucos habuerit in Anglia ſe ſuperiores. Nec minorem ei famam peperit pietas, modeſtia, grauitas, apud ſuos auctoritas, & in rebus gerendis prudentia atque dexteritas; quàm multiplex in litteris ſcientia. Vnde virtutis & eruditionis intuitu, illum vnanimiter in ordinis per Angliam præſidem fratres elegerunt. Quod ad eruditionis & ingenij monimenta attinet, ſcripſit commentarios

In Iob, *Librum vnum.* Vſque ad tempus ſuſtinebit patiens.
In Prouerbia Salomonis, *Librum vnum.*
In Sapientiam, *Librum vnum.*
Jn Cantica Canticorum, *Librum vnum.*
In Eccleſiaſticum, *Librum vnum.*
Jn Iſaiam, *Librum vnum.*
In Hieremiæ Prophetiam, *Librum vnum.*
In eiuſdem Threnos, *Librum vnum.*
In Ezechielem, *Librum vnum.*
In Danielem, *Librum vnum.*
In duodecim Prophetas minores, *Libros duodecim.* MS. Oxonij in Col. Nouo.
De decem præceptis, *Librum vnum.* Non habebis Deos alienos corã me.
De articulis fidei, *Librum vnum.* Primus articulus quantum ad diuina.

Claruit circa annum Incarnationis Dominicæ 1360, dum in Anglicani regni throno ſederet Edvvardus tertius.

De Guilhelmo Rothvvello.

GVILHELMVS Rothvvellus illuſtribus in Anglia parentibus natus, Londini in ſtudijs virtutis & bonarum artium educatus, iuuenis inſtitutum Prædicatorum S. Dominici feruenter amplexus eſt, in quo vſque ad vitæ finem conſtanter perſtitit. Poſt imbibitas liberales artes, & ſcientias Philoſophicas, tam ſtrenuam etiam Theologiæ dedit operam, vt in ea ſummam & laudem & lauream conſecutus fuerit. Ex quo tempore ſacrarum Scripturarum lectioni & meditationi, necnon diuini Verbi prædicationi ſe conſecrauit, vnde in pleroſque ſacrorum Bibliorum libros elucidationes edidiſſe fertur. Hæc igitur opera ſequentia ab eius ingenio & labore profecta, & in Dominicanorum Bibliotheca Londini diù aſſeruata fuiſſe apud auctores probatos inuenio,

1360.
592.

In librum Iudicum, *Librum vnum.*
In libros Regum, *Libros quatuor.*

In Psalmos, *Librum vnum.*
In Ecclesiasticum, *Librum vnum.*
In D. Paulum ad Romanos, Librum vnum. Ad euidentiã doctrinæ Apost.
Ad Corinthios, *Libros duos.* Epistola hæc diuiditur in partes.
Ad Galatas, *Librum vnum.* Incipit argumentum in epistolam.
Ad Ephesios, *Librum vnum.* De ista epistola dicit Haymo.
Ad Philippenses, *Librum vnum.* Philippenses sunt Macedones.
Ad Colossenses, Librum vnum. Hæc ad Colossenses epistola habet.
Ad Thessalonicenses, Libros duos, Argumentum in epistolam ad Thessal.
Sermonum, *Librum vnum.*
In Magistrum Sententiarum, Libros quatuor. Quæritur quid sit sacramẽt.
Quæstiones scholasticas, *Librum vnum.*
De Principijs naturæ, *Librum vnum.*
De potentijs sensitiuis. *Librum vnum.*
De intellectu, *Librum vnum.*

Claruit anno Christi 1360, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Rogero Computista.

1360. 393.

ROGERVS Computista, in magnificentissimo S. Edmundi cœnobio Comitatus Suffolcensis, quod Buriense dicitur, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus. Vir magnæ pietatis, mirabilis humilitatis, incredibilis modestiæ, temperantiæ, castimoniæ, eruditionis etiam non vulgaris. Adolescens factus Monachus, omnem reliquam ætatem in virtutis exercitijs, in bonarum litterarum studijs, & obseruantia disciplinæ regularis exegit. Annis maturioribus, cùm iam ad senium vergere inciperet, propter morum grauitatem, magnamque, quam apud omnes consecutus fuerat, auctoritatem, communibus Monachorum suffragijs Monasterij Prior designatus est. In hac functione præter cœnobij curam, liber planè erat, & sui iuris. Vnde partim naturalem suam propensionem, partim acquisitos virtutum habitus secutus, omne tempus quod à cura Monasterij vacuum inuenire poterat, in sacræ Scripturæ meditatione posuit. Et vt non solum sibi ad vitam, sed etiam post mortem consuleret ad gloriam, & posteris ad vtilitatem, scripsit, & Reginaldo Vvalsinghamo eiusdem cœnobij Monacho consecrauit opus cui nomen indidit

Expositiones vocabulorum totius Bibliæ, Librum vnum. Cùm animaduerterem, Reginalde frater. M.S. Oxonij in pub. & in Coll. Nouo, & Magdal.

Postillas in Euangelia, *Librum vnum.*
De excommunicatione maiore, *Librum vnum.*
Constitutionum Cantuariensium, *Librum vnum.*

Claruit anno post salutem per Dei filium humano generi factam 1360, dum Anglicani regni sceptrum fœliciter potenterque teneret Edvvardus tertius.

De

De Richardo Billinghamo.

RICHARDVS Billinghamus, Gillinghamum aliqui vocant, natione Anglus, alumnus Oxoniensis, & Martonensis Collegij socius. Vir acuti & subtilis ingenij, quique omnem ferè ætatem in Philosophicis, & maximè Logicis argutijs exegit. Sed quid obsecro vtilitatis, quid boni fructus ex solis Logicis spinis exugere potuit? Is tamen nihil aliud, quod sciam, laude dignum aut scripsit aut didicit. Scripsit autem 1360. 594.

Speculum puerile, *Librum vnum.* Terminus est in quem resoluitur.
Consequentiarum, *Librum vnum.* Quia in sophismatibus probando.
Obligationes, *Librum vnum.* Positio est præfatio alicuius.
Abstractiones, *Librum vnum.* Omnis homo est omnis homo.
Conclusiones, *Librum vnum.* Tu credis aliquam propositionem.
Fallacias, *Librum vnum.* De his apparent. simul &.
Tabulam Philosophiæ, *Librum vnum.*
Abbreuiata Guilhelmi Kilmingtoni, *Librũ j.* Sortes est albior quã Plato.
Propositiones vel proportiones, *Librum vnum.* Proportio quædam est communiter dicta.
Terminos naturales, *Librum vnum.* Ignis purus est summè calidus.

Claruit circa annum Incarnationis Dominicæ 1360, dum Anglicani regni diadema gestaret potentissimus ille simul & fortunatissimus Edvvardus tertius.

De Richardo Feribrigo.

RICHARDVS Feribrigus, natione Anglus, Philosophus Oxoniensis, vir scrutandis subtilitatibus mirè delectatus, & in argutijs Logicis versatissimus. Res tam obscuras ac difficiles penetrauit, vt eas satis aptis & appositis verbis vix aut ne vix quidem explicare potuerit. Vnde quidam Itali in hominis acumine sibi complacentes, & versutias eius cum voluptate gustantes, commentarios in quædam eius opera scripserunt, & vnà cum suis annotationibus typis mandari fecerunt cum opusculis Radulphi Strodi. Commentatores autem fuerunt Alexander Sermoneta, Matthæus Campanus, Gaietanus de Tiemis. Nunc autem ex titulis operum eius inuenimus tantummodò, quod sciam, 1360. 595.

Regulas consequentiarum, *Librum vnum.* Consequentiarum quædam est bona. Claruit anno à plenitudine temporis 1360, regnante apud Anglos Edvvardo tertio.

De Ioanne Chillingvvortho.

IOANNES Chillingvvorthus, vel de Killingvvorth, Medicus & Mathematicus Anglus, Oxonij studuit in Collegio Mertonensi, vt testis est Lelandus, præter politiores litteras Philosophiam, Medicinam, & præ cæteris omnibus Mathematicas scientias accuratissimè calluit, in 1360. 596.

quibus sui sæculi palmam adeptus dicitur. Doctissimos de Astrologia libros scripsit, vsumque illius scientiæ non minùs amauit, quàm abusum odio habuit. Reliquit etiam harum scientiarum in illo Collegio Mertonensi hæreditarium quendam amorem, habuitque posteà ex ea societate imitatores non paucos, admiratores multò plures, sed sibi æqualem, vt ferunt, hactenùs planè neminem. Scripsit autem de sublimi hac scientia

De iudicio Astronomiæ, Librum vnum. Primò considerandum est tempus.
Canones & tabulas Astronomicas, Librum vnum. Multum conferre dignoscitur non solum. M S. in priuata bibliotheca Baronis de Lumleio.
De crepusculis, Librum vnum. Radices motuum locumque intro.
De ascensionibus nubium, Librum vnum. Ostendere quid sit crepusculum.
Opus Arithmeticum, Librum vnum. Obliuioni raró traduntur.
Algorismi, Librum vnum.

Vixit circa annum Verbi incarnati 1360, dum in Anglicani regni solio sederet Edvvardus tertius.

De Richardo Chillingtono.

1360. 597.

RICHARDVS Chillingtonus, seu Killington, eruditus in Anglico clero Sacerdos, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & tandem ad D. Paulum Londini Decanus. Iis temporibus periculosas, imò planè pernitiosas habuerunt controuersias fratres ordinum mendicantium in Anglia cum clero sæculari. Vndè Richardus iste cùm esset vir apprimè doctus, & sublimis elatique ingenij, ferre non potuit vt clerus, ex quo ipse erat, à fratribus videretur cõtemni. Quare dum in Academia & in scholis ageret, in publicis disputationibus frequenter, in solemnibus etiam concionibus non raró suas suorumque partes acriter tuebatur, libris etiam scriptis aduersarios grauiter, & aliquandò non sine contumelia insectabatur. Cuius exemplum alij secuti, eiusdem argumenti dicteria, rithmos, & cantiones in vulgus sparserunt, & inter alios Petrus Pateshullus terminos excedens modestiæ, libellum multa scurrilitate refertum edidit. Porrò Chillingtonus *Doctrina nobis hæc argumenta reliquit*

Quæstiones Theologiæ, Librum vnum. Vtrum Deus sit super omnia dilig.
Sermonum variorum, Librum vnum.
Pro Armachano contra fratres, Librum vnum. Quòd Dominus Archiepiscopus Armac.
Contra Rogerum Conwaiũ, Librum j. Licet ex responsionibus mei Armac.
Contra mendicitatem otiosam, Librum vnum.
De generatione & corruptione, Libros duos.
Opuscula quædam maximè Logica, Librum vnum. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri. Londini debitum naturæ soluit, & in Ecclesia D. Pauli requiescendi locum accepit.

Circa annum Domini 1360, regnante apud Anglos Edvvardo tertio.

De Galfredo Hardibio.

GALFREDVS Hardibius in Leicestrensi cœnobio ad normam S. Augustini Monachus Anglus, Oxoniensem Academiam in bonis litteris nutricem habuit. Illic enim in studijs primùm Philosophiæ, deindè Theologiæ magnum, & illustre nomen sibi conciliauit. Nam domi priùs intra priuatos parietes Monasterij litteraturam omnem politiorem & didicerat, & inter suos docuerat. Tandem à senatu Academico Theologici Doctoratus insignibus ornatus, sacras litteras Oxonij professus, & vetus, & nouum Testamentum publicè prælegit. Eratque suo tempore in omni concertationum scholasticarum genere celeberrimus, omnium errorum impugnator acerrimus. Armachanum dicentem turpe esse Christianis mendicare, ferre non potuit. Fama igitur virtutis & eruditionis eius magis ac magis indies crescente, tandem electus est ordinis sui per vniuersam insulam Britanniæ Præpositus Prouincialis. In quo munere strenuè se gessit, suos optimè regendo, populo frequenter prædicando. Erat enim in eloquentissimis concionibus tam singularis gratiæ, vt inter omnes Angliæ doctissimos viros sæpiùs vnus euocaretur, qui coram Rege regnique proceribus conciones haberet. Ad honoris denique cumulum accessit, quòd Rex Edvvardus tertius, eum ad Aulam vocauit, ex intimis cõsiliorum secretis fecit, non modò in ijs quæ ad reipublicæ ciuile regimen spectabãt, sed etiam in ijs quæ ad Deum erant, & conscientiæ directionem concernebant. Hæc ex Ioanne Capgrauio, Lelando, Thoma Colbio, & ex chronico Iosephi Pamphili. Qui auctores non omittunt in hominis laudibus ponere, quantum Euangelicæ paupertatis perfectionem coluerit, & alijs colendam commendarit, eiusque impugnatores stricto solidæ rationis & elegantis orationis bisacuto gladio impigrè fuerit insectatus. Sed iam ad monimenta litterarum veniamus, quibus sibi viam muniuit ad nominis immortalitatem. Zelans honorem ordinis sui scripsit contra Armachanum, quo modo per Ecclesiam Romanam ordo eremitarum S. Augustini fuerit confirmatus, & quo modo S. Augustinus Episcopus & Ecclesiæ Doctor huius instituti & auctor, & ipse professor fuerit. Operi titulum indidit

1360.
598.

De vita Euangelica, *Librum vnum.*
De perfectione Euangelicæ paupertatis contra eundem, *Libros duos.*
Lecturas in vetus Testamentum, *Libros plures.*
Lecturas in nouum Testamentum, *Libros plures.*
Postillas Scripturarum, *Librum vnum.*
Sermones de tempore, *Librum vnum.*
Sermones de Sanctis, *Librum vnum.*
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.* Vtrum ad vniendam vtramque in Christo naturam.
Determinationum, *Librum j.* Propter Vniuersalem scientiarũ traditionẽ,

Quodlibeta Oxoniensia, Librum vnum. Memorabilia Philosophorũ studia.
De rebus gestis ordinis sui, Librum vnum.

Apud suos tandem Londini mortuus & sepultus est circa annum Verbi incarnati 1360, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus tertius.

De Guilhelmo Lincolnio.

1360. 599.

GVILHELMVS Lincolnius, id est in vrbe Lincolniensi natus, ordinis fratrum beatæ Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Vir ingenij, doctrinæ, pietatis laudibus suo sæculo florens, licet illius & parca mentio, & pauca occurrant scripta, præter ea quæ habet Ioannes Lelandus in suis collectaneis, illud tamen in confesso est, eum posteris reliquisse super Magistrum Sententiarum

Viginti quinque quæstiones, Librum vnum. Vtrum persona propriè dicatur.
Oppositiones scholasticas, Librum vnum.

Claruit anno à plenitudine temporis 1360, dum ad Anglicani regni gubernaculum sederet Edvvardus tertius.

De Guilhelmo Couentriensi.

1360. 600.

GVILHELMVS Couentriensis, vel de Couentria, ordinis Carmelitani in eadem ciuitate Monachus Anglus, à curuatis cruribus & læsa coxendice Claudus Conuersus à suis (Lelandum habeo testẽ) vulgò cognominatus. Conuersos autẽ inter religiosos vocant illos fratres qui vel propter ignorantiam litterarum, vel corporis aliquod vitium ad Sacerdotium nunquam promouentur, & in Monasterio ministerijs vilioribus occupãtur. Hic autem Guilhelmus quantumcunque claudicauerit pedum gressu, non claudicauit virtutis & eruditionis progressu; & licet vitiatus corpore, non tamen vitiosus animo, sed integer fuit mente. Erat enim acutus ingenio, comptus stylo, maturus iudicio, sententijs grauis, & in meditandis sacrorum eloquiorum mysterijs assiduus, in ijsdem percipiendis fœlix, in explicandis dexter, clarus, perspicuus: quicquid protulit, eleganter elocutus est; quicquid cartis commisit, polito stylo scripsit. Omnem enim Latini sermonis nitidiorem ornatum in promptu habuit, quia primùm adolescens in sæculo, posteà iuuenis in Monasterio, omnem poësim, rhetoricam, dialecticam & notæ melioris historias ad excolendam linguam Latinam indefessa industria diligẽter percurrerat. Omnia eius scripta sonant elegantiam, redolent pietatem, vt ab animo religioso scientijs insigniter instructo profecta, nemo qui legerit & intellexerit, vnquam dubitarit. Titulos operibus sine auctoris nomine præfigere plerunque consueuerat, nisi quòd in libro primo de laude Religionis per litteras quasdam capitales dedita opera dispositas, opus ipsum, auctorem, eiusque nomen detexerit. In quo Ranulphi Cestrensis imitatus est factum. Scripsit autem Guilhelmus iste omni laude ad æternitatem dignissimus

De laude Religionis, *Libros duos.* Cùm tua cœlitùs inspirata, policita.
Elucidarium fidei, *Librum vnum.* Sæpiùs à condiscipulis rogatus.
Præconia Mariæ Virginis, *Librum vnum.* Arca fœderis Maria Christi me.
Contra peccata, *Librum vnum.* Pœnitentiam age. Apocalypsis secundo.
De aduentu Carmelitarum in Angliam, *Librum vnum.*
Scutum Carmelitarum, *Libros tres.* Admoniti affatibus fratrum suaui.
De regula & confirmatione, *Librum vnum.* Cuiuslibet religionis titulus &c.
Annales breuiores, *Librum j.* Anno decimo octauo regni Iosaphat Reg.
Compendium historiarum, *Librum vnum.* Legitur enim, quòd ab ordinis.
Carminum diuersorum, *Librum vnum.* Isidorus annos à principio tibi.

Couentriæ demùm mortuus & sepultus est, circa annum redempti generis humani 1360, dum summa rerum in Anglia penes Eduvardum tertium cognomento & reipsa fortunatum resideret.

De Simone Vvichinghamo.

SIMON Vvichinghamus ad regulam fratrum de Monte Carmeli in cœnobio Norvvicensi Monachus Anglus. Parisijs inter Sorbonicos Theologici Doctoratus insignibus donatus, ità studia pietatis & doctrinæ coniunxit, & ordinis sui per illa tempora decus esset singulare, quod non tacet Lelandus, qui alicubi scribit quatuor fuisse Vvichinghamios suo Catalogo dignos, videlicet Simonē, Thomam, Richardum, & Hēricum. Omnes Carmelitas, Theologos omnes, ferè omnes quasi contemporaneos, quos omnes etiam inuenio Catalogo nostro dignos. Inter hos primùm dignitatis locum huic Simoni tribuere videtur idem Lelandus. Quia fuit disputator subtilis, & concionator celebris. Minoris tamen nunc fit, quàm par est, quoniam illius sæculi more, magis rerum vigorem scrutabatur, quàm, more nostrorum, inanem verborum fucum sectabatur. Habet tamen & modò inter Doctores tum locū debitum, tum famam non vilem, quam his subiectis scriptis meritus est. Nam posteris ad vtilitatem, sibi ad nominis immortalitatem reliquit

1360. 601.

Lecturas Scripturarum, *Librum vnum.*
Sermonum, *Librum vnum.*
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.*
Quodlibeta, *Librum vnum.*

Claruit anno Incarnationis Dominicæ 1360, dum Anglici regni sceptrum teneret Eduvardus tertius.

De Ioanne Estvvodo.

IOANNES Estvvodus, vel Estvvidus, cognominatus de Ashenton vel Ashendem, natione Anglus, in Academia Oxoniensi Collegij Mertonensis socius. Vir ingenij sublimis, & multiplici rerum sæcularium cognitione instructissimus: Poëta, Rhetor, Philosophus celebris, scientiarum Mathematicarum, & potissimùm Astronomiæ peritissimus. Nam, si quisquam alius, hic certè imprimis nomen suum Astrono-

1360. 602.

mia ad astra extulit. Licet non pauci per idem ferè tempus, in eadem signorum cœlestium contemplatione, etiam ex eiusdem Collegij societate, non modica cum laude versarentur. Addit Lelandus illum etiam medicum non vulgarem fuisse, nec tantum cœlum & cœlestia corpora, sed etiam terram & terrestria inspexisse. Vim etenim herbarũ, florum, radicum, singulorumque operationes diligenter scrutatus, accuratè intellexit. Similes ei laudes attribuit Ioannes Picus Mirandulæ Comes, vt in ore duorum aut trium testium stet omne iudicium. Sed ex fructibus inquiramus qualis fuerit arbor, & ex operibus seu scriptis quantus fuerit fabricator exactiùs pensemus. Scripsit, & anno Domini 1348, fœliciter consummauit nobile quoddam volumen duodecim distinctiones complectens, quod varijs modis prænotari solet, videlicet his quatuor aut quinque titulis, nam opus idem existimo,

Iudiciale Astronomicum, *Summam iudicialem*, *De accidentibus mundi*, *Summam Anglicanam*, *Libros duos*. Intentio mea in hoc libro est. M S. Oxonij in bibliotheca publica. Et in Collegio Orialensi. Extat Venetijs an. 1542.
Elucidarium planetarum, *Librum j*. Sicut dicit Aristoteles Ethicorum 2.
Tabulas planetarum, *Librum vnum*. M S. in biblioth. Baronis de Lumleio.
Canones de vtilitate & practica tabularum, *Librum vnum*. M S. ibidem.
Tractatum de sinubus & arcubus, *Librum vnum*. M S. ibidem.
De coniunctione Saturni & Martis in Cancro anno Domini 1337, vel 1357, *octauo Iunij*, *Librum vnum*. M S. ibidem.
De coniunctione Saturni & Iouis, *Librum vnum*.
De signis coniunctionum, *Librum vnum*. Sicut dicit Ptolemæus in suo.
De prognosticis aëris, *Librum vnum*. Temperierum autem quædam sibi.
De permutatione triplicitatis, *Librum vnum*.
Regimen contra pestilentiã, *Libr. j*. Ad honorem, laudẽ, & gloriam. Et alia.
Opuscula penè sine numero. Quæ & nobis sunt sine titulis.

Claruit anno salutiferæ natiuitatis 1360, sub sæpè dicto, & nunquàm satis laudato Anglorum Rege Edvvardo tertio.

De Bartholomæo Glaunuillo.

1360. 603. BARTHOLOMÆVS Glaunuillus Graunuisiũ non rectè vocat Henricus Vvillottus, natione & cognomine Anglicus, ex illustrissima Comitum Suffolcensium familia ortus, vt auctor est Lelandus. Ab ipsa adolescentia iugum Domini portare didicit, & sub strictissima regulæ S. Francisci obseruantia se totum obsequijs mancipauit diuinis. Vir ingenij magni, nec minoris sedulitatis & industriæ. Oxoniæ, Lutetiæ, tandem Romæ partim Philosophicis, partim Theologicis studijs operam dedit, à quibus nunquàm cessauit, donec summam in Theologia lauream esset consecutus. Deindè vtramque disciplinam iteratò repetijt, &, vt ita dicam, denuò ruminauit, adhibitis optimis quibusque & selectissimis tum naturalium, tam supernaturalium rerum interpreti-

bus, & omnia ita penetrauit, vt humanum ingenium in eo genere aliquid vlteriùs pertingere non potuisse videretur. Ex vtriúsque scientiæ inter se collatione, miras ostendit prouenire vtilitates, docuitque qua ratione Philosophicæ disciplinę possint ac debeant Theologicis ancillari, vt ad imitationem populi Israëlitici, quasi ex Ægyptiorum spolijs discamus ornare domum Dei, & Ecclesiam sponsam Christi. Nam per proprietates rerum naturalium subtiliter & dilucidè explicatas, & concinnè applicatas, incredibilem attulit lucem ad intelligendas difficiles & abstrusas diuinorum oraculorum vel prophetias, vel allegorias, vel quascumque figuras. Omnésque sacræ scripturæ locutiones figuratas, longè, quàm ante eum quisquam, reddidit clariores. Hunc igitur in finem ingens planè volumen in lucem emisit, quod in se comprehendit succum & medullam omnium penè probatissimorum auctorum, qui de illis materijs vnquam scripserunt. Titulum operi præfixit

De proprietatibus rerum, *Libros vndeuiginti.* Cùm proprietates rerum sequantur. M S. Oxonij in Coll. Balliol. Magdal. Cantabrigiæ in pub. Extat Parisijs anno 1574 sub hoc titulo, nisi aliud sit eius opus, *Bartholomæi Anglici allegoriæ simul & tropologiæ in vtrumque Testamentum.* Vidi excusum in folio in Bibliotheca Carthusianorum Cantauiæ iuxta Iuliacum. Et passim habetur in Franciscanorum Bibliothecis, vt vidi in Nanceiana, Namurcensi, & Breulensi prope Coloniam.

Liber de proprietatibus apum est vnus ex nouemdecim M S. Oxoniæ in Collegio Lincolniensi.

De rerum accidentibus, id est, *de numeris, mensuris, ponderibus, & sonis,* *Librum vnum.* Qui solet nouemdecim prædictis adijci vicesimus, & sic incipit, Descriptis proprietatibus.

Postillas sacræ Scripturæ, *Librum vnum.*
Sermonum, *Librum vnum.* Extat Argentinæ 1491.
Historiarum de Sanctis, *Librum vnum.*
De mundo & cælestibus, *Librum vnum.*
Contra Laurentium Vallum, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Col. Balliol. vbi etiam habetur M S. Apologia Vallæ ad Bartholomæum.
Practicam, *Librum vnum.* M S. Oxonij in pub. & in Coll. Balliolensi. Claruit anno reconciliationis humanæ 1360, regnante in Anglia Edvvardo tertio.

De Ioanne Vviltono.

IOANNES Vviltonus Iunior ordinis S. Benedicti in cœnobio Vvestmonasteriensi Monachus Anglus. Vir vitæ integerrimæ & multiplicis doctrinæ. In omni humaniore litteratura politus & tersus, in Philosophia subtilis & acutus, in Theologia maturus & solidus, rerum sublimium & cælestium contemplationi mirificè deditus, in quo exercitij genere D. Bernardum imitari omni conatu contendebat.

1360. 604.

Nam legendis illius operibus ad hanc Angelicam viuendi rationem allectus est. Omnia eius scripta pietatem redolent, & animum à terrenarum rerum contagione penitùs alienum demonstrant. Scripsit autem quædam oratione soluta, quædam versu, maximè rithmico

Horologium sapientiæ, *Libros septem*. Sentite de Domino in bonitate.
De beneficijs Dei, *Librum vnum*. Iesu Christi celeri meditatione.
Stimulum compaßionis, *Librum vnum*. Iam nunc matri virgini anima
Homiliarum, *Librum vnum*.

Claruit circa annum post aduentum Messiæ 1360, sub faustissimo & Augustissimo regno Edvvardi tertij.

De Ioanne Paschallo.

1361. 605.

IOANNES Paschallus, natione Anglus, patria Suffolcensis, ordinis Carmelitani in cœnobio Gippesvvicensi Monachus, & sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Postquàm diù in scholasticis concertationibus versatus fuisset, Gippesvvicum reuersus non leue doctrinæ suæ specimen dedit, maximè in concionibus; erat enim miræ facundiæ, singularis gratiæ, & ad mouendum atque persuadendum plurimùm habuit vigoris. Fama igitur eius percrebrescente, Guilhelmus tunc Episcopus Norvvicensis eum sibi assumpsit in suffraganeum, Papa Benedicto vndecimo annuente, & Episcopi Scutariensis titulum concedente. Sed Rex Edvvardus tertius non multo post tempore fama doctrinæ eius, & eruditissimis è suggestu concionibus ad amorem hominis incitatus, eum Landauensem Episcopum designauit. Hæc penè omnia ex Lelando. Porrò conciones quas in lingua vulgari ad vulgus habuerat, plerásque in Latinum transtulit sermonem, & in lucem edidit

Homilias octoginta de Sanctis, *Librum vnum*.
Homilias sexaginta septem de tempore, *Librum vnum*.
Conciones per annum, *Librum vnum*.
De Paßione Christi, *Librum vnum*.
Lecturas Scripturarum, *Librum vnum*.
Quæstiones disputatas, *Librum vnum*.

Ex huius corporis ergastulo euolauit in ciuitate sua Landauensi, & ibidem in Ecclesia cathedrali sepultus est anno post Christum natum 1361, regnante in Anglia Edvvardo tertio. Vide eum quem fabricauimus de Landauensibus Episcopis catalogum.

De Guilhelmo Lubbenhamo.

1361. 606.

GVILHELMVS Lubbenhamus, natione Anglus, patria Couentriensis, professione Monachus Carmelitanus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir pietate, doctrina, prudentia, & in rebus agendis dexteritate insignis. Quibus titulis electus est in Anglia sui ordinis Prouincialis decimus septimus. Quod autem ad eius eruditionem

nem attinet, dicitur fuisse Philosophus atque etiam Theologus non vulgaris. Scripsit

In posteriora Aristotelis quæstionum quinquaginta trium, *Libros duos.* Vniuersale dicimus esse.

Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.*

Couentriæ senex obijt anno à temporis plenitudine 1361, regnante in Anglia Edvvardo tertio.

De Sertorio Gualensi.

SERTORIVS Gualensis, seu Vvallensis, aliqui Fontanerium, alij Fortanerium Vassellum cognominant, alij, sed male, Vasconem putant. Ego secutus Trithemium, Vvillottum, & alios multos, natione Vvallum fuisse affirmo, id est, ex illa Anglicani regni parte oriundum quæ nobis Vvallia vel Guallia vulgò dici solet. Erat ordinis S. Francisci, vt auctor est Vvillottus, Monachus Aquitannus in conuentu Gorgoniensi. Successu temporis anno Domini 1356 in Capitulo generali Massiliæ, totius per vniuersum orbem terrarum ordinis sui Generalis Minister decimus nonus electus est. Posteà propter singularem pietatem, doctrinam, prudentiam, anno præfecturæ suæ quinto, anno videlicet Domini 1361 à Clemente vel ab Innocentio Papa sexto factus est primùm Archiepiscopus Rauennensis, tum Patriarcha Gradensis, & demùm S. R. E. designatus Presbyter Cardinalis, ante acceptum titulum obijt, vt scribit Vvillot, ex quo, vti etiam ex Trithemio, & alijs habeo, eum scripsisse scholasticæ potissimùm explanationis

1362.
607.

In plerosque sacrorum Bibliorum libros, *Libros plures.*
In Sanctum Augustinum de Ciuitate Dei, *Libros viginti duos.*
Sermonum ad vtrumque statum, *Librum vnum.*
Lecturas Theologicas, *Librum vnum.*
Quodlibeta disputata, *Librum vnum.*

Iuxta Antoninum & quosdam alios Paduæ in Italia mortuus est, & ibidem in Ecclesia S. Antonij sepultus, anno post gratiam humano generi factam 1362, summa rerum in Anglia penes Edvvardum tertium residente.

De Ioanne Vvichinghamo.

IOANNES Vvichinghamus ordinis Minorum S. Francisci Monachus Anglus, vt auctor est Vvillottus. Iuuenis ordinem illum intrasse, & habitum suscepisse videtur. Nam ferunt eum Norvvici primùm in suo Monasterio litteras humaniores didicisse, deindè Cantabrigiam profectum, insigni cum diligentia Philosophos & Theologos peruoluisse, & in vtraque professione multum profecisse. Tandem ad sacrarum scripturarum sublime studium se contulit, & ad populum frequentes conciones habens, suos auditores fugam vitiorum, virtutis

1362.
608.

amorem magno zelo docuit. Posteris demùm reliquit

Sermones de tempore, *Librum vnum.* Humiliamini sub potente manu.

Disputationes rerum difficillimarum, *Librum vnum.* Et id genus alia plurima. Quorum tamen hactenùs ne titulos quidem sub aspectum oculorum meorum cadere contigit. Claruit anno reparationis humanæ 1362, sub florentissimo in Anglia Edvvardi tertij regno.

De Anonymo Benedictino.

1366. 609.

ANONYMVS ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Malmesberiensi. Historicus verax, & antiquitatum scrutator diligentissimus. De quo Ioannes Capgrauius testatur in libro suo de sequacibus S. Augustini capite decimo, quòd anno Domini 1361 scripserit magnum opus in quinque libros distributum. Quorum primus tractat rerum seriem ab exordio mundi vsque ad Christi ascensionem. Secundus agit de prædicatione Apostolorum, & de passionibus martyrum. Tertius de primis Italiæ incolis, & de rebus gestis Imperatorum. Quartus de mundi diuisione, & de ritibus regnorum. Quintus de primis inhabitatoribus Britanniæ, de regibus post Britum, & de infortunijs potissimùm incendiorum, quæ sub illis contigerunt. Harum rerum narrationem perduxit vsque ad annum Domini 1366, operi toti titulum præfixit

Eulogium Historiarum, *Libros quinque.* Forma viuendi probitatis. Claruit dicto anno salutis communis 1366, Edvvardo tertio fœliciter in Anglia regnante.

De Simone Islepo.

1366. 610.

SIMON Islepus, natione Anglus, vir omni virtutis & eruditionis genere clarus. Humaniorum litterarum, vtriúsque Iuris, & Theologiæ peritissimus. Propter quas scientias simul cum singulari prudentia, & summa morum integritate coniunctas, ad maxima in reipublicæ administratione obeunda munia vocatus est à Rege, à quo tandem etiam Archiepiscopus Cantuariensis designatus est. Neque solum ipse doctus erat, verum etiam omni qua potuit ratione bonas litteras, & viros litteratos iuuit, promouit, auxit. In Oxoniensi Academia pulchrum Collegium studiosis ædificauit, quod Cantuariense nominauit. Inter cætera quæ sanè præclara dederat ei Deus dona, singularem habuit prædicandi verbi diuini gratiam, & magnum animarum zelum. Sed de his suo loco. Nunc quę doctrinæ suæ monimenta ad vtilitatem posterorum reliquerit, videndum superest. Scripsit teste Nicolao Brigamo

Sermones Quadragesimales, *Librum vnum.* Ecce nunc tēpus acceptabile.

Sermones de Sanctis, *Librum vnum.* Nox expectet lucem, & non vide.

Sermones de Tempore, *Librum vnum.*

Pro ordine Sacerdotali constitutiones Decretales, *Librum vnum.* De ferijs. De Missarum cel.

Speculum Regis Edvvardi tertij, *Librum vnum.* O Domine mi Rex vtinam. M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica.

Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Obijt anno post Christum natum 1366, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio. Vide quem scripsimus de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Ioanne Tinmouthensi.

IOANNES Tinmouthensis seu de Tinmouth oppido suo natalitio, quod situm est ad ostium Tinæ fluminis in Episcopatu Dunelmensi, in cuius oppidi Ecclesia dicitur post susceptum sacerdotium, in obsequijs diuinis sub pastore loci vicariam operam præstitisse. Posteà factus est ordinis S. Benedicti Monachus ad S. Albanum. Vir omni virtutis ornatu, & multiplici melioris eruditionis supellectile instructissimus. Sacris Scripturis legendis, meditandis, explicandis impensè deditus, iuxta dictum Propheticum, in lege Domini meditabatur die ac nocte. Ecclesiasticas etiam & sacras historias quotidiè peruoluebat, vt exempla virtutum, quæ imitari posset, semper ob oculos haberet. Vitas, res gestas, & miracula sanctorum Angliæ, Vvalliæ, Scotiæ, & Hiberniæ ingenti volumine complexus est. Totum opus in duas partes distributum sanctilogium seruorum Dei maius & minus nominauit. In quo opere mirari est indefessam hominis in colligendo diligentiam, in corrigendo, ordinando, disponendo sagax ingenium, firmum iudicium. Nam ex infinitis penè auctoribus res varias ita compaginauit, vt quæ deessent in alijs, ex alijs adijceret, quæ redundarent, tam discretè resecaret, vt nihil in illa tota historia redundans aut superfluum, nihil etiam mancum videretur aut mutilum. Retulit autem in eo genere præcipua quæque & notatu dignissima ab orbe condito vsque ad suum tempus. In elucidandis etiam sacræ Scripturæ plerisque libris parem laudem consecutus est. In quibus non litteralem tantum sensum reddidit clariorem, sed etiam moralem, allegoricum, tropologicum, omnemque spiritualem & mysticum verbi diuini intellectum docuit & dilucidè suis scriptis explicauit. Scripsit autem, teste Bostono Buriensi commentarios sacræ Scripturæ multos & eruditos

1366.
611.

In Genesim, *Librum vnum.*
In Exodum, *Librum vnum.*
In Leuiticum, *Librum vnum.*
In Numeros, *Librum vnum.*
In Deuteromium, *Librum vnum.*
In Iosue, *Librum vnum.*
In Iudices, *Librum vnum.*
In Reges, *Libros quatuor.*
In Apocalypsim, *Librum vnum.*
Lectionarium Ecclesiæ, *Librum vnum.*

Historiam auream, *Libros tres.* M S. Cantabrigiæ in Coll. S. Benedicti.
Supplementum eiusdem historiæ, *Librum vnum.* M S. ibidem.
Opus seruorum Dei seu { *Sanctilogium maius*, *Librum vnum.* / *Sanctilogium minus*, *Librum vnum.* }
Appendices Martyrologij, *Librum vnum.*
Claruit anno virginei partus 1366, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus tertius.

De Georgio Chadleio.

1366. 612. GEORGIVS Chadleius honestis in Anglia parentibus natus, à primis adolescentiæ suæ annis in studijs virtutum & bonarum litterarum optimè enutritus, iuuenis incredibili scientiarum inflammatus desiderio, petijt Academiam Oxoniensem. Vbi postquam ad cognitionem humanioris litteraturæ Philosophiam adiunxisset, tum diuinam, tum profanam: sacerdos factus, ad sacrarum Scripturarum studium se totum contulit. Et quantum ex Lelando colligere possum, deinceps multos annos, imò ferè omne reliquum vitæ tempus collocauit in contemplanda S. Ioannis Apocalypsi, & in inuestigandis reconditis, quæ ibi latitant, mysterijs. Cuius etiam speculationis hæc documenta victuris cartis commissa posteritati reliquit

Commentarios in Apocalypsim S. Ioannis, *Librum vnum.*
Annotationum in eandem, *Librum vnum.*
Claruit anno Dominicæ Incarnationis 1366, regnante in Anglia Edvvardo tertio.

De Gualtero Vviburno.

1367. 613. GVALTERVS Vviburnus, Vvimburnum alij vocant, ordinis sancti Francisci Monachus Anglus, vt ex Ioanne Lelando & Henrico Vvillotto colligo, non expressè lego. Nam quia scribens quædam ad Minoritas, eos appellat suos fratres, eum Minoritam fuisse asserere ausim, & puto quidem in cœnobio Norvvicensi. Lelandus eum plus quàm vulgariter laudat à librorum, quos scripsit elegantia. Erat enim in sermone Latino, siue versus respicias, siue orationem solutam, disertus & facundus, pius etiam in Deum & sanctos, maximè in Christum & Christiparam. Nam de vtroque scripsit, tum heroico carmine, tum versiculis rithmicis, & hos libros sequentes posteritati communicauit

De Virgine Maria carmine hexametro, *Librum vnum.*
De eadem & eius filio, *Librum j.* Mariæ quondam carmina hexametra.
Encomium Christiparæ, *Librum vnum.*
Proprietates terræ sanctæ, *Librum vnum.* Pulsate fratrũ instãtia, qui me dor.
Carminum diuersi generis, *Librum vnum.*
Claruit circa annum post aduentum Messiæ 1367, dum in Anglia regni diadema gestaret Edvvardus tertius.

De Gualtero Kellauuo.

GVALTERVS Kellauus in Eboracensi Ducatu in Anglia natus, ordinis beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli Monachus in cœnobio Aluertonensi, quod non multo ante tempore Rex Edvvardus tertius fundauerat. Oxonij diù studuit, multum in omni doctrinæ genere profecit, & tandem ibidem in sacra Theologia supremam lauream accepit. Contendebat autem in homine virtus cum eruditione. Vndè factum est vt vtriusque intuitu, inter suos magno loco habitus fuerit. Tandem ordinis sui per totam Angliam electus Prouincialis decimus sextus, officio suo potiùs contulit ornamentum, quàm officium illi. Quare postquam quinquennio præfuisset, magistratum deposuit cum honore, sed post vnum & alterum annum, cogente capitulo, eandem regendi potestatem denuò suscepit, & ad aliud quinquennium munus illud obiuit. Scripsit inter hæc 1367. 614.

Quodlibeta Theologica, *Librum vnum.*
Determinationes, *Librum vnum.*
Sermonum variorum, *Librum vnum.*

Aluertonæ inter suos mortuus & sepultus est mense Augusto, anno gratiæ 1367, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Adamo Cisterciensi.

ADAMVS Cisterciensis ordinis Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & ad regium locum, non longè Oxonio, tandem creatus Abbas. Vir assiduus in librorum lectione. Inexhausto labore, indefessa diligentia, insatiabili scientiæ desiderio, noctes diesque iugiter studendo, ad multiplicem diuersarum rerum cognitionem fæliciter peruenit. Habuitque cum doctis & pijs viris per totam præsertim Angliam & Scotiam, his nominibus, multam familiaritatem, & frequens per epistolas atque etiam per libros scriptos colloquium. Nam ad Gualterum Priorem & fratres Ecclesiæ S. Andreæ in Scotia scripsit dialogum inter rationem & animam, seu pro animæ institutione soliloquium. Item ad Simonem Langhamum Archiepiscopum Cantuariensem de cauendo ab hæreticis, omnique hæresi, quia tunc placere cæperunt populo, quas Vvicleffus fabricauerat fabulas. Scripsit igitur, vt dixi, hic Adamus 1368. 615.

De cauendo ab hæresi ad Simonem Archiepiscopum, *Librum vnum.* Venerabilissimo in Christo Patri.
Ad Scotos dialogum rationis & animæ, *Librum j.* Dominis suis & amicis.
Pro ordine Monastico ad præfatum Simonem, *Librum vnum.*
Defensorium exemptorum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Claruit anno à plenitudine temporis 1368, dum ad Anglicani regni gubernaculum sederet Edvvardus tertius.

De Rogero Vvelpedalo.

1368. 616.

ROGERVS Vvelpedalus, natione Anglus, Mathematicus Oxoniensis, & Balliolensis Collegij socius, vbi scientias Mathematicas & omnem Philosophiam accuratè didicit. De quibus rebus vt auctor est Lelandus eruditos libros non paucos scripsit. Vir in eo valdè laudandus, quòd cum honestis studiorũ exercitijs, nunquam non innocentiam vitæ, morum integritatem, & diuini cultus amorem coniunxit. Sed qualem se venturis sæculis commendarit, ex libris quos edidit, non obscurè colligimus. Scripsit enim

De inuocando Deo,	*Librum vnum.*
Simulachrum Logicalium,	*Librum vnum.*
De vniuersalibus,	*Librum vnum.*
De aggregatis,	*Librum vnum.*
De quanto & continuo,	*Librum vnum.*
De compositione continui,	*Librum vnum.*

Claruisse videtur circa annum Domini 1368, dum in Anglici regni solio sederet Edvvardus tertius.

De Simone Tunstedo.

1369. 617.

SIMON Tunstedus, vel de Tunstedo, ordinis Minoritarum S. Francisci Monachus Anglus, vt videtur in vrbe & cœnobio Norvvicensi. Qui in eadem regione natus, ibidem habitum suscepit, professionem edidit, & iuuenilium annorum partem in studijs exegit. Erat pietatis & bonarum litterarum amantissimus. Post imbibitas humaniores litteras, Philosophiam & Mathematicas scientias, imprimis Musicam accuratè didicit, & his nominibus, teste Lelando, suo sæculo magnam famam obtinuit. In Philosophia naturali nihil illi magis arrisit, quàm alta illa meteororum contemplatio, quæ hominem tam sublimem rapuit, vt quodammodò semper in tertio cœlo versari videretur. In ijs igitur quæ Aristoteles super hac materia scripsit, explicandis magnos labores, multos annos impendit. A quibusdam ordinis sui scriptoribus mirificè laudatur. Et omnium scientiarum peritissimus pronunciatur. Nonnulli etiam eius prudentiam, & in magnis negotijs expediendis dexteritatem commendant, alij grauitatem, animi moderationem, & auctoritatem summis encomijs vsque ad cœlum efferunt. Facta omnium quos de eo legi diligenti collatione, videtur mihi fuisse quidem doctrina plus quàm mediocri, in omni autem virtute per quandam eminentiam supremus. Argumento esse potest, quod ex omnibus vnus visus sit dignissimus, qui communi suorum suffragio sit electus Minister Prouincialis, ad ordinem S. Francisci per vniuersum Angliæ regnum moderandum. Quod ad eius litterariam attinet supellectilem admodum parcam inuenimus

In Aristotelis Meteora,	*Libros quatuor*
De quatuor principalibus,	*Librum vnum.*

Bruzardi in Suffolcia mortuus & sepultus est apud Sanctimoniales S. Claræ anno salutis reparatæ 1369, dum clauum Anglicani regni teneret Edvvardus tertius.

De Ludouico de Caerleon.

LVDOVICVS de Caerleonà ciuitate in Vvallia sic nominata cognominatus, quoniam ibi natus, & vsque ad iuuentutem ibidem educatus. Illic autem litteras tantum humaniores didicit. Oxoniam postea, deinde Cantabrigiam, postremò Londinum studiorum altiorum causa petijt. Iuuenis Mathematicis scientijs, Astrologiæ maximè se dedidit. Maturior factus Medicinam, & demùm Theologiam magno feruore didicit. In quibus omnibus propter ingenij fœlicitatem, & industriam, continuosque labores non contemnendos fecit progressus, & tam altam apud multos sanctitatis & doctrinæ conciliauit opinionem, vt hoc intuitu nonnulli scribant eum EpiscopumHerefordensem fuisse designatum. Sed iam quid rei litterariæ communicauerit posteris, videamus. Scripsit

1369. 618.

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Lecturam Theologiæ, Librum vnum. Vtrum sit possibile intellectui nostro.
De eclipsi solis & lunæ, Librum vnum. Modus operandi pro eclipsi lunæ.
Tabulas eclipsium Richardi Vvallingfordi, Librum vnum. Altitudo lunæ in arcu longitudo. M S. in bibliotheca Baronis Lumleiani.
Canones eclipsium, Librum vnum. Eclipsim solis, quantitatem & diũ.
Tabulas vmbrarum, Librum vnum. Circa compositionem tabularum.
Fragmenta Astronomica, *Librum vnum.*

Obijt anno Verbi incarnati 1369, dum in Anglia rerũ potiretur Edvvardus tertius.

De Ioanne Grandisono.

IOANNES Grandisonus, quibusdam Grauntson, natione Anglus, alijs Burgundus, sed in studijs bonarum litterarum in Anglia per totam penè vitam educatus, ad multam eruditionem, summas virtutes, & supremos in republica honores, qui virtutis & doctrinæ debita sunt præmia, peruenit. Post decursum studiorum curriculum, & editum aliquod alti ingenij specimen, ab Edvvardo Rege tertio ad Aulam vocatus, à sacellis factus, ab intimis etiam consilijs constitutus, in arduis negotijs non raro consultor adhibitus est Hinc nomen eius clarescere cœpit. Erat præterea concionator strenuus, orator disertus. Creuit autem gratia apud Regem, in tantum, vt tandem in remunerationem obsequiorum quæ Regi & reipublicæ fideliter simùl & prudenter præstitit in quotidianis ferè negotijs, ad Episcopatum Exoniensem eueheretur. De quo, suo loco. Nunc quod est instituti nostri, prosequamur, & quas litterarias lucubrationes communes fecerit posteritati, dispiciamus. Nam vt ex Thoma Vvalsinghamo, Ioanne Lelando, & varijs biblio-

1369. 619.

thecis non difficile est colligere, eruditè scripsit non pauca

Concionum, *Librum vnum.*
De vitis sanctorum, *Librum vnum.*
De vita & miraculis S. Thomæ Cantuariensis, *Librum vnum.* MS. Oxonij in bibliotheca publica. Et Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Ordinale vel Martyrologium Exoniense, *Librum vnum.* Exoniensis Ecclesiæ. MS. ibidem.

Obijt anno post Christum natum 1369, sub florentissimo in Anglia simùl & Gallia Regis Edvvardi tertij imperio. Vide eum quem composui de Episcopis Exoniensibus Catalogum.

De Guilhelmo Binhamo.

1370. 620. GVILHELMVS Binhamus, Monachus Anglus, patria Norfolcensis. Vir pius, ingeniosus, & doctus, zelo, etiam diuinæ gloriæ plenus. Hunc in eo sanè fœlicem meritò pronunciarim, quod inter primos inuentus, si non omnium primus, qui, vt Lelandi verbis vtar, antiquorum rituum obseruantissimus, Vvicleffo nouarum rerum cupido, se constanter opposuit. Nam saltem inter primos erat, qui deprehendit, & alijs detexit pestilentem hominis doctrinam, eiusque perfidas machinationes scripto doctissimo libro refutauit. Oxonij contigerunt ista. Nam illic vterque simul studebat. Illic Binhamus perspicaci oculo vidit lupum venientem & non fugit vt mercenarius, nec oues prædoni dilaniandas reliquit, sed, vt bonus pastor strenuè restitit, & ab insidiatoris rabie Christi gregem, quantum potuit, defendit. Erat vir alioquin modesto, quieto, & tranquillo ingenio, constanti tamen, & veritatis tenacissimo. Scripsit igitur opus omni sana eruditione refertum

Contra positiones Vvicleffi, *Librum vnum.*

Claruit anno gratiæ 1370, sub potentissimo Anglorum Rege Edvvardo tertio.

De Thoma Radcliffo.

1370. 621. THOMAS Radcliffus, natione Anglus, patria Leicestrensis, & in ipsa ciuitate Leicestria ordinis eremitarum S. Augustini Monachus. Meritis doctrinæ Doctoralem, intuitu virtutum Episcopalem accepit dignitates. Vir alto planè ingenio, & ad res magnas accommodato. Cuius maxima laus sita erat in acumine & subtilitate, si scholastica, siuè Philosophica, siuè Theologica respicias exercitia: Nec minor ei gloria in facundia, si profluentem in concionibus consideres eloquentiam. Sic enim ferè de illo scribit & Ioannes Lelandus, & in chronico eremitarum S. Augustini Iosephus Pamphilus, qui etiam testatur eum scripsisse circa Theologiam disceptatiuam

Pro introitu Sententiarum, *Librum vnum.*
Lecturas scholasticas, *Librum vnum.*
Conciones ad vulgum, *Librum vnum.*

Claruit

Claruit anno partus virginei 1370, Edvvardo tertio fœliciter in Anglia regnante, potenter in Gallia triumphante. Vide quem scripsimus de Episcopis Lincolniensibus Catalogum.

De Nicolao Linnensi.

NICOLAVS Linnensis, id est, è ciuitate Linna regionis Norfolcensis, vndè natus & cognominatus est. In cuius etiam vrbis suburbijs ad stagnum Tegæum cœnobium ordinis Carmelitani iuuenis ingressus, & illud institutum integro affectu amplexus, ibi in obsequio diuino, regulari disciplina, & bonarum litterarum studijs reliquam ætatem transegit. Vir in omnibus profanis scientijs insigniter eruditus. Sed in Mathematicis præcipuam posuit diligentiam, & in ijs, vt Lelandi verbis vtar, præcipuas collocauit partes. Astrologorum sui temporis in Anglia celeberrimus. Quod etiam ex scriptis eius apparet. Indiuiduum habuit sodalem, suorumque studiorum socium Ioannem Sombæum eiusdem instituti & cœnobij Monachum. Hos duos reuerendos clericos appellat Galfredus Chaucerus, & in eorum laudibus admodum est profusus. Ex ijs quæ apud probatos auctores legi, facilè adducor vt existimem hunc Nicolaum ingenio fuisse præstantissimo, & sicuti in Astrologia excelluit; ita in Theologia vel quauis alia scientia planè excelluisset, si animum applicasset. Porrò opera eius pleraque ad multos annos magna cura custodiebantur in nobilissima illa Carmelitarum apud Norvvicum bibliotheca. Scripsit 1370. 622.

Pro ordine Carmelitano, *Librum vnum.*
Pro ægrotantibus, *Librum vnum.*
De varijs genituris, *Librum vnum.*
Canones Tabularum, *Librum vnum.* Volentibus prognosticare futuros.
De figuris & signis, *Librum vnum.*
De sphæra iudiciali, *Librum vnum.*
De natura Zodiaci, *Librum vnum.* Ad honorem Dei, & habendam.
De planetarum domibus, *Librum vnum.* Inuenit quidem ex sapientibus.
Astrologorum dogmata, *Librum vnum.*
De mundi reuolutione, *Librum vnum.*
De vsu Astrolabij, *Librum vnum.*
De eclipsi solis, *Librum vnum.*
De astrorum iudicijs, *Librum vnum.*

Claruit anno postquàm Deus misit filium suum in hunc mundum 1370, circa quod tempus in suo Linnensi cœnobio diem obijt extremum, & ibidem sepultus est, regnante apud Anglos Edvvardo tertio.

De Simone Feuershamensi.

SIMON Feuershamensis, seu de Feuershamo, Sacerdos Anglus, & in Comitatu Cantiæ Birtonensis Ecclesiæ Pastor seu rector. Studijs bonarum artium operam aliquando dedit Oxoniæ, emensoque cursu, 1370. 623.

sacræ Theologiæ Lauream accepit supremam. Sed iam sui planè iuris factus, vt quodcumque vellet studium sequendi libera daretur optio, non tam Theologicis, quod maximè debuit, quàm Philosophicis contemplationibus se totum immersit, ita vt nihil post se memorabile reliquerit, præter quosdam in Aristotelis opera commentarios, quantum saltem ex Lelando nostro, à quo hæc pleraque desumpsi, colligere possum

In priora Aristotelis, *Libros duos.* Tria sunt genera causarum in entibus.
In eiusdem posteriora, *Libros duos.* Quæritur primo de demonstratione.
Quæstiones de anima, *Librum vnum.* Quæritur de intellectu nostro, vt.
De sensu & sensato, *Librum vnum.* Quoniam autem de anima sicut.
Quæstiones in Meteora, *Libros quatuor.*
In Aristotelem de animalibus, *Librum vnum.*
Quæstiones super Ethica Aristotelis, *Libros decem.* Prima conclusio huius.

Claruisse putatur circa annum ex quo Verbum caro factum est 1370, dum Anglicani regni diadema gestaret Edvvardus tertius.

De Thoma Stureiensi.

1370. 624. THOMAS Stureiensis, vel de Stureia, vt habet Iosephus Pãphilus, ad institutum S. Augustini Monachus Anglus, & in sacra Theologia magnus magister. A Nicolao Brigamo in suis collectaneis multum celebratus, à nobis silẽtio nequaquam prætereundus. In eo mirus fuisse perhibetur, quòd non solum ipse doctus fuerit, verum etiam bonas litteras ac litteratos viros incredibili amore prosequeretur, & semper rationes excogitaret, quibus omnes, quantum fieri potuit, excitaret, animaret, inflammaret ad doctarum Musarum cultum. Eruditionis vtilitates, emolumenta, fructus omnibus proponens, omnes ab ignorantia, tanquam à vita belluina deterrens. Quibus suis persuasionibus, non paucis auctor fuit, vt artibus liberalibus animum, ingenium, intellectum excolerent. Ipse porrò ex optimo ingenij sui thesauro deprompsit

Moralitates in Apocalypsim, *Librum j.* Vidi Angelum Dei per mediũ cœli.
De Sacramentis, *Librum vnum.* Inter opera nostræ salutis.
Declamationum, *Librum vnum.*
De vtroque sæculo prognosticon, *Librum vnum.*
Excerptiones Philosophorum, *Librum vnum.*

Claruit anno à partu Virginis 1370, regnante apud Anglos Edvvardo tertio.

De Ioanne Arderno.

1370. 625. IOANNES Ardernus, natione Anglus, patria Lincolniensis, oppido Neuvarcensi, medicus practicus, & in vulneribus curandis expertissimus, vt ex Roberto Recordo colligere est: apud eum tamen, sicut nec apud alium quemquam inuenio nusquam vtrum fuerit hic medicinæ Doctor, necne. Saltem eum hîc pono, ne eum sua debita laude per silen-

rium priuem. Scripsit enim opus non inutile

Chirurgiæ practicen, *Librum vnum*. Ego Ioannes Arderu de Neuvar. An aliquid prætereà scripserit, me latet. Claruit anno redemptionis humanæ 1370, sub florentissimo Regis Edvvardi tertij imperio.

De Nicolao Durhamo.

NICOLAVS Durhamus, id est Dunelmensis, Dorhim aliqui perperam cognominant, in illis Septentrionalibus Angliæ partibus natus, & ordinis fratrum beatissimæ semper Virginis Mariæ de Monte Carmeli Monachus Nouicastrensis (Nouum castrum olim à Monachis ibi dominantibus Monachopolis dicebatur) Philosophus atque etiam Theologus Oxonij tam insignis, vt tandem ibidem Doctoris insignia susceperit, & cum honore gestauerit. Nam Bostio, Trithemio, & Lelando testibus, in illis scholis solidè docendo, subtiliter disputando, magnum sibi nomen acquisiuit. Sed in eo maximam meritus est laudem, quòd Ioanni Vvicleffo nouas tum hęreses inchoanti pro domo Dei strenuè se murum opposuerit, eiusque impios errores firmissimis rationibus cōfutauerit. Quod autem ad eius lucubrationes attinet, præter aliena opera varia compendiosè in breuius contracta, ipse etiam scripsit

1370. 626.

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Originalia Doctorum, *Librum vnum.*
Determinationes quæstionum, *Librum vnum.*
Contra articulos Vvicleffi, *Librum vnum.*

Claruit anno gratiæ 1370, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Thoma Ringstedo Seniore.

THOMAS Ringstedus dictus Senior, ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus. Vir vitæ sāctimonia celebris, & omni melioris doctrinæ supellectile copiosè instructus, ingenio subtilis, eloquio facundus, natura mitis, in omni congressu suauiter affabilis, ad conciliandam hominum beneuolentiam mirè gratiosus, dexter, compositus. De omni proposita materia doctè discurrere, clarè disserere præsenti ingenio in promptu semper potuit. Tandem vt nihil reliquum faceret ad omnem doctrinæ perfectionem, omnemque ciuilioris vitæ cultissimam vrbanitatem, Galliam & Italiam peragrauit, vtrobique præstantiores Academias inuisens, & doctissimorum hominum vbique consortium & colloquiū frequētans. Et cum iam priùs Oxoniæ in Anglia sacræ Theologiæ Doctor & Professor fuisset creatus, Romam perueniens à summo Pontifice humaniter susceptus, honorificè habitus, & ab eo Magister Pœnitentiarius constitutus est. In patriam posteà reuersus, multis coram Rege regnique proceribus habitis concionibus, auctoritate & gratia magis magisque indies pollere cœpit. Vndè Rex eum ad Episcopatum Banchorensem euexit. De quo alibi. Nunc ad ea quæ nostri sunt instituti veniamus. Cùm esset tum Philosophus, tum

1370. 627.

etiam Theologus eminentissimus, vt ex Alberto Veneto, Antonio Senensi, & varijs Bibliothecis colligo, scripsit commentarios in plerósque tum veteris, tum noui Testamenti libros, licet paucos admodum illorum operum titulos hactenùs inueniam,

Glossas super psalterium, *Librum vnum.*
In Parabolas Salomonis, *Librum vnum.* In abditis parabolarum conuersabitur. M S. Oxonij in Coll. Balliol. Trinitatis. Cantabrigiæ in Col. S. Petri. Item in priuata Baronis de Lumleio. Et fortè sunt illæ postillæ seu lectiones centum octoginta quæ in vno magno volumine M S. habentur in Col. Balliol.
Sectionum in sacram Scripturam, *Librum vnum.*
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Distinctiones Theologiæ, *Librum vnum.* Ab Æona Possidonius Rhodius.
Placita Theologica, *Librum vnum.*
Prædicationes solemnes, *Librum vnum.*
Ad clerum Oxoniensem, *Librum vnum.*

Apud Banchoram sedem suam Episcopalem mortuus & sepultus dicitur circa annum à Christi natiuitate 1370, dum Anglis regali potestate præsideret Edvvardus tertius. Vide illum quem coagmentauimus de Banchorensibus Episcopis Catalogum.

De Guilhelmo Iordano.

1370. 628.

GVILHELMVS Iordanus ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus, in Northumbria natus, in Oxoniensi Academia diù in studijs educatus, & ibidem Theologici Magisterij supremis insignibus donatus. Vir vitæ sanctitate & singulari eruditione conspicuus, potissimùm autem in sacræ Theologiæ studijs fructuosè versatus. Eo solo infœlix, quòd cùm varijs doctis & pijs viris grauissimas habuerit controuersias. Cum Vtredo Bolto Benedictino, vt scribit Adamus Cisterciensis. Cum Ioanne Marchilæo Franciscano circa Conceptionem Beatæ Mariæ Virginis, in qua materia contra eum, librum edidit dictus Marchilæus. Propter has & similes contentiones Iordanus reputabatur Homo litigiosi ingenij. Erat sanè alioquin miri acuminis, & iudicij non immaturi. Quicquid sit, tandem ingenio contra Vvicleffum & eius errores ac nouitates commodè vsus est, eumque tum in publicis disputationibus conuicit, tum etiam libris scriptis neruosè confutauit. Multis etiam alijs scriptis suam doctrinam, & omnibus tum viuentibus, & sæculis posteà sequentibus & secuturis abundè testatam fecit. Scripsit enim, vt ex Antonio Senensi & alijs colligo

Commentarios in Epistolam ad Romanos, *Librum vnum.*
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
De clara Dei visione, *Librum vnum.*
De libera electione ante mortem, *Librum vnum.*

Quæstiones de Conceptione B. Mariæ Virginis, Librum vnum.
Determinationum variarum, Librum vnum.
Sermones diuersos & curiosos, Librum vnum.
Contra studium Monachorum, Librum vnum.
Pro fratribus mendicantibus contra Vtredum Benedictinum Monachum, Librum vnum.
Contra positiones Vvicleffi, Librum vnum.

Claruit anno intimatæ pacis Euangelicæ 1370, dum summa rerum in Anglia pertineret ad Edvvardum tertium.

De Radulpho Strodo.

RADVLPHVS Strodus Poëta laureatus Anglus, Oxonij diù studuit, fuitque è societate Collegij Mertonensis, vbi omnem sermonis Latini politiorem elegantiam accuratè didicit, & in poësi maximè excelluit. Posteà Galliam peragrauit & Italiam, magnamque in vtraque regione cum doctissimis quibúsque viris contraxit amicitiam & familiaritatem. Erat quippè vir vrbanus & acuti lepidique ingenij, quique sales iocosos in omni familiari colloquio gratiosè miscere potuit, & sæpenumerò consueuit. Hunc Galfredus Chaucerus in fine sui Troili honoris causa ità nominat, quasi inter præcipuos Anglicæ gentis poëtas numerandum iudicet. Neque tamen ita se immersit profanis studijs, quin emerserit etiam in sacris. Erat enim magna in Deum pietate, & in Ecclesiam Christi sponsam non minore dilectione & zelo feruens, cuius sanctam & sanam doctrinam, dum Vvicleffus & eius sectatores, pestilentibus suis inuentis adulterare conarentur: hic tanquam alter Dauid contra Goliam insurrexit, & non est passus, vt incircuncisus corde Vvicleffus Ecclesiæ Dei viuentis impunè malediceret. Sed arrepta eloquentiæ funda, & limpidissima emissa petra aduersarium in fronte percussum prostrauit, euaginatoque verbi diuini gladio, dogmati diabolico caput amputauit. Sed operum quæ hic auctor posteris reliquit catalogum subnectamus. Scripsit etenim

1370.
629.

Consequentiarum formulas, Librum vnum. Consequentia est illatio consequentis.
Summulas logicales, Librum vnum.
Sophismatum strophas, Librum vnũ, Redargutũ dicimus respondentem.
Phantasma Radulphi, Librum vnum.
Itinerarium Terræ Sanctæ, Librum vnum.
Positiones & octodecim argumenta contra Vvicleffum, Librum vnum.
Opusculorum, Librum vnum. Qui extat vnà cum operibus quibusdam Radulphi Feriburgi. Claruit anno Messiæ 1370, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Thiuredo Douerio.

1371. 630. THIVREDVS Douerius ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Douerensi, id est, ad portum maritimum in Cantia, quem Doueram dicimus, vndè est breuissimus in Gallicum littus traiectus. Vir morum probitate, multiplicique doctrina conspicuus. Erat sui cœnobij Præcentor, quod munus inter eos honorificum, non nisi præcellentioribus viris conferri solebat. Nam Præcentoris erat, saltem diebus solemnioribus, Psalmos & Antiphonas inchoare, & intonare, & omni tempore quid cuique cantandum, alijs præscribere, diuinum officium ordinare & disponere Rubricarum sensum in dubijs explicare, hymnos, sequentias, lectiones ex historijs Sanctorum ad vsum chori, & diuinum obsequium componere, & similia præstare, quæ non nisi per virum eruditum fieri poterant. Erat autem suo tempore Musicorum facilè princeps. Nec hactenùs aliquod eius scriptum, nisi ad Musicam spectans inueni. Ipseque Bostonus Buriensis in illustrium Scriptorum catalogo, licet eum alia plura scripsisse referat, nihil tamen præter hæc sequentia Musicalia nominatim cum suis titulis profert,

Pentachordorum & Tetrachordorum, Librum vnum. Quoniam Musicorum in Ecclesia.
De legitimis ordinibus Musicæ, *Librum vnum.*

In præfato suo Monasterio dicitur mortuus & sepultus circa annũ reparatæ salutis 1371, ad Anglicani regni gubernaculum sedente Eduuardo tertio.

De Guilhelmo de Sancta Fide.

1372. 631. GVILHELMVS de Sancta Fide, id est, ad fanum sanctæ Fidei Virginis natus, in cœnobio Noruuicensi, vt scribit Ioannes Lelandus, ordinis Carmelitani Monachus Anglus. Indè missus studiorum causa Cantabrigiam, ibi tum in Philosophicis, tum in Theologicis scientijs tamdiù perrexit, & tam multum profecit, vt doctoralem in Theologia gradum susceperit. Pietatem hominis professio, doctrinam scripta satis declarant. Edidit enim

Initiationes Theologorum, Libr. j. Benedicam tibi antequam moriar.
Theologicarum determinationum, Libr. j. An aliqua sit causa remittendi.
De Conceptione B. Mariæ Virginis, Libr. j. Vtrum beata virgo sit in origin.
Quodlibeta, *Librum vnum.* An habens sanctam fidem & vsum.
Sermones per annum, *Librum vnum.*

Noruuici tandem in suo cœnobio mortuus & sepultus est anno reconciliationis humanæ 1372, dum in Anglia regnaret, & in Gallia triumpharet Eduuardus tertius.

De Thoma Vvichinghamo.

THOMAS Vvichinghamus ordinis Fratrum Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo Monachus Anglus in cœnobio Norvvicensi. In Anglia litteras humaniores, & prima Philosophiæ rudimenta didicit. Deindè in inferiorem Germaniam profectus, Coloniæ Agrippinæ Philosophicis & Theologicis studijs strenuam magno cum prouentu nauauit operam, ad summam eruditionis perfectionem ascendit, æmulus trium aliorum Doctorum eiusdem cognominis & ordinis, vt suprà in Simone Vvichinghamo dictum est. Multos teste Lelando, libros edidit eruditione varia refertos. Sed ô infœlices, qui exules! nam in terris alienis parui fiunt & auctores & opera, & vno plerumque tanquàm obliuionis tumulo obruuntur. Scribit tamen Lelandus se aliquando vidisse huius Thomæ

1372. 632.

Sermones, *Librum vnum.*

Reliquorum operum vel ipsi tituli videntur intercidisse. Quibusdam claruisse dicitur anno post aduentum Messiæ 1372, dum in Anglicani regni solio sederet Edvvardus tertius.

De Ioanne Mandeuillo.

IOANNES Mandeuillus seu de Monteuilla, ad Sanctum Albanum in Anglia natus. Vir Equestris ordinis, & ipse armatæ militiæ auratus Eques. A teneris annis in studijs bonarum litterarum educatus, maturioris paulatim factus iudicij, mirificè Musis delectabatur, & nihil antiquius existimabat, quàm vt dotes, quas natura dederat laudatissimas, augeret, & industria redderet perfectiores, dum eas artibus, quasi splendidis quibusdam ornamentis excoleret & insigniret. Ingenium igitur scientijs ornare, nobilitatem generis virtutibus facere illustriorem, & suas partes esse putabat, & neruoso conatu iugiter satagebat. Humanioribus litteris diligentem operam impendit, vt compto sermone loqui, polito stylo scribere posset. Ex Philosophia naturali rerum causas & effectus colligere, ex morali virtutis amorem, vitiorum odium imbibere didicit. In arte medendi insigniter peritus, pietatis operibus semper intentus, in pauperes suprà quàm credi potest misericors & liberalis. Deuotionis ergô peregrinationem Hierosolymitanam suscepit, vt ibi sacra loca piè inuiseret, & adoraret Dominum in loco vbi steterunt pedes eius. Imò verò quasi totius mundi sanctiora quæque visitauit, & quicquid sacrarum reliquiarum habuit Ægyptus, Armenia vtraque, vtraque Libia, Arabia, Chaldæa, Syria, Media, Mesopotamia, Persia, Græcia, Illyria, India, tota denique Europa, Africa, & Asia, inuisit, agnouit, adorauit. Tandem anno suæ peregrinationis tricesimo quarto domum reuersus, totum illud iter scriptis mandauit, tribus linguis, Anglica, Gallica, & Latina Quod opus cum alijs hîc subnectemus. Scripsit enim non obstantibus tam

1372. 633.

longis terra marique itineribus vtcumque multa, eaque, stylo non inelegante,

Itinerarium triginta trium annorum, *Libros duos.* Cum terra Hierosolymitana. Anglicè M S. Cantabrigiæ in Col. S. Benedicti. Et in priuata Lumleiana. Latinè extat

De situ Terræ Sanctæ, *Librum vnum.* M S. ibidem.
De mirabilibus mundi, *Librum vnum.* Quoniam ita res habet vt.
Descriptiones regionum, *Librum vnum.* Extat Antuerpiæ anno 1564.
De re medica, *Libros plures.*

Leodij tandem in Belgio diem suum obijt die decimo septimo Nouembris anno reparatæ salutis communis 1372, & ibidem apud Monachos ordinis sancti Guilhelmi sepultus est, regnante in Anglia Edvvardo tertio.

Sequitur inscriptio tumuli, quam à Domino Edmundo Leuknero Sacerdote Anglo, qui Leodij vixit & obijt, sic verbatim descriptam accepi.

Hic iacet vir nobilis Dominus Ioannes de Mandeuil, aliàs dictus ad Barbam, miles, Dominus de Campdi natus in Anglia, Medicinæ Professor, deuotißimus Orator, & bonorum suorum largißimus pauperibus erogator, qui toto quasi orbe lustrato, Leodij vitæ suæ diem clausit extremum, Anno Domini 1372. Mensis Nouembris die 17. Duo sequentes versus Gallici (si tamen Gallici, vel versus dicendi sunt) circa capitis figuram incisi leguntur:

Vos Ki passeis sor mi, pour l'amour Deix proi pour mi.

De Thoma Stubs.

1373.
634.

THOMAS Stubs, Stobæum cognominat Leander Bononiensis libro quarto de vitis Prædicatorum, vbi eum luculenter celebrat, nec inferiorem illi tribuit laudem Antonius Senensis in sua Bibliotheca fratrum ordinis Prædicatorum. Erat autem communi horum & aliorum testimonio, natione Anglus, patria Eboracensis, ordinis Prædicatorum S. Dominici Doctor Theologus. Vir in lectione sacrarum Scripturarum, in contemplatione cælestium rerum, & potissimùm in meditatione quatuor nouissimorum, iuxta consilium Sapientis, assiduus. Praxim etiam Ecclesiæ & Ecclesiasticorum iurium diligenter didicit, & sacras historias, sanctorumque vitas operosè peruoluit. Vt autem aliqua laborum suorum parte patriam decoraret, & normam benè viuendi, quam ipse secutus fuerat, posteris ad imitationem relinqueret, multa cartis semper victuris eruditè commisit, maximè de sanctorum historijs, & rebus spiritualibus. Chronicon scripsit Archiepiscoporum Eboracensium, & exordium sumens ab ipso S. Paulino, qui sedit omnium in illa cathedra post Anglos ad fidem Christi conuersos, primus, seriem deduxit vsque ad suum tempus, ad annum videlicet 1373. sed lucubrationum eius hîc Catalogum subijciamus, in quo,

quo, tanquam in speculo, virum tum pium, tum eruditum contemplabimur. Scripsit igitur

Super Cantica Canticorum, Librum vnum.
De misericordia Dei, Librum vnũ. Misericordia secundũ etymologiam.
Sermonum de Sanctis, Librum vnum.
Sermonum de tempore, Librum vnum.
Meditationum, Librum vnum. Iustitia & iudicium præparatio.
Officium completum cum Missa de nomine Iesu, Librum vnum.
Officium de beata Anna, Librum vnum.
In reuelationes S. Brigidæ, Librum vnum. Beata & venerabilis Domina.
De perfectione vitæ solitariæ, Librum vnum.
De statutis Ecclesiæ seu scutum Ecclesiæ, Librum vnum.
Contra statutorum impugnatores etiam scutum Ecclesiæ, Librum vnum.
De stipendijs quæ prædicationibus debentur, Librum vnum.
De Archiepiscopis Eboracensibus, & eorum successionibus & gestis chronicorum, Librum vnum. Super statu Eboracensis Ecclesiæ. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De pœnis peregrinationis huius vitæ, Librum vnum.
De arte moriendi, Librum vnum.

Claruit anno misericordiæ humano generi factæ 1373, sub florentissimo Regis Edvvardi tertij apud Anglos imperio.

De Ioanne Thoresbio.

IOANNES Thoresbius vel Thorbius, natione Anglus, iuris vtriusque peritus, & Theologus Oxoniensis. Hunc multùm celebrat Polidorus Vergilius libro historiæ Anglicæ decimo nono. Erat propter pietatem & eruditionem Edvvardo Regi tertio mirè charus. Vnde accedente ad eximias viri virtutes singulari Regis gratia & fauore, ad supremos in Ecclesia, atque etiam in republica euectus est honores. Erat enim Archiepiscopus Eboracensis, summus Angliæ Cancellarius, & S. R. E. Presbyter Cardinalis. De quibus suo loco. Dum Cancellariatus Magistratu fungeretur, Ioannes Baconthorpius ei dedicauit suos in Aristotelis Ethica commentarios. Clerum suum strenuè defendit, tum auctoritate, tum scriptis contra fratres mendicantes. Suam doctrinam multorum fecit institutionem, suam plebem, Christi gregem, ipse docuit catechismum, orationem Dominicam, Symbolum Apostolicum, & præcepta Decalogi, tanquam verus Pastor & Doctor docendo rexit, regendo docuit. Scripsit igitur maximè pro instruenda rudi plebecula 1374. 635.

Doctrinæ Christianæ catechismũ, Librum j. Attendite popule meus legẽ.
Ad Ecclesiarum Pastores, Librum vnum.
Contra Monachos mendicantes, Librum vnum. Pridem sanctissimus in Christo pater. Eboraci mortuus & sepultus dicitur anno postquam misit Deus filium suum in hunc mundum 1374, sub Anglorum Rege

Edvvardo tertio. Vide illum quem composuimus de Archiepiscopis Eboracensibus Catalogum.

De Ioanne Hornebio.

1374. 636.

IOANNES Hornebius, ad fanum S. Bothulphi in Comitatu Lincolniési natus, ordinis Carmelitani Monachus Anglus, & in Academia Cantabrigiensi Doctor Theologus. Sic enim ex Ioanne Trithemio, ex indice Iacobi de Plebe, & ex Bibliotheca Carmelitana Petri Lucij colligo. Habuit hic, teste Lelando, controuersiam grauem cum Ioanne Stocco Dominicano, nomine totius ordinis Carmelitani, quem quodam scripto satis aculeato pupigerat dictus Stoccus. Hic autem & publicis disputationibus, & libris scriptis victor, victoriæ publicum ab Academia testimonium, & insuper diploma ad tutelam ordinis Carmelitani, nè de cætero Dominicani antiquiores dicerentur, obtinuit. Rector Academicus qui tum supremum gerebat Magistratum, erat Ioannes Duvvicus, qui siue æquitate causæ doctus, siue fauore personæ, totũ hoc negotium, cum suis, qui assistebant, Doctoribus confecit. Sed iam restat videre quid Hornebius iste litterarij fructus ex ingenij doctrinæque thesauro protulerit, & in commune bonum contulerit. Cùm esset concionator non vulgaris, scripsit

Sermonum ad clerum pro suo ordine, Librum vnum.
Sermonum ad populum, Librum vnum.
Ad reginam, historiam Visitationis beatæ Mariæ Virginis, Librum vnum.
Æterni Patris Filius Mariam concu.
Historiam nominis Iesu, Librum vnum. A solis ortu vsque ad occasum lau.
Pro introitu Sententiarum, Librum vnum.
Determinationes solemnes pro Carmelitis contra Dominicanos, Librum vnum.
Quæstiones ordinarias, Librum vnum.
Defensoriũ antiquitatis ordinis sui, Libros ij. Sanè dici potest & satis Cath.
Pro adepto triumpho, Librum vnum. Datus est mihi decor Carmeli.

Claruit anno post plenitudinem temporis 1374, quo anno die vicesimo tertio Februarij præfatæ liti finis impositus fuit. Rerum in Anglia tum potiebatur Edvvardus tertius.

De Ioanne Stocco.

1374. 637.

IOANNES Stoccus vel Stokes, Stokesum aliquandò vocat Lelandus, ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus in cœnobio Sudburiensi. Fuit ei natale solum Suffolcia, studiorum locus Cantabrigia, vbi insignia Doctoralis gradus accepit. Vir testimonio Lelandi, benè litteratus, sed, vt res ipsa loquitur, nonnihil litigiosus. Quo vitio nomini suo labem non leuem aspersit, imò notam penè indelebilem inussit. Nam publicè disputans contra antiquitatem ordinis Carmelitani, contra eiusdem dignitatem, & confirmationem, cum honore subsistere non potuit, sed ab Hornebio Carmelitano superatus, & co-

ram auditorio solemni confusus obmutuit. Scripsit tamen super hoc certamine pro ordinis sui dignitate contra Carmelitas, vt auctor est Antonius Senensis

Determinationum, *Librum vnum.* Non potest ostendi iure aliquo.
Ad rationes Cornuti, id est, Hornebij, *Librum vnum.*

Claruit anno postquam Verbum caro factum est 1374, dum Angliam regali potestate regeret Edvvardus tertius.

De Ioanne Marcheleio.

IOANNES Marcheleius, ordinis Minorum S. Francisci Monachus Anglus, & in Anglia suorum Minister Prouincialis. Vir morum probitate, & litterarum scientia conspicuus. Per hæc tempora grauis esse cæpit controuersia inter Dominicanos & Franciscanos de Conceptione beatæ Mariæ Virginis. Guilhelmus enim Iordanus ordinis sancti Dominici D. Thomam Aquinatem secutus, mordicùs tenebat illam in originali peccato fuisse conceptam, cui se acriter opposuit Ioannes Marcheleius, & in publicis concertationibus in scholis, atque etiam libris scriptis. Durauitque ad annos multos hæc lis inter duos istos ordines. Et Ioannes iste quoad vixit, velut signifer inter Cordigeros, vt loquitur Lelandus, suas & ordinis sui strenuè partes egit, scripsitque quasi victor, vt ex Vvillotto & alijs colligo, 1376. 638.

De Conceptione beatæ Mariæ Virginis, *Librum vnum.*
Quæstionum variarum, *Librum vnum.*

Eboraci mortuus & sepultus est anno post aduentum Messiæ 1376, dum Edvvardus Rex tertius in Anglia hæreditario, in Gallia bellico iure regnaret.

De Ioanne Hiltono.

IOANNES Hiltonus ordinis S. Francisci Monachus Anglus, vt testis est Vvillottus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir religiosæ vitæ & multiplicis doctrinæ titulis clarus. Subtiliter disputando in scholis Oxoniensibus laudem non mediocrem obtinuit. In causa ordinis sui aliquando controuersiam habuit cum Vtredo Boltono Monacho Benedictino, contra quem scripsit solemnes quasdam determinationes 1376. 639.

De paupertate fratrum, *Librum vnum.* Articulus pertractandus.
De statu Minorum, *Librum vnum.*
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.*

Norvvici tandem in suo cœnobio viuendi finem fecit, & requiescendi locum accepit anno post Christum natum 1376, regnante apud Anglos Edvvardo tertio.

De Simone Langhamo.

1376. 640. SIMON Langhamus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, vir multiplici doctrina, & integritate vitæ insignis. Hic intuitu meritorum ab infimo loco gradatim & paulatim ad summos honores ascendit. Nam ex Monacho primùm Abbas Vuestmonasteriensis, deinde Episcopus Eliensis, ac demùm Archiepiscopus Cantuariensis creatus est, præter alia quæ obiuit in republica munia, de quibus suo loco. Quod ad rem attinet litterariam, nihil eum scripsisse reperio, præter sermones, & quasdam constitutiones synodales, vt ex quibusdam Bibliothecis colligere possumus. Ex constitutionibus saltem vnam, ex sermonibus etiam vnum inuenimus. Scripsit igitur

De consuetudinibus, Statutum. Et infrà.

Sermonum, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.

Auinione diem suum obijt anno post Christi natiuitatem 1376, dum in Anglia rerum potiretur Eduvardus tertius. Vide eum quem collegimus de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Ranulpho Higdeno.

1377. 641. RANVLPHVS Higdenus in Occidentalibus Angliæ partibus natus, ordinis S. Benedicti Monachus Cestrensis, in cœnobio ad D. Vverburgam nominato, Congregationis Cluniacensis. Vir sacra & profana eruditione clarus, pietate etiam & religiosa vita conspicuus. Historiarum lectione vehementer delectatus, antiquitates maximè nostræ gentis curiosissimè inuestigauit; & vt suos labores faceret posterorum vtilitates, mira industria collegit ex vetustissimis auctoribus historiam ab initio mundi, vsque ad sua tempora, in qua res Britannicas accuratissima diligentia descripsit. Guilhelmus Caxtonus, quem penes me habeo, compilauit ex varijs auctoribus, & maximè ex isto Ranulpho, omnem illam suam Angliæ, Vvalliæ, Scotiæ, & Hiberniæ descriptionem. Annorum supputationem ab Abrahamo in margine annotauit. Totum opus iuxta numerum dierum septimanæ, & mundi ætatum, septem libros comprehendit. Quibus nomen suum apertè non præposuit, sed capitalibus litteris ab initio, quasi arcano quodam mysterio, subtiliter intimauit, in omnibus, vt ipse ingenuè profitetur, Florentium Brauonium Monachum Vvigorniensem fideliter secutus, narrationem deduxit, secundùm quosdam, vsque ad annum Christi 1363. Ego potiùs existimo tenendum quod scribit Vion Duacensis libro secundo ligni vitæ, vsque ad annum Domini 1377. nam in hoc Vion conformis videtur Guilhelmo Hormanno, cuius hæc sunt verba, *Varij generis, variarumque gentium historiam Ranulphus contexuit, orsus à mundi origine ad Richardum ferè secundum.* Historiam Ranulphi multum quæsitam, nunquam inuentam, & mihi non visam fateor. Scripsit igitur nobilissimum illud opus quod dixi, in cuius prima pagina, vt in quodam vetu-

sto codice scriptum inueni, capitales litteræ hæc sequentia verba continent: *Præsentem chronicam compilauit frater Ranulphus Cestrensis Monachus.* Titulum autem operi præfixit auctor

Polychronicon, *Libros septem.* Post præclaros artium Scriptores. MS. Oxonij in Collegio Nouo, Balliolensi, Mertonensi, Magdal. Lincolniensi, Ædis Christi: Cantabrigiæ in publica, & in Collegio S. Benedicti, S. Petri, Caij. Item in priuatis Baronis de Lumleio, & Gualteri Copi.

Abbreuiationes chronicorum, *Librum vnum.*
Expositionem Super Iob, *Librum vnum.*
In Cantica Canticorum, *Librum vnum.*
Sermonum per annum, *Librum vnum.*
Speculum curatorum, *Librum vnum.* Apparuit gratia Dei Saluatoris. MS. Oxonij in Collegio Balliolensi.
Determinationes sub compendio, *Librum vnum.*
Ex Guilhelmo Stephanide, *Librum vnum.*
Distinctiones Theologiæ, *Librum vnum.* Abijcere secundum Philosophos.
Mappam mundi, *Librum vnum.*
Pædagogicon Grammatices, *Librum vnum.* Cùm humanum genus ratione.
Ad litteram Calendarij, *Librum vnum.*

Decrepita tandem senectute, Cestriæ in suo cœnobio, postquàm in monastica disciplina vixisset annos sexaginta quatuor, debitum naturæ persoluti, & requiescendi locum accepit, mense Martio circa festum S. Gregorij Papæ, anno post partum Virginis 1377, regnante in Anglia Edvvardo tertio.

De Rege Edvvardo tertio.

1377. 642.

EDVVARDVS Angliæ Rex, Normannici, vel potiùs Andegauensis sanguinis tertius, vir belli pacisque artibus florentissimus & rerum gestarum gloria cum primis, quod vnquam sol vidit, meritò conferendus, si non omnibus præferendus. Sed de his suo loco. Fuit ingenij perspicacis, mitis, prouidi. Bonas litteras impensè coluit, ijsque regium animum mirificè excoluit. Viros pios & doctos summo in precio habuit, ad summos honores euexit. In fauorem populi primus decreuit, vt iudices, procuratores, & omnes, qui ius dicebant, non ampliùs Normannicè, sed Anglicè causas agerent, ne plebi semper opus esset interprete. Sed hic alijs omissis, videndum nobis est, quid ingenio valuerit, quid in re litteraria præstiterit. Neque enim sibi tantum ad oblectamentum, sed alijs etiam ad emolumentum doctus erat. Nam non pauca, nec illa certè indocta, scriptis commisit, posteris reliquit

Ad Papam & Cardinales, *Epistolam vnam.* Amabilium in Domino.
Ad Simonem Cantuariensem, *Epistolam vnam.* Sedens in throno gloriæ.
Ad Cardinales schismaticos, *Epistolam vnam.* Edvvardus Angliæ Rex.
Ad Benedictum Papam duodecimum, *Epistolam.* Reuerenter ac deuotè.
Ad Londinensem Episcopum, *vnam.* Auditis itaque litteris Archie.

Ad Ludouicum Cæsarem, *vnam.* Serenissimo principi Domino.
Ad Clementem Papam Sextum, *vnam.* Sanctissimo in Christo patri.
Commissionem nunciorum, *vnam.* Vniuersis præsentes litteras.
Contra Philippum Regem Francorum, vnam. Philippo de Valesio, litteras.
Ad eundem iterum. Rex omnibus ad quos.
De Scotorum subiectione, *vnam.* Sanctissimo in Christo Patri.
Contra Nicolaum Hethum, *vnam.* Ne fallax & sinistra relat.
Legum popularium, *Librum vnum.*
Immunitates magnæ cartæ, *Librum vnum.*
Priuilegia Vvestmonasteriensia, *Librum vnum.*
Ad Episcopos & alios Prælatos, *Librum vnum.*

Mortuus tandem & Vvestmonasterij sepultus est, anno ætatis suæ sexagesimo quinto, regni quinquagesimo primo, Christi nati 1377. Vide illum quem de Regibus Angliæ construximus Catalogum.

De Matthæo Vvestmonasteriensi.

1377. 643. MATTHÆVS, à floribus historiarum quos accuratè collegit, Florilegus cognominatus, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in cœnobio Vvestmonasteriensi. Vir scientijs melioribus benè instructus, & suo sæculo scriptor non vulgaris. In historijs, præsertim Britannicis & Anglicis peritissimus. Flores chronicorum à creatione mũdi, in sex ætates diuisos, in vnum magnum congessit volumen, tribus libris distinctum. In quorum primo de rebus insignioribus agit ab orbe condito vsque ad Christum natum. In secundo à Natiuitate Christi, vsque ad Normannorum in Angliam aduentum. In tertio agit de imperio Normannorum in Anglos, vsque ad initia regni Edvvardi secundi. In quo toto decursu seu discursu ita vestigijs Matthæi Paris institit, vt parùm ab eius methodo deflexerit, nisi quod in tertio libro multa ex suo depromserit armario, quæ vel ab alijs accepit, vel ipse vidit, quibus historiam suam non parum auxit, & multum ornauit. Postremò res gestas septuaginta annorum de suo planè adiecit, deduxitque rerum seriem vsque ad Regis Edvvardi tertij mortem, ad annum videlicet Domini 1377, post quem annum nec ipse diù superuixisse videtur. Omnia sua scripsit tanta fide, vt vix vnquam vel latum vnguem à vero aberrauerit; tanta diligentia, vt ferè nihil eorum quæ illis temporibus notatu digna contigerunt, omiserit. His adde summũ iudicium in rebus seligendis, acumen in inueniendis, ordinem in disponendis, exactã rationem in temporibus calculandis, annis supputandis. Ita vt hac sua multiplici industria, tantã attulerit nostris historijs lucem, quantam ante eum vix quisquam alius. Restat nunc vt titulos eorum quæ scripsit, hic adijciamus

Historiam amplam, *Libros plures.* Extat Londini anno 1570.
Historiarum flores, Libros tres. Temporum summam, lineamque descendentem. M S. in bibliotheca Lumleiana, & Gualteri Copi. Extat Francof. anno 1601. Habeo, legi.

Additiones septuaginta annorum, *Librum vnum*. Sequuntur tempora duorum. Huius libri mentionem ipse facit ad annum 1259.

Chronicon VVestmonasteriense, *Librum vnum*.
Chronicon cœnobij S. Edmundi, *Librum vnum*.

Claruit anno partus Virginei 1377, regnum finiente Edvvardo tertio, inchoante Richardo secundo.

De Ioanne Clipston.

IOANNES Clipstonus ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli Monachus Anglus, in Anglia Mediterranea, in cœnobio Nottinghamensi, vbi & ipse natalitium locum habuit. Nutricem in bonarum litterarum studijs habuit Academiam Cantabrigiensem, vbi sacræ Theologiæ primùm Doctor creatus, deindè Professor constitutus est: sacras igitur scripturas ibi multo tempore docuit, & mysteria diuina magna cum laude, & pari fructu in publico auditorio discipulis aperiebat. Erat enim linguæ promptæ, politi sermonis, subtilis ingenij, solidi iudicij, elegans etiam Poëta, orator disertus, concionator facundus, & quod omnium caput est, à progressu in litteris numquam disiunxit aut separauit *virtutis cultum, seu relligionis amorem*. Elegantiam in scriptis non vulgarem ostendit, & multò maiorem, quàm ferebat illorum temporum consuetudo communis. Sed testes eorum quæ diximus, in medium proferamus insignes, quas edidit, lucubrationes, tum versu, tum oratione soluta

1378. 644.

Expositorium sacrorum Bibliorum, *Librum vnum*. Partibus expositis textus.
Exempla sacræ Scripturæ, *Librum vnum*. Primus Pontifex Aaron.
In varios sacros textus, *Libros plures*.
Postillam in S. Ioannem, *Librum vnum*. Iste liber est de æterna Christi.
Quæstiones in Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*. De doctrina.
Disceptationes scholasticas, *Librum vnum*. Vtrum Theologia sit scientia.
Sermones per aduentum, *Librum vnum*. Quoniã per hoc tempus spiritual.
Sermones Hyemales, *Librum vnum*. Ab Athenis ciuitate Græcorum.
Sermones Æstiuales, *Librum vnum*. Non immeritò, fratres, hodierno die.
Sermones de proprio sanctorum, *Librum j*. Qui verè & non falsò confitetur.
Sermones de communi sanctorum, *Librum j*. Omni deuotione & solicitudine.

Nottinghamiæ tandem in cœnobio suo mortuus & sepultus est circa annum post natum humani generis redemptorem 1378, regnante apud Anglos Richardo secundo.

De Ioanne Elino.

IOANNES Elinus vel Helinius, natione Anglus, patria Norfolcensis, Professione Carmelitanus Monachus, in cœnobio Linnensi, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Vir propter singularem eruditionem, morum suauitatem, & meritam sanctitatis opinionem, magni aliquando per Angliam nominis, & apud suos tantæ auctoritatis, vt communi electus suffragio, ordinis sui Conuentui Londinensi Prior

1379. 645.

præficeretur. Ibi sanctè prudenterque regendo, bonis exemplis prælucendo, & ad populum frequenter concionando, magnos fecit fructus, & de eo prius conceptam opinionem meritis auxit, imò virtutibus longè superauit. Assiduus erat in meditatione mysteriorũ quæ in Apocalypsi S. Ioannis habentur. Composuitque quasdam imagines meliore quo potuit modo res illas arcanas adumbrantes, adiunxitque simùl commentarios, vt illa secreta diuina partim à doctis per explicationem intellectu perciperentur, partim à simplicioribus per icones, oculis subijcerentur. Composuit igitur commentarios

In Apocalypsim, Librum j. Secundùm Isidorum decimo octauo etym.
Lecturas sacrarum Scripturarum, Librum vnum.
Conciones, Librum vnum. Redde quod debes, Matthæi decimo octauo.
Quodlibeticas quæstiones, Librum vnum. Vtrum castitatem vouẽs grauiùs.

Londini tandem in suo conuentu diem clausit extremum, & ibidem sepulturæ traditus est, anno postquam filius Dei naturam assumpsit humanam 1379, sub tumultuoso Richardi secundi in Angliа regno.

De Ioanne Bridlingtono.

1379. 646.

IOANNES Bridlingtonus, natione Anglus, patria Eboracensis, & in illis regionibus ad Normam S. Augustini Canonicus regularis in cœnobio Bridlingtonensi, vbi posteà præfuit Abbas. Vir pius, & sacris studijs, rerumque diuinarum contemplatione mirificè delectatus. Aliquando tamen animi gratia seueriorem remittens meditationem, ad poësim & versus rithmicos excurrebat, in quibus non mediocrem habuit gratiam. In omni vita perhibetur habuisse miserias cum consolationibus mixtas, vt in via Domini, & huius vitæ peregrinatione, nec rebus prosperis nimium efferretur, & superbiret: nec aduersis deijceretur, & animum desponderet. Magnum amoris diuini signum, nec iudicium leue ad æternam gloriam prædestinati. In feruore suarum contemplationum extases mirabiles, in extasibus arcanas visiones habuisse dicitur. Ad se rediens, quasi spiritum hausisset Prophetiæ, mira nonnunquã de futuris prædixit atque etiam scripsit: populi, procerum, principum, atque adeò ipsorum Regum vitia redarguens, deterruit omnes à peccatis, impendẽtia mala minitans, nisi resipiscerent. Hæc in concionibus, hæc in familiaribus colloquijs identidẽ repetebat, hæc libris scriptis in vulgus propalabat. Hæc etenim sequentia opera in lucem emisit

Homiliarum ad populum, Librum vnum.
Carminum vaticinalium, Libros tres. Februus infestus requies fuerat.
Alios versus vaticinales, Librum vnum. Taurus cornutus ex primo ger.

Naturæ debitum persoluit, sexto Idus Octobris, anno ætatis suæ sexagesimo, nati verò Saluatoris 1379, dum sub Richardo secundo regnum Angliæ vacillaret. Bridlingtonus porrò, quoniam & viuus habebatur pro sancto, & mortuus hanc opinionẽ miraculis coruscans confirmabat, successu temporis in numerum sanctorum Cõfessorum relatus est.

De

De Henrico Daniele.

HENRICVS Daniel ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus. Vir in omni sæculari scientia benè versatus, in Philosophia autem naturali, & arte medica insigniter peritus. Virtutes herbarum, radicum, florum, fructuum, & similium diligenter inuestigauit. Et quoniam sciebat omnia ad vsum hominum à natura producta, omnem adhibebat conatum, vt inueniret ad quid vnumquodque conduceret, & ad finem propter quem singula facta sunt, singula debitè posset applicare. Denique naturam & artem ita commisit, vt alteram alerius adminiculo iuuaret, & vtramque ingenio atque industria sua quodammodo redderet perfectiorem. In arte medendi Hippocratis viam secutus, multum in eo ponendum existimabat, vt quis morborum signa & causas cognosceret, corporum constitutiones, habitudines, & diuersas qualitates inuestigaret. Vt, quoad fieri potest, nec malum cui mederi cupis, nec media quibus curare queas, nec modum quo applicare debeas, ignores. Hæc intra priuatos parietes priuatim didicit, priuatim exercuit, vel certè antequàm Monachus fieret. Nam hæc publicè discere, docere, vel exercere nulli clerico ius Canonicum ordinariè permittit. Scripsit tandem, & Gualtero Catenæo medicinæ Doctori dedicauit operosam lucubrationem in materia medicinali, cui titulum fecit

1379.
647.

Manipulum florum, *Librum vnum*. Amantissime sodalis pluries &c.
De Iudicijs vrinarum, *Librum vnum*.

Claruit anno postquàm Verbum caro factum est 1379, sub Angliæ Rege Richardo secundo.

De Guilhelmo Fletæo.

GVILHELMVS Fletæus, Iosephus Pamphilus vocat Flete Plures exteri scriptores, ab Anglia cognominant, erat enim ordinis eremitarum S. Augustini Monachus Anglus. Vir solitudinis & cælestis contemplationis amans, & fama sanctitatis non incelebris. Semper ascendit de virtute ad virtutem, & quotidiè se melior effectus, experientia in seipso compertum habuit nullam in hac vita tantam esse perfectionem, qua non possis auxilio diuinæ gratiæ maiorem acquirere. Cùm audiret in Italia quosdam ordinis sui fratres reformari, & in suis cœnobijs strictiorem amplecti disciplinam, eò aduolauit, & inter eos in incredibili morum integritate, vitæque innocentia vsque ad extremum vitæ diem constanter perseuerauit, vt testantur Ambrosius Coriolanus & Iacobus Bergomensis. Dicitur in suis precibus & contemplationibus miras diuinitùs habuisse reuelationes, præsertim de futuris Anglorum calamitatibus. Super quibus ad Anglos, maximè qui eiusdem ordinis & instituti fuerunt, varias scripsit epistolas multiplici eruditione, & Christiano zelo refertas

1380.
648.

Ad ordinis in Anglia Prouincialem, Epistolam vnam. Obsecro in Domino Iesu quatenus.
Ad Doctores Prouinciæ, Epistolam vnam. Cũ timore Dei & reuerentia.
Ad Fratres in Cõmuni, Epistolam vnã. Ait enim Apostolus. Spectacul.
Ad alios diuersos Epistolarum, Librum vnum.
Prædictiones ad populum Angliæ, Librum vnum.
Dicitur in Italia obijsse, & ibidem inter suos sepulturam accepisse anno Domini 1380, regnante in Anglia Richardo secundo. Denique scribit Sabellicus eum in Sanctorum numerum fuisse relatum.

De Thoma Bromio.

1380. 649. THOMAS Bromius ordinis Carmelitani Monachus Anglus in Conuentu Londinensi, ab ipsa adolescentia, vt insinuat Lelandus, Oxoniæ studere cœpit, & tamdiù perrexit gradatim ascendens, donec supremum in Theologia Magisterium consequeretur. Quo gradu suscepto, magno cum applausu, multo fructu, frequens habens auditorium publicitùs ibidem docuit. Successu temporis Londinũ ad suũ Monasterium reuersus, electus est ibi Prior. Vbi tanta cũ prudentia, grauitate, auctoritate, in omni vitæ sanctimonia præfuit, vt nõ solũ illo, verum etiam altiore magistratu dignus ab omnibus reputaretur. Vnde anno Domini 1362, in Capitulo Cantabrigiensi communi omnium suffragio constitutus est ordinis sui per Angliam Minister Prouincialis vndeuicesimus. Quo in munere strenuè se gessit, suos vbique visitando, discolos & refractarios reformando, antiquam ordinis disciplinam, in quibusdam Monasterijs collapsam renouando, & integritati pristinæ restituendo, ad annos septẽdecim. Omnis quidem virtutis diligens cultor, sed castitatis singularis amator. Diuos tutelares præ cæteris venerabatur Sanctum Ioannem Euangelistam Virginem Christo impensè dilectum, & Sanctum Edvvardũ Regem Confessorem, quorum imagines vbique in vitreis fenestris Ecclesiarum apud suos depingi fecit. Sed ad libros quos edidit, veniamus, qui eius tum pietatem tum doctrinam abundè testantur. Scripsit
De Laudibus sacræ Scripturæ, Librum vnum. Doctorum fuerat consuetudo semper.
In præfationem S. Hieronymi, Librum vnum. Romani sunt in partibus Italiæ.
In D. Paulum ad Romanos, Librum vnum. Cùm secundùm leges commodiùs censeatur.
Lecturam Theologiæ, Librum vnum. Prior dedit illi ad Roman. vndec.
Sermones de Tempore, Librum vnum. Parit tristitiam. Ioannis decimo sexto. Circa.
Quæstiones varias, Librum vnum.
Londini in suo cœnobio diem obijt extremum, & ibidem honestam accepit sepulturam, anno Christi Seruatoris 1380, dum Anglicani re-

gni clauum vtcumque teneret Richardus secundus.

De Ioanne Stafforto.

IOANNES Staffortus in Occidentalibus Angliæ partibus, versus Vvalliam natus, ab oppido natalitio, vndè & totus ille Comitatus nomen sortitus est, cognominatus, ordinis S. Francisci ab ipsa adolescentia Monachus. Hic finitis, vti mos erat, Philosophicis & Theologicis studijs, vt Ioannes Lelandus & Rossus insinuant, in historiarum lectione vacuas horas collocauit. Cui studio assuefactus, delectationem & fructum gustare cœpit, & secum cogitauit operęprecium esse, non solum illustrium virorū res gestas, ad animi oblectamentum legere, sed etiam ad commune aliorum emolumentum scribere. Et quia videbat exemplis virtutum domesticis Angliam semper abundasse, in illustrandis patrijs historijs operam suam optimè collocari posse iudicabat. Ad illud igitur opus se accinxit, & Latino sermone non ineleganter scripsit, vt ex Vvillotto & alijs colligo,

1380. 650.

Historiam Anglicam, *Librum vnum.*

Vixisse creditur circa annum Incarnationis Dominicæ 1380, dum Angliæ regnum possideret Richardus secundus.

De Henrico Kinghtono.

HENRICVS Kinghtonus historicus Anglus, cuiustamen vix vllus historicus mentionem facit. Pauca nihilominùs ex Ioanne Lelando, quæ ille se ex Ioanne Rosso accepisse profitetur, in medium proferam. Naturaliter insitus amor patriæ facit vt libentiùs loquamur, legamus, scribamus res domesticas, quàm externas. Idem euenit huic auctori. Qui cùm historijs delectaretur, patrias prætulit alienis. Dicitur autem ex selectissimis auctoribus, quasi flores historiarum gentis nostræ delibasse, in pulchram methodum redegisse, ab ingressu Normannorum in Angliam, ad suum vsque tempus narrationem rerum deduxisse. Illa autem quæ suo tempore contigerunt, suo Marte, summa fide, pari industria, prout domi militiæuè viderat, aut aliàs veraciter didicerat, scriptis commisit, posteris tradidit,

1380. 651.

De gestis Anglorum, *Librum vnum.*

An alia scripserit necnè, me latet. Floruit anno virginei partus 1380, regnante in Anglia Richardo secundo.

De Simone Alcocco.

SIMON Alcoccus sacræ Theologiæ Doctor Anglus, & in eadem facultate publicus Professor, Concionator etiam insignis, Philosophus subtilissimus, omnibus denique tum humanis tum diuinis scientijs nobiliter instructus. Vir acuti & perspicacis ingenij, promptę linguæ, firmi constantísque iudicij. Quod autem ad integritatem morum, vitæque attinet innocentiam, indè colligo fuisse virum specta-

1380. 652.

tissimum, quod ita sacras Scripturas legendo volueret, contemplando ruminaret, vt in lege Domini meditari nocte & die videretur. Sublimia, vt habet Lelandus, magno aggressus animo fœlici penetrauit ingenio. Ita versatus in difficillimis scholasticæ Theologiæ quæstionibus, & reconditis sacrarum Scripturarum mysterijs, & vtrobique (quòd non nisi magnorum est ingeniorum) obscuris lucem, controuersis certitudinem, dubijs attulerit fidem. Hæc pleraque ex nostro Lelando mixtis meis, & illius tum verbis, tum sententijs desumpsi. Pauca ex ijs quæ scripsit Alcoccus accipe. Reliqua, si inuenero, Deo propitio, suo tempore adijciam. Hos saltem constat edidisse litterarios ingenij fœtus.

De modo diui endi thema pro materia sermonis dilatanda, *Librum vnum.*
Circunstantiæ primò sunt consider. M S. Oxonij in publ. & in Coll. Lincolniensi.

Expositiones in Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Concionum variarum, *Librum vnum.*

Vixit anno Christi nati 1380, sub Angliæ Rege Richardo secundo.

De Guilhelmo Cockisfordo.

1380. 653. GVILHELMVS Colkisfordus, natione Anglus, patria Norfolcensis, professione Carmelita in Monasterio Linnensi, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Cantabrigiensis. In qua Academia docendo, disputando, concionando, & scribendo, magnũ apud omnes sibi conciliauit honorẽ. Erat enim vir insignis ingenij, multæ sanctitatis, magnæ in studijs sedulitatis. In sacris litteris, & in omni etiam sæcularis Philosophiæ genere eruditissimus, vt apud plurimos illius potissimùm ordinis scriptores inuenio Grossium, Fabrum, Hasartum, Iacobum de Plebe, Petrum Lucium, quibus Ioannem Trithemium & Lelandum nostrum adiungo. Sed mihi longè maximum est, quod ab ipsius scriptis assumo testimonium. Scripsit enim

Postillas in sacram Scripturam, *Librum vnum.*
In Canticum Moysi, *Librum vnum.* Cantemus Domino, gloriosè enim.
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Sermones de Tempore, *Librum vnum.* Tota pulchra es amica mea.
Sermones de Sanctis, *Librum vnum.*

Claruit anno salutis restauratæ 1380, dum Angliæ regno præsideret Richardus secundus.

De Radulpho Marrhamo.

1380. 654. RADVLPHVS Marrhamus ordinis S. Augustini in cœnobio Linnensi Comitatus Norfolcensis, Monachus Anglus. Vir qui pietatis & eruditionis titulis, non solum sibi suoque Monasterio, verum etiam ordini toti magnum conciliauit honorem. Studia sua tam sedulò prosecutus est in Academia Cantabrigiensi, vt ibidem tandem

ad summum in Theologia Magisterij gradum ascenderit. In qua dignitate tuenda ita se gessit, vt ei celebrior indies accreuerit fama. Cùm autem iam planè sui iuris in studijs factus esset, iucunda magis sectatus, quàm subtilia, postpositis spinosis scholasticarum concertationum argutijs, ad amænos historicorum campos, quasi se deinceps recreaturus, animum conuertit & calamum, nisi quòd ad populum nonnumquàm sermones habere consueuerit. Ex præstantissimis igitur auctoribus collegit opus insigne, in quo descripsit ab origine mundi vsque ad suum tempus præcipuorum Regum & regnorum exordia, progressus, incrementa, decrementa, mutationes, ruinas. Variorum gentium diuersos mores, ritus, consuetudines. Denique penè nihil eorum omisit, quæ posteris seruire possent ad exempla virtutum quæ sequi oporteat, seu vitiorum quæ fugere debeant. Operi nomen expressè non præfixit, sed quasi in ænigmate posuit in ipso exordio primi libri. Vbi primorum verborum capitales litteræ conficiunt *Frater Radulphus Marrham.* Opus ipsum vocauit

Manipulum chronicorum, *Libros septem.* Fratribus Religionis Animum Tenentibus, &c.

Indices fusissimos eorundem chronicorum, *libros duos.* Aaron quando nascitur ? & quare fecit.

Concionum ad populum, *Librum vnum.*

Hæc pleraque ex Iosepho Pamphilo. Porrò claruisse dicitur hic Marrhanus anno filij Dei incarnati 1380, dum in Anglia rerum potiretur Richardus secundus.

De Thoma Cardinali.

1380. 655.

THOMAS ordinis S. Dominici Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor. Vir cui pietas & eruditio celebrem famem pepererant. Richardo secundo Anglorum Regi magno fuit in pretio, eique successu temporis factus est ab arcanis conscientiæ in ijs quæ ad Deum sunt, & demum inter purpuratos relatus, creatus est S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Petri ad vincula. Sanè scripta eius, quæ adhuc inueniuntur, eminentem Philosophum; res gestæ, & diuersa opera quæ ferunt eum edidisse, eum & optimum virum, & non vulgarem fuisse Theologum abundè testantur. Antonius Senensis in suo Dominicanorum chronico scribit se opera quædam eius vidisse Toleti in ordinis sui conuentu, qui ad S. Petrum martyrem dicitur. In libro, inquit peruetusto coniuncto summæ Alberti Brixiensis. Hæc autem sequentia ponit volumina

Super Aristotelis Philosophiam vniuersam, *Libros plures.*

Quodlibeta varia, *Librum vnum.*

Vixit anno redemptionis humanæ 1380, sub præfato Angliæ Rege Richardo secundo.

De Ioanne Tomsono.

1380. 656. IOANNES Tomsonus natione Anglus, patria Norfolcensis, ex oppidulo Tomsono & ortum habuit & cognomen, ordinis fratrum beatæ Mariæ semper Virginis de monte Carmeli Monachus Blacuciensis seu Nigerianus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Adolescens, vt innuit Lelandus, professionem fecit Monasticam, & tempestiuè iugum Domini portare cœpit, in pietate & eruditione paulatim progrediens, summum tandem vtriusque gradum consecutus est. Fuit enim ingenio florentissimo, solido iudicio, sermone affabilis, eloquio clarus & copiosus, & concionatorum in Anglia suo tempore facilè princeps. Sed opera eius suum auctorem meliùs loquentur. Scripsit enim vt inuenio apud Ioannem Lelandum, Iacobum de Plebe in Indice, & Petrum Lucium in sua Carmelitana Bibliotheca, vt alios taceam

In Ecclesiasticum, *Librum vnum.* Prout recitat beatus Augustinus.
Postillas in S. Joannem, *Librum vnum.* De verbo specialiter est notandũ.
Directoriũ dictarũ postillationum, *Librum j.* Abijcere temporalia quid sit?
Moralitates sacræ Scripturæ, *Librum j.* Pulsatus fratrum instantijs cogor.
Indices horum moralitatũ, *Librum vnum.* Abominatur Deus sex. Scilicet.
In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Lectionum locos communes, *Librum vnum.* Abyssus quid sit, & cui compar.
Abbreuiationes Doctorum, *Libros plures.*
Sermones de tempore, *Librum vnum.* Exurget regere gentes, Roma.
Sermones de Sanctis, *Librum vnum.* Ego mater pulchræ dilectionis.
Sermones Quadragesimales, *Librum vnum.* Parce Domine populo tuo &c.
Sermones ad clerum, *Librum vnum.* Benedicite Sacerdotes Domini.
De mirabilibus mundi, *Librum vnum.* Lana terræ Abrahæ, quæ non.
Ex Rideuallo ad Fulgentium, *Librum vnum.* Abrahæ par erat cõiugium.
Ex Triuetho de transformatis, *Librum vnum.* Abbas à Monacho veneno.

Et alia plurima quæ simul cum istis diù asseruata fuisse dicuntur in pulcherrima Carmelitarum Bibliotheca Norvvici. Claruit anno post misericordiam humano generi per Christum factam 1380, dum vacillans Anglicani regni gubernaculũ vtcumque teneret Richardus secundus.

De Henrico Bederico.

1380. 657. HENRICVS Bedericus, alijs de Buri, Suffolcensis regionis oppido, ordinis eremitarum S. Augustini Monachus Anglus in cœnobio Clarensi. Ab ipsa penè pueritia, testibus Colbio, Eisingreno, & Iosepho Pamphilo, præclaram ad litteras indolem, & ingenium alacre ostendit. Quæ naturæ dotes ne perirent otio, diligenter prospexerunt, qui Monasterio præfuerunt. Nam iubentibus maioribus studiorum causa missus est, non solum ad Academias Anglicanas, sed etiam exterarum regionum scholas frequentauit, & post longa studia, multos labores, & ferè quotidianas in scholis concertationes, tandem Lutetiæ

Parisiorum Doctoralem suscepit dignitatem. Nec multo post tempore reuersus in Angliam, & frequentibus ad populum habitis concionibus, propter singularem in elocutione gratiam, sibi magnum nomen acquisiuit. His accessit vitæ integritas, morum honestas, decens grauitas, & inter suos multa auctoritas, in rebus agendis mira prudentia, in expediendis negotijs non minor dexteritas. Quibus nominibus tandem electus est ordinis sui per Angliam Prouincialis. Quo in regimine vigilanter laborans, suam & multorum operatus est salutem. Sed ad eius doctrinam, & nostrum institutum reuertamur. Petrus Vincentinus hanc opinionem illi ascribit vt labem, quod cum labe peccati originalis beatam virginem Mariam conceptam fuisse acriter defenderit. Eruditionis & ingenij monimentis apud posteros his sequentibus adhuc vel mortuus viuit. Nam ex armamentario suo litterario deprompsit

Sermonum de beata Virgine, *Librum vnum.*
Sermonum per annum, *Librum vnum.*
Super Magistrum Sententiarum. *Libros quatuor.*
Quæstiones Theologiæ, *Librum vnum.*

Claruit anno Messiæ nati 1380, sub turbulento in Anglia Richardi secundi regimine.

De Guilhelmo Hentisberio.

GVILHELMVS Hentisberius vel Heitusberius natione Anglus, liberalium artium & Philosophiæ Magister Oxoniensis, vt ex Ioanne Maiore libro primo de gestis Scotorum capite quinto, & ex Ioanne Ludouico Viues in opere de corruptis artibus colligo. Vir subtilis & acuti ingenij, sed ita litigiosi, vt præter argutias logicas penè nihil gustauerit, totamque ætatem in illius artis quæstionibus discutiendis, & in sophisticis fallacijs excogitandis consumpserit. Scripsit autem 1380. 658.

Sophismata subtilissima, *Librum vnum.* Omnis homo est omnis homo. M S. Cantabrigiæ in Collegio sancti Benedicti, & sancti Petri. Extat Oxonij in pub.

Conclusiones sophisticas, *Librum vnum.* Tu es asinus. Probatio istius.
Dialecticam, *Librum vnum.* Scire multis modis accipitur.
Regulas consequentiarum, *Librum vnum.* Consequentia est antecedentis &. Oxonij in publ.
De sensu composito, *Librum vnum.* Arguendo à sensu composito ad. Venetijs 1494.
De prædicamentis, *Libros tres.* Tria sunt Anteprædicamenta vel.
Regulas Grammaticales, *Librum vnum.*

Claruit anno gratiæ 1380, sub Angliæ Rege Richardo secundo.

De Vtredo Boltono.

1380. 659. VTREDVS Boltonus in Anglia Transabrina, vt Lelandus loquitur, natus, ordinis S. Benedicti Monachus Dunelmensis. Vir cuius tum doctrina, tum pietas suo tempore multùm illuxit. Alacritate ingenij próptus ad studia, affabilitatis gratia iucundus ad colloquia, suauitate morum aptus ad conciliandam amicitiam, denique fœlici naturali indole, præclarisque animi dotibus dexter ad omnia. Ab omnibus fratribus tanquàm frater vnicè dilectus, Abbati etiam propter magnam, quam de illo conceperat, spem, mirè charus. Concurrente igitur cum Monachorum amore, Abbatis fauore, communi consilio & vnanimi consensu, missus est Oxonium ad studia. Vbi labore, industria, & ingenij fœlicitate ad eam doctrinæ perfectionem tandem peruenit, vt cum eruditissimis sui temporis viris non immeritò conferri potuerit. Infœlicia etiam in quæ incidit tempora fœlici hominis ingenio per occupationes pessimas exercitium dederunt & incrementum. Nam diuina, vt interpretor, prouidentia, tum florere, & inter viros doctos eminere cœpit, cùm Ioannes VVicleffus pestilens errorum suorum venenum, & in scholis inter doctos spargere, & è suggestu in concionibus imperitæ multitudini nequiter propinare, & impudenter obtrudere satagebat. Cui se strenuè, constanter, magnanimiter opposuit Vtredus, & de eo, tanquàm de hoste publico superato, non semel triumphauit. Habuit quidem cum fratribus mendicantibus quasdam controuersias, maximè cum Guilhelmo Iordano Dominicano, cum Ioanne Hiltono Franciscano, & quibusdam alijs: Vnde nonnullam dedecoris maculam celebritati nominis eius aspersam ferunt. Sub finem tamen regni Edvvardi tertij inuenio in legatione honoratissima Romam missum ad Gregorium Papam vndecimum, ibi perbenignè susceptum, & in precio habitum, iniunctum sibi munus strenuè peregisse, confectisque ex animi sententia rebus, splendidis donis remuneratum, in patriam, vndè venerat, cum honore redijsse. Ex quo patet famam eius vel nunquam fuisse læsam, vel ita leuiter læsam, vt restituta denuò refloruerit. Sed hæc extra propositum. Nunc ad ea quæ nostri sunt instituti redeamus, & quos fœlix eius ingenium doctrinæ fœtus protulerit, & posteris reliquerit, videamus. A præfato Iordano prouocatus in lucem emisit

Contra querelas fratrum, *Librum vnum.* Pericula in falsis fratribus.

Quæstiones contra eorum mendicitatem, *Librum vnum.* Vtrum paupertas mendicitatis.

De regia Christi dignitate, *Librum j.* Vidés esse planũ, Dominũ nostrum.

Contra blasphemos in Christum, *Librum vnum.*

De regali & sacerdotali officio, *Librum vnum.* Sicut ex duobus spiritu & corpore.

De diuina prædestinatione, *Librum vnum.*

De perfectione religionis, *Librum vnum.*
De substantialibus Regulæ Monachalis, *Librum vnum.* Nouitio quærenti quare hæc duo. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De præcepto & dispensatione, *Librum vnum.* Abbas supra regulã non est.
Pro Monachis veris, *Librum vnum.* Abbas, Prior seu quicunque præsid.
De varietate professionum, *Librum vnum.*
Meditationum, *Librum vnum.* Notandum quòd meditationes sunt. MS. Oxonij in Bibliotheca publica. Item in priuata Bibliotheca Gualteri Copi.
De diligendis inimicis, *Librum vnum.* Ad dilectioné inimicorũ inuita.
De Sacramento altaris, *Librum vnum.*
De dotatione Ecclesiæ, *Librum vnum.*
Contra impugnantes eandem, *Librum vnum.*
De non auferendis Ecclesiæ bonis, *Librum vnum.*
De esu & abstinentia carnium, *Librum vnum.*
De perfectione viuendi, *Librum vnum.*
Sermonum, *Librum vnum.*

Claruit anno postquàm Verbum caro factum est 1380, dum summa rerum in Anglia penes Richardum secundum vtcunque resideret.

De Guilhelmo Thorneio.

GVILHELMVS Thorneius vel Thornus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in Cantuariensi Monasterio, quod olim posuit Apostolus Anglorum S. Augustinus primus Archiepiscopus Cantuariensis. Pietatis & eruditionis cultor sedulus, vtpote qui omnes horas à precibus & obseruantia regulari liberas in optimarum litterarum studijs sibi laudabiliter, alijs vtiliter, toti Ecclesiæ & reipublicæ litterariæ fæliciter collocauit. Lelandus fatetur se, hominem multis nominibus laudandum, vno tantum titulo laudare: Nempe quòd tantam in illustrandis historijs sui cœnobij posuerit diligentiam, vt vix in Anglia, rebusque Anglicanis vetustius, copiosius, veracius monimentum inuenire possimus *1380. 660.*

Tam nostras primo res exorditur ab ouo,
Ad sua succiduam deducens tempora prolem.

Thomam quidem Spottum eiusdem cœnobij Monachum, qui ante centum circiter annos floruerat, in historijs sæpè secutus est, multa ex illius operibus desumens, & suis inserens; sed non pauca suppleuit, quæ Spottus, alioquin scrutator antiquitatum non indiligens, omiserat, & quæ post illius mortem melioris notæ contigerant, adiecit, & per sua scripta posteris contemplanda tradidit. Multa præclara opera illum scripsisse lego, paucorum tamen vel titulos inuenio. Cætera vel hominum incuria, vel temporum iniuria perijsse videntur. Scripsit saltem opus cuius iam facta est mentio; cui titulum fecit

De rebus gestis Abbatum Cantuariensium, *Librum vnum.*

De regibus Cantiæ, Librum vnum.
Chronica de Comitatibus, Episcopatibus, Abbatijs, per totam Angliā, Librum j.
MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De vitis quorundam sanctorum, Librum vnum.
Claruit anno pacis Euangelicæ 1380, dum in Anglia rerum potiretur Richardus secundus.

De Guilhelmo Pachentono.

1380. 661. GVILHELMVS Pachentonus, natione Anglus, Edvvardi Principis nigri scriba & thesaurarius. Postquam tum in Anglia, tum in Gallia scholas diligenter frequentasset, litteras sacras & profanas, simul cum lingua Gallica accuratè didicisset; cum dicto Principe ac Domino suo agens in Vasconia, teste Lelando, se totum dedidit historijs voluendis, legendis, scribendis, partim propter oblectamentum ingenij, partim etiam in gratiam sui Domini, cuius res gestæ posteritate donari merebantur. Sed ne nihil eorum, quæ ante se acta sunt, scire, tanquam semper puer, videretur, scripsit de Ioanne Rege ab anno scilicet regni eius nono, illustria Regum facta, magna diligentia, pari fide, vsque ad suum tempus prosecutus. Primum autem opus Gallicè scripsit, vocauitque
Historiam insignem Evvardi principis, Librum vnum.
Acta quinque Regum, Librum vnum.
Claruit anno postquam facta est salus huic mundo 1380, dum Anglici regni gubernaculum teneret Richardus secundus.

De Guilhelmo Sladio.

1380. 662. GVILHELMVS Sladius ordinis Cisterciensis Monachus Anglus solitariam egit vitam in cœnobio Bucfastensi in Comitatu Deuoniensi ad Darentum fluuium. Vir acri & viuaci ingenio, &, vt auctor est Lelandus, ad argutias sophisticas aptissimo. Collegit quodammodò ex spinis vuas, & quasi ex cultura littoris marini fructus vberes. Nam licet præter Philosophiam & Philosophicas subtilitates penè nihil nouerit, tamen eruditionis maximè titulo, in Abbatem à suis electus est, & ad honores, duce, vt ita dicam, Aristotele (quod perpaucis contingit) peruenit. In illo autem dignitatis gradu constitutus, & extructis ædificijs, & libris editis, & sibi & cœnobio nomen, quod anteà fuerat obscurum, celebre reddidit & valdè illustre. Scripsit quodammodò per argutias Logicas, & speculationes Philosophicas stylo satis inculto
Super Magistrum Sententiarum, Libros quatuor.
Moralium flosculos, Librum vnum.
Quæstiones in Ethica Aristotelis, Libros decem. Memoratio & reminiscibil.
In Physica Aristotelis, Libros octo.
Quæstiones de anima, Librum vnum.
Super vniuersalia, Librum vnum.
Floruit anno post Christum natum 1380, regnante apud Anglos Richardo secundo.

De Adamo Muremuthensi.

ADAMVS Muremuthensis, natione Anglus, in Ecclesia cathedrali ad D. Paulum Londini Canonicus. Erat Iurisconsultus expertissimus, & in tractandis negotijs dexter & expeditus. Missus aliquandò Romam à Gualtero Rainaldo Cantuariensi Archiepiscopo cum amplissimo procuratorio causam illius prudenter egit, & negotium sibi commissum optimo fine conclusit. Studijs tamen iuris successu temporis postpositis, ad historias legendas & scribendas animum appulit, calamum accommodauit. Viderat ille in antiquis nostræ gentis annalibus, res à maioribus præclarè gestas, & exempla virtutum posteris vtilissima. Viderat ætate sua viros rerum gestarum gloria præstantes, quorum facta memorabilia memoriæ tradere sibi gloriosum, multis fructuosum fore existimabat: negligere, perire sinere, incuria sua periculo sempiternæ obliuionis exponere, sibi etiam indecorum putabat. Arrepto itaque calamo ad scribendum se miro feruore contulit, & ea quæ suo tempore & patrum memoria contigerant, maxima diligentia, fide summa, stylo simplici scripsit, composuitque historiam annorum circiter octoginta, quā duobus voluminibus complexus est. Omnium penè quæ in posteriore opere posuit, testis fuit oculatus; eorum verò quæ in priore, ferè tātum auritus. Ita tamen (quod probè notat Lelandus) vt non nisi à viris fidelissimis inquireret rerum veritatem, aut acciperet testimonium. Cúmque illa quæ ad rem suam faciebant, collegisset, disposuisset, & consilio cum multis collato diligenter examinasset, omnia publica fecit, vt & tunc viuentes, & posteros laborum suorum faceret participes, & ætates secuturæ exempla virtutum haberent in prædecessoribus suis, quæ contemplari possent ad iucunditatem, imitari ad vtilitatem, transmittere etiam ad suam posteritatem. Non desunt qui notant hunc auctorem circa festum S. Michaëlis Archangeli cœpisse historias scribere, & ideò in annorum computatione semper annum ab illo festo inchoasse. Historiā incepit ab anno Domini 1302, cuius priorem partem vsque ad annum 1343, produxit, atque ibi suum primum librum terminauit. Posteriorem partem indè inchoauit, vbi priorem finiuit, quam vsque ad annum 1380, prosecutus est, atque ibi secundo libro, totique historiæ, forsan etiam & vitæ, finem imposuit. Videtur autem prior illa pars esse Continuatio historiæ Ranulphi Cestriensis. Cui titulum istum præfixit

1380.
663.

Chronicon annorum quadraginta & vnius, *Librum vnum*. Quoniam, vt scribitur per antiquos.

Chronicon annorum triginta nouem, *Librum vnum*.

Vixit anno partus virginei 1380, dum in Anglia reipublicæ clauum ægrè teneret Richardus secundus.

De Guilhelmo Badbio.

1380. 664. GVILHELMVS Badbius, ordinis Carmelitani Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Multi eiusdem ordinis Doctores, & imprimis Robertus Iuorius huius viri laudes prædicant. Dum intra priuatos Monasterij sui parietes egit iuuenis, omnes suos coæuos virtute & eruditione præcedebat. Vnde propter magnam ingenij spem, Oxonium ad altiora studia missus, inter suos quasi supremus emersit. Nam partim in illa Academia, partim alibi suis elegantissimis concionibus magnam sibi famam acquisiuit. Illum Ioannes Lancastriæ Dux ad se vocatum tanquam loco patris habuit, eumque ad secreta confessionum adhibuit. Illum clerus Vvigorniensis in Episcopum petijt, & accepit: Sed opera suum loquantur auctorem. Scripsit

Concionum celebrium, *Librum vnum.*
De Pœnitentia, *Librum vnum.* Omnis ætas hominis ab adolescentia.
Constitutionum, *Librum vnum.* Secundùm hortationem Psalmistæ.

Floruit anno Christi 1380, sub Angliæ Rege Richardo secundo. Vide quem scripsimus de Vvigorniensibus Episcopis Catalogum.

De Galfrido Hinghamo.

1380. 665. GALFRIDVS Hinghamus, Iurisperitus Anglus. Vir prompto & viuido ingenio, acri iudicio, & in rebus agendis singulari prudentia. Postquam liberales artes, & Philosophicas scientias didicisset, & multiplici rerum cognitione animum insigniter excoluisset, iurisprudentiæ studijs se totum dedidit, cuius scientiam speculatiuã vbi acquisiuisset, ad praxim se contulit, illius memor; *discitur innocuas vt agat facundia causas.* Operæprecium esse ratus, vt optima scientia ad illum finem, in quem inuenta, & ad quem destinata est, probè vteretur. Patrocinium itaque bonarum causarum suscepit, & in omnibus æquitatem tueri, iniquitatem refellere omni conatu satagebat, ne latum quidem vnguem à rectitudine iuris, cuius scientiam profitebatur, declinans. Vndè percelebre apud suos populares nomen acquisiuit, cuius etiam memoriam libris scriptis posteritati commendauit. Scripsit

Summam iuris ciuilis, *Librum vnum.* Notandum quòd quinque sunt.
Super actione vendentis, *Librum vnum.* Lex quidem tribuit, sed nota per.
De hereditario iure, *Librum vnum.*

Claruisse dicitur anno reparatæ salutis humanæ 1380, dum in Anglici regni solio solicitus sederet Richardus secundus.

De Richardo Lauinghamo.

1381. 666. RICHARDVS Lauinghamus, natione Anglus, patria Suffolcensis, vt auctor est Lelandus, ordinis fratrum de Monte Carmelo in Monasterio Gippesvvicensi à puero educatus, pietatis & bonarum litterarum amorem, quasi primum post lac nutricis alimentum imbibit. In illa statim ætate tenella specimen futurarũ virtutum non leue demon-

strauit. Ita charismata meliora æmulatus, vt omnes suos commilitones habuerit quidem amatores atque etiam admiratores, paucos tamen imitatores, superiorem, aut etiam parem planè neminem. Adolescens habitum suscepit, suo tempore professionem edidit, sub obedientia regulari humiliter vitam egit, & ætati congruos in litteris & virtute fecit progressus. Tandem decurso humaniorum studiorum stadio, Oxonium ad maiora studia destinatus est. Et primùm Philosophicis, deinde Theologicis rebus tam strenuam dedit operam, & in vtrisque tam insignem acquisiuit cognitionem, vt per gradus paulatim ascendens, tandem Theologici Magisterij supremam adeptus fuerit lauream, vt auctor est Trithemius. Oxonij denique sacræ Theologiæ Professor factus est. Tum demùm qualis & quantus vir esset manifestiùs omnibus innotescere cœpit. Erat enim subtili ingenio, fluente eloquio, acri iudicio. Ad quas naturæ dotes, cùm iam accessisset multiplex scientia, & Doctoralis auctoritas, domi forisque celeberrimus effectus est. Habuit sanè fœlix hoc ingenium, per infœlicia, in quæ incidit, tempora, quo se satis, superque exerceret. Tunc enim Vvicleffi Hæresis in Anglia, & Lolhardorum in Bohemia cœpit inualescere, omnem ordinem peruertere, leges & Reges, Deum etiam & Sanctos contemnere & vilipendere: in quorum erroribus refutandis, & præcipiti audacia comprimenda multum adhibuit industriæ, magnos pertulit labores, insignem demonstrauit doctrinam, incredibilem ostendit zelum, ingentem denique fecit fructum. Hos tanquam inimicos Dei iuratos, & Ecclesiæ capitales hostes, perfecto odio odit; hos disputationibus publicis frequenter oppugnauit, imò viriliter expugnauit. Hos in cõcionibus vehementer agitauit. Hos libris scriptis euidenter confutauit, condẽnauit, profligauit. Quibus nominibus mirum in modũ charus erat Regi Richardo secundo, cui fuit à confessionũ secretis, & Simoni Sudberio Cantuariensi Archiepiscopo, quocum, vt infrà dicetur, in tumultu, à sediosis occisus est. Apud suos etiam non mediocri fuisse in æstimatione, ex eo constat, quòd ætate iuuenili transacta, statim vt vir factus est, factus est etiam Prior Conuentus Bristoliensis, vbi aliqui putant eum obijsse, quod ego, vt credam, adduci non possum. Nam existimo eum ad Regem vocatum, & in Aula ad Regis conscientiam dirigendam moratum, Prioratus officium non deposuisse, sed per substitutum administrasse, & dum Prior erat Bristoliensis, non Bristolij mortuum, sed Londini fuisse interemptum. Sed ad doctrinam hominis veniamus. Multarum & quidem insignium lucubrationum participem fecit posteritatem. Nam, vt testes sunt Iacobus de Plebe in Indice, & Petrus Lucius in sua Carmelitana bibliotheca, in lucem emisit

Dictionarium sacræ Scripturæ, *Librum vnum*. Cassiodorus super psalmo.

Scholasticos commentarios in Isaiam, *Librum vnum*. Ad singulare præconium Prophetæ.

Annotationes in Tobiam, *Librum j.* Notatur primo capitulo quomodo.

In D. Paulum ad Titum, *Librum vnum*. Influentia spiritualis homini.
Lecturas Scripturarum, *Librum vnum*. Derelinquetur filia Sion sicut.
Quæstiones super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*. Quæritur vtrum finis per se.
Determinationes notabiles Oxoniæ & Londini publicè lectas pro libro reuelationum S. Brigittæ, *Libros septem*. Stupor & mirabilia audita sunt.
Historiam trium Magorũ, *Librum vnum*. Dicitur primo capite, quòd sicut.
Ex S. Augustino de ciuitate Dei, *Librum vnum*.
Abbreuiationes Bedæ, *Librum vnum*. Britannia cui quondam Albion.
Argumenta in epistolas D. Hieronymi, *Librum vnum*. In hac epistola resp.
Excerptiones Doctorum, *Libros decem*. Tullius in libro de natura Deorum.
Compendium Gualteri Reclusi, *Librum vnum*. In primo capite primi libri quem pre.
De fundatione sui ordinis, *Libr. j*. Quem morte præuentus imperfectũ rel.
Clypeum paupertatis, *Librum vnum*. Pauperes fiducialiter requiescent.
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum*.
Lectiones Oxonienses, *Librum vnum*.
Orationes ad clerum, *Librum vnum*.
Sermones de tempore, *Librum vnum*. Solutum est vinculum linguæ, Marci.
Sermones de sanctis, *Librum vnum*.
Determinationes contra Lolhardos & Vvicleffistas, *Librum vnum*.
Contra quoscumque Hæreticos, *Librum vnum*.
Contra Ioannem Purueium, *Librum j*. De Sacramento Eucharistiæ decem.
Encomium virtutis, *Librum vnum*. Virtutem laudamus, Ethicorum.
In Ethica Aristotelis, *Libros decem*. Sicut in dictis Pythagoræ legitur.
Vocabularium Theologiæ, *Librum vnum*. Cùm difficultas verbalis multùm.
De inuentoribus rerum, *Librum vnum*. Quoniam de rerum inuentione.
De futurorum euentu, *Librum vnum*. In materia de euentu futurorum.
Quæstiones vesperiales, *Librum vnum*.
Dicta Senecæ & Tullij, *Librum vnum*.
Causas naturales, *Librum vnum*. Deus & natura nihil frustrà oper.
Terminos naturales, *Librum vnum*. Quæritur vtrum diffinitio naturæ.
Speculum naturale, *Libros octo*. Nè tædiosum sit studentibus plur.
Quæstiones Physicorum, *Libros octo*. Vtrum materia de se aliquem.
De scientia & sensu, *Librum vnum*. Circa considerationem quarè sensus.
Compendium Meteororum, *Libros quatuor*.
De scire & nescire, *Librum vnum*. Scire multis modis dicitur.
De proprietatibus elementorum, *Librum vnum*. Præmissus est sermo à nobis.
De finito & infinito, *Librum vnum*.
De proportionibus, *Librum vnum*.
De distantia planetarum, *Librum j*. Nota quòd secundùm Astronomos.
Compendium de anima, *Librum vnum*. Anima est actus corporis organici.
De potentijs animæ, *Librum vnum*.
De potentijs actiuis & passiuis, *Librum j*. Cùm potẽtia cuiusq; rei sit circa.

De primo instanti, *Librum vnum*. Ad cognoscendum quando est vel.
De natura instantium, *Librum vnum*.
De cælo & mundo, *Libros duos*. Summa cognitionis naturæ hæc.
De identitate & diuisione, *Librum vnũ*. Distinctiones sunt septẽ num.
De regulis consequentiarum, *Libr. vnum*. Omnis propositio affirmatiua.
De arte obligatoria, *Librum vnum*. Obligatio est oratio mediante qua.
De conuersione propositionum, *Librum vnum*. Circa conuersiones aliquarũ.
Probationes propositionum, Librũ j. Consequẽtia est antecedens & cõseq.
De exceptiuis & exclusiuis, *Librum vnum*.
De ampliatiuis, *Librum vnum*.
Summas logicales, *Librum vnum*. Iuxta processum Aristotelis in.
Sophismatum Canones, *Libros duodecim*. Conuersio est transpositio term.
De speciebus argumentorum, *Librum vnum*.
De suppositionibus, *Librum vnum*. Suppositio est statio termini.
De insolubilibus, *Librum vnum*. Sicut nexus amoris quandoque.
Syntagmata rerum, *Librum vnum*. Est sciendum quòd quædam consu.
De fallacijs, *Librum vnum*. Fallacia est deceptio, siue vt.
De decem Prædicamentis, *Librum* j. Tractaturus de decẽ prædicamentis.

Tandem in ipso ætatis flore, facto in suburbijs Londinensibus populari tumultu, vnà cum Simone Sudberio Cantuariensi Archiepiscopo, & alijs claris viris interemptus est anno redemptionis humanæ 1381, Richardo secundo non satis secũda sorte apud Anglos regnante.

De Richardo Vvicchinghamo.

RICHARDVS Vvicchinghamus, natione Anglus, patria Norfolcensis, ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli primùm Monachus, deindè Prior, & demùm etiam sacræ Theologiæ Professor in cœnobio Burnehamensi. Vir laudatæ pietatis & scientiæ, qui & in scholis eruditè docuisse, & coram populo cum applausu prædicasse, & in vtroque non mediocrem progressum cum fructu fecisse, teste Ioanne Lelando, memoratur. In scriptis denique communicauit posteritati 1381. 667.

In primum & secundum librum Magistri Sententiarum, *Libros duos*.
Sermonum centum & sex, *Librum vnum*.

Et alia plura. Norvvici in suo cœnobio mortuus & sepultus dicitur circa annum post aduentum Messiæ 1381, in tumultuoso Angliæ regimine sub Richardo secundo.

De Ioanne Hickeleio.

IOANNES Hickeleius, ordinis eremitarum S. Augustini Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor. Huius laudes non præterit silentio Iosephus Pamphilus in suo de Augustinianis chronico. Ex quo colligo, sicuti etiã ex eius scriptis satis elucet, eum tum pietatis, tum eruditionis laude floruisse, & planè talem fuisse, quem zelus do- 1381. 668.

mus Dei, iuxta Propheticum dictum, comedit. Erat enim non solum amicus Dei, sed etiam inimicus inimicorum Dei. Ecclesiam Dei sponsam Christi summè dilexit, omnésque eius fautores & amatores amauit; e contrà omnes Hæreticos, Schismaticos, & alios Ecclesiæ persecutores & hostes odio habuit. Vndè contra Vvicleffum & suos tum errores, tum fautores scripsit ingens volumen in tres partes distributum, cui titulum fecit

De potestate Ecclesiæ, *Libros tres.* Ecclesia magna valdè ab introitu.

Claruit anno postquàm in carne apparuit humana Filius Dei 1381, regnante apud Anglos Richardo secundo.

De Richardo Depedalo.

1381. 669. RICHARDVS Depedalus, ordinis Carmelitani Monachus Anglus, in cœnobio Linnensi ad viciniam maris, in prouincia Norfolcensi, sacræ Theologiæ Doctor, & in suo cœnobio Professor. Apud Ioannem nostrum Lelandum inuenio, quòd fuerit vir eruditionis non contemnendæ, & celebris Verbi diuini prædicator. Dicitur in lucem emisisse

De vita Christiana, *Librum vnum.* Conuersationem vestram inter gentes habentes.

Sermonum de Tempore, *Librum vnum.*

Claruit anno redemptionis humanæ 1381, sub languido in Anglia Richardi secundi regno.

De Guilhelmo Bertono.

1381. 670. GVILHELMVS Bertonus, natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & eiusdem Academiæ aliquando Cancellarius. Hic cùm esset vir pius, doctus, prudens, & ingenio perspicaci, vidit pestilentem Vvicleffi doctrinam, ad Ecclesiæ perniciem tendere, & ad multarum animarum interitum. Quarè ad officij sui rationem pertinere iudicauit super hoc religionis negotio inquirere, & re accuratiùs examinata, competentes iudices in tota causa constituere. Vti & fecit. Nam elegit & in vnum congregauit duodecim viros doctissimos, videlicet ex ordinibus mendicantium sex, ex Doctoribus sæcularibus, seu non regularibus, partim Theologis, partim Iurisperitis, alios sex, quibus rem totam commisit. Qui inter sese conferentes vnanimiter concluserunt, articulos Vvicleffi fuisse & esse erroneos, quibus si pertinaciter adhęrescat, eum hęreticum esse declarandum, sese etiam eum hæreticum declarare. Hæc pleraque ex fasciculo zizaniorũ Thomæ Vvaldensis desumpsi. Porrò his ita peractis, Bertonus zelo Dei plenus super istis omnibus doctissimè scripsit, & in publicum emisit

Determinationes contra Vvicleffum, *Librum vnum.*

Super eius iusta condemnatione, *Librum vnũ.* Guilhelmus Berton Cancell.

Contra eius articulos, *Librum vnum.* Et alia opuscula non pauca.

Claruit

Claruit anno reparationis salutis humanæ 1381, statu reipublicę non leuiter perturbato in Anglia sub Rege Richardo secundo.

De Simone Sudberio.

SIMON Sudberius, natione Anglus, vir eloquens & ad persuadendum aptissimus. Vndè, vt scribit Lindvvodus in suis Constitutionibus, & Polydorus Vergilius libro vicesimo historiæ Anglicanæ, difficillimis reipublicæ temporibus, ad sedandum grauissimum populi tumultum (quamquam res malè successerit) cum alijs Londini missus est. Hunc insignem virum virtutes cum non vulgari doctrina coniunctæ, primum ad Londinensem Episcopatum, deinde ad Cantuariensem Archiepiscopatum euexerunt. Quid tamen scripserit non inuenio præter solas constitutiones synodales 1381. 671.

De celebratione Missarum. Effrenata. Et infrà.

De Pœnitentijs & remissionibus. Confessiones. Et alia similia.

Orto populari tumultu miserè cum alijs trucidatus est in suburbio Londinensi, anno salutis humanæ 1381, sub inquieto in Anglia Richardi secundi regno. Vide illum quem construximus de Cantuariensibus Archiepiscopis catalogum.

De Castertono.

CASTERTONVS ab oppido natalitio in patria Norfolcensi sic nuncupatus, vt auctor est Lelandus, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Norvvicensi. Cùm iam pro more religiosorum recepto studiorum cursum peregisset, eamque libertatem consecutus esset, vt cui vellet lectioni operam dare posset; se omninò ad sacrarum scripturarum meditationem contulit, tanto ardore sublimia mysteria contemplatus, vt multorum arcanorum particeps fieri videretur. Scripsit in plures eloquij sacri textus eruditos commentarios, quibus non solum suum, verum etiam sui cœnobij, totiúsque adeò ordinis nomen celebrius reddidit. Opera eius in sui Monasterij Bibliotheca solicitè asseruata ad multos annos permanserunt. Sed pleraque perijsse existimo cum euersione religionis Catholicæ sub Henrico Apostata. Pauca tamen quædam interitum euaserunt. Nam adhuc in quibusdam Bibliothecis inuenimus commentariorum 1382. 672.

In aliquot Epistolas D. *Pauli,* *Libros plures.*

In Apocalypsim S. Joannis, *Librum vnum.* Posuit castra sua in medio.

Claruit anno redempti generis humani 1382, quo tempore sub Richardi secundi regimine fluctuabat satis periculosis domesticorum tumultuum procellis Anglicani regni status.

De Thoma Vvintertono.

1382. 673. THOMAS Vvintertonus, natione Anglus, patria Lincolniensis, ordinis eremitarum S. Augustini in cœnobio Stanfordiensi, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & totius ordinis sui per Angliam Prouincialis Præfectus. Vir in sacris & profanis litteris plus quàm vulgariter doctus, non inelegans concionator, hæreticorum capitalis inimicus, diuinæ gloriæ feruidus zelator. Propter communionem studiorum, parem ætatem, & longam vsque ab adolescentia educationem cum Ioanne Vvicleffo magnam contraxerat amicitiam. Sed cùm vterque creuisset, satis apparuit, zizania simul fuisse cum tritico. Nam quantum Thomas in pietate, tantum in impietate Vvicleffus profecit, & errores quos in occulto diù nequiter fouerat ad suam ipsius pernitiem, in vulgus propalare cœpit ad multorum ruinam. Quare Vvintertonus suarum partium esse iudicabat, veterem amicum commonefacere, & ab errore, si posset, reuocare. Verũ vbi nihil se proficere videret (neque enim corrigi potest, quem Deus dereliquit in reprobũ sensum) veterem amicitiam, mutauit in hostilem inimicitiam & causam Dei, Religionis, Ecclesiæ contra eum defendendam suscepit. Itaque aduersus importunum hunc homuncionem multa eruditè scripsit, ingentem zelum, nec minorem doctrinam in omnibus ostendens. Nam vt testatur in Augustinianorum chronico Iosephus Pamphilus, edidit

Super assertione Eucharistiæ, *Librum vnum.*
Absolutionem contra Confessionem Vvicleffi, *Librum vnum.* Sicut testante Apostolo ad Rom. M S. in Bibliotheca Lumleiana.
Disputationum Theologicarum, *Librum vnum.*
Sermonum per annum, *Librum vnum.*

Claruit anno post aduentum Messiæ 1382, sub fluctuante Richardi secundi in Anglia regno.

De Simone Southraio.

1382. 674. SIMON Southraius, secundùm quosdam ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio S. Albani. Ego tamen potiùs illis assentior, qui volunt eum fuisse ex ordine eremitarum S. Augustini. Nam inter suos eum ponit Iosephus Pamphilus Augustinianus in suo Augustinianorum chronico. Erat sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Hunc pietas, doctrina, diuinæque gloriæ zelus celebrem in Anglia reddiderunt. Cùm per id tempus Vvicleffus errores suos spargere inciperet, hic omni qua potuit ratione illi obstitit, & communicato consilio cum quodam Dunelmensis cœnobij Monacho Doctore etiam Oxoniensi, multum laborauit & publicis disputationibus, & priuatis colloquijs, & libris tandem scriptis contra præfatum Vvicleffum, vt impiam eius doctrinam refutaret, & ab Ecclesia Christi periculum illius hæresis propulsaret. Scripsit igitur in hac Dei & Ecclesiæ causa

Contra Vvicleffitas, *Librum vnum.*
De auctoritate Ecclesiæ, *Librum vnum.*
De Sacramento Altaris, *Librum vnum.* Et alia non pauca.

Claruit anno virginei partus 1382, dum ad Anglicani regni gubernaculum sederet Richardus secundus.

De Banchino Londinensi.

BANCHINVS natione Anglus, in vrbe Londinensi natus & educatus, ibidem etiam ordinis S. Augustini Monachus factus, vti scribit in Augustinianorum chronico Iosephus Pamphilus. Postquàm intra priuatos cœnobij parietes litteras illas didicisset, quæ ad humanitatem animum excolunt, Oxonium ad sublimiora capessenda missus est. Vbi absoluto tum Philosophico, tum Theologico cursu, ad supremum in sacris scientijs euectus est Magisterij gradum, & primarius ibidem in sacra Theologia Professor constitutus, inter Academicos & in Theologicis concertationibus, & in diuini Verbi prædicatione celebris admodum euasit. Habuitque zelum Dei secundùm scientiam. Vnde in Concilio Londinensi contra Vvicleffitas congregato, strenuè se gessit, habitis aduersus eorum errores doctissimis disputationibus. Vt quos ex ijs conuertere non posset, saltem rationum momentis erroris conuinceret, & argumentorum pondere quodammodò comprimeret. Hæc pleraque desumpsi ex zizaniorum fasciculo Thomæ Vvaldensis, qui, vti & Iosephus Pamphilus, testatur eum scripsisse

1382.
675.

Contra positiones Ioannis Vvicleffi, *Librum vnum.*
Determinationum variarum, *Librum vnum.*
Sermonum ad populum, *Librum vnum.* Et alia plura.

Floruit anno postquam Verbum caro factum est 1382, afflicto in Anglia reipublicæ statu sub Rege Richardo secundo.

De Thoma Asheburno.

THOMAS Asheburnus, in Occidentalibus Angliæ regionibus versus Cambriam honestis parentibus natus in oppido Staffordiensi Diœcesis Lichfieldensis, quo etiam in loco factus est ordinis eremitarum S. Augustini Monachus. Post absoluta in Academia Oxoniensi Theologica studia, fuit ibidem in suprema facultate & laurea donatus & cathedra. Cumque esset & multiplici doctrina instructus, & zelo fidei plenus, omnes quos potuit in Vvicleffum concitauit, vt eum eiusque erroneam doctrinam dictis, factis, scriptis detestarentur. Contra quem ipse multa fecit, scripsit, prædicauit. Denique eo maximè instigante anno Domini 1382, super hoc negotio Londini synodus conuocata fuit, cui ipse cum decem Episcopis, quadraginta quatuor Theologis, & viginti iurisperitis interfuit, vbi tandem hæresis Vvicleffi solenniter condemnata fuit. Hæc partim ex Iosephi Pamphili, par-

1382.
676.

tim ex Thomæ Vvalsinghami chronicis accepi. Scripsit autem præsertim post prædictam synodum

Contra trialogum Vvicleffi, *Librum vnum.*
De identitate in Sacramento, *Librum vnum.*
Lecturas Bibliorum *Libros plures.*
Sermonum, *Librum vnum.*
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.*
Replicationum suarum, *Librum vnum.*
Extractiones ex S. Augustino, *Librum vnum.* Magnus Dominus & laudab.

Claruit anno gratiæ 1382, sub Angliæ Rege Richardo secundo.

De Ioanne Vvellis

1382. 677. IOANNES Vvellis ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in cœnobio Ramesiensi, Congregationis Cluniacensis. Post imbibitas tum humaniores, tum Philosophicas disciplinas, fæliciter emensus est Theologicorum studiorum cursum. Quo finito Doctoralem dignitatem Oxoniæ suscepit. Fuit hæreticorum omnium, & præsertim Vvicleffi suorumque sectatorum iuratus hostis, & vnus ex illis duodecim, qui primùm omnium, illum & illius errores damnauerunt. Quædam denique non indocta scripsit, quibus apud posteritatem honestam famam consecutus est, edidit enim, vt testatur Abbreuiator Gesneri, & alij

De Eucharistia, *Librum vnum.*
De cleri prærogatiua, *Librum vnum.*
Pro religione priuata, *Librum vnum.*
Contra Nicolaum Herfordium, *Librum vnum.*
De socij sui ingratitudine, *Librum vnum.* Salutem quam meretur, aut.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Et alia multa, ferè omnia contra hæreses & hæreticos. Claruit autem anno à plenitudine temporis 1382, dum summa rerum in Anglia penes Regem Richardum secundum resideret.

De Ioanne Gascoinio.

1382. 678. IOANNES Gascoinius, natione Anglus, cum in ipsis annis ferè puerilibus optimam ostenderet indolem, cura suorum semper in studijs pietatis & bonarum litterarum nutritus est. Postquàm autem Latini sermonis elegantiam suam fecisset, Oxonium petijt, vbi peracto Philosophiæ curriculo, ad Iurisprudentiæ studium se contulit, cui tam neruosam dedit operam, vt successu temporis vtriusque iuris Doctor efficeretur. Cuius tanta deinceps enituit eruditio, pietas, & Catholicæ religionis zelus, vt Oxoniæ cum vndecim alijs Doctoribus & ipse electus fuerit sub Guilhelmo Bertono Academiæ Cancellario, ad causam Ioannis Vvicleffi cognoscendam & examinandam, in quo examine dictus Vvicleffus hæresis conuictus & condemnatus est. Pauca

quidem, quantum hactenus inueni, scripsit hic auctor, sed stylo non inelegante. Gesnerus & eius Abbreuiator hæc sequentia saltem ei tribuunt

Contra Vuicleffum, *Librum vnum*.
De vita S. Hieronymi, *Librum vnum*. Et alia nonnulla.

Claruit anno Verbi incarnati 1382, regnante vtcumque in Anglia Richardo secundo.

De Roberto Ormeskirco.

ROBERTVS Ormeskircus, ordinis Carmelitani Monachus Anglus, Oxonij Doctor Theologus, multæ lectionis & eruditionis fuisse perhibetur, multa etiam scripsisse dicitur. Titulos tamen operum non inuenio, nisi quòd contra quosdam obtrectatores librum ediderit pro ordinis sui dignitate, atque etiam antiquitate propugnanda, vbi probauit suam regulam in monte Carmelo, & ab ipso Helia Thesbite originem sumpsisse. Quod opus in Oxoniensibus Bibliothecis ad annos benè multos asseruatum ferunt. Cui titulum præfixit 1382. 679.

Propugnaculum seu defensorium ordinis Carmelitani, *Librum vnum*.
Romani Pontifices & iura ca.

Oxoniæ tandem diem suum obijt circa annum post aduentum Christi in carne 1382, regnante apud Anglos, sed languidè, Richardo secundo.

De Guilhelmo Foluillo.

GVILHELMVS Foluillus, ordinis Minorum vel S. Francisci Monachus Anglus, patria Lincolniensis, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Vir religiosæ vitæ, & multiplicis eruditionis titulis non incelebris. Sic enim ex Ioanne Lelando & Henrico Vvillotto colligo. Ægrè tulerunt ijs temporibus Academici Cantabrigienses, quòd fratres præsertim Minores in ordinem suum passim admitterent adolescentes, imò ferè pueros; feceruntque statutum, nequis ab ijs reciperetur ante annum ætatis decimum octauum. Quod statutum contra eorum priuilegium factum, ferre noluerunt dicti fratres. Et Foluillus ordinis sui nomine contra dictum statutum scripsit 1384. 680.

Pro pueris induendis, *Librum vnum*. Hæc est sententia fratrum Minorum.

Obijt & sepulturam inter suos habuit Stanfordiæ anno Dominicæ incarnationis 1384, dum reluctantes Anglos vtcumque potestate Regia frænaret Richardus secundus.

De Simone Bredono.

SIMON Bredonus, seu Biridanus, Vvinchecombæ in Anglia natus, Oxoniensis alumnus, Collegij Mertonensis socius, vbi adolescens politiores litteras iuuenis omnes artes liberales accuratè perdidicit, & vir factus partim Astrologiæ, partim Medicinæ se dedidit. In vtroque autem studio tantũ profecit, vt ætate sua vix parẽ ei produxerit 1386. 681.

Anglia. Postquàm Doctoralem in arte medendi gradum accepisset, animum ad scribendum appulit, operamque litterariæ reipublicæ planè vtilissimam nauauit, emissis in lucem doctissimis operibus, quibus, & alijs fructum, & sibi famam immortalem peperit apud omnem posteritatem. Nec solum profanas litteras imbiberat, sed etiam sacras vtcumque degustauerat. Nam vt ex varijs Angliæ Bibliothecis deprehensum est, scripsit

Super Isaiam Prophetam, *Librum vnum*. MS. Cantabrigiæ in Archiuis Coll. Caij.

In computum Ecclesiasticum Roberti Lincolniensis, *Librum vnum*. Licet modò in fine temporum.

Logicam quandam, *Librum vnum*. Sicut Dux sui exercitus, sic.

Arithmeticam theoricam, *Librum vnum*. Quantitatum alia continua, alia discreta. MS. Oxonij in Bibliotheca publica.

De rebus Astronomicis, *Librum vnum*.

Tabulas chordarum, *Librum vnum*. Arcus, sinus rectus, sinus versus.

Calculationes chordarũ, *Librum vnum*. Ad alleuiationẽ laboris calculant.

In demonstrationes Almagesti, *Libros ij*. Ascẽsiones æqualiũ portionũ zod.

In quædã capita Ptolemæi, *Librum vnum*. Nũc superest ostendere quid sit.

De proportionibus, *Librum vnum*.

Aequationes planetarũ, *Librum vnum*. MS. Cantabrig. in Col. S. Petri.

De latitudine earumdem, *Librum vnum*.

Trifolium de re medica, *Librum vnum*.

Super introductorio Alcabitij, *Librum vnum*.

Astronomiam calculatoriam, *Librum vnum*.

Astronomiam iudiciariam, *Librum vnum*.

Super quibusdam demonstrationibus, *Librum vnum*.

Claruit anno salutiferæ natiuitatis 1386, sub vacillante in Anglia Richardi secundi regno.

De Ioanne Burgensi.

1386. 682.

IOANNES Burgensis, seu de Burgo, alius ab illo Benedictino Monacho qui vixit anno Domini 1340, natione Anglus, altricem in studijs habuit Academiam Cantabrigiensem, vbi absoluto studiorum cursu, in sacra Theologia Doctoralem gradum sumpsit. Deinde profectus in Comitatum Nottinghamiensem, Ecclesiam ibi Collinghamensem Pastor regendam suscepit. Vbi acceptum à Deo talentum, & industria sua mirificè auctum, ad multorum salutem vtiliter impendit, alijs exemplo bonæ vitæ prælucens, diuini Verbi prædicatione plurimos à vitijs ad virtutem traducens. Percrebrescente tandem eius fama, denuò Cantabrigiam vocatus, communibus votis Vniuersitatis Cancellarius electus est, vt, qui tum virtutis, tum eruditionis laudibus florebat, pijs simul & doctis viris suo iure præesse posset. Præfuitque magna cum auctoritate, multo cum fructu, licet non multo

tempore. Nam breuî ad suam Ecclesiam Collinghamensem reuersus, quod reliquum erat vitæ illic transegit. Et quoniam in docendo populo, & sacramentis ministrandis semper versabatur, vt suos labores faceret etiam posterorum fructus, vt in quibusdam Bibliothecis inuenio, scripsit in eo genere nec pauca nec indocta

Himiliarum ad populum, *Librum vnum.*

De Sacramentis & sacramentalibus grande volumen, quod intitulauit, *Pupillā oculi, Libros decem.* Humanæ conditio naturæ. M S. Cantabrigiæ in collegio S. Benedicti & S. Petri. Extat Argentinæ anno 1514. & Parisijs 1510, 1518. Vidi in Bibliotheca Benedictinorum Anglorum Delo. Collinghamiæ senex diem extremum obijt, & requiescendi locum accepit anno gratiæ 1386, sub Angliæ Rege Richardo secundo.

De Ioanne Botleshamensi.

IOANNES Botleshamensis vel de Botleshamo, à pago natalitio in Comitatu Cantabrigiensi, qui milliaribus circiter quinque Cantabrigia distat, sic cognominatus, Ordinis S. Dominici Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Vir tantæ pietatis, ingenij, doctrinæ, vt his nominibus apud viros eruditos, & eruditionis patronos magno fuerit in precio. Inter primos in Anglia sui temporis concionatores meritò numeratus erat. Cuius eloquentia delectatus ipse Rex Richardus secundus cui à secretis confessionum erat, eum sæpè ad Aulam vocauit, & è suggestu sermocinantem libenter audiuit. Regis igitur beneficio tandem euectus est ad Episcopatum primò Landauēsem in Vvallia, deinde ad Roffensem in Cantia. De hoc auctore mentionem honorificam facit Thomas Vvalsinghamus in sua continuatione polychronici. Monimenta suæ doctrinæ non pauca posteris communicauit, licet modò ex ijs admodum pauca inueniamus. Saltem scripsisse dicitur

1388. 683.

Disputationes scholasticas, *Librum vnum.*

Sermones coram Rege, Librum vnum. Et alia plurima. Claruit anno post Christum natum 1388, regnante in Anglia Richardo secundo. Vide illum quem construximus de Episcopis Roffensibus Catalogum.

De Nicolao Radcliffo.

NICOLAVS Radcliffus, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus ad S. Albanum, & ibidem Archidiaconus. Hunc Ioannes Lelandus à pijs studijs & à pietate studiosa admodùm laudat, & quidem non immeritò. Nam quicquid ingenio, industria, doctrina poterat, id omne ad Dei gloriam, animarum salutem, fidei propugnationem, & hæresum extirpationem totis viribus applicabat. Et quoniam incidit in illa infælicia tempora, quibus hæresis Vvicleffiana cæpit inualescere, nullum non mouit lapidem, vt perfidum illud dogma, vt loquitur Lelandus, & impium eius progressum, pernitiosumque reipublicæ Christianæ,

1390. 684.

incrementum impediret. Vvicleffum igitur in priuatis colloquijs, in domesticis exhortationibus, in scholasticis disputationibus, in publicis concionibus, & tandem in libris scriptis, tanquàm nouarum doctrinarum inuentorem, antiquarum desertorem, veritatis oppugnatorem, mendaciorum artificem & fabricatorem, inimicum crucis Christi, Ecclesiæ iuratum, & publicum hostem semper insectabatur. Scripsit contra eum doctissimos dialogos de sanctissima Eucharistia, in quibus interlocutores facit Nicolaum & Petrum. Opus sic intitulauit

Viaticum animæ salubre, *Libros duos.* Cùm tortuosus & callidus ille serp.
Super imaginum cultu, *Librum vnum.* Vtrum sit licitum Christiano imagi.
Quæstionum diuersarum, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Tandem in suo ad S. Albanum cœnobio diem obijt, & sepulturam habuit, circa annum gratiæ 1390, regnante in Anglia Richardo secundo.

De Thoma Lumbæo.

1390. 685. THOMAS Lumbæus ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli Monachus Anglus in Conuentu Linnensi, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & ibidem in eadem facultate Professor. Eleganter innuit Lelandus noster huius Doctoris multiplicem eruditionem in causa fuisse, quòd eius fama multis innotuerit, & à multis non solum patriotis, sed etiam externis mirificè fuerit celebratus. Nam Bostius, Trithemius, Hasartus, & alij non dubitant eum optimorum scriptorum ascribere Catalogo. Et erat certè vir integritate vitæ, & eminente doctrina clarus. In acutis disputationibus, eruditis lectionibus, concionibus denique & libris editis doctrinam satis testatam fecit. Zelum etiam & pietatem secundùm scientiam in eo declarauit, quòd hæreses omnes & errores, potissimùm illos qui suo tempore pullulabant, exosos habuerit. Quod ex eius scriptis, quæ pleraque se vidisse testatur Lelandus, non obscurè colligitur. Testantur autem ipse Lelandus, Trithemius, Iacobus de Plebe in Indice, & Petrus Lucius in sua Carmelitana bibliotheca, eum scripsisse

Lecturas in sacram Scripturam, *Librum vnum.*
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Determinationes Theologiæ, *Librum vnum.* Vtrum secundùm doctrinam à Spiritu
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.*
De incarnatione Verbi, *Librum vnum.*
Sermonum per annum, *Librum vnum.*
Contra Lolhardos & Vvicleffitas, *Librum vnum.* Et alia opuscula.

Linnæ tandem in suo Monasterio mortuus & sepultus est anno post misericordiam humano generi factam 1390, dum sub Richardo secundo regnum Angliæ tumultibus fluctuaret.

De

De Ioanne Somerio.

IOANNES Somerius vel Summer, ordinis Minorum S. Francisci Monachus Anglus, in Conuentu ad Gualteri Pontem, vulgò Bridgevvalter, quod est emporium in Comitatu Somersecesi ad Flueli fluminis ripas situm. In scholis Oxoniensibus, teste Lelando, bonis litteris operam dedit, tantosque in Mathematicis & Philosophicis scientijs fecit progressus, vt ijs temporibus vix quemquam habuerit Anglia cum illo conferendum, neminem planè præferendum. Astronomiæ præ cœteris inuigilauit, & partim ex probatissimis auctoribus, partim ex ingenio suo sedulaque industria, monimenta in eo genere laudatissima deprompsit, quæ mandato Thomæ Heberi sui Prouincialis, & rogatu Ioannæ Principis Vvalliæ matris Regis, perpoliuit in bonum ordinem redegit, in lucem emisit, posteris ad vtilitatem, sibi ad nominis immortalitatem reliquit. Scripsit igitur teste Lelando & Henrico Vvillotto

1390. 686.

Astrorum canones, *Librum vnum.*
De quantitate anni, *Librum vnum.*
Calendarij castigationes, *Librum vnum.* Corruptio Calédarij horribilis est.
Tertium calendarij, *Librum vnum.* In hoc opusculo tertij calendarij.
De facultate metrica, *Librum vnum.* Et alia non pauca.

Claruit anno post Christi salutiferam natiuitatem 1390, dum summa rerum in Anglia penes Richardum secundum resideret.

De Guilhelmo Beufu.

GVILHELMVS Beufu ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli Monachus Anglus, in Conuentu Northamptoniensi, Oxoniensis Gymnasij, Lelando teste, Doctor Theologus ab Academico cœtu promotus, & posteà sui cœnobij Prior à fratribus electus. Vir non vulgari doctrina instructus, & raris virtutum ornamentis insignitus. Quædam ex ingenij sui thesauro ipse deprompta edidit, quædam ex Gallica in Latinam linguam transtulit, maximè speculum illud contemplandæ Deitatis, quod S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis Gallicè scripserat

1390. 687.

Speculum S. Edmundi translatum, *Librum j.* Videte ad quid vocati estis.
De miraculis S. Mariæ Virginis, *Librum vnum.* Ad honorem Dei & gloriosi.
Lecturam Sententiarum, *Librum j.* Datus est ei decor Carmeli & Saron.
Collationes varias, *Librum vnum.* In petra exaltauit me. Psalmo 26.

Tandem in cœnobio suo diem clausit extremum, & honestam accepit sepulturam, circa annum Verbi incarnati 1390, regnante apud Anglos tumultuantes Richardo secundo.

De Ioanne Sharpo.

IOANNES Sharpus, natione Anglus, Philosophus & Theologus suo sæculo percelebris, pietatis etiam & diuinæ gloriæ zelo mirè fer-

1390. 688.

uidus. Ex controuersia cum perfidis Vvicleffitis ad nominis sui splendorem maximam fecit accessionem. Illi enim tanquàm lernæ teterrimæ capita sua altè exerentes, his temporibus sanam de Sacramento Eucharistiæ doctrinam, spiritu serpentino inficere, & pestilente errorum veneno deprauare conabantur. Sed hic Christi athleta fortissimus spiritu diuino armatus, Euangelico gladio serpentibus istis linguas excidit, imò quodammodò capita abstulit. Hæc pleraque verbis paululū immutatis, ex Lelando sumpsi. Restat nunc vt ex bibliothecis videamus quibus litterarum monimētis apud posteros etiam adhuc mortuus viuat. Scripsit

Determinationum de Sacramento altaris contra Vvicleffitas, *Librum vnum*. Multorum tam laicorum, quàm clericorum.

De orationibus sanctorum, *Librum vnum*. Reuerendi Magistri & Domini, cùm secundùm. M S. Oxonij in Collegio Nouo & Mertonensi.

De suffragijs viatorum, *Librum vnum*. Pertractata de orationibus sanctorum. M S. ibidem.

Quæstiones de adoratione sacrarum Imaginum. *Librum vnum*. M S. ibidem.

Declarationes nominum, vrbium & ciuitatum quæ habentur in sacris Biblijs, *Librum vnum*. M S. ibidem.

De incarnatione Verbi, *Librum vnum*. Prælibato tractatu de anima.

Quæstiones de anima, *Librum vnum*. Vtrū anima intellectiua sit quoddam.

De peregrinatione, *Librum vnum*.

De potestate Sacerdotij, *Librum vnum*.

De pluralitate beneficiorum, *Librum vnum*.

Abbreuiationes in Contonum super quatuor libros sententiarum, *Libros quatuor*. M S. Oxonij in Collegio Balliolensi.

Quodlibeta abbreuiata, *Librum vnum*. M S. ibidem.

Quodlibeta diuersa, *Librum vnum*. Vtrum in diuinis essentialia sint.

In quodlibeta Scoti, *Librum vnum*.

Lectiones ordinarias, *Librum vnum*.

Opuscula Logica, *Librum vnum*. M S. Oxonij in Coll. Nouo & Merton.

De vniuersalibus, *Librum vnum*.

Quæstiones eorundem, *Librum vnum*.

Quæstiones Physicorum, *Libros octo*. Vtrum tantum tria sint intrinseca.

Abstractum à Burlæo super Ethica, *Libros decem*. Omnis ars & omnis doctrina sci. Scripsit etiam alias multas quæstiones quæ habentur M M S S. Oxonij in Collegio Orialensi.

Claruit anno post aduentum Christi in carne 1390, dum Anglici regni habenas languidè teneret Richardus secundus.

De Rogero Dimocco.

1390. 689.

ROGERVS Dimoccus ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. De hoc auctore quoniam hactenùs penè nihil inuenio, nisi apud Lelandum, ex Lelando tantùm loquar. Erat vir exacti iudicij, & non modò in rebus

profanis quæ ad Philosophiam spectant, verum etiam in ipsis Theologiæ mysterijs, quæ ad fidem pertinent, ad multos annos Oxoniæ benè versatus. De cuius doctrina, prudentia, fide, zelo tantam opinionem conceperant omnes docti, vt publico Academici senatus suffragio fuerit electus, qui tanquàm inuictissimus pugil in arenam solemnis concertationis contra Vvicleffitas & Lolhardos in causa religionis descenderet. In quo conflictu non modò conceptæ de se opinioni satisfecit, sed etiam omnium spem & expectationem longè superauit. Super quo toto negotio posteà scripsit ad Regem

Contra duodecim errores Lolhardorum, *Libros duodecim.* Gloriosissimo & metuendissimo MS. Cantabrigiæ in bibliotheca publica.
Ordinarias quæstiones, *Librum vnum.* Et alia plura.

Claruit anno redemptionis humanæ 1390, regnante in Anglia Richardo secundo.

De Ioanne Chilmarco.

IOANNES Chilmarcus, natione Anglus, Oxoniensis Academiæ alumnus, & ibidem è societate Collegij Mertonensis, in cuius Collegij Catalogo numeratur inter viros de re litteraria benè meritos. Quem etiam celebrat Lelandus à scriptis & suo tempori, & omni posteritati vtilibus. Rerum naturalium & Mathematicarum scientiarum penetralia ita ingressus est, vt in vtroque genere cum præcipuis sui temporis non immeritò conferri potuerit. In Mathematicis autem illam partem, quæ sublimiora spectat, sibi præ cæteris contemplandam elegit, hoc est, Astronomiam, quæ in cœlo & cœlestibus maximè versatur. Scripsit igitur

1390.
690.

De accidentibus planetarum, *Librum vnum.*
De actione elementorum, *Librum vnum.*
De motu, *Librum vnum.* Ad materiam motus insinuandam.
De alteratione, *Librum vnum.* Pro materia alterationis.
De augmentatione, *Librum vnum.* Nota quòd ad augmentationem.
Opuscula Logica, *Librum vnum.* MS. Oxonij in Collegio Mertonensi.

Claruit anno incarnationis Dominicæ 1390, dum Angliæ res non admodum secundas administraret Rex Richardus secundus.

De Gualtero Britho.

GVALTERVS Brithus, vel Britte, natione Anglus, Collegij Mertonensis Oxonij socius. Vir Mathematicarum scientiarum peritissimus. Quod studium illius Collegij plurimis alumnis olim valdè fuit familiare. Hoc nomine, vt auctor est Lelandus, celebre sibi nomen acquisiuit, maximè quòd astrorum motus, & corporum cœlestium naturas, proprietates, affectiones curiosissima sedulitate scrutatus fuerit. Non desunt qui putent eum à Vvicleffo aliquandò seductum, in illam descendisse sententiam, vt existimauerit illicitum esse clericis possessio-

1390.
691.

nes habere, suumque hunc errorem libro scripto testatum omnibus fecisse. Sic quidem scribit Gesnerus eiusque ex illo abbreuiator. Sed quoniam vix apud quemquam probatum auctorem hoc scriptum inuenio, crediderim potiùs ab ijs fictum, quàm à Britho factum. Maximè cùm multi testentur eum suis Mathematicis contentum, suos limites non excessisse, alijs se non immiscuisse. Scripsit autem, vt ex Lelando & alijs habeo,

De rebus Mathematicis, *Librum vnum.*

Theoremata planetarum, Librum vnum. Omnia quæ à prima rerũ origine.

Tactatum de algorismo, Librum vnum. Sequitur ad radicum extractionem.

Et alia plura. Claruit anno virginei partus 1390, dum auspicijs non valdè secundis regnaret in Anglia Richardus secundus.

De Adamo Estono.

1390. 692.

ADAMVS Estonus humilibus in Anglia natus parentibus, virtute, industria, doctrina ad summos in Ecclesia Christi peruenit honores. Adolescens S. Benedicti regulam amplexus, habitum illius ordinis suscepit, suo tempore professionem edidit, & Ventæ Icenorum, id est, Norvvici inter Monachos Monachus priuatim simul cum disciplina regulari, bonum litterarum fundamentum iecit, & sub optimis ibi præceptoribus, humaniores litteras, vnà cum rudimentis linguæ Græcæ gnauiter didicit. Qui studijs eius præfuerunt vt Magistri, quique quotidianis eius exercitijs interfuerunt vt condiscipuli deprehenderunt in eo raram indolem, fœlix ingenium, maturum iudicium, magnum acumen, tenacem memoriam, omnia naturæ dona summè perfecta, sedulitatem & industriam mirificè promptam, & alacritatem nullo labore fatigabilem. Visum est igitur expedire, vt ingeniũ ad maiora natum, ad minima non deprimeretur, neque in humilibus detineretur animus aspirans ad sublimia. Missus est igitur Oxonium ad altiora studia capessenda. Ibi primùm Mathematicas scientias, omnemque Philosophiam accuratè imbibit, non oblitus intereà Græcarum litterarum quotidianum exercitium. Ità vt peracto Philosophiæ cursu, videretur Græcus Philosophus, & alter planè Plato vel Aristoteles. Sed nec in istis secundis tertijsuè (in quibus tamen consistere honestum est) consistere potuit vir, primas consequi & animo intendens, & totis viribus contendens. Alacriter igitur se ad Theologica accinxit studia, simulque linguam Hebræam addiscere incepit, & tantos in vtraque disciplina fecit progressus, vt paucos eo tempore pares illi viderit Europa, superiorem puto planè neminem. Quarè non immeritò, vt cœteros taceam, honorificam de hominis persona, de rebus eius gestis, & libris etiam scriptis mentionem facit in suis collectionibus Ioannes Stoüs ordinis S. Benedicti Monachus etiam Norvvicensis. Doctrina igitur comite, virtute duce, fautrice fortuna, fausta illi omnia successerunt. Rex illi contulit Episcopatum Herefordensem, & paulò pòst Gregorius Papa vndecimus eum

creauit Presbyterum Cardinalem tituli Sanctæ Ceciliæ. Sed de his suo loco. Nunc ad ea per quæ nomen eius adhuc floret, & per quæ ipse, licet mortuus, adhuc quodammodò viuit, veniamus. Multa enim partim ipse scripsit, partim ex alijs linguis, Hebræa præsertim & Græca, in Latinam transtulit, & posteris ad æternam nominis sui memoriam reliquit

Totum vetus Testamentum ex Hebræo vertit in Latinum.
Hebraicè scripsit Alphabetum Iudæorum, *Librum vnum.*
Postillam Hebraicam, *Librum vnum.*
Psalterium Hebraicum, *Librum vnum.*
Expositionem Leuitici, *Librum vnum.*
Hebraica Saraceni, *Librum vnum.*
Hebraica Iarchi Salomonis, *Librum vnum.*
Latinè scripsit de potestate Ecclesiæ, *Librum vnum.*
Defensorium Ecclesiæ, *Librum vnum.*
De electione Pontificis, *Librum vnum.*
Modum conferendi beneficia, *Librum vnum.*
Dialogum Regis & Episcopi, *Librum vnum.*
Perfectionem vitæ spiritualis, *Librum vnum.*
Formam procedendi contra hæreticos, *Librum vnum.*
Opus vitæ contra hæreticos, *Librum vnum.*
De communicatione idiomatum, *Librum vnum.* Reor primùm cum Doctoribus Sanctis.
De diuersitate translationum, *Librum vnum.*
De veritate Catholica, *Librum vnum.*
Meteora Aristotelis è Græco transtulit, *Libros quatuor.*
De sua calamitate, *Librum vnum.* Dulcissime Domine expectans expectat. Claruit anno Dominicæ Incarnationis 1390, dum Anglicani regni sceptrum teneret Richardus secundus. Vide nostrum Episcoporum Londinensium & Herefordensium Episcoporum catalogum.

De Rogero Tuifordo.

1390. 693.

ROGERVS Tuifordus, quem alij vulgo nostro Good Luck, id est, bonam sortē vocant, ordinis S. Augustini eremita Anglus, sacræ Theologiæ Doctor, & insignis suo tempore Concionator. In Diœcesi potissimùm Norvvicensi frequentes & eruditas ad populum habuit conciones. Erat enim pius, ingeniosus, industrius, & omnibus, tum sacris, tum profanis disciplinis insigniter instructus. Cùm iam ad maturā ætatem peruenisset, vel potiùs ad senium declinare incepisset, omne suū studiū fixit in sacrarū Scripturarū lectione, earumq; secundū antiquos Patres, & vetustos Ecclesię Doctores explicatione. Quicquid autem temporis ab his studijs vacuum habuit, id omne precibus, meditationibus, & cælestium rerum contemplationi impendit. Hæc pleraque desumpsi ex Iosepho Pamphilo in suo chronico Augustinia-

norum, qui etiam asserit eum has sequentes lucubrationes exarasse, & posteris reliquisse

Itinerarium mentis ad Deum, Lib. j. Cùm omnis scientia gerere debeat.

Sermonum ad populum, *Librum vnum*. Veniet desideratus cunctis gentibus. An alia scripserit, necnè, mihi non constat. Claruit anno redemptionis humanæ 1390, vacillante sub Richardo Rege secundo republica Anglicana.

De Radulpho Spaldingo.

1390. 694. RADVLPHVS Spaldingus ordinis Carmelitani Monachus Anglus in cœnobio Stanfordiensi, sacræ Theologiæ Doctor & supremus Professor Cantabrigiensis. Philosophus & Theologus non contemnendus. Nisi quòd fuerit in opinionibus nouis excogitandis curiosus, in propalandis temerarius, & in asseuerandis adeò pertinax, vt tandem, teste Lelando, in hæresis suspicionem inciderit: vndè & Thomas Vvaldensis aliquando dicere non est veritus eum non ad sobrietatem, sed plus quàm oportuit sapuisse, imò verò hæresim Vvicleffianam nonnihil sapuisse. Tamen nec auctorem nec aliqua eius opera damnata fuisse, vnquam expresè legi. Scripsit

Sermones, *Librum vnum*.

In elenchos Aristotelis quæstiones quadraginta quinque, *Libros duos*. De sophisticis autem elenchis.

Determinationes sacræ Scripturæ, *Librum vnum*. Quæritur vtrum possit.

In suo cœnobio Stanfordiensi diem obijt extremum ibidem sepultus, circa annum ab aduentu Messiæ 1390, sub nutante apud Anglos Richardi secundi regno.

De Ioanne Anglico.

1390. 695. IOANNES Anglicus, hoc enim solummodò cognomen ei tribuit, inter alios, Henricus Vvillottus, dicitur sanè fuisse vir cui nec spectata virtus, nec laudata defuit eruditio. Scripsit

Super vniuersalia Scoti, *Librum vnum*. Extat Venetijs anno 1511.

Perhibetur etiam scripsisse alia quædam opuscula, quorum adhuc tituli mihi non occurrunt. Claruit anno Christi 1390, regnante in Anglia Richardo secundo.

De Ioanne Loneio.

1390. 696. IOANNES Loneius ordinis Carmelitani Monachus Anglus in Conuentu Londinensi, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir acuti ingenij, magnæ doctrinæ, multæ lectionis, boni zeli, multæ industriæ. Cuius laudes non tacet Thomas Vvaldensis in suo zizaniorum fasciculo. Videtur etiam Oxonij publicè Theologiam docuisse, & multa de mysterijs fidei nostræ subtiliter & neruosè disputasse. Qui hominis labores eò fuerunt Ecclesiæ Dei, & reipublicæ litterariæ salubriores, quò illis temporibus periculosiùs pullulare cœperunt hæreses. Porrò ex præfato Vvaldensi colligo eum varias & perutiles edi-

disse quæstiones omni meliore doctrina refertas

De Spiritus Sancti missione, *Librum vnum.* Vtrum Spiritus Sanctus pro.

Lecturas solemnes, *Librum vnum.* Et alia quorum titulos hactenùs non inuenio. Londini in suo cœnobio diem suum obijt, & ibidem sepultus est, circa annum ex quo peperit Virgo 1390, dum in Anglia rerum potiretur Richardus secundus.

De Ioanne Bromiardo.

IOANNES Bromiardus seu Bromierde, ab oppido Mercatorio Comitatus Herefordensis, in quo fuit natus, sic cognominatus, ordinis S. Dominici Monachus Anglus, & inter illos Prædicatores Prędicator insignis. Primùm vtriusque iuris, deindè etiam sacræ Theologiæ, vt innuit Lelandus, Doctor Oxoniensis, sed posteà supremæ facultatis Professor Cantabrigiensis. Vir ingenij præstantissimi, accurati iudicij, & qui nihil reliquum feceratad summam in optimis quibúsque scientijs perfectionem, vt ex Antonio Senensi colligere est. His accessit ad omnia vtilis pietas, morum candor, vitæ integritas, diuinæ gloriæ zelus. Omnē hæreticā prauitatem toto corde exosam habuit. Vvicleffi errores, omnésq; eius sectatores acerrimè semper insectatus est, disputationibus, concionibus, libris scriptis absurdas eorum opiniones confundens & pessundans. Anno Domini 1382, in Concilio Londinensi cum Episcopis & alijs Doctoribus, quę suarum erant partium egregiè præstitit, inuictissimis argumentis ostendens, & quasi ad oculum demonstrans hæresim Vvicleffi nullo modo tolerandam esse, sed omninò, idque maturè, explodendam, damnandam, anathematizandam. Nè interueniente mora (quæ in huiusmodi rebus est periculosissima) pestis illa latiùs serpat vt cancer, & populum fidelem à fide auertens, in pernitiem trahat & ruinam. Sed modò videndum nobis est non tantum quid viuens boni præstiterit eximius hic Ecclesiæ Doctor, verùm etiam quid post mortem, quasi testamento reliquerit, posteris ad vtilitatem, sibi ad nominis immortalitatem. Scripsit enim de omni genere Theologiæ multa, de vtroque etiam iure non pauca, penè omnia applicans ad sensum moralem, maximè in gratiam concionatorum, vti testes locupletes sunt Thomas Vvaldensis, Ioannes Trithemius, Antonius Senensis, & alij. Sed ipsius scripta re ipsa clariùs omni teste loquuntur. Scripsit ingens quoddam volumen pro concionatoribus, cui titulum dedit

1390. 697.

Vitam & summam prædicantium, *Libros duos.* Prædicantium vita secundùm beatum Gregorium. Abstinentia. Secundus liber incipit à littera M. puto idem esse opus quod M S. haberi dicitur Oxonij in Collegio Oriallensi. Extat Norembergæ anno 1485, & Venetijs 1586. Vidi in quadam Bibliotheca Iuliaci. Et apud Franciscanos Nancæi.

Lecturas Scripturarum, *Librum vnum.*

Sermones de Tempore, *Librum vnum.*

Sermones de Sanctis, *Librum vnum.*
Distinctiones Theologiæ, *Librum vnum.*
Registri, *Librum vnum.*
Summam de B. Maria Virgine, *Librum vnum.*
Opus triuium, *Librum vnum.* Extat anno 1500.
Collationum, *Librum vnum.*
Exhortationum, *Librum vnum.* MS. Cantabr. in Bibliotheca pub.
De Missarum celebratione, *Librum.j.* MS. Oxonij in Coll. Merton.
Dictionarium Theologicum, *Librum vnum.* Quod in tractatu sequenti ca.
Persuasionum, *Librum vnum.*
Contra Vvicleffitas, *Librum vnum.*
Summam iuris moralis, *Librum vnum.* Quod in sequenti opusculo, mira.
Tabulam vtriusque iuris, *Librum vnum.* Ab infantia & teneris annis.
De legibus ordine Alphabetico, *Librum vnum.* MS. Oxonij in Col. Nouo.
Tractatus iuris Ciuilis & Canonici secundùm sensum moralem ordine Alphabetico, *Librum vnum.* MS. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.

Et alia quædam. Claruit anno gratiæ 1390, regnante in Anglia Richardo secundo.

De Guilhelmo Gillinghamo.

1390. 698. GVILHELMVS Gillinghamus à loco natalicio sic cognominatus, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in Cantuariensi ad fanum Seruatoris cœnobio. A iuuentute sua bonarum artium cultor non indiligens. Matura iam ætate historiarum lectioni se dedit, & non tantum iucunditate, verum etiam vtilitate allectus, vberes & sibi & posteritati produxit fructus, antiquorum res gestas secuturis sæculis tradere, & exempla virtutum ad imitationem proponere posteris mirè gestiebat: quam operam suam in eo maximè collocandam iudicabat, vt gentis suæ gloriam illustraret, imò vt gratus alumnus ordinis & Monasterij sui præclara facta referret, & posteris commendaret. Quod vbi præstitisset, opus adeò placuit, vt Abbati & Capitulo visum fuerit expedire, personas illustres, quas ille suis scriptis celebrauerat, in pulchris tabulis depingere, & ad Ecclesiæ parietes ornatus causa celebrioribus diebus appendere, vt imperita multitudo, quæ scripta nesciret legere, ex virtutibus per imagines adumbratis aliquid rerum præclarè gestarum posset intelligere, & aliquem fructum ex imitationis desiderio capere. Scripsit autem Gillinghamus

De illustribus ordinis sui Scriptoribus, *Librum vnum.*
De rebus Cantuariensibus, *Librum vnum.* De alijs hactenùs nihil legi. Claruit anno post misericordiam humano generi factam 1390, sub turbulento in Anglia Richardi secundi regno.

De

De Guilhelmo Remingtono.

GVILHELMVS Remingtonus vel Rimstonus, ordinis Cisterciensis Monachus Anglus, in cœnobio de Sallay, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir ingenij subtilis, acris iudicij, indefessæ industriæ, miri zeli. Nequissimas Vvicleffitarum cauillationes & fraudulentas contra Ecclesiam argutias ferre non potuit patienter, sed noctes & dies in eo laborabat, vt eorum dolos detegeret, & detectos refutaret, ne vulgus imperitum à sceleratis illis circunueniretur, & à via veritatis auersum in errorem induceretur. Scripsit dialogum inter Catholicum & hæreticum quem in Anglicanis Bibliothecis diù seruatum ferunt

1390. 699.

Contra Vvicleffitas, *Librum vnum*. Quadraginta quinque conclusionibus meis.

Conclusiones Catholicas, *Librum vnum*.

Ad quendam anachoritam, *Librum vnum*. Et alia similia non pauca. Claruit anno Christi nati 1390, sub Angliæ Rege Richardo secundo.

De Guilhelmo Egmundo.

GVILHELMVS Egmundus, ordinis eremitarum S. Augustini Monachus Anglus, in cœnobio Stanfordiensi. Vir qui studia pietatis & litterarum semper coniunxit, & pari in vtroque passu procedens ad summam vtriusque perfectionem ascendit. Sic enim scribit in suis collectaneis Thomas Colbius, & in Augustinianorum chronico Iosephus Pamphilus. Erat sanè Philosophus acutus, Theologus profundus, concionator facundus, vehemens, & ad persuadendum dexter. Lelandus eum cognominat Stanfordium, quem tum fama (inquit) tum doctrina celebrem Augustiniani deprædicant. Post consummatum in Anglicanis Academijs studium, sacræ Theologiæ Doctor creatus, & deinde Professor constitutus, diù non sine magno honore docuit. Tandem Romam profectus à summo Pontifice Pissinensis Episcopus, & Henrici Belfortij Lincolniensis Episcopi Suffraganeus ordinatus est. Vt autem doctrinæ suæ participem faceret posteritatem, & opera auctoris nomen & memoriam secuturis sæculis commendare possent, litteris consignauit

1390. 700.

Sermonum ad plebem, *Librum vnum*.

Replicationes scholasticas, *Librum vnum*. Et alia plurima, quorum titulos hactenùs non inuenio. Claruit anno Verbi incarnati 1390, nutante sub Rege Richardo secundo Anglicarum rerum statu.

De Guilhelmo Shirburno.

GVILHELMVS Shirburnus, natione Anglus, vir acris ingenij, & multi iudicij, in priuatis studijs valdè sedulus, in publicis exercitijs multum commendabilis. Non solum in Philosophia, verum

1390. 701.

etiam in Theologia optimè versatus, & in vtroque genere laudatissima scripta edidisse perhibetur, vt auctor est Lelandus. His igitur titulis dignũ eum iudicaui, cui locum in hoc nostro catalogo concederem, licet hactenùs ex omnibus quæ scripsit, tantum inuenerim.

Quodlibeta Theologica, *Librum vnum.*

Claruit anno partus salutiferi 1390, dum rem Anglicam timidè gelidéque ministrans regia potestate vtcumque præesset Richardus secundus.

De Guilhelmo Starnefeldio.

1390. 702.

GVILHELMVS Starnefeldius vel Strenefeld natione Anglus patria Cantianus, ordinis fratrum de monte Carmelo sub tutela beatæ Mariæ Virginis in cœnobio Nevvendeniensi, quod solum fuit ei natale, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Sic enim ex collectaneis Lelandi, & ex ipsius Starnefeldij historia colligere est. Vir cuius nomen, ratione pietatis & doctrinæ, posteritatem latere non potuit. Domesticas sui tum ordinis, tum maximè cœnobij, cuius alumnus erat, historias diligenter peruoluit, & quæ memoratu digna iudicauit, in bonum ordinem digesta luce donauit, posteritati tradidit sub hoc titulo

Historiam Nevvendeniensis cœnobij, *Librum vnum.* Quoniam secundum Philosophum primo.

Lecturas, *Librum vnum.*

Conciones, *Librum vnum.* Et alia nonnulla. Nevvendeniæ mortuus & sepultus est circa annum gratiæ 1390, sub Angliæ Rege Richardo secundo.

De Richardo Tenetto.

1390. 703.

RICHARDVS Tenettus vel Kenettus, Cunetium nonnulli appellant, instituti Carmelitani Monachus Anglus, liberalium artium & Philosophiæ Magister Oxoniensis. Post absoluta studia Philosophica rei herbariæ se dedidit, & varietate distillationum delectatus, herbarum, florum, aquarum, radicum, qualitates, operationes, vires, naturas curiosissimè scrutatus, rem medicam intelligere, & inter suos exercere cæpit, didicitque varijs ægritudinibus vtcunque commoda afferre remedia. Posteà tamen, vt scribit Lelandus, ad sacrarum litterarum studium, vt suo statui congruentius, se contulit, in quo non tam corporum, quàm animarum salutem positam considerauit. Igitur Oxonij gradum Baccalaureatus Theologici dicitur suscepisse. Proditum est quòd varia de varijs scripserit, sed ad nos nihil, quod sciam, peruenit, præter

De virtutibus aquarum, *Librum vnum.* Aurium passio decima septima.

Claruit Oxoniæ anno à plenitudine temporis 1390, sub nutante in Anglia Richardi secundi regno.

De Ioanne Beuerlaio.

IOANNES Beuerlaius, ab oppido suo natalitio Beuerlaco Eboracensis agri sic cognominatus, ordinis, vt videtur, Carmelitani Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis. Magnam ingenij doctrinæque famam apud omnes cõsecutus est, quam vt æternitatis memoriæ consecraret, monimenta litteraria apud posteros in perpetuum victura in lucem emisit, quæ Oxoniæ in Collegio, quod vulgò Reginæ dicitur, diù reposita fuerunt. Ex quibus hîc vnum & alterum ponam

1390.
704.

Quæstiones in Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Vtrum anima separata possit?

Disputationes ordinarias, *Librum vnum.* Et alia quæ mihi hactenus non occurrerunt. Claruit anno postquam Verbum caro factum est 1390, dum esset in Anglia rerum summa penes Regem Richardum secundum.

De Petro Pateshullo.

PETRVS Pateshullus ordinis eremitarum S. Augustini Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & inter suos aliquando facultatis eiusdem Professor. Vir acri ingenio, sed nimis erecto, imò elato, labores multos sustinuit, incredibilem industriam ostendit. Acutis disputationibus, & doctissimis concionibus magnum nomen consecutus est. Sed elatus superbia miserè decidit, & ad hæresim Vvicleffianam turpiter defecit. Atque ita facta sunt nouissima hominis peiora prioribus. Euanuit enim in stultitias & insanias falsas, & quasi scurra scripsit nescio quas nouas cantilenas, & nugaces rithmos contra fratres mendicantes, & alias eiusmodi nugas, vt dixeris hominem vnà cum fide & religione, omne iudicium & ingenium perdidisse, omnem morum honestatem, & Christianam modestiam deposuisse. Scribit tamen Thomas Vvalsinghamus ad annum 1387, quòd moriens pœnituit & recantauit. Sed quoniam inter Lolhardos fuit, Sacerdotem cui confiteretur, illis obstantibus, etiamsi instantissimè peteret, habere non potuit. Cuius contritio cum tanto desiderio confessionis, piè credi potest ad æternam vitam profuisse. Prima quæ scripsit, Catholica sunt & approbata, posteriora hæretica & prohibita. Scripsit igitur Catholica, vt auctor est Gesnerus & eius abbreuiator,

1390.
705.

Postillationes sacræ Scripturæ, *Librum vnum.*
Sermonum tum ad populum tum ad clerum, *Librum vnum.*
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Determinationes Theologicas, *Librum vnum.*
Contra hæreticos opusculorum, *Librum vnum.*

Vixit anno post natum Seruatorem 1390, dum in Anglicani regni solio vacillans sederet Richardus secundus.

De Roberto Humbletono.

1390. 706.

ROBERTVS Humbletonus, ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir pietate clarus, zelo diuinæ gloriæ spectabilis, subtilis ingenio, facundus eloquio, solidus iudicio. Londinum vocatus ad examinandos Vuicleffi errores, strenuè se gessit, omnesque eius contra Ecclesiam opiniones fallaces, erroneas, hæreticas fuisse & esse inuincibilibus argumentis neruosè dilucidéque demonstrauit. His & similibus virtutis & eruditionis nominibus mirè charus erat Ioanni Gilberto eiusdem instituti viro pio ac religioso, qui posteà factus est Episcopus Meneuensis. Sed ad illa scripta veniamus, quorum maximè beneficio factum est, vt Humbletoni nomen ad nos peruenit. Testantur enim Gesnerus in epitome, & Antonius Senensis in Bibliotheca fratrum ordinis Prædicatorum, quòd has sequentes lucubrationes posteris reliquerit

Summam totius Theologiæ, *Librum vnum.*
Lectiones scholasticas, *Librum vnum.*
Contra Vvicleffitas, *Librum vnum.* Et alia plura. Claruit anno à plenitudine temporis 1390, regnante in Anglia Richardo secundo.

De Galfredo Lingio.

1390. 707.

GALFREDVS Lingius ordinis S. Francisci Monachus Anglus in Conuentu Norvvicensi. Vir historiarum lectione, & inuestigandis patrijs antiquitatibus mirificè delectatus. Cùm longo tempore, & multo labore, penè omnes melioris notæ, qui de rebus his agunt, peruoluisset auctores, animum ad scribendum appulit, & , vt testes sunt Guilhelmus Botonerus in suis antiquitatibus, & Henricus Vvillottus in suis Franciscanorum Athenis, exorsus ab origine mundi, vel meliùs forsan, ab ingressu Briti in Britanniam, scripsit

Chronicorum, *Librum vnum.* Anno à creatione mundi. Alia eius scripta non reperi. Claruit anno incarnationis Dominicæ 1390, sub infausto apud Anglos Richardi secundi Regis imperio.

De Ioanne de Vltricuria.

1392. 708.

IOANNES de Vltricuria, opinor Anglus, vir magni erectique ingenij, sed inconstantis, temerarij, periculosi. Scripsit quasdam aliquando propositiones, quæ primùm Romæ condemnatæ, deinde ab ipso in Vniuersitate Oxoniensi, vbi studuit, publicè reuocatæ fuerunt anno Domini 1348. senex anno Domini 1392. cum Angliæ Rege Richardo secundo, & cum plurimis eximijs Theologis interfuit Stanfordiensi Concilio. Porrò partim ex Thoma Colbio, partim ex tomo quarto Bibliothecæ sanctorum Patrum habeo Ioannem istum scripsisse

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Conciones ad vtrumque statum, *Libros duos.*

Sermonum duodecim, *Librum vnum.*
De sanctißimo Eucharistiæ sacramento, *Librum vnum.*
Contra septem peccata mortalia, *Librum vnum.*
Determinationes Oxonienses, *Librum vnum.*
Itinerarium salutis, *Librum vnum.* Et alia plura. Eboraci mortuum & sepultum putat Colbius anno post aduentum Messiæ 1392, dum in Anglia rerum potiretur Richardus secundus.

De Roberto Iuorio.

1392.
709.

ROBERTVS Iuorius, sic cognominatus à ciuitate quadam in Normannia, vnde auus eius erat ex locupletioribus mercatoribus oriūdus. Ipse verò Londini in Anglia natus, & in eadem vrbe à puero inter Monachos Carmelitas educatus, adolescens illud institutum toto corde amplexus est, & vsque ad vitæ finem in eodem sanctè perseuerauit. Quoniam autem in ipsa adolescentia non solum pietatis, sed etiam ingenij magnum specimen dedit, & futuræ doctrinæ signa non obscura ostendit; post perceptas in Monasterio litteras humaniores, Cantabrigiam ad maiora studia destinatus est, vbi tam fæliciter aliquot annos in melioribus litteris collocauit, vt, teste Lelando, inter doctissimos illo tempore, suo iure numeraretur. Erat enim Philosophus acutus, Theologus solidè doctus, concionator clero populoque percommodus. Post Doctoralem in Theologia gradum Cantabrigiæ susceptum, sacrarum scripturarum lectioni & contemplationi miro feruore se dedidit. Responditque suus labori fructus. Nam in diuinis eloquijs peritus euasit, & super varijs sacrorum Bibliorum libris commentarios scripsit. Tandem crescente cum eruditione iudicij maturitate, prudentia, grauitate, auctoritate, anno Domini 1379. constitutus est ordinis sui per Angliam Magister Prouincialis vicesimus. Quo in munere strenuè præstando per annos tredecim versatus est, quo tempore officium vnà cum vita deposuit. Dum Prouincialis Magistratum gereret, Londinensis cœnobij Bibliothecam, in gratiam suorum fratrum, multum auxit, & selectissimis ijsdemque vetustissimis codicibus vbertim instruxit, & mirificè ornauit. Hæc pleraque collegi ex Iacobo de Plebe in Indice, ex Sixto Senensi in Bibliotheca, & ex Petro Lucio in sua Bibliotheca Carmelitana, qui etiam testantur hunc nostrum Iuorium ex armamentario instructissimo ingenij sui hæc instrumenta litteraria sequentia deprompsisse

Commentarios in Ecclesiasticum, *Librum vnum.* Sicut dicit B. Augustin.
In Apocalypsim, *Librum vnum.* In Ecclesiastica historia Ioannem.
Lecturas Scripturarum, *Librum vnum.*
Conciones ad clerum, *Librum vnum.* Ecce homo. Ioannis 19. Reuerend.
Sermones ad populum, *Librum vnum.*
Registrum monimentorum Prouinciæ, *Librum vnum.* Ad perpetuam rei memoriam. Et alia multa. Londini diem suum obijt, & sepulturam

accepit die quinto Nouembris, anno post Christum natum 1392, dum Anglici regni sceptrum pauidè teneret Richardus secundus

De Guilhelmo Anglico.

1393. 710. GVILHELMVS Anglicus ordinis S. Dominici Monachus Anglus, intuitu virtutum & multiplicis eruditionis factus est Regis Angliæ Richardi secundi Confessarius, & tandem S. R. E. Cardinalis. Scripsit

Sermones de sanctis, *Librum vnum*. Et alia quorum tituli non comparent. Claruit anno gratiæ 1373, sub Angliæ Rege Richardo secundo.

De Ioanne Vvaldebio.

1393. 711. IOANNES Vvaldebius, vt ex Thoma Colbio scribit Iosephus Pamphilus, Eboraci in Anglia parentibus honestis natus, eremitarum S. Augustini Doctor Oxoniensis. In illa enim Academia ita studuit, vt non solum sibi supremam lauream, sed & ordini suo multum honorem, totique patriæ ingentem gloriam acquisiuerit. Quibus titulis à Lelando nostro egregiè celebratur. Et meritò. Erat enim vir ingeniosus & industrius, doctus & eloquens, concionator non vulgaris, pius, prudens, grauis, modestus, temperans, castus. Tantæ auctoritatis apud religiosos suæ professionis, vt ei summum, quem poterãt, detulerint honorem, & communibus suffragijs eum in ordinis Prouincialẽ elegerint. Mirum etiam in modum dilectus erat omni tum clero, tum populo. Ita factum est, vt defuncto Archiepiscopo Eboracensi Alexandro Neuillo, ipse in eius loco successor eligeretur, quamuis numquam confirmaretur. Nam summus Pontifex Thomæ Arundelio contulit Archiepiscopatum Eboracensem, & Vvaldebium in Hiberniam ad Archiepiscopatum Dublinensem transtulit. Zelum eius in causa fidei facilè est inde colligere, quòd anno Domini 1392, cum Rege veniens ad Concilium Stanfordiense, strenuè se gesserit contra Vvicleffitas, eorumque errores solidè confutarit. Ad Catholicæ religionis decus & ornamentum, suique nominis immortalitatem, partim Anglico partim Latino sermone multa scripsit, maximè ad Thomam S. Albani Abbatem

Expositiones morales in Symbolum Apostolorum, *Librum vnum*. Cùm in hoc loco sacro de Tinmoutho. MS. Oxonij in Collegio Mertonensi, Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

In orationem Dominicam, *Librum vnum*. Septies in die laudem dixi tibi. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Homilias quinque super verba quinque salutationis Angelicæ, *Librum vnum*. Vas electionis Paulus Doctor gentium. MS. ibidem.

Lecturas sacrarum Scripturarum, *Librum vnum*.

Lecturas Theologiæ, *Librum vnum*.

Sermonum duodecim, *Librum j*. Credo Dñe, adiuua incredulitatẽ meam.

Sermonum ad clerum, *Librum vnum*.

Sermonum ad populum, Librum vnum.
De Sacramento Eucharistiæ, Librum vnum. Ratione solemnitatis iam inst.
Super Magistrum Sententiarum, Libros quatuor.
Placita Theologica, Librum vnum.
Contra septem peccata mortalia, Librum vnum.
Quæstiones ordinarias, Librum vnum.
Determinationes Oxonienses, Librum vnum.
Itinerarium salutis, Librum vnum.

Colbius eum Eboraci inter suos mortuum & sepultum putat circa annum ab incarnato Christo 1393, sub Angliæ Rege Richardo secundo.

De Ioanne Svvaffamo

IOANNES Svvaffamus vel Svvashamus Carmelita Anglus in cœnobio Linnensi Theologus Doctor Cantabrigiensis. Vir magnæ pietatis, paris doctrinæ, incredibilis zeli, quique strenuè, si quis alius, in eo laborauit, vt rapaces illos Vvicleffianæ sectæ lupos, grege Dominico quàm longissimè arceret. Hos gladio verbi diuini confodere, hos calamo proterere in animo statuit. Extant adhuc eius libri inuictæ virtutis testes amplissimi. Vndè tam serios hominis labores, suus honor non multo post sequebatur. Hæc pleraque ferè verbatim ex nostro Ioanne Lelando sumpsi. Porrò Svvaffamus opera Gregorij Papæ vndecimi Banchorensis Episcopus factus est. Qui & posteà sub Bonifacio Papa nono cum Rege Angliæ Richardo secundo interfuit Concilio Stanfordiensi, vbi cum alijs Episcopis & Doctoribus Vvicleffitas eorumque errores damnauit. Scripsit autem teste Thoma Vvaldensi & quibusdam alijs, 1394. 712.

Contra Vvicleffitas, Librum vnum.
Concionum variarum, Librum vnum.

Claruit anno salutis reparatæ 1394, dum Anglicani regni sceptrum languidè teneret Richardus secundus. Vide nostrum quem de Banchorensibus Episcopis composuimus Catalogum.

De Ioanne Bloxamo.

IOANNES Bloxamus alter, natione Anglus, Doctor Oxoniensis, & ibidem Collegij Mertonensis Rector seu custos. Hunc ferunt fuisse in Collegij regimine nimis seuerum, imò planè rigidum, eamque ob causam in se malignantium aculeos acuisse, & vsque adeò irritasse, vt anno Domini 1394 à duobus eiusdem Collegij socijs per calumnias graues penè oppressus accusationibus per inuidiam compositis Vvestmonasterij coram regni proceribus in solemni Parlamento respondere, se purgare, & honorem suum tueri compulsus fuerit. Sic enim scribit Vvalsinghamus. Fuit vir alioquin eruditus, & qui multa scripsisse dicitur. Sed inuidia quæ insectabatur auctorem, non est passa, vt ad nos peruenirent opera; in quibusdam tamen bibliothecis adhuc inueniri ferunt 1394. 713.

Elegantium epistolarum, *Librum vnum.*

Claruit anno Verbi incarnati 1394, dum in Anglia rerum vtcumque potiretur Richardus secundus.

De Ioanne Tissingtono.

1395. 714. IOANNES Tissingtonus ordinis S. Francisci Monachus Anglus sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & ibidem eiusdem facultatis Professor. Et tandem ordinis sui in Anglia Prouincialis vsque ad mortem. Vir, vt auctor est Lelandus, & post eum Vuillottus, pius & eruditus, magnæque apud omnes auctoritatis. Vnus erat ex illis primis Doctoribus qui Oxonij anno salutis 1381, cum Guilhelmo Bertono Academiæ Cancellario Ioannem Vvicleffum hæresis damnarunt. Et iterum anno Domini 1392, cum Rege Richardo secundo, Episcopis, & Doctoribus interfuit Concilio Stanfordiensi, in quo prædicta hæresis cum omnibus sectatoribus publicè solemniterque dānata est. Vbi etiam vir strenuus palàm demonstrauit, se tanquàm alterum Dauidem, inimicum esse inimicis Dei, eosque perfecto odio odisse. Vti etiam egregia eius contra illas perfidas sectas opera abundè testantur. Scripsit enim contra Vvicleffum scutum

Pro Eucharistiæ defensione, *Librum vnum.* Quem eundem esse puto qui M S. habetur Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti sub hoc titulo,

De Sacramento Altaris, *Librum vnum.*
De Sacramentis, *Librum vnum.*
Pro auriculari confeßione, *Librum vnum.*
Certamina scholastica, *Librum vnum.*
Contra confeßionem Vvicleffi, *Librum vnum.* Semel confessus est filius Dei.

Londini in suo Monasterio mortuus & sepultus est anno partus virginei 1595, sub Angliæ Rege Richardo secundo.

De Richardo Maidstono.

1396. 715. RICHARDVS Maidstonus ab oppido natalitio Diœcesis Roffensis in Cantia, sic cognominatus. Iuuenis Oxonij studuit, fuitque de societate Collegij Mertonensis, sed posteà Carmelita cœnobij Ailesfordiensis. Oxonium tandem denuò quasi postliminio reuersus, illic in sacra Theologia supremam accepit tum lauream Doctor, tum cathedram Professor, vt auctor est Trithemius. In multis præclarè se gessit contra hæresim Vvicleffianam. Erat enim vir omni scientiarum genere instructissimus, Poëta, Rhetor, Mathematicus, Philosophus, & Theologus celeberrimus. Miti fuit ingenio, candidis moribus, & in familiari congressu valdè affabilis. Singularem in concionibus habuit gratiam, omnemque sermonem appositè accommodare nouit ad hominum beneuolentiam conciliandam. Vndè factum est vt viris principibus, quibus placuisse, vt inquit ille, non vltima laus est, mirè fuerit charus, tanquam vir pius & prudens, omnique genere virtutis & eruditionis insigniter

ghiter excultus. Inter alios Ioannes Lancastriæ Dux eum summo habuit in precio, illius vsus & animi causa familiari colloquio, & in arduis reipublicæ negotijs prudenti consilio. Et quod omnium caput est, quasi suam animam illi committens, eum adhibuit in confessionum secretis, conscientiæ moderatorem constituens. Sed nunc videamus quibus litterarum monimentis viam sibi muniuerit ad immortalitatem. Testibus Trithemio, Petro Lucio, & alijs scripsit

In Canticum Moysi, Librum vnum. Vir mitissimus Prophetaque præci.
In Cantica Canticorum, Librum j. Exhauriri nequit diuina miseratio.
In septem psalmos Anglicè, Librum j. Ad honorem Dei qui nos redemit.
Compendiū Diui Augustini, Librum j. Flores ex beato Augustino de ciu.
Precationes metricas, Librum vnum. Kyrie eleison, miserere pater pie.
Sermones de tempore, Librum vnum. Refulsit sol in clypeos aureos.
Sermones de Sanctis, Librum vnum.
Sermones Oxonienses, Librum vnum. Fili recordare quia recepisti bona.
Conciones sedecim ad clerum, Librum j. Pulcherrimam fœminarum elegi.
De Sacerdotali functione, Librum j. An quilibet constitutus in ordine.
Super Magistrum sententiarum, Libros quatuor. Dux virginitatis tu es Hiere.
Lecturas scholasticas, Librum vnum.
Quæstiones ordinarias, Librum vnum.
Determinationes, Librum vnum.
Protectorium pauperis, Librum j. Constituit eum super excelsam terram.
Determinationes contra Ioannē Ashvvarby, Libr. j. Vtrū Christus in Euang.
Contra Lolhardos, Librum vnum.
Contra Vvicleffitas, Librum vnum. Fluat vt ros eloquium meum. Contra.
Conciones in annulum Philosophicum Ioannis Auonij, Librum vnum. Quamuis cœli terrræque conditor.
Super concordia Regis Richardi & ciuium Londinensium versu, Librum vnum. Tullius in laudem.

Obijt Ailesfordiæ calendis Iunij, & ibidem in ambulatorio cœnobij sepultus est anno gratiæ 1396, regnante in Anglia Richardo secundo.

De Thoma Edvvardstono.

THOMAS Edvvardstonus ordinis S. Augustini eremita Anglus, & in Clarensi Monasterio Comitatus Suffolcensis cœnobiarcha, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Hoc enim ab Academia propter singularem doctrinam, illud ab ordine suo propter eximiam pietatem accepit honoris præmium. Vir disertus & eloquens, & in concionandi munere, supra quàm dici potest, gratiosus. Hinc Leonello Clarentiæ Duci mirè charus extitit, cui etiam erat à confessionum secretis, eiusque fauore tandem ad quendam Archiepiscopatum (in Hibernia puto) euectus est. Sed iam quibus scriptis apud posteros innotuerit hic Doctor, videamus. Exarauit secundùm Iosephum Pamphilum, ex quo hæc pleraque desumpsi

1396.
716.

Sermones solemnes, *Librum vnum.*
Determinationes Theologiæ, *Librum vnum.*
Lecturas scholasticas, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia non pauca.
In suo tandem Clarensi cœnobio mortuus & sepultus est die vicesimo Maij, anno post Christum natum 1396, dum ad Anglicani regni clauum sederet Richardus secundus.

De Henrico Harcleio.

1396. 717. HENRICVS Harcleius, sacræ Theologiæ Doctor Anglus in Oxoniensi Academia, cuius etiam Vniuersitatis aliquando fuit Cancellarius. Vir suo sæculo pietatis & doctrinæ titulis celebris. Cuius honoratam mentionem facit Thomas Vvaldensis in suo doctrinali fidei, & maximè in opere suo de Sacramentis, sed Erclam vocat. Nos autem ab editis scriptis testimonium euidentius petamus. Nam ex armario suo litterario deprompsit, & posteris reliquit

Super Magistrum sententiarum, *Libros quatuor.* Secundũ Dionysiũ in libro.
Quæstiones Theologiæ, *Librum vnum.*
De transsubstantiatione, *Librum vnum.* Vtrum de necessitate salutis.
Determinationes, *Librum vnum.*
Quodlibeta, *Librum vnum.* Et alia quædam.
Claruit anno post aduentum filij Dei in carne 1396, sub vacillante apud Anglos Richardi secundi regno.

De Richardo Northallo.

1397. 718. RICHARDVS Northallus Londini in Anglia natus, Prætoris Londinensis filius, & in eadem vrbe tandem Monachus Carmelitanus. Ab ineunte ætate in bonis litteris & pijs moribus solicitè sẽper institutus, erudientiũ spem nequaquàm fefellit, sed expectatos fecit fructus, vel potiùs expectatione maiores. Itaque successu temporis successit res ex votis, percepitque debita virtutum præmia, magnos videlicet honores. Angliæ Regi Richardo secundo propter singularem in concionibus gratiam gratus & acceptus, imò intimè familiaris. Cuius fauore & Bonifacij Papæ noni consensu, post Robertum Vvaldebium translatum ab Archiepiscopatu Dubliniensi ad Episcopatum Cicestriensem, successit, & factus est Archiepiscopus Dubliniensis decimus septimus. Studiorum autem fructus saltèm hos sequentes eum produxisse constat

Sermones per annum, *Librum vnum.*
Ad Ecclesiarum parochos, *Librum vnum.*
Dubliniæ mortuus est, & ibidem in Ecclesia sua cathedrali sepultus anno præsulatus sui secundo, qui fuit Christi nati 1397, regnante apud Anglos Richardo secundo.

De Guilhelmo Vvodfordo.

GVILHELMVS Vvodfordus vel Vvodfordensis vt habet Vvillottus, ordinis S. Francisci Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir pietate & doctrina celebris, vnitatis Catholicæ amantissimus, sectarum, errorum, hæresum hostis infestissimus. Hunc Thomas Vvaldensis in libro de Sacramentis Capite quinquagesimo, suum vocat Magistrum. Ioannes autem Lelandus testatur eum tam strenuam operam rebus tum Philosophicis, tum Theologicis dedisse, vt merito inter liberatissimos referri possit ac debeat. Vtiturque ad suam sententiam confirmandam hoc argumento, quòd cùm iam pestilens Vvicleffi doctrina late serpsisset, & in animis multorum tam altas radices egisset, vt ad eam extirpandam opus esse videretur Concilio: Concilium Londini conuocatum fuit. Vbi condemnata solemniter Vvicleffi hæresi, communi suffragio tanquam omnium doctissimus & aptissimus electus est hic noster Vvodfordus, qui Vvicleffi trialogum præcipuos eius errores continentem, solidis rationibus, & neruosis argumentis confutaret. Quare ad opus se accinxit, & non solùm contra Vvicleffi trialogum, verumetiam contra alia eius opera, eiúsque sectatores doctissimè multa scripsit. Quæ pleraque vel Thomæ Arundelio Cantuariensi Archiepiscopo, vel Ioanni Treneuanto Episcopo Herefordensi nuncupauit, tum vt ipse eorum auctoritate fretus aduersarios fidei magis confunderet, tum etiam vt tantos Ecclesiæ præsules scriptis suis aduersus hæreticos animaret, & hæresi redderet infensiores. Scripsit autem teste Vvillotto & alijs

1397.
719.

Super Ecclesiastem, *Librum vnum.* Verba Ecclesiastis cent. diuiditur.
In quædam Ezechielis loca, *Librum vnum.* Porta hæc clausa erit, & nemo.
Pro introitu Bibliorum, *Librum vnum.* Scripsit omnia hæc in volumine.
Postillam in Sanctum Matthæū, *Librū* j. Sume tibi librū grandē, & scribe.
Super sanctū Lucam, *Librum vnum.* Propter triplicem rationē in glossa.
In sanctū Paulum ad Romanos, *Libr. vnum.* Fons hortorū, puteus aquarū.
Sermones diuersos, *Libr.* j. Quærebant eum Lucæ secundo. Et in Euang.
Determinationem contra trialogum Vvicleffi, *Librum vnum.* Venerabili in Christo Patri ad Domino. M S. Oxonij in publ. & in Coll. Mertonensi, & Nouo.
Contra eiusdem dialogos, *Librum vnum.*
Contra eundem de Religione, *Librum vnum.* Vtrum motiua ponentis Religionem. M S. ibidem.
Contra eius octodecim articulos, *Librum vnum.* Reuerendissime pater mandatis Vvest. Colonię 1535.
Iterum contra Vvicleffitas, *Librum vnum.*
De decimis & oblationibus contra Gualterum Brittum, *Librum vnum.*
Contra hæreses tempore Richardi secundi, *Librum vnum.*
De conformitate ad Christum, *Librum vnum.*

Pro damnando Uvicleffo, *Librum vnum.*

Super causis condemnationis articulorum eius, *Librum vnum.* MS. Oxonij in Coll. Merton.

Contra articulos eius iam damnatos, *Librum vnum.* MS. Oxonij in publ. in Coll. Nouo. & in Bibl. Lumlæi.

Quæstionum septuaginta duarum de Eucharistia, *Librum vnum.* MS. Oxonij in Coll. Exoniensi.

Pro possessionibus cleri, *Librum vnum.*

De ciuili Dominio, *Libros tres.* In hoc actu & in hac determinatione.

De Sacerdotio noui Testamenti, *Librum vnum.* Vtrum Sacerdotium noui Testamenti.

De dignitate Sacerdotij, *Lib. j.* Dubitatur quando Apostoli fuerunt.

Mendicitatis defensorium contra Armachanum, *Librum vnum.* Postquam Dominus Armachanus mul. MS. Oxonij in Col. Magdalenensi.

Extractionem errorum eiusdem, *Librum vnum.* Quoad errores contentos in prædic. MS. Oxonij in Coll. Nouo.

In Physicã Aristotelis, *Libros octo.* Quæritur venerẽde Dux circa. & alia. Claudiocestriæ tandem diem clausit extremum, & ibidem sepulchro clausus est, anno post redemptum genus humanum 1397, dum in Anglicani regni administratione languesceret Richardus secundus.

De Ioanne Bockinghamo.

1399. 720. IOANNES Bockinghamus sacræ Theologiæ Doctor Anglus in Oxoniensi Academia, vir ingenio subtilis, & in scholasticis disciplinis, tùm ijs quæ ad Philosophicas & profanas, tùm quæ ad Theologicas & diuinas scientias spectant, versatissimus. Videtur publicè Magistrum Sententiarum in scholis Oxoniensibus exposuisse, & illic in cathedra suprema Professorem primum egisse. Postea fuit Episcopus Lincolniensis, qua sede propter varias controuersias maximè cum Bonifacio Papa nono anno Domini 1397, priuatus fuit, & ad Litchfeldensem detrusus, noluit acceptare: Sed factus Monachus Cantuariensis litterarijs monumentis suam famam posteris commendauit: Nam ad publicam vtilitatem edidit quædam, quæ diu in quadam Bibliotheca Londinensi seruabantur

Quæstiones in Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Extat Paris. an. 1505.

Ordinarias disceptationes, *Librum vnum* Et id genus alia. Claruit anno Domini 1398. regnante in Anglia Richardo secundo. Vide nostrum de Lincolniensibus Episcopis Catalogum.

De Ioanne Kininghamo.

1399. 721. IOANNES Kininghamus ordinis Carmelitani Monachus Anglus, in cœnobio Gippesvvicensi Comitatus Suffolcensis, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & tandem totius ordinis sui per Angliam & Hiberniam Prouincialis vicesimus primus ad annos quinque. Vir

modestus, prudens, temperans, &, vt Lelandi verbis vtar, Philosophus grauis, Theologus sanctus. Quibus nominibus fuit Ioanni Lancastriæ & Aquitanniæ Duci plurimùm dilectus, quem etiam vsque ad finem vitæ fecit sibi & coniugi à confessionum secretis. Thomas Vvaldensis in zizaniorum fasciculo primum hunc fuisse memorat, qui in arenam scholasticarum concertationum contra Vvicleffum descendit. Sed quantus fuerit hic auctor ex operibus faciliùs colligemus. Scripsit

In Threnos Hieremiæ, *Librum vnum*. Refert Seneca in Declam.
In Ezechielem, *Librum vnum*. Iste liber, sicut & alij Scriptur.
In Canonicam Iacobi, *Libros duos*. Circa hanc epistolam sicut circa.
Scripturæ sacræ præconia, *Librum vnum*. In medio annorum notū facies.
Super Magistrum Sententiarū, *Libr. quatuor*. Mirabilis facta est scient.
De Natiuitate Christi, *Librum vnum*. Veritas de terra orta est.
De Paßione Christi, *Librum vnum*. In pace moriens. Hieremiæ 34.
De Spiritu sancto, *Librum vnum*. Spiritus sanctus dabit eloqui.
De natura Angelica, *Librum vnum*. Secundùm quod superius tactum.
Sermones de Tempore, *Librum vnum*. Dabo tibi coronā vitæ. Apocaly. 2.
Sermones de Sanctis, *Librum vnum*. Hoc est corpus meum. Matthæi 26.
Quæstiones varias, *Librum vnum*.
Contra propositiones Vvicleffi, *Librum vnum*. Vt ait Cassiodorus in libr. de.
Super idæis eiusdem, *Libr. j*. Reuerendus Magister Ioannes Vviclef.
Pro primo suo ingressu, *Librum vnum*. In isto actu duo intendimus.
De Temporis ampliatione, *Libr. j*. In materia sæpe tacta de tempore.
De esse intelligibili, *Librum vnum*. Habito frequenter multiplici.
Ad quadam loca allegata, *Librum j*. Iam restat dicere ad auctoritat.
Commentarios in Metaphysicam, *Libr. duodecim*. Et alia plura præsertim in sacram Scripturam. Senex tandem Eboraci diem suum sanctissimè obijt, & ibidem requiescendi locum accepit, quarto Idus Maij, anno regiminis sui sexto, Christi verò 1399, regnante apud Anglos Richardo secundo.

De Petro Stocco.

PETRVS Stoccus seu Stokes, ordinis Fratrum Sanctæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli Monachus Anglus in cœnobio Huchinensi, Comitatus Hartfordiensis in Diœcesi Londinensi. Vir pius, doctus, & zelo Dei plenus. Tanto apud Oxonienses Doctores in honore fuit, auctore Lelando, vt proximum ab Academiæ supremo præside Magistratum ibi gesserit. Anno Domini 1382 regia munitus auctoritate, & Cantuariensis Archiepiscopi Guilhelmi Curtnæi diplomate instructus, Oxonium venit, vt hæresim Vvicleffi publico examini subijceret, & solemni disputatione refutaret, vti productis irrefragabilibus argumentis, feliciter præstitit quòd animosè in se susceperat. Conuictus Vvicleffus nihilominùs recalcitrauit, & posteà non-

1399.
722.

nulla contra victorem suum scripsit, quem tamen non nisi albi canis vocabulo compellauit, suppresso præ pudore vero eius nomine. *Nempè animus meminisse horret.* Sed eruditionis testes producamus Petri libros. Edidit enim maximè ad præfatum Archiepiscopum

Commentarios in sacra Biblia, *Librum vnum.*
Præconia sacræ Scripturæ, *Librum vnum.* Adiuua me & saluus ero.
Contra Vvicleffi articulos, *Librum vnū.* Pater in Christo reuerendissime.
Ordinarias quæstiones, *Librum vnum.* Vtrum voluntas recta ratione
In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Conclusiones quinquaginta quatuor, *Librum vnum.* Nunquid præter diuinum adiutorium.
Lecturas scholasticas, *Libr. vnum.* Liber quem præ manibus habemus.
Collationes varias, *Librum vnum.* Pax vobis Ioannis 21. Charissimi.
Replicationes lectionum, *Librum vnum.*
De superioritate cleri, *Librum vnum.*
Defensorium Holcothi (alijs Occami) *Librum vnum.*
Contra Philippum Repingtonum, *Librum vnum.*
Contra Nicolaum Herfordium, *Librum vnum.* Et alia plurima. Tandem deposito magistratu, ad suum Monasterium redijt, & ibi sarcinam carnis deposuit die vicesimo octauo Iulij anno partus Virginei 1399. dum in Anglicani regni solio sederet Richardus secundus.

De Roberto Vvaldebio.

1399. 723.

ROBERTVS Vvaldebius ad normam S. Augustini eremita Anglus. Vir pietate & eruditione clarus, & apud principes viros apprimè gratiosus. De eo mentionem honoratam factam inuenio apud Thomam Vvaldensem in zizaniorum fasciculo, apud Polydorum Vergilium in Anglicana historia, apud Thomam Colbium in suis collectaneis, & apud Iosephum Pamphilum in Augustinianorum chronico. Hic postquam principia studiorū in Anglia fecisset, cùm Edvvardo Principe nigro Galliam petijt, & Tolosæ in Narbonensi Prouincia diù studuit, tam fœliciter, vt tum sacrarum, tum profanarum scientiarum euaserit peritissimus. Erat enim vtriúsque iuris consultissimus, in re medica plus quàm vulgariter versatus, omnem Philosophiam, Theologiam omnem ita exactè coluit, in eloquentia etiam & linguarum cognitione tantum profecit, vt propter multiplicem rerū scientiā cum litteratissimis ætatis suæ viris de palma contendere meritò posset. Theologiæ Doctor & Professor Tolosæ diù magno cùm applausu docuit. Concionator adeò facundus erat, vt eo nomine famam acquisiuerit non vulgarē. Hinc regum fauores, hinc opes, hinc honores. Primùm enim factus est Episcopus Adurensis in Vasconia, rectiùs forsan Cadurcensis in Aquitannia, deindè Dubliniensis Archiepiscopus in Hibernia; posteà Cicestrensis Episcopus, & tandem Archiepiscopus Eboracensis in Anglia. Sed de his suo loco. Nunc

eruditionis eius monimenta recenseamus. Edidit

Lecturas in Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.*
Quodlibeta, *Librum vnum.*
Sermones per annum, *Librum vnum.*
Contra Vvicleffitas, *Librum vnum.* Et alia multa. Eboraci, Londini potiùs quarto calendas Ianuar. mortuus & Vvestmonasterij sepultus cum hoc epitaphio perhibetur

Hic fuit expertus quouis in iure Robertus,
De Vvalbi dictus, nunc est sub marmore strictus.
Sacræ Scripturæ Doctor fuit & genituræ,
Ingenuus Medicus, & plebis,

Anno salutis 1399, sub Rege Richardo secundo. Vide nostrum de Archiepiscopis Eboracensibus Catalogum.

De Ioanne Treuisa.

IOANNES Treuisa, natione Anglus, patria Cornubiensis, professione sacerdos, officio Vicarius de Barkelay, ipsique Domino de Barkelay propter eruditionem & eloquentiam admodum charus & dilectus, eo præsertim nomine, quòd, vt inquit ille, 1399. 724.

Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum
Nomina protulerit.

Historias enim Anglicanas diligenter peruoluit, res antiquas melioris notæ strenuè perscrutatus, luce donauit, & in suis relationibus ita rerum veritatem elegantia sermonis expressit, vt animum lectoris perfunderet iucunditate, nullumque de falso narratis relinqueret suspicandi locum. Multa partim scripsit, partim transtulit rogatu maximè præfati Domini de Barkeleio. Multus erat in Ranulphi Cestrensis Polycronico. Illud legit, relegit, in Anglicam linguam vertit, suis annotationibus illustrauit, quinquaginta saltem & quinque annos adiecit. Alij putant plures. In quo, quia parum refert, & discrepantes auctores inuenio, liberam cuiusque relinquo sententiam, vt meum institutum prosequar. Rogatus, vt dixi, à suo Domino transtulit

Sacra Biblia, Libros duos. Ego Ioannes Treuisa sacerdos.
Ranulphi Polychronicō, Libros septem. Salutē & honorē digno atque hon.
Dialogū de hac translatione, Librū vnum. A tēpore quo ingens turris Bab.
Polychronici continuationes, Librum j. Dū præfatū Polychronici opus fi.
Bartholomæum de proprietatibus rerum, *Libros nouemdecim.* Post præclaram & solidam.

De memorabilibus temporum, *Librum vnum.*
Gesta Regis Arthuri, *Librum vnum.*
Descriptionem Britanniæ, *Librum vnum.*
Descriptionem Hiberniæ, *Librum vnum.* Et alia nonnulla. Claruit anno post Christum natum 1399, dum Anglicani regni sceptrum inclinatum teneret Richardus secundus.

ÆTAS DECIMAQVINTA.

De Ioanne Multono.

1400. 725.

IOANNES Multonus ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli Monachus Anglus, in cœnobio Norvvicensi. Vir pius, eruditus,& eloquens, cuius laus in concionibus suo tempore non erat postrema. Quo in genere testimonium posteris reliquit

Sermonum nonaginta per annum, *Librum vnum.*

Claruit anno redemptionis humanæ 1400, inchoante apud Anglos regnum Henrico quarto.

De Ioanne Botrello.

1400. 726.

IOANNES Botrellus, eiusdem etiam ordinis Carmelitani Monachus Anglus. Philosophus inter suos eruditus, acutus, facundus, quique in rebus maximè logicis cum subtilissimis & expertissimis sui temporis meritò fuit conferendus. In alijs quid potuerit, mihi non constat. Scripsit, vt in varijs Bibliothecis videre est,

De vtilitate Logices, *Librum vnum.* Artis Logicæ auctorem ac primum.
Summulas Logicales, *Librum vnum.* De vniuersalibus an subsistant.

Claruit anno post aduentum Messiæ 1400, perueniente ad Anglicani regni diadema Henrico quarto.

De Hugone Legatto.

1400. 727.

HVGO Legattus in Comitatu Hartfordiensi in Anglia natus, post benè collocatos in ingenuis artibus adolescentiæ suæ annos, apud S. Albanum ordinis S. Benedicti factus est Monachus, deinde studia sua, ad maiorum suorum præscriptum prosecutus est Oxoniæ. Sed inde domum reuocatus successu temporis se dedidit historiarum lectioni. Tum diuersos peruoluens in Bibliotheca cœnobij sui libros, tandem incidit in Archithrenium Ioannis Hantiuillensis eiusdem ordinis & cœnobij quondam Monachi, cuius lectione & meditatione ita deinceps delectabatur, vt cæteris postpositis omnibus, nihil præter illud opus, & ea quæ ad eius explanationem facere deprehenderet, libenter legeret. Illud scriptum, eiusque auctorem miris in cælum efferebat laudibus, ab eruditione, pietate, & multiplici vtilitate. Ibi lugubri versu deplorantur humanæ miseriæ, huiusque vitæ calamitates, ibi seuerissimis censuris perstringuntur hominum vitia, omnia pereleganter, ingeniosè, eruditè. In hoc igitur opus tam insigne, ad ingenij sui pium exercitium, & ad communem omnium vtilitatem, composuit commentarios, eosque Guilhelmo Hayvvorto Abbati suo consecrauit, sub hoc titulo

Commentarios super Architrenium Hamtiuilli, *Libros nouem.* Humillimus paternæ.
In Boëtium de consolatione, Libros quinque. Suprema Dei sapientia cælest.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Et alia quædam.
Claruit anno à plenitudine temporis 1400, sub initium regni apud Anglos Henrici quarti.

De Nicolao Gorhamo.

NICOLAVS Gorhamus, Gorranum perperàm vocant Sixtus & Antonius Senensis, natione Anglus, à villa natalitia in territorio S. Albani Comitatus Hartfordiensis, cognomen accepit. Oxonij primùm studuit in Collegio Mertonensi, vbi & Magisterium in Philosophia nactus est. Nec multo post in eadem Academia Prædicatorum S. Dominici regulam & institutum amplexus est. Peracta autem in nouitiatu probatione, factaque per votum solemne ordinis professione, Parisios ad Theologica studia missus est, vbi reliquam exegit ætatem, tantosque in omnibus tum sacris, tum profanis scientijs fecit progressus, vt ijs temporibus vix quemquam doctiorem Anglia viderit aut Gallia. Hæc ferè Lelandus. In Sorbona Doctoralem gradum suscepisse dicitur. Vir acerrimi ingenij, firmi constantisque iudicij, tenacis memoriæ, vt & multa facilè discere, & omnia fæliciter tanquam in thesauro reponere, ac seruare posset. Maturioribus annis scholas & scholasticas concertationes reliquit, & in sacrarum scripturarum lectione ac assidua meditatione reliquum vitæ tempus transegit. Regi Gallorum fuit à confessionum secretis. Vnde nonnulli, & in his Leander Bononiensis, suspicati sunt eum fuisse Gallum. Sed, quæ iam dixi, pleraque ex Lelando, eum Anglum fuisse planè conuincunt. Quamuis in Gallia Prouincialem ordinis sui fuisse constanter quidam affirment. Sed ad id, quod intendimus, veniamus, & quæ doctrinæ monimenta posteris tradiderit hic celebris & de re litteraria optimè meritus Doctor, aspiciamus. Scripsit commentarios vel annotationes in plerosque vtriusque Instrumenti libros. Quæ opera Venetijs in bibliotheca SS. Ioannis & Pauli se vidisse testatur Sixtus Senensis libro quarto Bibliothecæ sanctæ

1400.
728.

In Pentateuchum Moysi, *Libros quinque.* In principio.
Super Iosuë, *Librum vnum.*
Super Iudices & Ruth, *Libros duos.*
Super libros Regum, *Libros quatuor.*
Super Paralipomenon, *Libros duos.*
Super Esdram, *Libros tres.*
Super Tobiam & Iudith, *Libros duos.*
Super Hester & Iob, *Libros duos.*
Super Psalterium, *Librum vnum.* Laudationem Domini loquetur os meum. M S. Oxonij in pub. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.
In Prouerbia Salomonis, *Librum vnum.*

CCcc

In Ecclesiastem, *Librum vnum*. Aspexit terram.
In Cantica Canticorum, *Librum vnum*. Benedictionem dabit legislator. Cantate Domino.
In Sapientiam, *Librum vnum*.
In Ecclesiasticum, *Librum vnum*. Sapientia ædificauit sibi domum.
In Isaiam, *Librum vnum*.
In Hieremiam, *Librum vnum*.
In eius threnos, *Librum vnum*. Huic planctui.
In Baruch, *Librum vnum*.
In duodecim Prophetas Minores, *Libros duodecim*.
In Machabæos, *Libros duos*.
In Euangeliũ S. Matthæi, *Librũ vnum*. Liber gen. Sicut fluuius Paradis.
In Euangelium sancti Marci, *Librum vnum*. Filiæ Sion exultate.
In Euangelium sancti Lucæ, *Librum vnum*. Disciplina medici exaltabit caput. M S. Cantabrigiæ in aula Pembrochiana.
In Euangelium sancti Ioannis, *Librum vnum*. Ecce seruus meus quem elegi. Et hæc omnia quæ scripsit in Euangelia extant Coloniæ anno Domini 1537.
In epistolas D. Pauli, *Libros quatuordecim*. Dedi te in lucem gentium. Estque ingens volumen M S. Oxonij in Collegio Nouo. Cantabrigiæ in Coll. S. Petri, Caij, Emanuelis, & in Aula Pembrochiana. Extant anno 1478. & Parisijs 1531, vti vidi in Bibliotheca Franciscanorum Nancæi in forma quæ sequitur.
In epistolam ad Romanos, *Librum vnum*. Romani sunt partis Italiæ.
In primam ad Corinthios, *Librum vnum*. Corinthij sunt Achaici.
In secundam ad Corinthios, *Librum vnum*. Post actam à Corint. pœnitent.
Ad Galatas, *Librum vnum*. Quis dedit gallo intelligentiam? Iob. 38.
Ad Ephesios, *Librum vnum*. Ego confirmaui columnas eius. Ephesij sunt Asiani.
Ad Philippenses, *Librum vnum*. Dixi rigabo hortum. Philippenses sunt Macedones.
Ad Colossenses, *Librum vnum*. Vacillantes confirmauerunt sermones tui. Colossenses, & hi sicut Laodicenses, sunt Asiani.
In primam ad Thessalonicenses, *Librum vnum*. Cor suum dabit vt. Thessalonicenses sunt Macedones.
In secundam ad Thessalonicenses, *Librum vnum*. Doctrinam quasi. Ad Thessalonicenses secundam.
In primam ad Timotheum, *Librum vnum*. Qui docet filium suum. Timotheum instruit & docet.
In secundam ad Timotheum, *Librum vnum*. Machabæus primus. Item Timotheo scribit.
Ad Titum, *Librum vnum*. Erudit homo filium suum. Titum commonefacit & instruit.

Ad Philemonem, *Librum vnum*. In tempore iracundiæ. Philemoni familiares litteras.

Ad Hebræos, *Librum vnum*. Narrabo nomen tuum fratribus meis. Imprimis dicendum.

In epistolas Canonicas, *Libros septem*. Missæ sunt epistolæ ab Apostolis.

In Apocalypsim S. Ioannis, *Librum j*. Liber iste diuiditur in tres partes.

In prologos Bibliorum, *Librum vnum*.

In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*.

Distinctiones Theologiæ, *Librum vnum*. Abeuntium per hunc mundum. M S. Oxonij in pub. & in Colleg. Magdalenensi. Cantabrigiæ in Col. sancti Petri, in Aula Pembr. & Archi. Caij.

Lecturas scholasticas, *Librum vnum*.

Quæstiones varias, *Librum vnum*.

Distinctiones thematum ad concionandum, *Librum vnum*.

Sermones Dominicales, *Librum vnum*. Hora est iã nos de somno surgere.

Sermones festiuales, *Librum vnum*. In baculo meo transiũi Iordanem.

Tabulam decretorum, *Librum vnum*.

Collationes super Dominicalia, *Librũ vnum*. MS. Oxoniæ in Col. Lincoln. Sermones eius de Dominicis & Festis habẽtur abbreuiati M S. Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana, & plerique eius commentarij in nouum Testamentum habentur M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Parisijs tandem diem suum sanctissimè obijt circa annum salutis reparatæ 1400, dum initia regni sui faceret in Anglia Henricus quartus.

De Roberto Alingtono.

ROBERTVS Alingtonus, natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis, & tandem eiusdem vniuersitatis Cancellarius. Vir acutissimi ingenij, acerrimi iudicij, solidæ doctrinæ, & qui zelum habuit diuinæ gloriæ secundùm scientiam. Quod satis apparuit ex ijs, quæ partim strenuè fecit, partim eruditè scripsit contra Vvicleffum, eiusque sectatores, maximè dum in Academia Oxoniensi, vt dictum est, præfatum gessit Magistratum. Porrò scripsit, doctior, vt auctor est noster Lelandus, quàm facundior

1400.
729.

Quæstiones de sacris imaginibus, *Librum vnum*. Vtrum imagines & picturæ sint.

De adoratione imaginum, *Librum vnum*. Pro materia de adoratione imaginum. M S. Oxonij in Coll. Mertonensi, Orial. & Cantab. in pub.

De veneratione Sanctorum, *Librum vnum*.

De Eucharistia, *Librum vnum*.

De Christi humanitate, *Librum vnum*. Vtrum Christus sit humanitas.

De eleemosyna, *Librum vnum*. Vtrum eleemosyna corporalis sit.

De mendicitate spontanea, *Librũ vnum*. Vtrũ ex ratione vel scriptura sit.

Super constitutis Papæ Ioannis vicesimi secundi, *Librum vnum*. Aduersus constitutiones.

Lecturam quandam, Librum vnum. Notandũ secundùm Lincolnienſem.
In diuiſiones Boëtij, Librum vnum.
De ſex principijs, Librum vnum.
Quæſtiones ordinarias, Librum vnum.
Sophiſtica principia, Librum vnum. Terminorum aliqui ſunt ſimplices.
Suppoſitiones Logicales, Librum vnum. Suppoſitio ſimplex diuiditur in.
In Prædicamenta Ariſtotelis, Libros tres. Quoniam Logica ad omnium ſcientiarum. M S. Oxoniæ in Collegio Nouo & Orialenſi.
In Priora Ariſtotelis, Libros duos.
In Poſteriora eiuſdem, Libros duos. Et alia plura.
Claruit anno poſtquàm Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis 1400, initiante in Anglia regnum ſuum Henrico quarto.

De Galfredo Chaucero.

1400. 730

GALFREDVS Chaucerus apud Vvodſtoc non longè ab Oxonio in Anglia claris parentibus natus, patrem habuit Equeſtris ordinis virum, & ipſe tandem auratus factus eſt Eques. Vir belli paciſque artibus mirè florens. Cùm ab ipſa pueritia præclaram oſtenderet indolem, ad ſcholas Oxonienſes excolendi ingenij cauſa adoleſcens miſſus eſt. Vbi tanta cum induſtria, tanta cum fœlicitate florentes annos in optimarum litterarum ſtudijs collocauit, vt nihil eorum omiſerit, quæ ad ornatum ingenij ſui longè cultiſſimi facerent. Nam iam antequam virilem ætatem attigiſſet, erat Poëta elegans, & qui Poëſim Anglicam ita illuſtrauit, vt Anglicus Homerus meritò haberetur. Rhetor etiam diſertus, Mathematicus peritus, Philoſophus acutus, Theologus denique non contẽnendus. Exquiſitiſſimos in his omnibus ſcientijs habuit præceptores, quos & ipſe propter miram animi alacritatem ad ſtudia, & ſingularem ingenij promptitudinem ac fœlicitatem, ita conſecutus eſt, vt eorum cuique in cuiuſque facultate par & æqualis, ſi non ſuperior, euaſerit. In ſcientijs Mathematicis legentes audiuit Ioannem Sombum & Nicolaum Linnam Carmelitas Linnenſes, viros per illa tempora pereruditos, & Mathematicorum illius ætatis facilè principes, quos Chaucerus in ſua ſphæra reuerẽter admodum compellat, & cum honore nominat. Abſolutis autem in Anglia ſtudijs, transfretauit in Galliam, tum vt linguã addiſceret, & exterorum mores videret, tum etiam vt nihil reliqui faceret ad accuratiſſimam ſcientiarum perfectionem, ſi quid ei forſan ſuppeditaret Gallia, quod Anglia non haberet. Ibi omnes hominis ingeniũ, eruditionem, vrbanitatem, morum ſuauitatem, aliaſque inſignes dotes admiratione ſimul & amore proſecuti ſunt. Ille interim quæ è re eius erat, non neglexit, didicitque linguã, lepores, ſales, omneſque Gallorum argutas facetias. Qua ſupellectile cumulatè inſtructus & quaſi quibuſdam floribus nitidè ornatus, redijt in Angliam. Deindè Londini agens patrijs iuribus ſtuduit, & Collegia iuriſperitorum illic inuiſit, hiſtorias etiam non omittens, ad excolendam patriam linguam ſe

contulit. Inter hæc incidit in Ioannem Gouerum (de quo mox dicendum) virum nobilem, doctũ, Galfredo ferè per omnia similem, quique eundem prorſus habuit omnium ſtudiorũ ſuorum propoſitum finem. Deprehenditur facilè morum ſimilitudo, initur citò amicitia, concurritur in idem propoſitum, coniunguntur labores, frequens fit congreſſus, quotidiana familiaritas, omnis conatus eò refertur, vt materna excolatur lingua, & in Anglico ſermone eloquentiæ Romanæ expreſſa appareant veſtigia. Et attulerunt certè hi duo viri noſtro idiomati tantum ſplendoris & ornamenti, quantum ante illos prorſus nemo. Nam ſibi mutuò calcar addiderunt, & vter patriæ plus afferret honoris, vterque vinci & vincere ambiens, amanter contenderunt. Non ſolum memores, ſed etiam imitatores illius

> *Quod lingua Catonis & Enni*
> *Sermonem patrium ditauerit, & noua rerum*
> *Nomina pretulerit.*

Et quia ſua vel patrum memoria nouerant multos iam linguas vulgares induſtria cultura exornaſſe: Nam Dãtes & Petrarcha Italicam, Alanus Gallicam, Ioannes Mena Hiſpanicam linguas iam cultiores reddiderant: operæprecium igitur putabãt iſti, idem in Anglica lingua præſtare, quod viderant alios in ſuis linguis magna cum laude, & poſteritatis incõparabili vtilitate gnauiter præſtitiſſe. Itaque alia ex aliјs linguis transferendo, alia imitando, alia inueniendo, & proprio Marte componendo, comptè, terſè, politè ſcribere Anglico idiomate conati ſunt. Et profectò in multis Latinorum elegantiam, ſi non ſint plenè conſecuti, at certè non infœliciter imitati. Vterque tamen minùs ſibi tribuebat, quàm alteri. Vndè factum eſt, vt alter alterius iudicio ſcripta ſua mutuò ſubijceret, & ſi quid in altero deeſſet, alter ſuppleret, atque ità communicatis conſilijs, vtriuſque lucubrationes, ſæpiùs ſub incude vocatæ, emendatiores in publicum prodierunt. Vnum hîc, licet à noſtro propoſito forſan alienum videri quibuſdam poterit, adnotare non piget. Licet Chaucerus tantum eſſet ordinis Equeſtris, tamen ſororem habuit Guilhelmo Polo Illuſtriſſimo Suffolcenſium Duci in matrimonio longè ſupra ſuam ſortem fœliciſſimè ſplendidiſſiméque collocatã. Quod connubium illa magis virtutibus & doctrinæ fratris, quàm ſplendori ſuorum natalium habuit acceptum. Nunc reſtat videre quibus litterarum monimentis, hanc nominis immortalitatem, quam habet, conſecutus ſit. De quo Lelandus noſter inter epigrammata ſua ſic ſcribit

> *Prædicat Algerum meritò Florentia Dantem,*
> *Italia & numeros tota Petrarcha tuos.*
> *Anglia Chaucerum veneratur noſtra Poëtam,*
> *Cui veneres debet patria lingua ſuas.*

Scripſit autem cultiſſimus noſter Chaucerus pleraque Anglicè, ſed quoniam omnia ferè Latina facta ſunt, operum titulos & exordia Latinè ponam.

De consolatione Philosophia, Libros quinque. Carmina quæ quódam studio.
Somnium suum, *Librum vnum.* Admiror herclè plurimùm, quali.
Fabulas Cantianas viginti quatuor. Cùm retractat. Anglicè. *Librum vnum.*
Olim erat, vt veteres historiæ innuunt. M S. in Lumleiana.
Præfationes earundem, Librum vnum. Dum imbribus suauibus Aprilis.
Amores Troili & Chrysidis, Libros quinque. Vt demonstrarem Troili duplicem. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Testamentum Chrysidis, *Librum vnum.* Diuturnis horis donec dolo.
Lamentationem Chrysidis, *Librum vnum.* O gemitus offella mærore in.
Testamentum amoris, *Libros tres.* Multi sunt qui patulis auribus.
Threnos Magdalenæ, *Librum vnum.* Mæstitiæ lethiferæ voraginibus.
De curia Veneris, *Librum vnum.* In Maio cum virescerent.
De Thisbæ amore, *Librum vnum.*
Amores Palemonis & Arcyti, *Librum vnum.*
De remedio amoris, *Librum vnum.* Viso multiplici incommodo, quòd.
Querelam Martis & Veneris, Librum j. Congratulamini amatores pullu.
Epistolam Cupidinis, *Librum vnum.* Cupido ad cuius nutum.
De arte amandi Romanè, Librum vnum. Plerique fatetur in somnijs meras.
Amores Heroidum, *Librum vnum.*
Chorum Heroidum, *Librum vnum.* In Septembri dum folia virgulta.
Chorum auium, *Librum vnum.* Vita tam breuis est, artis tam.
De pietate mortua, *Librum vnum.* Oh quòd pietatem tam diù quæsiu.
Historiam Oedipi & Iocastæ, *Librum vnum.*
Obsidionem Thebes, Librum vnum. Quem in versus Anglicos vertit Ioannes Lidgatus.
Vrbanitatis florem, *Librum vnum.* In februario cùm cornuta esset.
Oratoris narrationem, Librum vnum. Agricola tulit aratrum dum esset. Puto esse librum illum cui titulus Anglicè Pierce Ploumam: & habetur M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti, & Oxonij in publica.
Encomium mulierum, *Librum vnum.* Quibus animus est mulieres.
Querelam Equitis nigri, Librum vnum. In Maio dum Flora Regina terram.
De fama & eius domicilio, *Libros tres.* Vertat nobis Deus somnia in.
Cantionum, *Librum vnum.* Mille historias adhuc recensere.
De Melibæo & Prudentia, Librum j. Iuuenis quidam Melibæus, pontem.
De peccatis & remedijs, Librum vnum. Hieremiæ sexto, state super vias.
De Astrolabij ratione Anglicè ad filium suum Ludouicum, Librum vnum. Fili mi Ludouice, certis signis. M S. Cantabrigiæ in Colle. S. Benedicti.
Origenis quendam tractatum transtulit, *Librum vnum.*
Laudes bonarum mulierum, Librum j. Mille vicibus ab hominibus atque.
Cleopatræ vitam, *Librum vnum.* Post mortem Ptolemæi Regis magni.
Vitam Thisbæ Babylonicæ, Librum vnum. Babyloniæ quandoque contigit.
Vitam Didonis Carthaginensis, Libr. j. Gloriosum fuit Virgili Mantuane.
De Hypsiphile & Medæa, Librum vnum. Dissimulantium amatorũ radix.
Lucretiæ Romanæ vitam, Librum vnum. Narrare nunc oportet auxilium.

De Ariadna Cretensi, *Librum vnum.* Discerne, infernalis Cretæ Rex.
De Philomela Atheniensi, *Librum vnum.* Formarum fabricator qui form.
De Phyllide Tharsensi, *Librum vnum.* Tam argumento quàm auctoritate.
De Hypermnestra Ægyptia, *Librum j.* In Græcia aliquando duo fratres.
Super impia domina, *Librum vnum.* Me dormientem aureus sopor.
De Aunelida & Arcito, *Librum vnum.* Immitis belligerantium Deus.
Carmen Chauceri, *Librum vnum.* Probæ educationis amantissima.
Epigrammatum, *Librum vnum.* Fugite multitudinem veri.
De Cuculo & Philomela, *Librum vnum.* Amorum Deus quàm potens.
Octo quæstiones & responsa, *Librum vnum.* In Græcia quãdoque tam nobili.
Chronicon conquestus Anglici, *Librum vnum.* Ea ætate, vt veteres annales.
Narrationes diuersorum, *Librum vnum.* In Comitatu Lincolniensi fuit.
Hymnos amatorios, *Librum vnum.*
De castello dominarum, *Librum vnum.*
De Ceyce & Halciona, *Librum vnum.*
De Vulcani veru, *Librum vnum.*
De leone & eius dignitate, *Librum vnum.*
In obitum Blanchæ Ducissæ, *Librum vnum.*
Vitam S. Ceciliæ, *Librum vnum.*
Facetias & iocos, *Librum vnum.*
Comedias & tragœdias, *Librum vnum.*
Dantis Itali scripta transtulit, *Librum vnum.*
Petrarchæ quædam transtulit, *Librum vnum.*
Joannis Moni Angli librum de arte amandi quem Parisijs Gallicè scripsit, in versus Anglicos transtulit, & operi titulum dedit The Romaunt ob the rose.

Alia etiam multa partim ipse scripsit, partim ex alijs linguis vertit. Quæ omnia Anglicè impressa fuerunt Londini anno Domini 1561. Londini senex obdormiuit in Domino, & apud Vvestmonasterium honorificè sepultus est die vicesimo quinto Octobris anno post salutem humani generis per Christum hominem factum reparatam 1400, initiante regnum apud Anglos Henrico quarto. Porrò post annos centum quinquaginta quinque, anno videlicet gratiæ 1555, gratiam hanc fecit nostro Chaucero Nicolaus Brighamus vt eius ossa transferret, & in nouo marmoreo tumulo in capella S. Blasij splendidiùs collocaret, adiunctis versibus sequentibus:

Qui fuit Anglorum vates ter maximus olim,
Galfredus Chaucer conditur hoc tumulo.
Annum si quæras Domini, si tempora mortis,
Ecce notæ subsunt, quæ tibi cuncta notent.
25. Octobris 1400.

De Ioanne Govvero.

IOANNES Govverus vel Gouerus, in Septentrionalibus Angliæ 1402. partibus natus, in prouincia Eboracensi, ex castello Sittenhamo 731.

si Lelandum sequamur. Vir ordinis Equestris, & qui nobilitatem generis virtutibus atque litteris insigniter auxit & illustrauit. Nobile planè habuit ingenium, fœlicem memoriam, constans iudicium, mores vrbanos, omnes animi corporisque dotes natura egregias, arte ornatas, industria mirificè excultas. Vt veraciter affirmare poteris hominem habuisse naturam in insitis donis matrem beneuolam, *nec minus ingenuas didicisse fideliter artes*. Post imbibitas vtcumque humaniores litteras studere cœpit municipalibus Angliæ legibus. Sed amœnitate poëticarum deliciarum, & elegantia florum Rhetoricorum allectus, illas denuò Musas repetijt, easque perpetuò vsque ad vitæ finem impensè coluit. Fuitque tandem non modò Eques auratus, sed etiam Poëta laureatus. Nescio tamen quid fœlicitatis dicam an infœlicitatis illi euenerit, quòd de consequenda antiquorum poëtarum in Latino sermone elegantia quasi desperans, primùm ad linguam Gallicam discendam, deindè ad Anglicanam excolendam se totum ardenter contulerit. Is enim & Galfredus, de quo iam dixi, Chancerus, vel omninò primi, vel certè inter primos eorum fuerunt, qui Anglicè ornatè loqui, & politè scribere inceperunt, tum versu, vt Poëtæ, tum oratione soluta vt Rhetores & Historici. Scripsit autem Gouerus multa, & quidem Gallicè laudabiliter, Latinè non ineleganter, sed Anglicè longè elegantissimè. Testes in medium adducamus laudatissimas eius lucubrationes. Scripsit Latinè

Chronicō, cui titulus vox clamātis in deserto, *Libros septem*. Scripturæ veteris capiunt exempla. M S. Oxonij in Collegio omnium Animarum. Et in Lumleiana.

Chronicon Richardi secundi, *Libros tres*. Opus humanum est inquirere.

Chronicon tripartitum, *Libros tres*. Tolle caput mundi Ceteret. M S. in Collegio omnium Animarum.

De Rege Henrico quarto, *Librum vnum*. Rex cœli Deus & Dominus.

Ad eundem, *Librum vnum*. O recolende, bone, pie Rex Henrice.

Ad eundem de laude pacis, *Librum vnum*. Nobilis & digne Rex Henrice.

De compunctione cordis, *Librum vnum*.

De peste vitiorum, *Librum vnum*. Non excusatur qui verū non fateatur.

De regimine principum, *Librum j*. O Deus immense sub quo dominatur.

De coniugij dignitate, *Librum j*. Qualiter creator rerum omnium Deus.

Scrutinium lucis, *Librum vnum*. Heu quia per crebras humus est.

Speculum meditantis Gallicè, *Libros decem*.

Confessionem amantis Anglico versu, *Libros octo*. Eorum qui ante nos scripserunt. M S. Oxonij in bibliotheca publica.

De amoris varietate, *Librum vnum*. Est amor in glosa, pax bellica.

Epigrammatum, *Librum vnum*. Alta petens aquila volat altque.

Carminum diuersorum, *Librum j*. Extant etiam alia multa eius opuscula, alia Latinè, alia Gallicè, alia Anglicè, in varijs bibliothecis. Et quidē haberi dicuntur non pauca M S S. Oxoniæ in Collegio Nouo & omnium Animarum. Senex tandē & cæcus Londini mortuus est, & ad ripam Tamisis

misis in templo S. Mariæ de Oueres splendidè sepultus anno reconciliationis humanæ 1402, eique erecta est statua, quæ duplicia gerit ornamenta, torquem videlicet auream, insigne militis & Equitis aurati: ex Hedera rosis interstinctam coronam, honorarium Poëtæ laureati ornamentum. Extremos igitur senectutis egit dies, tum, cùm primos in Anglia regiminis annos inchoaret Rex Henricus quartus.

De Ioanne Miræo.

IOANNES Miræus, qui & Lilleshullus, à Monasterio quodam, cuius Prior erat in Occidentalibus Angliæ partibus, sic cognominatus. Monachum fuisse mihi non est dubium, sed cuius ordinis dubium. Vir pius & eruditus, sacra rumque scripturarum lectione & meditatione, vt scribit Lelandus, non mediocriter delectatus. Ad vtilitatem Ecclesiæ, suique nominis memoriam sempiternam scripsit egregium opus, breue quidem illum & concisum, sed omni melioris doctrinæ quasi melle & medulla refertum. Cui titulum præfixit materiæ conuenientem. Nam quoniam opus illud hominem Ecclesiasticum ad omnem ordinis & vocationis suæ perfectionem instituit, sic inscripsit

1403.
732.

Enchiridion seu Manuale Sacerdotis, *Libros quinque.* M S. in Bibliotheca Gual. Copi. De alijs eius scriptis nihil inuenio. Claruit circa annum Incarnationis Dominicæ 1403, regnante in Anglia Henrico quarto.

De Guilhelmo Nortono.

GVILHELMVS Nortonus (Mortonum aliqui vocant) ordinis S. Francisci Monachus Anglus, in cœnobio Couentriensi. Vir supra vulgarem morem, tum in scientijs Philosophicis, tum in Theologicis eruditus, licet pleraque eius scripta perierint. Vt auctor est Henricus Vvillottus in suis Franciscanorum Athenis, scripsit quoddam opus super Nicolaum de Lira, quod hoc titulo prænotauit

1403.
733.

Repertorium Liræ, *Librum vnum.* Abacuc Propheta destructionem Chaldæorum. M S. Oxonij in Collegio Lincolniensi. De alijs nihil habeo comperti. Claruit anno gratiæ 1403, regnante apud Anglos Henrico quarto.

De Guilhelmo Augero.

GVILHELMVS Augerus ordinis Minorum S. Francisci Monachus Anglus. In Oxoniensi Academia multo tempore bonis litteris vtilem operam nauauit, & multum in studijs, plus in pietate profecit. Decreto suorum indè vocatus est in Comitatum Somersetensem, & apud Pontem Gualteri, vulgo nostro Bridge Vvalter, Guardianus Cōuentui præficitur. Quā quietē nactus, cœpit iteratò illa trāquille ruminare, quæ iam sępè legerat, audierat, didicerat, aut in scholis disputauerat. Maximum autem gustum habere cœperat in Euange-

1404.
734.

liorum sacrorum frequente lectione, & assidua meditatione. Vndè præuio maturo consilio, tandem ad nominis sui memoriam, & posterorum vtilitatem, in publicum emisit

Commentarios in Euangelium S. Lucæ, *Librum vnum.* Hæc ferè Lelandus. Mortuus & sepultus est in suo præfato Monasterio, anno post aduentum Messiæ salutiferum 1404, dum in Anglia rerum potiretur Henricus huius appellationis quartus.

De Thoma Maldono.

1404. 735.

THOMAS Maldonus, ab oppido suo natalicio sic cognominatus, vbi etiam adolescens ordinis Carmelitani viam ingressus, & regulam fuit professus. Sub qua disciplina, teste Lelando, magnum in litteris & pietate fructum fecit. Successu autem temporis, cùm esset optimæ spei iuuenis, Cantabrigiam ad altiora studia capessenda missus est, peragratísque tū sacræ tum profanæ Philosophiæ campis, collectísque in vtroque genere non solùm amœnissimis floribus, verùm etiam vtilissimis fructibus, tantam fecit messem, vt supremo in sacra Theologia magisterio honorificè tandem insigniretur. Erat enim subtilis disputator, elegans concionator, in omni concertatione scholastica promptus & expeditus, in dubijs explicandis clarus & dilucidus, in decernendis & diffiniendis rebus arduis constans & solidus. Vndè in scholis magnum nomen, & apud suos non minorem sibi conciliauit auctoritatem. Reuersus tandem ad Maldense Monasterium, communi suorum suffragio fuit electus in loci Priorem, vbi laudabiliter vsque ad mortem præfuit. Porrò in scriptis relucet hominis ingenium, doctrina, virtus. Edidit

Introitum Bibliorum sacrorum, Lib. j. Sicut existētiæ plurimorum in ipſ.
Lecturam in Genesim, *Librum vnum.* Secundùm id quod dicit Venerab.
Lectiones quadraginta octo in psalmos, Libr. j. Beati immaculati in via.
In Epistolam S. Iacobi, *Librum vnum.* Exemplum accipite fratres exitus.
Sermones triginta sex de Tempore, Libr. j. Ecce ego ad te venio dicit.
Sermones triginta quatuor de B. Virgine, Libr. j. Ecce homo erat in Ierusalē.
Collationes solemnes, *Librum vnum.* Benedicat tibi Dominus ex Sion.
Super Magistrum Sententiarum, *Libr. quat.* Ad sacræ Scripturæ pręconia.
Determinationes Theologiæ, Libr. j. Ostendam tibi omne bonum. Exod.
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.* In præsenti lectura, cooperante.
Quodlibeta, *Librum vnum.* Vtrum Deum esse sit à creatu.
Actus Vesperiales, *Librum vnum.* Vtrum Verbum diuinum temporaliter. In suo tandem cœnobio Maldonensi spiritum supremum exhalauit, & ibidem sepulturam accepit, anno postquàm Verbum caro factum est 1404, dum Anglicani regni sceptrum teneret Henricus quartus.

De Gualtero Dissaeo.

1404. 736.

GVALTERVS Dissæus humili in Anglia loco natus, ex Disso Comitatus Norfolcensis oppido, adolescens Carmelitarum regulam amplexus, Noruvici Conuentum intrauit, habitum suscepit, suo tempore etiam professionem edidit, & in illa vocatione vsque ad vitæ finem perseuerauit. Studia bonarum litterarum cum disciplina Monastica, & virtutis cultu ita semper coniunxit, vt in virum doctrina & pietate celebrem euaserit. Cantabrigiæ tam strenuam Philosophicis & Theologicis scientijs dedit operam, vt ibi ad supremum Doctoralis dignitatis gradum suo iure fuerit euectus. Deindè, in ea sententia est Lelandus, Parisijs, & posteà Romæ studuit, disputauit, publicè docuit, nonnumquàm etiam conciones habuit. Vt non immeritò eum concionatorem illustrem vocet in Bibliotheca sancta Sixtus Senensis. In his omnibus cùm laudabiliter se gereret, celebrem famam acquisiuit, & viris principibus charus esse cœpit. In Angliam igitur reuersus Ioanni Lancastriæ & Aquitaniæ Duci innotuit, eiq; & Constantiæ coniugi, quam nuper ex Hispania duxerat, factus est à confessionum secretis. Per idem tempus dictus Ioannes Dux vxorio iure regnum Castellæ & Legionis repetijt, hanc expeditionem omni quo potuit auxilio & consilio iuuit & promouit Dissæus, qua occasione anno Domini 1387 ab Vrbano Papa sexto, & deindè ab eius successore Bonifacio Nono, vt ex Trithemio & alijs colligo, creatus & confirmatus est de latere legatus ad regna Angliæ, Hispaniæ, Granatæ, Castellæ, Portugalliæ, Legionis, Aragoniæ, Cathalauniæ, Nauarræ, & ad partes Vasconiæ, atque alias prouincias, vt crucem Christi contra infideles, hęreticos, & schismaticos prædicaret. Fecit ille, & quidem ita strenuè munus iniunctum, vt ad celebritatem sui nominis magnam fecerit accessionem. Itaque multiplices hominis virtutes tantam apud posteros consecutæ sunt famam, quantam nulla vnquàm vetustas obscurabit, nulla delebit obliuio. Sed nunc librorum, quos edidit, catalogum subijciamus, vt saltem ex titulis, tanquam ex vngue leonem, lector & doctrinam & virtutem viri colligat. Scripsit

In quosdam ex primis Psalmis collectanea, maximè ex SS. Augustino & Anselmo, *Librum vnum.* Accedere ad Deum contingit.

In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Circa prologum quæro primùm, Vtrum.

Quæstiones Theologiæ, *Librum vnum.*

Sermones de Tempore, *Libr.* j. Hora est iam nos de somno surgere.

Sermones de Sanctis, *Librum vnum.* Vidit Stephanus gloriam Dei.

Contra Vvicleffitas & Lolhardos, *Librum vnum.*

Determinationes varias, *Librum vnum.*

De schismate Ecclesiæ, *Librum vnum.*

Ad præsides Ecclesiarum, *Librum vnum.*

Epistolas ad Vrbanum & Bonifacium Papas, *Librum vnum.* Et alia quædam. Norvvici tandem in suo Monasterio hanc vitam cum meliore commutauit, & ibidem in choro sepultus est, vicesimo primo die Ianuarij, anno redemptionis humanæ 1404, dum Anglici regni diademate insignitus dominaretur Henricus quartus.

De Richardo Scropo.

1405. 737.

RICHARDVS Scropus claris in Anglia parentibus natus, Fratrũ habuit Guilhelmum regium Quæstorẽ. A teneris annis in studijs pietatis, & bonarum litterarum benè educatus, semper ætati suæ, & ingenij capacitati congruos fecit progressus. Cantabrigiam missus exacto Philosophiæ curriculo, factus est artium Magister. Deindè aliquot annis in iurisprudentia fœliciter collocatis vtriúsque iuris Doctor ibidem creatus est. Posteà Galliam & Italiam peragrauit, vt doctrinam, quam domi apud suos acquisiuerat, foris apud exteros augeret, perficeret, perpoliret. Celebriores itaque vbique inuisit Academias, cùm doctioribus viris commercium habuit, quibuscum ferè quotidiè congrediendo & conferendo, non mediocrem in bonis artibus, quas mirificè coluit, fructum fecit, & preciosum scientiarum thesaurum inuenit, inuentum que in scrinio pectoris diligenter solitéque reposuit & conseruauit. In hac peregrinatione primum Auinionem, deindè Romam, animo ibi commorandi inuisit, mansitque Romæ, & Aduocatum egit in curia summi Pontificis. Quo factum est, vt summis viris innotesceret eius doctrina, prudentia, morum integritas, imò vitæ sanctitas, de quibus sic scribit Thomas Vvalsing. ad annum 1405, *quem cunctis commendabant & ætatis grauitas, & vitæ præcedentis sanctitas, & incomparabilis litteraturæ scientia.* Intereà vacauit in Anglia Lichefeldẽsis Episcopatus, qui statim huic collatus est. Nec multo post tempore ad Archiepiscopatũ Eboracensem translatus, domum redijt, & ibi resedit. Quod tamen ei prosperè non cessit, de quo suo loco. Nunc ad eius monimenta litteraria veniamus. Scripsit enim

Super Epistolas Missarum quotidianas, Libr. j. Fenestrã facies in Archa hęc.
Articulos quosdam, *Librum* j. M S. Cantabr. in Colleg. S. Benedicti.
Orationem quam habuit ante mortem. M S. Oxonij in Coll. Lincolniensi.
Inuectiuam in Regem, *Librum vnum.* Coram Domino nostro Iesu.

Inito cum quibusdam alijs nescio quo contra Regem consilio, captus & decapitatus est Eboraci octauo die Iunij anno gratiæ 1405, sub Rege Henrico quarto. Vide nostrum de Archiepiscopis Eboracensibus catalogum.

De Ioanne Edæo.

1406 738.

IOANNES Edæus ex genere Britannico in Vvallia natus, patria Herefordensis, & in ipsa ciuitate Herefordensi ordinis S. Francisci Monachus. Vir testibus Ioanne Lelando, & Franciscanorum cata-

logo, fama, eruditione, & religione illustris. Quique Oxoniæ in ætatis flore ita floruit, vt etiam tum magna ex parte Aristotelis opera commentarijs elucidauerit. Similes deinde progressus in Theologia pari cum fælicitate fecit. Relicta autem tandem Academia tantam auctoritatem vnà cum singulari doctrina, & eximia virtute domum reportauit, vt confestim cœnobij præses à suis eligeretur. Hanc igitur quietem nactus sacrarum Scripturarum meditationi, & concionibus ad populum habendis, omnem deinceps impendit operam, & non mediocrem fecit fructum. Locupletes ad omnem posteritatem pietatis & eruditionis testes reliquit doctissimas suas lucubrationes has saltem sequentes

Lecturam in Apocalypsim, *Librum vnum.*
In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Opuscula Theologica, *Librum vnum.* M S. Oxoniæ in Bibliotheca publ.
Concionum variarum, *Librum vnum.*
Fasciculum virtutum & vitiorum, *Librum vnum.*
Lexicon originalium, *Librum vnum.*
In Logicam Aristotelis, *Librum vnum.*
In Physicam eiusdem, *Libros octo.* Et alia multa. Herefordiæ Prior diem suum obijt, & ibidem in suo Monasterio sepultus est anno partus virginei 1406, dum in Anglia rerum potiretur Henricus quartus.

De Ioanne Rochefordo.

IOANNES Rochefordus vel Rocheforthus nobilibus in Anglia natus parentibus, & ipse tandem Eques auratus. A teneris annis vsque ad peractam adolescentiam in Angliæ scholis bonas artes didicit. Ingressus verò iuueniles annos, patriæ fines egressus, Galliam & Italiam peragrauit, vbi multum profecit, ad mores rectè formandos, ad prudentiam ciuilem acquirendam, & ad doctrinam augendam, quæ illi ad omnem reliquam vitam valdè ex vsu fuerunt. In patriam denuò reuersus, historiarum lectione scientijs iam instructum animum recreare solebat, non solum vt scriberet ad aliorum vtilitatem, suique nominis memoriam; sed multo magis vt res præclarè gestas, & virtutum exempla in antiquis aduersarijs commemorata, sibi ob oculos ad imitandum semper proponeret. Varias igitur historias in compendia reduxit, & quasi flores tantum delibans amœniores, iucunda quadam breuitate epitomen virtutum ex quolibet auctore collegit, vt rerum nobilitas ad legendum alios inuitaret, & concisa breuitas multa paucis complectens lectorem nunquam fatigaret. Non pauca etiam ex alijs linguis in Anglicam vertit. Omnia eius opera asseruata aliquando fuerunt Londini in regia Bibliotheca, ex quibus etiam vsque hodie quædam haberi dicuntur M M S S. Oxonij in Collegio omnium Animarum. Collegit igitur ex Matthæo Vvestmonasteriensi

1406.
739.

Flores historiarum, *Librum vnum.* De opere principali sex dierum.

M S. Oxonij cum tabula in Collegio omnium Animarum.

Ex Iosephi antiquitatibus, *Librum vnum*. Multos autem magnitudo rerũ.

Ex Ranulphi Polychronico, *Librum vnum*. Et eiusmodi alia non pauca. Claruit anno salutis 1406, sub Angliæ Rege Henrico quarto.

De Ioanne Lathberio.

1406. 740. IOANNES Lathberius ordinis S. Francisci Monachus Anglus in cœnobio Readingensi, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Hunc Lelandus in suo Catalogo mirificè laudat à multiplici scientia tum sacra, tum profana. Penetrauit enim arcanos naturalium rerum recessus, omnemque Philosophiam egregiè calluit. Theologiæ denique mysteria altè hausit, suamque pro occasione in reconditis rebus scientiam non rarò habitis scholasticis concertationibus publicè testatam fecit. Verùm præcipuam hominis laudem ponunt multi in illustrandis eloquijs diuinis. Nam postquam iam maturam ætatem attigisset, sacras Scripturas iugiter legere, & noctes atque dies in lege Domini meditari solebat, vitamque in ijs contemplationibus suauiter consumpsit. Ex quo suo sacro thesauro nonnunquàm ad populum sermones depromere consueuit, nè sibi tantum & Deo viuens, proximorum salutem negligere videretur. Hos autẽ ingenij doctrinæque fætus feliciter in lucem protulit

Explanationem Psalmorum, *Librum vnum*.

Commentarios in Hieremiam Prophetam, *Librum vnum*.

In eiusdem lamentationes, *Librum vnum*. Iuxta mores modernorum necnon. M S. Oxonij in Collegio Ænij nasi, & extat anno 1482.

Super Acta Apostolorum, *Librum vnum*. Superædificati estis supra funda.

Lectiones Scripturarum, *Librum vnum*.

Conciones varias, *Librum vnum*.

Distinctiones Theologiæ, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Col. S. Petri.

Alphabetum morale, *Librum vnum*. Abstinendum est à delicijs carnalibus. M S. ibidem. Claruit anno post Christi natiuitatem 1406, dum in Anglicani regni solio sederet Henricus quartus.

De Thoma Colbio.

1406. 741. THOMAS Colbius ordinis fratrum beatæ Mariæ semper Virginis de monte Carmeli Monachus Anglus in cœnobio Norvvicensi. Sic enim ex coniecturis plus quàm probabilibus scribit Lelãdus, quem & absoluto disciplinarum circulo indubitanter asserit prima Theologici tituli dignitate donatum. At num Oxonij factum sit, an Cantabrigiæ dubium se esse fatetur. Erat sanè Colbius vir acuti ingenij, linguæ promptissimæ, miræ eloquentiæ, quique dicendo id quod voluit plerumque persuadebat. Hinc elegantissimis suis concionibus primùm populo vehementer placuit, & magis profuit. Deinde magnatibus innotescere cæpit, & principum beneuolentiam, regumque gratiam conciliauit. Qua ratione tandem sibi viam ad summos honores muni-

uit. Nam Rex Angliæ Richardus secundus eum magno in precio habuit, & anno Domini 1399. ad Lismorensem simul & Vvaterfordensem Episcopatus in Hibernia euexit. Et hunc quidē amplum honorem detulit ei Rex; sed multo ampliorē habet, habebitque semper, auctore Lelando, ex doctis operibus quæ victuris chartis commendauit. Sunt qui scribunt eum non solùm patrias, sed etiam exteras Academias visitasse, & cum viris doctis conferendo non paruam ad sua studia fecisse accessionem. Quicquid sit, non pauca in lucem emisit, quæ eius eminentem tum doctrinam, tum pietatem legentibus abundè faciunt testatam. Nam præterquàm quòd, vt bonarum artium patronus opuscula quædam Guilhelmi Senghani ab interitu conseruauerit; ipse etiam in thesaurum reipublicæ litterariæ contulit ingenij doctrinæque suæ largas eleemosynas

Indices & annotationes in Genesim, *Librum vnum.*
In Psalmum Miserere, *Librū vnum.* Charissimi legitur secundo lib. Reg.
In orationem Dominicam, *Librum vnum.* Septies in die laudem dixi tibi.
Præceptorium diuinæ legis, *Librum vnum.* Reuerendi mei, mandata diuina.
Lectiones sacræ Scripturæ, *Librum vnum.*
Collectanea sacrorū dogmatū, *Librum vnum.* Augustin. quinto de ciuitate.
Conciones sacras, *Librum vnum.* In domo tua oportet me manere.
De Ecclesiæ puritate, *Librum vnum.* Dux fuisti in misericordia populo.

Scripsit etiam Indices vel tabulas

In dialogos sancti Gregorij Papæ.
In pastorale eiusdem.
In homilias eiusdem.
In sanctum Augustinum de Trinitate.
In eundem de Verbis Apostoli.
In quæstiones octoginta tres eiusdem.
In polychronicon Carnotensis.
In Guilhelmum Senghamum de fide & legibus.

In Domino obdormiuisse dicitur anno gratiæ 1406, regnante apud Anglos Henrico quarto.

De Nicolao Fachinhamo.

NICOLAVS Fachinhamus natione Anglus, patria Norfolcensis, professione Monachus ordinis S. Francisci, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis inter suos diu docuit. Erat enim in omnibus tum sacris tum profanis scientijs insigniter eruditus. Partim igitur propter assumptam dignitatem Doctoralem, partim etiam propter munus in docendo laudabiliter præstitum, incredibilis illi creuit apud suos auctoritas, ita vt communi omnium suffragio ordinis sui per Angliam Magister Prouincialis designaretur. Quo in officio, Lelando teste, ita versatus est, vt non solum ad vtilitatem ordinis sui, verum etiam ad publicum totius Ecclesiæ bonum omnes suas actiones

1407.
742.

contulerit, omnique auctoritate sua ita vsus fuerit, vt non cum supercilio præesse, sed cum humilitate prodesse studuerit. Factus enim forma gregis nihil charius, nihil antiquius habuit, quàm alijs omnibus exemplo virtutis prælucere. Erat Angliæ Regi Richardo secundo satis cognitus, magis dilectus, cuius etiam hortatu dicam an iussu? multa ad publicam vtilitatem scripsit. Vir ingenij mitis & mansueti, super quo Spiritus sanctus requieuisse meritò creditur. Pietatem ad omnia vtilem impensè coluit, charitatem, quæ nunquam excidit, semper & in omnes pro occasione exercuit. Pacificus & concordiæ studiosus, vt adoptiuum Dei filium posses agnoscere. Vidit magno cum animi sui dolore turbas, discordias, schismata, quæ per illa tempora pacem Ecclesiæ Catholicæ perturbauerant, vnitatem luxauerant, imò penè dissoluerant. Quibus malis vt mederetur, & matrem Ecclesiam solaretur pius filius, multa ad conciliandam pacem appositè scripsit, quibus, si attendissent discordes, continuò facti fuissent vnanimes, nec schisma latiùs serpsisset, nec diutiùs durasset. Sed iam auctoris laudem vberiùs loquantur ipsa eius opera. In quorum vel solis titulis locuples virtutis testimonium relucet. Scripsit

De fraternitate Christiana, *Librum vnum*. Ciues multos decipitis vestro.
De schismatibus Ecclesiæ, *Librum vnum*. Cùm ex lege naturæ pariter &c.
Super vnione Ecclesiæ, *Librum vnum*. Cùm secundùm Apostolũ 1. Cor. 12.
De valore Missæ, *Librum vnum*. Pertractata quæstione de oratione.
De suffragijs viatorum, *Librum vnum*. Secundũ seriẽ Scripturę, omnis.
De Oratione, *Librum vnum*. Et alia non pauca. Sanctissimè diem suum obijt Colcestriæ anno postquàm Verbum caro factum est, & habitauit in nobis 1407, dum in Anglia sceptrum regni teneret Henricus quartus.

De Ioanne Vvrothamo.

1407. 743.

IOANNES Vvrothamus, Vvrotanum cognominat Sixtus Senensis, ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli Monachus Anglus in cœnobio Londinensi. In eiusdem Vrbis vicinia natus, ad Oxoniense gymnasium missus est ad studia. Vbi tantum temporis & laboris in omnibus melioribus disciplinis posuit, vt ibidem merito suo creatus fuerit sacræ Theologiæ Doctor & inter suos Professor. Vir qui ingenio, memoria, iudicio, facundia multum valuit, & cum præcipuis sui temporis tum Theologis, tum concionatoribus suo iure comparari potuit. Post accuratè imbibitas Philosophicas scientias, vt auctor est Lelandus, reliquum vitæ in studijs sacræ Theologiæ diligenter posuit, ferè semper discendo vel docendo occupatus. Ad senium tamen vergens in conuentu portus Icij (Caletum communiter vocant) electus est Prior, vbi præfuit vsque ad mortem. Scripsit

In varios sacræ Scripturæ textus commentarios, *Librum vnum*.
In Cantica Canticorum, *Librum vnum*. Quoniam rationi consonum esse.

Sermones

Sermones duodecim de beata Virgine, *Librum vnum.* Nomen virginis Maria, Lucæ primo.

Sermones quadragesimales 21. *Librum j.* Parasti lumen ad reuelationem.

Sermones hyemales, *Librum vnum.* Aparuit benignitas & humanitas.

Sermones æstiuales, *Librum vnum.* Scientes quia Dominus est, Ioan.

In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Viam sapientiæ monstrabo tibi. Et alia. Mortuus & sepultus est in portu Icio, decimo calendas Martij, anno salutis communis 1407, sub Angliæ Rege Hérico quarto.

De Ioanne Marrone.

IOANNES Marro vel de Marre pago Ducatus Eboracensis, ex quo natus & cognominatus est, qui locus distat tribus circiter milliaribus Anglicis ab oppido Doncastrio, vbi adolescens bonis litteris operam dedit, & ordini Carmelitano se addixit. Quod institutum, vbi peracto probationis tempore, plenè planéque amplexus esset, studiorum causa missus est Oxonium, vbi, teste Lelando, primùm litteras humaniores exactiùs reperijt, deinde Philosophicas scientias, & tãdem Theologiam didicit. Nec progredi cessauit, donec supremum Doctoratus gradum consequeretur. Erat vir eruditus, pius, & diuinæ gloriæ zelo plenus. Finito studiorum curriculo, susceptaque vt dixi, suprema doctrinæ laurea, ad commune reipublicæ litterariæ bonum publicè docere cæpit, omnesque ingenij neruos eò conuertit, vt turbulentos & seditiosos Vvicleffi sectatores subtilissimis disputationibus, eruditis concionibus, & libris etiam scriptis aut conuerteret aut confunderet. In quibus congressibus eorum fallaces imposturas clarissimè detexit, & tenebricosas ambages manifesta veritatis luce dispulit & dissipauit. Mirum hominis acumen, & multiplicem doctrinam non vulgariter laudat Trithemius. Sed ipsa eius opera suum vberius commendant auctorem. Nam testibus Trithemio, Sixto Senensi, Petro Lucio, & alijs, ad Dei gloriam, ad Ecclesiæ Catholicæ publicum bonum, ad nominis etiam sui memoriam sempiternam, & omnis posteritatis vtilitatem, sequentes libros in lucem emisit, & secuturis sæculis reliquit

1407.
744.

Postillam in Cantica Canticorum, *Librum vnum.*

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*

Determinationes contra Vvicleffitas, *Librum vnum.*

Sermonum, *Librum vnum*

Quæstionum, *Librum vnum.*

Tabulam originalium, *Librum vnum.* Abscondere nota qualiter abscond.

Compendium originalium, *Librum vnum.* Supereminẽte Virg. Deiparæ.

In epigrammata Martialis, *Librum vnum.* Æthereas lasciuæ cupidinis.

Doncastriæ tandem in suo Monasterio viuendi finem fecit, requiescendi locum accepit die decimo octauo Martij, anno post reparatam per Christum salutem 1407, dum ad Anglicani regni clauum sederet Henricus quartus.

De Philippo Repingtono.

1408. 745. PHILIPPVS Repingtonus, natione Anglus, ordinis S. Augustini Canonicus regularis in Cõuentu Leicestrensi. Adolescens Oxoniũ missus ad studia, fœlicis ingenij beneficio, vt auctor est Lelandus, non vulgares in litteris fecit progressus, adeò vt emenso studiorum curriculo, Theologici Doctoratus dignitate donatus fuerit. Desiderabatur in homine tunc temporis constantius ingenium, maturius iudicium. Nam ferunt eum in ætatis flore à Vuicleffitis seductum, quædam pro concione affirmasse, imò & libris scriptis in publicum emisisse, quæ posteà, errorem agnoscens, & veniam deprecans, in solemni concione ad crucem D. Pauli Londini reuocauit. Nam illic anno Domini 1382, palinodiam cecinit, & abiuratis viginti quatuor erroneis articulis, ad saniorem mentem, & rectiorem viam redijt, & constanter vsque ad vitæ finem perseuerauit. Vndè sui cœnobij non multo post tempore electus est Abbas, deindè creatus Episcopus Lincolniensis, & tandem anno Domini 1408, à Gregorio Papa duodecimo S. R. E. Cardinalis factus est, tituli SS. Neræi & Achillæi. Sed de his suo loco. Nunc ad eius monimenta litteraria veniamus. Scripsit partim erronea iuuenis, partim Catholica iam senior & maturior

De sæculari dominio, *Librum vnum.*
Quæstiones disputatas, *Librum vnum.*
Homilias per annum, *Librum vnum.* Euangelicæ tubæ comminatio.
In Euangelia Dominicalia, Librum j. Dominici Aduentus tempus quater.

M S. Cantabrigiæ in Collegio Caij, & in Aula Pembrochiana.

Claruit anno post aduentum Messiæ in carne 1408, dum in Anglia rerum potiretur Henricus quartus. Vide illum quem collegimus de Lincolniensibus Episcopis Catalogum.

De Laurentio Holbecco.

1410. 746. LAVRENTIVS Holbeccus ordinis, puto, S. Benedicti Monachus Anglus, in cœnobio Ramesiensi. In paludibus Giruijs, teste Lelando, natus, obscuros natales ingenij fœlicitate, & bonis artibus, quas didicit, illustrauit, & accessione virtutum mirificè ornauit. Erat enim vir castus & temperãs, humilis & modestus, prudens etiam & in omnibus moderatus. Hebraïcis litteris valdè delectatus, multos annos in earum studio fœliciter posuit, & ad accuratam tandem linguæ sanctæ cognitionem peruenit. Præcesserat eum in eodem Monasterio, & in ijsdem studijs Gregorius Huntingdonensis, de quo suprà. Hic multos Hebræos libros, quos à Iudæis coëmerat, & vndique diligenter conquisiuerat, illi bibliothecæ reliquerat. In quos incidit Laurentius, eiusque secutus exemplum, studijs illius linguæ se totum consecrauit. Inuenit ibidem Hebraïcum dictionarium à prædicto Gregorio fœliciter quidem inchoatum, quod morte præuentus absoluere, & ad intentam per-

fectionem perducere non potuit. Hoc opus aggressus est Laurētius bonis auspicijs, eidemque supremam adiecit manum, in lucem denique emisit, hoc titulo præfixo

Dictionarium Hebraicum, Librum vnum. De alijs nihil legi. Et hoc ipsum forsan perijt. Regnante in Anglia Henrico apostata, illud ex Monasterio sustulit, Robertus Vvacfeldus.

Porrò claruit Holbeccus anno post Christum natum 1410, sub Angliæ Rege Henrico quarto.

De Thoma Ocleffo.

THOMAS Ocleffus vel Oclevvs vel Hocleffus claris in Anglia parentibus natus, Galfredi Chauceri aliquandò discipulus, & in studijs imitator non indiligens. Poësim impensè coluit, & in elegantia sermonis Anglicani perpolienda non exiguam adhibuit diligentiā, nec parum contulit ornatus. Versu multa lepidè salséque scripsit. Oratione soluta partim Anglicè, partim Latinè, non pauca tersè, nitidè, elimatè exarauit. Thomas Vvalsinghamus in suis chronicis eum non obscurè hæresis taxat. Iusténe an iniustè nescio. Aliorum sit iudicium. Quia mihi nihil tale constat, hanc illi notam, propter vnius durum testimonium, non impingam, nec eum sua debita laude priuando, ex orthodoxorum albo expungam. Nam propter opera quæ edidit memoriam apud posteros meretur. Scripsit pro maiore parte Anglicè 1410. 747.

De cœlesti Ierusalem, *Librum vnum.* Tres alias libri partes nunc.
Planctum proprium, *Librum vnum.* Anima mea in angustijs est.
De quodam Jonatha, *Librum vnum.*
De regimine principis, *Librum vnum.*
Dialogum ad amicum, *Librum vnum.* Finiens luctum, hoc modo resp.
De quadam Imperatrice, *Librum vnum.* In gestis Romanorum scribitur.
De arte moriendi, *Librum vnum.* Quoniam omnes natura desiderant.

Et alia multa. Claruit anno partus virginei 1410, dum habenas Anglicani regni tractaret Henricus quartus.

De Ioanne Coltono.

IOANNES Coltonus, natione Anglus, vir, vt insinuat Lelandus, plus quàm mediocriter doctus, bonus & pacificus, mitis & mansuetus, ob affabilitatem denique morumque suauitatem omnibus charus & dilectus. Henrico quarto Angliæ Regi tanto fuit in precio, vt ei Archiepiscopatum Armachanum in Hibernia cōtulerit. His temporibus erat in Ecclesia grauissimū schisma, ad quod pacificandum libris scriptis multum laborauit, licet parum profecerit Coltonus. Scripsit enim 1410. 748.

De causa schismatis, *Librum vnum.*
De remedio eiusdem, *Librum vnum.* De alijs nullam mentionem inuenio.

Floruit anno gratiæ per Christum factæ 1410, dum Anglici regni clauum dirigeret Henricus quartus.

De Nicolao Pontio.

1410. 749. NICOLAVS Pontius, natione Anglus, Theologus Oxoniensis, Collegij Mertonensis socius. Vir ingeni solidi, memoriæ fœlicis, magnæ doctrinæ, nec minoris in fide zeli. Oxonij publicas sustinuit cum Vvicleffitis concertationes. In qua palæstra, vt auctor est Lelandus, & laudem reportauit & victoriam. Vndè tandem triumphum suum scriptis ad memoriam rei gestæ sempiternam, & omnis posteritatis vtilitatem eruditè commisit. Scripsit enim de victoria sua

Contra Vvicleffitas, *Librum vnum.*
Determinationes scholasticas, *Librum vnum.* De alijs nihil mihi certi.

Vixit anno post salutiferam humani generis reparationem 1410, rerum in Anglia potiunte Henrico quarto.

De Nicolao Baiardo.

1410. 750. NICOLAVS Baiardus vel Byartus ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir pius, ingeniosus, industrius, acutus Philosophus, in Theologia solidè doctus, Pontificij iuris non ignarus, concionator eloquens, disputator subtilis, in sacris scripturis benè versatus. Vt non immeritò inter doctissimos sui temporis viros à Bostono Buriensi numeretur. Suæ pietatis & eruditionis testes reliquit lucubrationes & numero multas, & dignitate præstantes. Composuit ingens volumen de diuersis rebus Theologicis, & operi titulum præfixit

Distinctiones Theologiæ, *Librum vnum.* Absconditur malum à diabolo, sub. MS. Oxonij in publica, in Collegio Nouo, Mertonensi, Magdalenensi, & Cantabrigiæ in Aula Pembrochiana.

Sermones quadragesimales, *Librum vnum.* Abijciamus opera tenebrarum.
Sermones de tempore, *Librum vnum.* Præparate corda vestra Domino.
Sermones de Sanctis, *Librum vnum.*
Placita Theologica, *Librum vnum.*
Lectiones varias, *Librum vnum.* Et alia quàm plurima.

Claruit anno post Natiuitatem Christi 1410, imperante apud Anglos Henrico quarto.

De Guilhelmo Butlero.

1410. 751. GVILHELMVS Butlerus ordinis S. Francisci Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis. Vir doctrina & pietate celebris, prudentia, iudicio, auctoritate ità apud omnes pollens, vt à præstantissimis quibusque viris, vbi se offert occasio, plurimùm his nominibus laudetur. Illum varijs encomijs afficit Lelandus. illius & facta & scripta approbat Alexander Papa quintus. Illum tanquam præcipuum vniuersitatis suæ florem reputauerunt olim Oxonienses. Illum ordo suus in Anglia Magistrum elegit Prouincialem. Il-

lum his nostris temporibus in suis Franciscanorum Athenis non tacet Vvillottus. Eius tempore translata fuerunt sacra Biblia in linguam Anglicam, & promiscuè in manus rusticorum artificum, mulierculatum venerunt, & iam quicunque legere poterat, intelligere se putabat. Hinc magnus diuinorum mysteriorum cōtemptus. Hinc infiniti exorti errores, Stultissimæ interpretationes, Abusus intolerabiles, Scandala grauissima. Quibus malis vt tēpestiuè remedium adhiberetur, adhibitis in partem laboris alijs doctis viris, strenuè laborauit Butlerus. Factumque est publicum edictum, vt omnia illa Biblia Anglicè translata comburerentur, nè imperita multitudo indè per se hauriret animarum suarum venenum, vndè Pastorum suorum ductum secuta haurire posset salutem. Combustis igitur illis libris, rationem facti in scriptis reddidit, emisitque in lucem eruditum opus, cui titulum præfixit

Contra translationem Anglicam, Librum vnum. Vtrum sacræ scripturæ canon pro. M S. Oxonij in Collegio Mertonensi.

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*

De indulgentijs Pontificijs, *Librum vnum.* Articulus pro finali cessatione.

Quæstionum variarum, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia non pauca.

Rheadingæ tandem inter suos mortuus & sepultus est circa annū post aduentum Messiæ 1410, dum Anglis regali potestate præesset Henricus quartus.

De Reginaldo Langhamo.

1410. 752.

REGINALDVS Langhamus ordinis Minorum S. Francisci Monachus Anglus, in Conuentu Norvvicensi, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Vir acuti & nonnihil litigiosi ingenij. Inter suos laudem illam erat consecutus, quòd in scholasticis concertationibus plurimùm valeret. Consueuerat enim argutè disputare, subtiliter distinguere, dilucidè explicare, solidè concludere. Sed nescio vtrum aliena inuidia (quæ plerumque fœliciorum ingeniorum est comes) an sua culpa factum sit, quòd penè ex omnibus religiosorum ordinibus doctiores quosque habuerit infensos & infestos, adeò vt contra illum varij, & ille vicissim contra varios scripserint

Contra Edmundum Monachum Buriensem, *Librum vnum.* Arguitur principaliter contra.

Contra Andræam Binhamum Dominicanum, *Librum vnum.* Reuerendus pater de sacro ordine.

Contra Joannem Haidon Carmelitam, *Librum vnum.* Aduersus argumentum primum &c.

Lecturas triginta Bibliorum, *Librum j.* Hæc sunt nomina filiorum Israël.

In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*

Determinationum, *Librum vnum.* Vtrum Christus à patre missus.

Quæstiones disputatas, *Librum vnum.* Et alia similia non pauca.

Claruit anno à plenitudine temporis 1410, sub Angliæ Rege Henrico quarto.

De Petro Russello.

1410. 753. PETRVS Russellus, vt auctor est noster Lelandus, ordinis S. Francisci de Obseruantia Monachus Anglus, Oxoniensis Academiæ alumnus,& ibidem,vt videtur,tandem sacræ Theologiæ Doctor. Diligens quidem litterarum,sed diligentior virtutum cultor. Virtutum dico,quarum intuitu factus est communi suorum suffragio,totius ordinis sui per Angliam minister Prouincialis. Quod autem ad doctrinam attinet, sacrarum Scripturarum lectioni & meditationi se dedidit, & pia quadam deuotione incensus erga D. Petrum suum singularem Patronum & Diuum tutelarem, scripsit

In vtrãque S. Petri epistolã, Libros duos. De alijs eius scriptis nihil inuenio. Claruisse eum putat Lelandus anno postquàm Deus misit filium suum in hunc mundum 1410, cùm summa rerum in Anglia esset penes Henricum quartum.

De Richardo Folshamo.

1410. 754. RICHARDVS Folshamus, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Norvvicensi. Vir in omni politiore doctrina insigniter eruditus, quique omnes artes liberales egregiè calluit. Eruditionis & pietatis nominibus erat Thomæ Arundelio Cantuariensi Archiepisco gratissimus. Ex ijs autem quæ scripsit probabilis est mihi coniectura eum in transmarinis partibus, vel studuisse, vel negotiorum causa diù moram fecisse, præsertim Romæ, propter frequentes, quas eo scripsit,epistolas. Nam inter illa quæ in lucem emisit, inuenio ad Ioannem Papam vicesimum secundum

Epistolarum viginti octo, Librum vnum. Beatissime Pater filiali submissi.
Epistolas natalicias, Librum vnum. Agamemnon Atridis filius.

Alias etiam permultas ad diuersos scripsit epistolas. Claruit anno postquàm Verbum caro factum est, & habitauit in nobis 1410, dum Anglicani regni corona redimitus sederet Henricus quartus.

De Roberto Sarisburiensi.

1410. 755. ROBERTVS Sarisburiensis Regio sanguine in Anglia natus,generis splendorem cultioribus, tum litteris, tum moribus mirificè ornauit & auxit. Huic iam in ætate matura, & ordine Sacerdotali, constituto, collatus est Episcopatus Sarisburiensis. [Qui & tandem senex à Ioanne Papa illius nominis vltimo S. R. E. Cardinalis Presbyter, vnà cum Thoma Dunelmensi Episcopo creatus est, vt in gestis Pontificum Romanorum scribit Onuphrius Panuinus. Argumenta eruditionis huius Roberti hæc habeo, quod Rogerum Glactonum ordinis S. Augustini in Anglia Prouincialem pium & eruditum virum impensè amauerit,& frequenter in elegantibus epistolis suis eum à doctrina plurimùm laudauerit, & quod vicissim Rogerus illi pleraque sua scripta nuncu-

pauerit, denique quòd præter mutuas ad se inuicem salutationis causa familiares epistolas, Robertus ad eum scripserit super grauibus Ecclesiæ negotijs

Epistolarum, *Librum vnum.* De titulis aliorum operum nihil hactenùs inuenio. Claruit anno redemptionis humanæ 1410, regnante apud Anglos Henrico quarto. Vide quem composuimus de Sarisburiensibus Episcopis catalogum.

De Thoma de Nouo Mercatu.

THOMAS de Nouo Mercatu, vulgò Nevvmarket, ab oppido natalicio sic cognominatus. Est autem oppidum hoc in Comitatu Cantabrigiensi situm, decem plus minùs milliaribus ab ipsa Cantabrigia distans. Vicinitatis occasione factum est, vt post exactam domi pueritiam, ad studia Cantabrigiam fuerit missus. Illic igitur adolescens humaniores litteras, scientias Mathematicas, omnes artes liberales, tandem Philosophiam ita didicit, vt ibi Magister artium crearetur. Erat Rhetor & Poëta suo tempore non contemnendus. Compendium Rhetorices fecit, totam illius artis vim decem Capitulis breuiter complexus. Doctrinæ demùm & innocentis vitæ intuitu dignus habitus est qui ad Episcopalem dignitatem eleuaretur. Vt suo loco. Nunc ad studiorum eius fructus veniamus. Scripsit partim versu, partim oratione soluta

1410.
756.

Compendium Rhetorices, *Librum vnum.* Ad Rhetoricā dictandi facultatē.
De arte dictandi, *Librum vnum.* Dilectissime frater in Christo.
Concionum, *Librum vnum.*
Expositionem computus Dionysij Abbatis, *Librum vnum.* Hæc Algorismi ars. M S. Cantabr. in Coll. S. Petri.
Tractatus de Sphæra Sacrobosci. Ibid. M S. eiusdem esse putatur.
Epistolarum ad diuersos, *Librum j.* Vocate cœtum, sanctificate Ecclesiā.
Carminum diuersorum, *Librum vnum.* Iam freta, fretus eo, transcurri. Et alia multa. Floruit anno postquàm Verbum caro factum est 1410, dum in Anglia summa rerum penes Henricum quartum resideret. Vide eum quem fecimus de Carleolensibus Episcopis catalogum.

De Thoma Palmero.

THOMAS Palmerus ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus, & Conuentus Londinensis Prior sacræ Theologiæ Doctor. Vir morum probitate conspicuus, subtilitate ingenij penè singularis, multiplici eruditione, & zelo diuinæ gloriæ plurimùm celebris. His nominibus erat Richardo Cliffordo Londinensi Episcopo mirè charus. Frequentes cum Vvicleffitis habuit congressus, & serios conflictus, bonis semper auspicijs, fœlicibus successibus, nobilibus triumphis. Multùm etiam laborauit pro tollēdo schismate, quod ijs temporibus Ecclesiam Christi miserè conturbabat, scripsitque in-

1410.
757.

signe opus super hac re, adductis fortissimis ad suadēdam vnionem argumentis. Titulum operi præfixit

Super vnione facienda, Librum vnum.

De originali peccato, Librum vnum. Ego cùm sim puluis & cinis. M S. Oxonij in Coll. Mertonensi.

De adoratione Imaginum, Librum vnum. Nunquid Domini nostri crucifixi. M S. ibidem.

De veneratione Sanctorum, Librum vnum. Tractatum de Sanctorum veneratione.

De peregrinatione, Librum vnum. In materia peregrinationum.

De Indulgentijs, Librum vnum. Et eiusmodi alia non pauca. Vixit anno post Natiuitatem Seruatoris 1410, sub Angliæ Rege Henrico quarto.

De Nicolao Ristono.

1410. 758.

NICOLAVS Ristonus honesto loco in Anglia natus, ijs temporibus vixit, quibus diabolica schismata, & pestilentes discordiarum faces & fœces vnitatem Ecclesię Catholicę fœdè violauerant. Cuius calamitatis misertus hic quietis alumnus, & pacis cultor eximius, strenuam operam impendit, vt concordiam suaderet, & sublatis contentiosis diuisionibus ad vnitatem & vnanimem animorum consensum omnes reduceret. Et quoniam erat omnibus tum humanis, tum diuinis scientijs instructus, armatus, vt inquit Lelandus, diuini verbi munimine, & optimis bonorum virorum exemplis confirmatus, eximium opus exhibuit Ecclesiæ primoribus legendum, in quo illustre animi erga Christianam concordiam affecti specimen edidit. Titulum hunc præfixit

De tollendo schismate, Librum vnum.

Sermonum, Librum vnum. Multa etiam alia scripsisse perhibetur, quorum nihil hactenùs inuenio. Floruit anno postquàm Verbum caro factum est 1410, regnante in Anglia Henrico quarto.

De Actono Dominicano.

1410. 759.

ACTONVS Dominicanus natione Anglus, & ordinis S. Dominici Monachus. Nihil de isto auctore, nisi apud Lelandum, scriptum inuenio. Tantùm igitur ex illo loquar, ne aliquid ex me fingere, & lectori obtrudere videar. Scribit autem Lelandus hunc Actonum diù multumque in studijs Theologicis versatum, concinatorem fuisse non ignobilem, diuinorum eloquiorum interpretem non contemnendum, quietis, pacis, tranquillitatis studiosissimum, in scholis, in lectionibus, in disputationibus, in priuatis inter amicos colloquijs & congressibus, denique in libris scriptis, & in vulgus emissis semper pacem suadebat & inculcabat, & vnionem tanquàm preciosissimam Ecclesiæ Christianæ gemmam suprà quàm dici potest, omnibus commendabat.

mendabat. Et hoc propter schisma, quòd tunc Ecclesiam turbulentè vexabat, tollendum. Scripsit igitur, vt idem Lelandus auctor est

Pro pace Ecclesiæ, *Librum vnum.*
Conciones & lecturas, *Librum vnum.* Et alia quædam. Claruit anno gratiæ 1410, sub Angliæ Rege Henrico quarto.

De Bostono Buriensi.

BOSTONVS Buriensis, id est, ad Sanctum Edmundum in Suffolcia Monachus Anglus, ordinis S. Benedicti. Vir pius, litteratus, & bonarum litterarum fautor ac promotor singularis. Hic multo labore Angliam penè vniuersam peragrauit, omnes Bibliothecas incredibili diligentia inuisit, libros perуoluit, singulorum titulos, & auctorum nomina mira sedulitate notauit, ordine Alphabetico omnia disposuit, & ex omnibus quasi Bibliothecam vnam composuit. De cuiusque auctoris vita breuiter aliquid scripsit, tempus quo quisque floruit adnotauit, initium cuiusque operis adiunxit, in qua Bibliotheca quilibet liber inueniretur, signauit, non omittens cuiúsque voluminis sedem, & sub quo numero quilibet poneretur, omnia tam accuratè, imò tam curiosè, vsque ad minutiora quæque, vt hominis industriam satis mirari non possim. Deindè de varijs auctoribus suam, non quidem ex se, sed ex alijs plerumque probatis auctoribus, profert sententiam, dat censuram. Scribit etiam de rebus Monasticis, & de initio, progressu, successu religiosorum ordinum. Vir breuiter de republica litteraria, de suo ordine, de natalicio solo, de conseruatis plurimis antiquitatis monimentis optimè meritus. Nunc catalogum aliquorum operum quæ scripsit, hîc subijciamus

3410. 760.

Catalogum scriptorum Ecclesiæ, *Libr. j.* Omnis diuina scriptura in duob.
Speculum cœnobitarum, *Libros tres.* Primus institutor Monachorum.
De rebus sui cœnobij, *Librum vnum.* Et alia quædam. Claruit anno reconciliationis humanæ 1410, dum in Anglia rerum potiretur Henricus quartus.

De Thoma Otterborno.

THOMAS Otterbornus, vel de Otterborno ordinis Minorum S. Francisci Monachus Anglus. Vir pius & doctus, quique Lelandi testimonio, in studijs tũ Philosophiæ, tum etiam Theologiæ fœliciter versatus fuerat. Cùm autem ita sui iuris factus videretur, vt ad alterius præscriptum nec disceret ampliùs nec doceret: Historijs primùm legendis, deindè scribendis se totũ dedidit, vtpote in quibus non solùm honestum animi gustaret oblectamentũ, verùm etiam vitæ benè instituendæ frequentia legeret exempla, & multiplicia inueniret documenta. Scripsit itaque, vt ex prologo Scalæ chronicorum facilè colligere est, item ex Vvilloto & alijs

1411. 761.

Historiam rerum Anglicarum, *Librum vnum.*

De successione Comitum Northumbriæ, *Librum vnum*.

Opusculorum, *Librum vnum*. Et alia quædam. Claruisse putatur anno reparatæ salutis 1411, sub Angliæ Rege Henrico quarto.

De Ioanne Vvaltero.

1412. 762. IOANNES Vvalterus Mathematicus Anglus, penè ab ipsa pueritia in studijs pietatis & bonarum litterarum educatus Vvintoniæ in Collegio B. Mariæ Virginis, quod à nouitate splendoris & magnificentiæ vulgus antiquitùs Nouum vocare consueuerat, cuius fundator fuit Guilhelmus Vviccamus Episcopus Vvintoniensis. De quo suo loco. Porrò Vvalterus imbibitis humanioribus litteris, vt moris est, ad Oxoniense Collegium eiusdem nominis, tituli, fundationis promotus est. Vbi postquàm studiorum cursum absoluisset, & de omnibus scientijs saltem gustasset: ad Mathesim reuersus, eam ex omnibus elegit, in cuius sublimi contemplatione defixus, omnem aliam doctrinam postposuit. Tandem Oxoniensi Academia relicta, Vvintoniam suam denuò repetijt, & ibi pedem fixit, vt vbi puer fuerat educatus, illic senex viueret, moreretur, sepeliretur. Ibi igitur in suis speculationibus Mathematicis consenuit, & vitam finiuit. Hæc pleraque ex Lelando, qui etiam testatur eum multa Mathematica scripsisse

Tabulas æquationis domorum, *Librum vnum*.

Tabulas ascensionum vniuersalium, *Librum vnum*. Et eiusmodi alia non pauca. Vvintoniæ mortuus & sepultus creditur circa annum Domini 1412, regnante in Anglia Henrico quarto.

De Guilhelmo Harsicco.

1413. 763. GVILHELMVS Harsiccus ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de Monte Carmelo Monachus Anglus in Conuentu Burnhamiensi, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Vir cui suo sæculo nomen non incelebre dederant pietas & eruditio. Nec etiam posteritati ex scriptis fuit incognitus, licet admodum pauca eius opera hactenùs inuenire potuerim. Ex Lelando saltem colligitur eum scripsisse, & posteris reliquisse

Distinctionum Theologicarum, *Librum vnum*. Licitè aliquis potest diligere.

Disceptationes Magistrales, *Librum vnum*. De alijs nihil legi. Claruit anno post Messię salutiferum aduentũ 1413, dum Anglicani regni sceptrum teneret Henricus quartus.

De Thoma Arundelio.

1415. 764. THOMAS Arundelius illustrissima Comitum prosapia apud Anglos natus, is est, quem exteri quidam, in nomine simul errantes & cognomine, perperàm vocant Theodoricum Arnueldum. Hic ad natalicium splendorem familiæ tantam adiunxit doctrinam, tam exi-

mias virtutes, vt eum industria magis quàm natiuitas, virtus pulchrius illustrauerit quàm fortuna. Nam comite quidem fortuna, sed duce virtute, in republica ita gradatim ad summos honorum gradus ascendit, vt præter regni coronam, nihil ad supremum fastigium ei superfuerit. Factus est primùm Episcopus Eliensis, deinde Archiepiscopus Eboracensis, tum Angliæ Cancellarius, & tandem Archiepiscopus Cantuariensis. Inter hæc zelo Dei secundùm scientiam plenus, multùm in Catholica fide propugnanda, multùm in hæresi Vvicleffiana expugnanda laborauit. Pauca tamen scripsisse legitur præter quædam decreta synodalia, vt auctor est Guilhelmus Lindvvodus,

De clericis peregrinis. Reuerendissime.
De Magistris. Reuerendissimæ synodo.
De hæreticis. Reuerendissimæ synodo.
Commentarios in Sapientiam, *Librum vnum.*
Explicationem Passionis Domini nostri Iesu Christi, *Librum vnum.*
Sermones à prima Dominica Aduentus vsque ad Pascha, *Librum vnum.*

Obijt anno post partum Virginis 1415, sceptrum Anglici regni tenente Henrico quinto. Vide illum quem de Cantuariensibus Archiepiscopis composuimus Catalogum.

De Guilhelmo Holmo.

GVILHELMVS Holmus ordinis S. Francisci de Obseruantia Monachus Anglus. Hunc à virtutis, pietatis, & bonarum litterarum studijs multùm, nec immeritò, commendat noster Lelandus, necnon Henricus Vvillottus. Postquàm publica sua studia consummasset, domum ad suum conuentum reuersus, intra priuatos parietes rei medicæ dedit operam, vt non solum ægris hominum animabus, sed etiam infirmis corporibus mederi salubriter posset. Neque certè sine bonis fundamentis processit, neque infæliciter ei res successit. Artis medicæ peritiam hausit ex naturalium rerum cognitione, quam in Philosophia strenuè didicerat. Sed, quod rei caput est, vti ex effectis colligere licet, acceperat à Deo donum curationis. Erat igitur in omni hac praxi mirè fœlix, morbos, qui videbantur alijs incurabiles, curauit sæpissimè, nullius vel vilissimi hominis refugit tenuitatem, diuites & pauperes, summos & infimos, quæ erat eius charitas, indifferenter admisit, pari solicitudine pro cuiusque infirmitate, quemque tractauit, & omnes quos potuit gratis curauit. His nominibus erat non solùm populo, sed etiam proceribus, ipsisque regni primis principibus mirè gratus & acceptus. Et ne posteros sua scientia fraudaret, sed potius & mortuus alios mortis periculis eriperet, ijsque vitam prorogaret, egregium opus elaborauit, & sub hoc titulo in lucem emisit

1416.
765.

De simplicibus medicamentis, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Col. S. Petri. De alijs nihil legi. Claruit anno Verbi incarnati 1416, sub Angliæ Rege Henrico quinto.

De Stephano Patringtono.

1417. 766. STEPHANVS Patringtonus, aliqui Petringonésem vocant, natione Anglus, patria Eboracensis, & in eadem regione ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, totius ordinis sui per Angliam Prouincialis Magister Vicesimus tertius, ad annos quindecim præfuit in vniuersum Monachis Carmelitanis plus quàm mille quingentis. Vir omnibus præstantioribus animi dotibus, omnibus virtutibus præditus, & multiplici doctrinæ varietate instructus. In Oxoniensi Academia magnitudine & multitudine laborum, fælicitate ingenij, soliditate iudicij, varietate doctrinæ, subtilitate argumentorum, acumine disputationum; elegantia publicarum concionum celeberrimam sibi famam acquisiuit. Vocatus aliquando Londinum vt ibi concionaretur ad populum, ita conciliauit auditorum animos & beneuolentiam, vt eum tanquam oraculum quoddam sequerentur, fiebatque, vt scribit Lelandus, incredibilis ad eum audiendum concursus. In tantum igitur illic fama eius eruditionis breui tempore percrebuit, vt principibus viris innotesceret, & ad aulam regiam vocatus, in summo apud ipsum Regem Henricum quartum esset precio. Hinc factus est ipsi Reginæ, & primogenito Regis filio Principi Vualliæ, alijsque primarijs regni viris à secretis confessionum. Quàm primùm autem Henricus quintus regale solium conscendisset, anno videlicet Domini 1414. suum hunc Stephanum Oxonium destinauit commissarium contra Vvicleffitas & Lolhardos, vt de illorum & aliorum erroribus inquireret & iudicaret. Qua legatione dum fungeretur, à Rege designatus est Episcopus Meneuensis, id est, ad S. Dauidem in Vuallia, nec multo post tempore Cicestrensis electus Præsul, contentus sua prima sede, secundam hanc noluit acceptare. Sed de his suo loco. Ea tempestate porrectum est Parlamento statutum, nequis permitteretur ordines ingredi mendicantium ante ætatis annum vicesimum primum, quod ferre non potuit Patringtonus, & super hac re scripsit librum ad Thomam Arondelium Archiepiscopum Cantuariensem, vt cuique in annis discretionis constituto liberum esset statum religiosum eligere & amplecti. Hæc partim ex Lelando, partim ex Trithemio, partim ex Iacobo de Plebe in Indice, partim etiam ex Petro Lucio in sua Bibliotheca Carmelitarum desumpsi. Ne autem tanti viri fama, optimaque in Ecclesiam Christi, & rempublicam litterariam merita posteris ignota obliterarentur & perirent, hæc sequentia post se scripta posteritati reliquit

In D. Paulum ad Titum, *Librum vnum*. Hanc epistolam scripsit Apostol.
Sermones de Sanctis, *Librum vnum*.
Sermones septuaginta duos de tempore, *Librum vnum*. Osanna in excelsis.
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*. Patres in Christo reuerédi.
De Sacerdotali functione, *Librum vnum*. Opus fac Euang. 2. Timoth.

Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.* Vtrum omnis clericus existens.
Determinationes, *Librum vnum.*
Collectaneorum, *Librum vnum.* Quis est iste qui venit de Edom?
Repertorium argumentorum, *Librum vnum.* Quòd viator non possit per.
Contra statutum Parlamenti, *Librum vnum.* Reuerend. in Christo Patri.
Contra Vuicleffitas, *Librum vnum.*
Contra Lolhardos, *Librum vnum.*
Contra Nicolaum Herfordũ, *Librum vnum.* Illustris. Principi ac Domino.
Lecturas notabiles super sacra Biblia, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Frater Stephanus Patrington.
Super eglogas Theodoli, *Librum vnum.* Æthiopum terras &c. Æstas fer.
In fabulas Aesopi, *Librum vnum.* Quæ alteri commendauit, repetere.
Et alia quædam. Londini sanctissimè diem suum obijt, decimo calendas Octobris, anno salutis reparatæ 1417, & ibidem inter suos Carmelitas sepultus est, dum in Anglici regni solio sederet Henricus quintus. Vide quem scripsimus de Meneuensibus Episcopis Catalogum.

De Thoma Cranleio.

THOMAS Cranleius natione Anglus. Vir, vt Lelandi verbis loquar, *Qui non modò ingenio, verùm etiam calamo, vtpotè bonis instructus artibus, plurimùm valuit.* Virtutis igitur & eruditionis nomine Dubliniensis Archiepiscopus, ab Henrico Anglorum Rege quarto (coniectura saltem est Lelandi) constitutus, & totius demùm insulæ Prorex. Sed Hiberni more suo reluctantes, hominem ferre noluerunt. Is igitur per epistolam apud Regem querelam suam deposuit. Quam epistolam longè elegantissimam, & nunquàm satis laudatam, se vidisse & legisse testatur Lelandus. Et ex illa colligit hominem pereruditum fuisse, multaque alia scripsisse. Nihil tamen aliud vel ille affert, vel ego hactenùs inuenio, præter 1417. 767.

Epistolam centum & sex versuum ad Regem.

Sedem Archiepiscopalem tenuit annis viginti, & tandem Dubliniæ mortuus & sepultus est anno collatæ per Christum humano generi gratiæ 1417, regnante apud Anglos Henrico quinto.

De Roberto Mascallo.

ROBERTVS Mascallus ordinis Carmelitani Monachus Anglus, Ludlouiæ in Cãbria natus. Adolescẽs hanc regulã sanctè amplexus est, eamque constanter secutus, ad magnam tum virtutis, tum eruditionis perfectionem ascendit, vt optimus testis est Lelandus, & res ipsa clarissimè loquitur. Nullum vitæ suæ momentum benè collocatum iudicauit, quod pietati vel litteris non impenderetur. Oxonij primùm Philosophicis, deinde Theologicis studijs ita inuigilauit, vt ad summum in vtrisque gradum peruenerit. Regi Henrico quarto mirè charus, à cuius intimis erat secretis in ijs quæ ad Deum sunt, & conscientiæ mo- 1417. 768.

deramen concernunt. Nec minorem gratiam quasi iure hæreditario apud hæredem Regis & regni Regem Henricum quintum habuit. Vtriusque regis in eum singularem beneuolétiam ipsa facta satis ostendunt. Prior enim, præterquam quod eum, vt dictum est, adhibuit in confessionibus, eius etiam opera non rarò vsus est in grauibus regni negotijs, & in legationibus apud externos Reges; eumque tandem ad Episcopatum Herefordensem euexit. Posterior, vt alia taceam, anno Domini 1415. eum cum duobus alijs Episcopis ex Anglia misit ad Concilium Constantiense. Sed de his fusiùs suis locis. Nunc ad ingenij doctrinæque monimenta, quæ nomen illi dederunt immortale, veniamus. Præter ea quæ perierunt, constat illum scripsisse

Sermones coram Rege, Librum vnum.
Sermones vulgares, Librum vnum.
De suis legationibus, Librum vnum.
Ad Herefordenses & Salopienses, Librum vnum. Venerabilibus & discretis. Ludlouiæ tandem apud Carmelitas viuendi finem fecit, & requiescendi locum accepit die vicesimo primo Decembris, anno post Christum natum 1417, dum Anglicani regni thronum occuparet Henricus quintus. Vide nostrum quem scripsimus de Episcopis Herefordensibus Catalogum.

De Thoma Peuerello.

1418.
769.

THOMAS Peuerellus honestis in Anglia parentibus natus, patria Suffolcensis, ordinis etiam fratrum beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Hunc, vti auctor est Lelandus, morum probitas, & eruditio singularis ita commendatum magnatibus reddiderant, vt hoc intuitu magnæ secutæ sint dignitates. Tres enim successu temporis successiuè habuit Episcopatus. Nam imprimis dum Angliæ Rex Richardus secundus secunda vice in Hiberniam expeditionem faceret, eum illic anno Domini 1398, Ossariensi donauit Episcopatu: anno sequente consentiente Bonifacio Papa nono, ab eodem Rege Landauensem in Cambria accepit Episcopatum. Et tandem anno Domini 1407, ab Angliæ Rege Henrico quarto, annuente Gregorio Papa duodecimo, ad Episcopatum Vvigorniensem euectus est. De quibus alibi fusiùs. Scripsit

Sermones solemnes, Librum vnum.
Ordinationes sui cleri, Librum vnum.
Quæstiones Theologiæ, Librum vnum. Vtrum beatus Ioannes Baptista. Et alia quædam. Vvigorniæ tandem mortuus, & ibidem in Ecclesia sua Cathedrali sepultus est primo die Martij, anno Verbi incarnati 1418, dum habenas Anglicani regni tractaret Henricus quintus. Vide eum quem confecimus de Vvigorniensibus Episcopis Catalogum.

De Ioanne Vvanifleto.

IOANNES Vvanifletus, & ipse ordinis fratrum de monte Carmelo sub tutela beatæ Mariæ semper virginis Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, & posteà in suo cœnobio ciuitatis Lincolniensis sacrarum litterarum publicus Professor. Cùm ab ipsa adolescentia semper esset in bonarum artium studijs diligenter nutritus, suam dignitatem in omni quo fuit statu optimè tuebatur. Nam in humaniore litteratura versatus sermonis elegantiam, in Philosophia subtiles argutias, in omni denique Theologia solida veritatis & sectabatur & consequebatur fundamenta. Sacrarum scripturarum interpres fidelis, concionum declamator zelosus, mysteriorum fidei scrutator industrius. Has enim aut similes laudes ei tribuit Lelandus in suo scriptorum Catalogo. Cuius etiam veritatis locuples præbent testimonium monimenta litteraria quæ posteris tradidit. Quorum titulos adhuc saltem istos inuenimus

1418.
770.

Commentariorum in sacram Scripturam, *Libros plures.*
Determinationum Theologicarum, *Librum vnum.* Et alia non pauca.

Claruit anno relaxationis humanæ 1418, dum in Anglia rerum potiretur Henricus quintus.

De Thoma Radburno.

THOMAS Radburnus, natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, posteà Sudberiensis Archidiaconus, & tandem Meneuensis Episcopus. Vir miti & benigno ingenio, castis & candidis moribus, omnibus denique melioribus animi dotibus ornatus. Probus, modestus, temperans, ingeniosus etiam & doctus. Illam habuit laudem quam Horatius dicit certè non vltimam, videlicet, *Principibus placuisse viris.* Nam affabilitate sua, & mira erga omnes mansuetudine, omnium conciliauit animos, omnium acquisiuit beneuolentiam. Nec defuit illi solertis ingenij splendidum ornamentum multiplex rerum cognitio, inuentio acuta, decens ordo in disponendo, stylus elegans in scribendo. Quorum donorum locupletes testes esse possunt politæ eius epistolæ maximè ad Thomam Vvaldensem scriptæ. Cùm autem iam accessisset ad variam litterariam supellectilem ætatis maturitas, & iudicij soliditas, ad historias gentis nostræ voluendas se accinxit. Probè sciens historiam optimam rerum Magistram, illum, inter cæteros, habere fructum, vt sui studiosum ad virtutem incitet, à flagitio deterreat, idque non suo damno, sed alieno exemplo. Vt igitur patriam ornaret, & res à maioribus præclarè gestas ad memoriam & imitationem posteris traderet, in hoc genere non inutiliter laborauit, & suo tempore in lucem emisit

1419.
771.

Chronicorum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Et alia nonnulla.

Claruit anno à partu Virginis 1418, regnante in Anglia Henrico quin-

to. Vide illum quem concinnauimus de Meneuensibus Episcopis Catalogum.

De Roberto Roso.

1420. 772. ROBERTVS Rosus, Roseum cognominat Sixtus Senensis, ordinis Carmelitani Monachus Anglus, in cœnobio Norvvicensi, Oxoniensis Academiæ Doctor Theologus. Vir bonarum artium amantissimus, & qui, teste Lelando, partim propter ingenij fœlicitatem, partim propter laborẽ & industriam, intimos tum Philosophiæ tum Theologiæ penetrauit recessus, & in vtraque facultate doctissimè scripsit. Cũ autem fama virtutis & eruditionis eius longè latéque percrebresceret, Norvvicenses tum Monachi, tum ciues alumni sui reditum & præsentiam vehementer expetebant, nec acquieuerunt, donec eum reuocatum lætis oculis conspicerent. Ad suos itaque reuersus, Conuentus sui Prior electus est. Quam quietem nactus, à sæculari strepitu iam penitùs remotus, ardentiùs quàm vnquam priùs studia repetijt, & quasi in portum desiderij sui nauigans, noctes & dies sacrarum scripturarum lectioni & meditationi iugiter inuigilauit, & extra preces, atque Festis ac Dominicis diebus ad populum conciones, omne suum tempus diuinis eloquijs exponendis diligentissimè impendit, adeò vt in ijs deinceps studijs omninò consenuerit. Scripsit igitur commentarios

In Genesim, *Librum vnum* Ad imaginem quippe Dei factus.
In Exodum, *Librum vnum.* In Genesi namque, qui est primus.
In Leuiticum, *Librum vnum.* Nunc spiritualem intellectum exigi.
In Ecclesiasticum, *Librum vnum.* Beatus Augustinus in suo libro de.
In D. Paulum ad Titum, *Librum vnum.* Erudi filium tuum ne desperes.
Sermones per annum, *Librum vnum.*
Lecturas Theologiæ, *Librum vnum.*
De naturis animalium, *Librum vnum.* Equa imprægnata si odorauerit.

Et alia multa præsertim in sacrã Scripturam. Norvvici tandẽ inter suos obdormiuit in Domino, & ibidẽ sepultus est decimo sexto die Decembris, anno reparationis humanæ 1420, regnante in Anglia Henrico V.

De Richardo Caistrio.

1420. 773. RICHARDVS Caistrius, natione Anglus, patria Norfolcensis, non longè ab ipsa ciuitate Norvvico oriundus, in Ecclesia S. Stephani intra ciuitatem Vicarius. Vir simplex & rectus, & plus quàm mediocriter eruditus. In suis concionibus solebat hominum vitia non tam acrimonia verborum redarguere, quàm lacrymis cõpassionis deflere. Omnesque hortabatur, vt peccatum fugientes animarum suarum misererentur. Cum imperita multitudine libenter familiares miscuit sermones, & ad pia colloquia turbis se ingerebat. Simpliciores quosque tanquam sui simillimos, maximè diligebat, talium dictitans esse regnum cœlorum. Vulgò cognominatus est Bonus. Prophetiæ spiritum dicitur habuisse,

habuisse, & tum in vita, tum post mortem multis miraculis claruisse. Ego suspicor eundem esse, quem alij vocant Robertũ Castre vel Castrium, & ferunt quædam eius opera Anglicè conscripta diù custodita fuisse, & forsan adhuc esse Oxonij in Collegio Mertonensi. Scripsit Castrius pleraque Anglico sermone, quorum tamen titulos omnes Latinè ponam

Summam summarum de decem præceptis,	*Librum vnum.*
De octo beatitudinibus,	*Librum vnum.*
Ce charitate fraterna,	*Homiliam.*
Meditationes ex D. Bernardo,	*Librum vnum.*
Inter maritum & vxorem,	*Homiliam.*
Inter patrem & filium,	*Homiliam.*

Inter Dominum & famulum, Homiliam. Et eiusmodi alia non pauca. Penè omnia spiritualia. Norvvici tandem mortuus, & in Ecclesia præfata sepultus est quarto calendas Aprilis, anno postquàm Verbum caro factum est 1420, dum Anglici regni solium teneret Henricus quintus.

De Alano de Linna.

1420. 774.

ALANVS de Linna, natione Anglus, patria Norfolcensis, ex oppido Linna oriundus, & ibidem ordinis Carmelitani primùm Monachus, deindè etiam Prior, ad annos multos optimè suis præfuit. In Academia Cantabrigiensi Doctoralem gradum, testis est Lelandus, suscepit, & cum honore sustinuit. Erat enim Philosophus & Theologus insignis, & subtiliter disputando, dilucidè docendo, eruditè concionando, sibi magnam conciliauit laudem, multis parem attulit vtilitatem. Vir mirè industrius, & nullis laboribus fatigabilis. Sacras scripturas indefessa diligentia peruoluit, & in diuinis eloquijs multa difficilia explicando reddidit faciliora. In quo conatu optimam viam secutus, alia cum alijs sacræ Scripturæ loca cõferens, & ad antiquos Ecclesiæ patres, sanctosque recurrens Doctores, nihil temerè suoque solius ingenio nixus, interpretatus est. Sacras etiam traditiones, & perpetuam doctrinæ successionem examinare non omittẽs, à primis Ecclesiæ primatiuæ Doctoribus exordium laboris sumens, nunquam interrupta serie, per ordinem vsque ad suum tempus deuenit. Selectissimos quosque cuiusque ætatis perlegit, quid quisque suo tempore crediderit, docuerit, tenuerit, scripserit, accuratè notauit, & omnia vel ad documenta fidei, vel ad mores rectè formandos, omnẽque vitam benè instituendã piè, prudenter, eruditè retulit. Quòd autẽ præfatos doctores non perfunctoriè percurrerit, vel cursim legerit, sed cum attẽtione perlegerit, argumẽto est, quòd indices, tabulas ille vocat, in plerosque sedulitate incredibili composuerit, ex quibus omnes materiæ notæ melioris apud quemque Doctorem, ad communes locos referuntur, & non difficulter quærenti inueniuntur. Sed nihil meliùs auctorem loquitur, quàm opera. Scripsit Herculeo, vt ita dicam, labore, vt testes sunt Sixtus Senensis, & Petrus

Lucius in suis bibliothecis, & alij multi

Elucidarium sacræ Scripturæ, *Librum vnum.* In principio creauit Deus.
Moralia Bibliorum, *Libros duos.* Perfidia abominabilem facit hominem.
De vario Scripturæ sensu, *Librum j.* Quia secundum Apostolum 2. ad Tim.
Sermones notabiles, *Libros duos.* Venit ira Dei in filios diffidentiæ.
Prælectiones Theologiæ, *Librum vnum.*
Elucidationes Aristotelis, *Librum vnum.* Et alia plurima.

In omnes etiam sequentes auctores composuit indices.

In reductorium Bibliorum. Abominari non debemus duo ge.
In antiquitates Josephi. Ad laudem omnipotentis Dei.
In S. Hieronymum super Iosue. Aduentus Christi est duplex.
In quæstiones S. Augustini. Achab de sua deceptione.
In homilias S. Basilij. Adorant Magi Christum, & quo.
In moralia S. Gregorij. Abominabilem facit hominem.
In eundem super Ezechielem. Abscondere desiderium cœleste.
In homilias eiusdem. *Abstinentia,* *Homilia octaua.*
In Richardum super Threnos. Abijcere quo abiecerunt Imp.
In eundem de somnio Nabuchodonosor. Actio. Mota de ipsa cap. 10.
In eundem super psalmos. Amor est duplex cap. octauo.
In eundem de duodecim Patriarchis. Amor sapientiæ qualis est.
In S. Bernardum super Cantica. Ad laudem Dei patris cœlestis.
In eundem super Missus est, Anglus Gabriel de maiori.
In tria oscula eiusdem. Anima quomodò iugulatur?
In threnos Lothberij. Abijcere peccata qualiter conuenit?
In [illegible]ham super D. Matthæum. Abijt Iesus de Ierusalem ad.
In eundem super Lucam. Abnegare se quomodo quis.
In Costasim super Apocalypsim. Abscondent se multi cap. 6.
In dialogum S. Augustini.
In Cantica Neccham. Ad laudem genitricis Dei de cuius.
In Miracula S. Mariæ. Adiutorium Mariæ. Nota in.
In Mariale maius. Assumptio Mariæ patet sub fine.
In Mariale minus. Abstinentia Mariæ. Cap. primo.
In stimulum amoris. Ad amorem Dei quomodò debet.
In reuelationes S. Brigittæ. Ad laudem Dei & Mariæ matris.
In prophetias eiusdem. Afflictio est vtilis. Et quarè.
In homilias Aluini. Amicus Dei fit homo quinque modis.
In Petrum de Aurora. Actus molles diligit diabolus.
In Gerardum Laodicensem. Abbas Helias constituitur.
In officiarium Ioannis Beleth. Abstinentia à carnibus recepta.
In Hugonem de S. Victore.
In Compendium Theologiæ. Accusabant Christum diuersa genera.
In opus de Scriptoribus Britanniæ.
In Petrum Blesensem. Anglorum vox qualis?
In sermones Gilberti. Acquiescere Deo debemus, in quantum.

In sermones Parisiensis. Abstinendum est à multis.
In distinctiones eiusdem. De abstinentia primo, & post.
In S. Thomam de Aquino de perfectione. Amor. Nota de eo quòd cap. 13.
In sententias eiusdem. Ad omnipotentis laudem, hæc.
In sententias Scoti. Abstractio ab eodem abstracto.
In sententias Baconthorpij.
In Ægidium de regimine principis. Ad laudem Christi Iesu & Sanct.
In sermones Losani. Abijcere peccata debemus.
In Quadragesimale Voraginis. Abscondit se Christus à Iudæis.
In sermones Antiquorum. Ambulare coram Deo, serm. 26.
In sermones proprios. Abscondere vult Deus mundo.
In conflictum vitiorum.
In proprietates Bartholomæi.
In historiam Lombardicam.
In Chronicon Rogeri Houedeni. Abbas de Burgo S. Petri.
In gesta Carmel. Philippi Riboti. Abijt Helias contra Orientem lib.
In Origenem.
In Hilarium.
In Eusebium.
In D. Ambrosium.
In Rabanum Maurum.
In S. Ioannem Chrysostomum.
In Cyrillum.
In Ioannem Caßianum.
In S. Ioannem Damascenum.
In S. Remigium.
In Venerabilem Bedam.
In Haymonem.
In Caßiodorum.
In S. Anselmum.
In Berthorium Et alios.

Quæ omnia, sicuti & multa alia eius scripta diligenter seruata fuerunt in Anglicanis bibliothecis, præsertim in illa insigni Carmelitarum apud Norvvicum. Tandem celebris hic Doctor Linnæ inter suos mortuus & sepultus dicitur circa annum post aduentum Messiæ 1420, dum in Anglicani regni throno sederet Henricus quintus.

De Richardo Grasdalo.

1420. 775.

RICHARDVS Grasdalus, natione Anglus, Oxoniam adolescens studiorũ causa petijt, & ab humanioribus litteris exordiũ capiens, omnes artes liberales, Philosophicas scientias, atque ipsam tandẽ Theologiam adeò fœliciter didicit, vt magnã in singulis laudẽ meruerit, & ad supremũ Theologici Magisterij gradum euectus fuerit. Thomas Vvaldensis in suo zazaniorũ fasciculo scribit eum vnum fuisse ex duodecim

Doctoribus qui sub Archiepiscopo Cantuariensi Arondelio Vvicleffi errores condemnarunt. Quicquid sit fuit vir pietate & doctrina celebris. Poëta non spernendus, elegans orator, acutus Philosophus, historicus insignis, Theologus solidè doctus. In historijs voluendis vtiliter, si quis alius, multos annos collocauit, probè sciens indè non solum multiplicem colligi rerum cognitionem, verum etiam mores & vitam optimè formari posse alienis, quæ leguntur exemplis. Itaque post attentam & diligentem optimorum quorundam auctorum lectionem, illa supellectile copiosè instructus, ad scribendum se accinxit, insignes, & reipublicæ Christianæ non solum vtiles, sed etiam quodammodò necessarias historias exarauit, & ab exordio mundi vsque ad annum Christi 1390, fœliciter perduxit. Nec illud solum opus, sed etiam alia multa partim versu, partim oratione soluta posteris ad vtilitatem, sibi ad memoriam reliquit

De ætatibus mundi, *Librum j.* In principio creauit Deus cœlum & ter.
De regnis & ciuitatibus, *Librum vnum.* Ante ortũ Christi per 1320, annos.
De prælijs famosis, *Librum vnum.*. Circa annum Domini 330, passus est Al.
De dilatatione fidei, *Librum vnum.* Licet per Apostolos, & alios di.
Carminum diuersorum, *Librum vnum.* Et alia quædam, Senex.

Claruit anno post Virginis partum 1420, occupante solium Angliæ Henrico quinto.

De Richardo Snetishamo.

1420. 776. RICHARDVS Snetishamus, natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis, & eiusdem tandem Academiæ Cancellarius. Vir, teste Lelando, omni virtutis & eruditionis genere instructissimus. Rhetor, Philosophus, Theologus insignis. Ad disputandum subtilis, ad explicandum perspicuus, ad dissoluendos difficiles quæstionum nodos acutus simul & clarus. Nemo fœliciùs eo tempore sacras Scripturas in scholis interpretabatur. Ad hanc etiam singularem doctrinam ornandam accesserunt maximè quæque virtutes. Pietas ad omnia vtilis, vitæ integritas, morum candor, castitas, temperantia, modestia, charitas in proximos, & magnus diuinæ gloriæ zelus. In rebus agendis prudentia, iudicium, dexteritas. His nominibus electus est cum vndecim alijs Doctoribus ad examinandam Vvicleffi doctrinam, & ad suam censuram de ea ferendam. Vnde & scripsit

Contra quosdam articulos Vvicleffi, *Librum vnum.*
Lecturam Theologiæ, *Librum vnum.* Fluuius egrediebatur de loco volup.
Abbreuiationes Coutoni, *Libros quatuor.* Vtrum habitus Theologiæ sit.
Ad quædam dubia, *Librum j.* Dubia subscripta moueri possunt. Et alia.

Claruit anno Christi incarnati 1420, dum Anglicani regni gubernaculum teneret Henricus quintus.

De Bartholomæo Florario.

BARTHOLOMÆVS Florarius, natione Anglus, vir in rebus tum Philosophicis, tum etiam Theologicis non ignobiliter eruditus, vt scribit Nicolaus Brigamus in suis rerum memorabilium venationibus. Videtur tamen ingenio fuisse nonnihil inquieto, eoque maximè vitio laborabat, quòd sæcularis cùm esset, viros religiosos non facilè ferebat, & in eos, quandò se offerebat occasio, debacchari solebat. Contra quos in publicis disputationibus intemperantem linguam, & in libris scriptis acerbum stylum acuebat. Vndè factum est, vt quædam eius opera, tanquam bonis moribus, & Christianæ potissimùm modestiæ contraria, supprimerentur, & eo pacto omninò perierent, nè alios in interitum traherent. Ferunt tamen in Bibliothecis adhuc inueniri opus illud à quo cognomen accepit, videlicet

1420. 777.

Florarium, *Librum vnum*. Gratias ago gratiæ largitori, quia.

De abstinentia, *Librum vnum*. Est statutum prandendi tempus. Alia non venerunt ad manus nostras. Vixisse dicitur anno postquam Virgo peperit 1420, regnante apud Anglos Henrico quinto.

De Adamo Hemlingtono.

ADAMVS Hemlingtonus ordinis Fratrum B. Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli Monachus Anglus, patria Norfolcensis. Vir ingenio ad bonas artes aptissimo. Postquàm inter priuatos, vt videtur, parietes, eas quibus ad humanitatem excolitur animus, litteras accuratè percepisset, Oxoniæ primùm, deindè Lutetiæ scientias, tum Philosophicas, tum Theologicas affatim hausit, nec ab ijs studijs cessauit, donec supremam lauream esset consecutus. Plura scripsisse dicitur, quàm ea quæ ad manus nostras peruenerunt. Hæc tamen sequentia quibusdam in Bibliothecis extitisse suo tempore testatur Lelandus, qui mihi penè hæc omnia subministrauit

1420. 778.

Concionum, *Librum vnum*. Petite vt gaudium vestrum sit plenum.

Quæstiones ordinarias, *Librum vnum*.

De Actu Parisiensi, *Librum vnum*. De alijs eius scriptis nihil mihi certi. Tandem circa annum nati Seruatoris 1420, Norvvici inter suos mortuus & sepultus est, vbi & tumulum eius se vidisse scribit Lelandus. Regnauit tum in Anglia Henricus quintus.

De Rogero Iuonio.

ROGERVS Iuonius vel de S. Iuone, ab oppido natalicio Comitatus Huntingdonensis in Anglia, sic cognominatus. Lelandus in collectaneis scribit hunc fuisse Monachum, sed cuius ordinis nec ipse dicit, nec ego hacten⁹ inuenio. Fuit sanè vir Philosophicis & Theologicis disciplinis supra vulgarem hominum morem eruditus, & zelo Dei secundùm scientiam plenus, vt ex ipsius scriptis colligitur. Multa

1420. 779.

dicitur in lucem emisisse contra Lolhardos, & alios sui sæculi hæreticos, ex quibus adhuc in quibusdam Bibliothecis Angliæ reperiri ferunt

Contra Ioannem Oulcastel, *Librum vnum.*

Lecturas scholasticas, *Librum vnum.* De alijs nihil mihi constat. Floruit anno post aduentum Messiæ 1420, sub Angliæ Rege Henrico quinto.

De Ioanne Seguardo.

1420. 780. IOANNES Seguardus Equestris ordinis in Anglia patre natus. Vir humanioris litteraturæ insigniter peritus, & bonorum auctorum lectioni, in illo præsertim genere mirificè deditus. Hic bonę conscientiæ firmissimo nixus testimonio, contra deprauatos ipsorum etiam Ecclesiasticorum hominum mores confidenter scribere non est veritus. Rhetorica & Poësi adeò delectabatur, vt in Comitatu Norfolcensi, atque in ipsa, vt videtur, Norvvicensi ciuitate, scholas aperire, & publicè alios docere non erubuerit: dictitans ingenuas has artes dignissimas esse, quæ non modò à nobilissimis viris diligenter discantur ad suum vsum, sed etiam liberaliter doceantur ad aliorum fructum & vtilitatem. Suos auditores instruxit sollicitè, ne propter varios poësis abusus, ab ipsa poësi abhorreant: sed potiùs illos detestentur, qui tam insignis artis dignitate abuti temerè præsumebant. Huius auctoris opera penè omnia fuerunt aliquando asseruata Oxonij in Collegio Mertonensi, & Londini in Bibliotheca regia. Quæ nunc fortè, vt pleraque alia, in illa, quæ nunc est, confusione Babylonica perierunt. Scripsit autem partim versu vt elegans Poëta, partim prosa vt facundus Orator, maximè ad Richardum Curtneum Episcopum tunc Norvvicensem, bonarum litterarum optimum patronum

De miseria hominis, *Librum vnum.*

Metristenchiridion, *Librum vnum.* Conspicui meriti vir.

Cathemetron, *Librum vnum.* Præsumptuosos & errantes in metris.

De laudibus Regis Henrici quinti versu, *Librum vnum.*

Decretum Apollinis, *Librum vnum.*

Carmina diuersi generis, *Librum vnum.*

Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Et alia non pauca. Claruit anno post Christum natum 1420, dum Anglicani regni sceptrum teneret Henricus quintus.

De Ioanne Langdeno.

1420. 781. IOANNES Langdenus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in cœnobio Cantuariensi, cui nomen Ecclesia Christi. Doctor Theologus Oxoniensis. Vir acuti ingenij, felicis memoriæ, magnæ industriæ, paris pietatis, insignis doctrinæ. Tanti nominis erat Oxoniæ, vt cum alijs vndecim eligeretur ad examinandā & iudicādam sub Ar-

chiepiſcopo Cantuarienſi Thoma Arondelio, doctrinam Vvicleffi, vt ſæpè dictum eſt. De huius Doctoris laudibus multa ſcribit Thomas Vvaldenſis in ſuo zizaniorum faſciculo. Thomas etiam Radburnus iunior in ſuis chronicis eum non rarò cum honore citat. Ex ſuis, quas ſcripſit, hiſtorijs non ſolùm magnam laudem, ſed etiam honorem tanto Doctori congruum conſecutus eſt, dum ad Epiſcopatum Roffenſem euectus eſt ferè in ſolo natalicio (nam in Cantia natus dicitur.) Hos autem laborum ſuorum fructus poſteris ad oblectamentum & commodum, ſibi ad nominis immortalitatem reliquit ex collectaneis diuerſarum hiſtoriarum

Anglorum chronicon, *Librum vnum.*
Sermonum, *Librum vnum.* Et alia quædam, quorum hactenùs nè titulos quidem inuenio: Londini mortuus & ſepultus creditur circa annum reparatæ ſalutis 1420, ſub Angliæ Rege Henrico quinto. Conſule illum quem exarauimus de Roffenſibus Epiſcopis catalogum.

De Ioanne Lucco.

IOANNES Luccus natione Anglus, Doctor Theologus Oxonienſis, & ibidem Eccleſiæ Majoris Præpoſitus. Vir in ſacrarum litterarum ſtudijs diù fœliciterque verſatus; pius etiam, & zelo Dei feruens. Inter cuius laudes illam non vltimam ponendam iudico, quòd Thomæ Vvaldenſi fuerit familiaris, & à tanto viro per epiſtolas aliquando ſalutatus, Dominus ac Magiſter fuerit appellatus. A quo etiã de iugi ſacrarum Scripturarũ meditatione præclarum in epiſtola quadam accepit teſtimonium. Nec minùs ad hominis laudem res ipſæ loquuntur. Nam ſi vir talis & tantus non fuiſſet, Eccleſia Anglicana nunquàm eius opera in tam grauibus negotijs vſa fuiſſet. Is enim ſub Thoma Arondelio Cantuarienſi Archiepiſcopo anno Domini 1420, cenſor deſignatus eſt doctrinæ Vvicleffianæ. Cuius opuſcula dum ſtrenuo labore peruolueret, attentéque perlegeret, ex ijs, erroneos articulos collegit ducentos ſexaginta ſex, quos anno ſequente Concilio Londinenſi damnandos propoſuit. Et hæc quidem omnia ſingularem hominis doctrinam abundè teſtantur. Locupletiſſimum tamen omnium teſtimonium eſt illud quod res ipſæ perhibent, & opera quæ edidit loquuntur. Scripſit enim

1420. 782.

De ambiguis ſacrarum Scripturarum locis, *Librum vnum.*
Diſceptationes veritatum, *Librum vnum.*
Quæſtionum argumenta, *Librum vnum.*
Dialogorum ad Thomam Uvaldenſem, *Librum vnum.* Et alia plurima.
Claruit anno poſtquàm Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis 1420, dum in Anglia rerum potiretur Henricus quintus.

De Ioanne Taceſphalo.

IOANNES Taceſphalus ordinis Carmelitani Monachus Anglus, non longè à Norvvico natus in eiuſdem ciuitatis cœnobio Mona-

1420. 783.

chus, & ibidem tandem electus Prior. Sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir pietate insignis, ingenio subtilis, sermone comptus, humanioris litteraturæ non ignarus, in sacris litteris versatissimus, &, vt auctor est Sixtus Seneusis, sui temporis concionator multùm celebris. Vvicleffi omniumque eius errorum osor constantissimus. Quo tempore hæresum ille profligator Thomas Vvaldensis scripserat, sed nondum in lucem emisera insignia opera sua contra Vvicleffitas, Hussitas, Lolhardos, & alios hæreticos. Hic à suis Romam missus est ad Martinum Papam Quintum, vt curaret libros illos à sede Apostolica approbari, eo fine, vt possent maiore cum authoritate, vtilitate, & fructu in publicum prodire, vti factum est. Quo negotio vix absoluto Romæ diem suum obijt. Sed priùs dum inter suos in Anglia vitam egit non otiosam, scripsit quædam opera præclara, quibus suum ingenium exercuit, alios instruxit, suumque nomen æternitati consecrauit. Edidit enim lecturam, quam vocat notabilem, seu commentarios scholasticos

In Apocalypsim S. Ioannis, Libros duos.
Sermonum de Tempore, Librum vnum.
Sermonum de Sanctis, Librum vnum.
Super Magistrum Sententiarum, Libros quatuor. Et alia quædam. Missus Romam, vt dixi, teste Trithemio mortuus est ibi & sepultus anno post partũ Virginis plus minùs 1420, dum ad Anglicani regni clauum sederet Henricus quintus.

De Guilhelmo Batecumbo.

1420. 784. GVILHELMVS Batecumbus, aliqui Bedeconum vocant, Mathematicus Anglus, Oxoniensis Academiæ alumnus. Iuuenis studijs Philosophiæ strenuam nauauit operam. Quo curriculo fœliciter emenso, Mathesim elegit, in qua deinceps contemplanda maximam vitæ suæ partem collocauit, vt ex Lelando colligere est. Incredibilis enim in ijs artibus delectatio, parem in homine excitauit diligentiam, diligentia fecit profectum, adeò vt magnam in illis scientijs consecutus fuerit perfectionem, aliarum artium intereà non ignarus. Vndè apud viros litteratos, atque etiam magnates in summo fuit precio. Posteris autem indelebilem suæ doctrinæ reliquit memoriam, ex ijs maximè quæ circa scientias Mathematicas elaborauit. Scripsit enim

De operatione Astrolabij, Librum vnum.
De Sphara concaua, Librum vnum.
De eiusdem fabrica & vsu, Libr. vnum. Per patris ingeniti gratiam.
De Sphæra solida, Librum vnum.
De conclusione Sophiæ, Librum vnum. Et id genus alia plura. Claruisse putatur circa annum Verbi incarnati 1420, dum in Anglia rerum potiretur Henricus quintus.

De Guilhelmo Vvels.

GVILHELMVS Vvels, Vvellis apud Iosephum Pamphilum, aliàs Fontanus, sic cognominatus à ciuitate sua natalitia in Comitatu Somersetensi. Vvels enim Anglicè idem est quod fontes Latinè. Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini Monachus Anglus in cœnobio Linnensi, vt auctor est Lelandus. Scribunt aliqui Doctorem Theologum, Cantabrigiæ factum, in acutis disputationibus, & in concionibus doctis magis quàm facundis mirè floruisse. In confesso etenim est, fuisse virum ingeniosum, industrium, & litteratum. In rebus etiam agendis expertum, in dirigendis prudentem, in expediendis dexterum atque fœlicem. Quæ multiplices dotes, ei tantam pepererunt nominis claritatem apud omnes, tantamque auctoritatem apud suos, vt ad spacium annorum viginti Prouincialis per Angliam suis præfuerit. Cuius temporis maximam partem in eo posuit, vt quæ laboriosè didicerat, vtiliter, licet stylo nonnihil simplici, per scripta posteris communicaret. Communicauitque, vt ex Lelando & Iosepho Pamphilo colligere est,

1421.
785.

Distinctiones in Psalterium, *Librum vnū*. Per abyssum scriptura designat.
Commentarios in septem Psalmos pœnitentiales, *Librum vnum*.
Postillationes Euangeliorum, *Librum vnum*.
Disputationes Theologicas, *Librum vnum*.
Declamationes vulgares, *Librum vnum*.
Actus cursorios, *Librum vnum*. Et alia multa. Linnæ tandem viuendi finem fecit & quiescendi locum accepit nono calendas Aprilis anno Domini 1421, dum in Anglia summa rerum penes Henricum quintum esset.

De Guilhelmo Lindvvodo.

GVILHELMVS Lindvvodus Iurisconsultus Anglus. Vir in omni politioris litteraturæ genere ornatissimus, vt pote qui fælicis ingenij sui neruos in ijs exercitijs per totam adolescentiam industriè intenderit. Cùm autem iam ad annos iuueniles peruenisset, omnem suam florentem ætatem non minore cum sedulitate, & longè maiore cum fructu, in iuris tum Canonici, tum Ciuilis studijs fælicissimè collocauit. Hac enim ratione magnam doctrinam, celebre nomen acquisiuit, & sibi ad summos honores viam compendiosissimam muniuit. Imprimis igitur Doctoralem in vtroque iure & sacra Theologia suscepit gradum. Deinde maturescente cum ætate iudicio, & percrebrescente cum eruditione fama, primoribus viris de meliore nota cognitus esse cæpit. Henricus Chichileius Archiepiscopus Cantuariensis hominem ad se vocauit, Officialem Curiæ quæ de Arcubus dicitur, & supremum in Anglia fori Ecclesiastici Iudicem ordinarium constituit. Vbi causas controuersas, & occurrentia negotia debita diligentia examinauit, singulari prudentia direxit, & summa cum æquitate ad multos annos dijudica-

1423.
785.

uit, fideliterque rem omnem administrauit. Erat quidem illud munus vtcumque honorificum, satis laboriosum, sed multò magis lucrosum, in quo ingentes opes accumulauit. Indè tandē ab Henrico Rege quinto ad Aulam vocatus factus est priuati sigilli custos. Cuius eruditionem, prudentiā, fidem Rex perspectam habēs, eius opera in grauissimis reipublicæ negotijs & honoratissimis apud exteros principes legationibus nō semel vsus est. Primū enim ad Hispaniæ, deinde ad Lusitaniæ Reges destinatus est orator. Ex harum legationū posteriore redijt anno Domini 1422, & anno proximè sequente glossas suas in cōstitutiones synodales incœpit, vti ipse scribit in proœmio. Nam post mortem Regis, reassumpto, vt eius verbis vtar, officialitatis officio, glossare constituit Archiepiscoporum Cantuariensium decreta. Quæ propter longam illius Curiæ praxim habuit compertissima. Collegit igitur quatuordecim Archiepiscoporum synodales constitutiones, videlicet à Stephano Langthono vsque ad Henricum Chichileium, easque in ordinem redegit, quæ prius non nisi sparsim hinc inde confusè reperiebantur, in quinque libros operosè redegit, in capita distribuit, & in totum opus fusissimos commentarios sex libris comprehensos, exarauit. Vniuersam denique hanc lucubrationem ita pulchrè cōcinnatam Henrico Chichileio Cantuariensi Archiepiscopo nuncupauit. Successu temporis apud Hēricum Regem sextum se insinuauit, tantamque gratiam in eius oculis inuenit, vt ab eo Meneuensem Episcopatum acceperit. De quo suo loco. Nunc ad Catalogum librorum quos in lucem emisit, veniamus. Scripsit

In quosdam Psalmos, *Librum vnum*. Cùm frequenter animaduerterem.

Summam causarum, *Librum vnum*.

Catalogum quorundam Archiepiscoporum Cantuariensium, *Librum vnum*. Stephanus cognomento Langton. Extat Londini anno 1557. Habeo, Legi.

Collectiones constitutionum prouincialium eorumdem Archiepiscoporum, *Libros quinque*. Ignorantia Sacerdotum. MS. Oxonij in publica, & in Coll. corporis Christi. Cantabrigiæ in Coll. Caij, Gonelli, sancti Petri. Extat Londini, 1557. quæ editio fuit secunda Cardinali Polo nuncupata.

Collectiones constitutionum Othonis & Othoboni, *Libros duos*. Quoniam decet domum Domini. Londini anno 1557. Habeo hæc omnia & legi.

Commentarios in easdem constitutiones, *Libros sex*. Reuerendissimo in Christo Patri Henrico. Et eiusmodi alia nonnulla. Londini tandem mortuus, & ibi in templo S. Stephani inter Canonicos sepultus est circa annum à natiuitate Christi 1423, regnante in Anglia Henrico sexto. Vide illū quem composuimus de Meneuensibus Episcopis Catalogum.

De Bertramo Fizalano.

1424. 786. BERTRAMVS Fizalanus seu filius Alani, illustri in Anglia natus prosapia, patria Lincolniensis, & in ipsa ciuitate Lincolnia Carme-

litani instituti Monachus, vt Lelandus ex illius ordinis chronicis colligit. Oxonij strenuam operam bonis litteris dedit, nec à studijs cessauit donec ibi Doctoralibus insignibus solemniter esset donatus. Singularem amicum & patronum habuit, teste Lelando, Guilhelmum Quaplodum eiusdem instituti Monachum, & tandem Kildariensem in Hibernia Præsulem, quo ad multos annos familiarissimè vsus dicitur. Porrò Bertramus præter insignem Bibliothecam, quam suis & amicorum expensis erexisse & instruxisse perhibetur, pietatis etiam & eruditionis monimenta sequentia reliquit posteris

Quæstiones Theologiæ, *Librum vnum.* Vtrum quolibet sacræ Scripturæ.
Super quarto libro Sententiarum, *Librum vnum.*
Concionum ad populum, *Librum vnum.*
Excerpta quædam ex alijs auctoribus, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Coll. Balliol. Et alia plura. Lincolniæ tandem inter suos mortuus & sepultus est decimo septimo die Martij, anno post aduentum Messiæ 1424, dum in Anglicani regni solio sederet Henricus sextus.

De Ioanne Bestono.

IOANNES Bestonus, sunt qui Bastonum vocant, instituti Carmelitani Monachus Anglus in cœnobio Linnensi, vbi etiam tandem factus est Prior. Vir fælicis ingenij, constantis iudicij, cui etiam pietas & doctrina celebre nomen dederunt. Erat enim tum in diuinis, tum in humanis litteris insigniter eruditus, disputator vehemens, concionator facundissimus, de quo scribit Alanus de Linna, quòd in suis concionibus clarè dilucidéque aperire solebat quadruplicem sacræ Scripturæ sensum. Coniecturam ex Lelando non leuem habeo, eum Cantabrigiæ primùm in Anglia, deinde Parisijs in Gallia ita studuisse, vt vtrobique sacræ Theologiæ Doctor, & aliquando etiam Professor fuerit. Thomas Vvaldensis in suis epistolis scribit eum anno Domini 1424. Senas in Italiam missum fuisse oratorem ad Concilium ibi sub Martino Papa quinto celebratum, honoratissimam legationem laudabiliter obiuisse. Porrò, vt testes sunt eruditus ille Iacobus de Plebe ordinis Seruorum, & Petrus Lucius in sua Carmelitarum Bibliotheca, scriptorum suorum participem fecit posteritatem, dum ederet

1428.
787.

Lecturas sacræ Scripturæ, *Librum vnum.*
Sermones in Euangelia, *Librum vnum.* Erunt signa in sole & luna.
Sermones in epistolas, *Librum vnum.*
Compendiū Theologiæ Moralis, *Librum vnū.* Cū finis nostri laboris in vita.
De virtutibus & vitijs oppositis, *Librum vnum.*
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.* Reuerendi Magistri iuxta consuet.
Super vniuersalibus Holcothi, *Librū vnum.* Singulare dupliciter accipitur.
Rudimenta Logices, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Libros duos.* Et alia quædam. Linnæ tandem in suo cœnobio viuendi finem fecit, & quiescendi locum accepit anno

postquàm Virgo peperit 1428, dum Anglici regni sceptrum teneret Henricus sextus.

De Ioanne Lelando Seniore.

1428. 788. IOANNES Lelandus cognominatus Senior, Grammaticus Anglus. Oxonij litteris præsertim humanioribus sedulam operam nauauit, cum quarum cognitione tantum etiam imbibit amorem, vt in ijs omnem deinceps exegerit ætatem. Nam in eadem Vniuersitate non longè ab Ecclesia S. Fridesvvidæ scholam aperuit, & vsque ad vitæ finem docuit. Erat tum in versu, tum in prosa multo elegantior, & in omni Latinitate purior, tersior, nitidior, quàm ferebat illius ætatis communis consuetudo. De quo cantabatur *Vt rosa flos florum, sic Leland Grammaticorum.* Scripsit autem

Declamationes partim Latinas partim Græcas, *Librũ j.* Quæritur quot term.
Tractatũ de generibus, *Librum vnum.* Nota quòd omnia nomina. Et alia.
Oxonij mortuus & sepultus est die penultimo Aprilis anno gratiæ 1428, sub Angliæ Rege Henrico sexto.

De Roberto Colmanno.

1428. 789. ROBERTVS Colmannus ordinis Minorum S. Francisci Monachus Anglus in Conuentu Norvvicensi, Doctor Theologus Oxoniensis. Vir cui natura optimas contulerat dotes, & educatio, ingenijque cultura non vulgarem dederat eruditionem. Grauis, modestus, castus, temperans, atque apud omnes magnæ auctoritatis. Hinc, vt auctor est Lelandus, eum in suum Cancellarium elegit Senatus Academicus Oxoniensis. Prudentes vtique viri quasi gratiam rependere volentes, illi tribuerunt in Academia primum honorem, qui Academiæ non mediocrem contulerat splendorem. Huius viri pietate, mansuetudine, integritate, & laudabilibus omnium virtutum exemplis inductus est Cloptonus Eques auratus, & summus Angliæ Iusticiarius, vt mundo relicto, contemptisque omnibus pompis sæcularibus, iam senex institutum S. Francisci amplexatus fuerit, & in eo constanter vsque ad vitæ finem perseuerauerit. Sed iam scripta quorum posteros fecit participes, subijciamus. Scripsit

Sermones, *Librum vnum.*
Lectiones sacras, *Librum vnum.*
Carminum diuersorum, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia non pauca. Vixit secundùm Thomam VValdensem, anno Verbi incarnati 1428, dum Anglis regali potestate præesset Henricus sextus.

De Ioanne Haintono.

1428. 790. IOANNES Haintonus honesto loco in Anglia natus, Carmelita Lincolniensis, & ibi tandem sui Monasterij Prior. Vir egregijs animi dotibus præditus. Ingenium ita excoluit, vt Oxoniæ liberales artes,

omnemque tum Aristotelicam, tum Christianam Philosophiam accuratè didicerit, imò etiam non sine applausu docuerit. Nam ibi sacræ Theologiæ Doctor enituit, & in eadem facultate Professor multos egregios discipulos habuit, vt satis insinuat Lelandus. Qui addit eum pro illius sæculi fœlicitate fuisse eruditiorem quàm eloquentiorem, meliorem quàm elegantiorem. Rerum enim vigorem per ea tempora magis scrutabantur, quàm inanem verborum fucum sectabantur. Erat tamen concionator celebris, in explicandis diuinis eloquijs fœlix, clarus, dilucidus. Nam propter acumen ingenij, solidumque iudicium, adiuuante Dei gratia, dum studebat, Verbum Dei intelligebat; & propter perspicuitatem, & facilem explicandi modum, dum docebat, intelligebatur. Vtrumque Dei donum, & quidem magnum. Erat insuper (quod non parùm ad hanc rem confert) Hebraicæ linguæ peritus, & Græcæ non ignarus. Sed me tacente, vel pro dignitate tum rei tum personæ non satis loquente, loquentur opera eius, quorum testimonium est omnio ratione mea locupletius. Scripsit teste Sixto Senense & alijs, commentarios in quatuor Euangelistas, vel certè

Annotationes in S. Matthæum, Librum vnum. August. libro 12. Confess.
In S. Lucam, Librum vnum. In prologo postillationum Nicolai.
In S. Ioannem, Librum vnum. Quia in diuinis eloquijs Dominus.
In epistolas ad Corinthios, Libros duos. Gratia Dei sum id quod sum.
In epistolam ad Hebræos, Librum vnum. Dominus assumpsit me. Psalm.
In Canonicam S. Ioannis, Librum vnum. Ioannes Apostolus & Euãgelista.
Annotationes in eandem, Librum vnum. Quis auctor sit, quæ materia.
In Apocalypsim lectiones quadraginta sex, Librum vnum. Beatus qui legit.
Sermones de tempore, Librum vnum. Surrexit homo. Iudicum 19.
Sermones de Sanctis, Librum vnum. Principes populorum congregati.
Summam de virtutibus, Librum vnum. Circa cardines cæli perambulant.
Quæstiones Theologiæ, Librum vnum. Vtrum habitus Theologiæ sit.
Collectanea quædam, Librum vnum. Hebraica namque locutio, sicut &c.
In Vesperijs Gualteri Hunti, Librum vnum. Desuper erit benedictio tua.

Et alia plura, quæ olim in Angliæ Bibliothecis reperiebantur. Lincolniæ tandem mortuus & sepultus dicitur anno post Christi natiuitatem 1418, dum in Anglici regni throno sederet Henricus sextus.

De Ioanne Bato.

IOANNES Batus apud Transabrinos in Anglia natus, & Eboraci educatus, vt scribit Lelandus, ibi fratrum de monte Carmeli secutus institutum, successu temporis inter eos electus est Prior. Vir pius, prudens, & eruditus. Philosophus non contemnendus, Theologus insignis, Græcarum etiam disciplinarum non imperitus. Oxonij diù studuit, & ibidem Doctorum ascriptus est Catalogo. Quam dignitatem ne inaniter accepisse videretur, animum ad scribendum adiecit. Vt doctrinam, qua cum instructum testabatur publicum & solemne Academiæ suffra-

1429.
791.

gium, libris in lucem emissis, re ipsa toti mundo magis testatam faceret. Non igitur fefellit aliorum de se conceptam spem, imò potiùs superauit, dum multos insignes libros doctrinæ suæ manifestos indices doctè exarauit. Nam testibus Lelando, Iacobo de Plebe, Eisingreno, Petro Lucio, & alijs, scripsit

Encomium Theologiæ (*Theosophiæ habet Eisingrenus*, *Librum vnum*. Mirabilis facta est scientia tua.

Pro introitu vel introductione Sententiarum, *Librum vnum*. Prænobilis arbiter Aulæ.

Actus ordinarios, *Librum vnum*. Helias proficiscens in Damascum.
Determinationes, *Librum vnum*.
Replicationes argumentorum, *Librum vnum*. Vitis cœli florida in regali.
De Assumptione B. Mariæ Virginis, *Librum vnum*.
Sermones per annum, *Librum vnum*. Non vituperetur ministerium.
Collationes synodales, *Librum vnum*.
Ad clerum Oxoniensem, *Librum vnum*. Cooperatores simus veritatis.
Compendium Logices, *Librum vnum*. Quia de dictis in Logica, in.
Super vniuersalia Porphyrij, *Librum vnum*. Pro notitia vniuersalium in lib.
Super prædicamenta Aristotelis, *Libros tres*. Circa libros prædicamẽtorum.
In sex principia Porretani, *Librum j*. Iste liber intitulatur sex principia.
Quæstiones de anima, *Librum vnum*. Quæritur vtrum intellectus agens.
De constructione partium orationis, *Librum vnum*. Et alia multa.

Eboraci tandem inter suos naturæ debitum persoluit, & sepulturam accepit, septimo calendas Februarij, anno post misericordiam humano generi factam 1429, dum in Anglia rerum potiretur Henricus sextus.

De Roberto Hundeslauo.

1430. 792.

ROBERTVS Hundeslauus à pago suo natalitio non procul Londino sic cognominatus, vbi etiam in adolescentia factus est Monachus ordinis Sanctissimæ Trinitatis, fuitque successu temporis suorum per Angliam, Scotiam, & Hiberniam Magister Prouincialis. Horum Monachorum professio fuit, emendicatis vndique pecunijs, & conquisitis quibuscunque necessarijs, captiuos ab infidelibus redimere. Fuit porrò Robertus iste eruditione multiplici instructus, & integritate morum laudabilis. Emenso studiorum suorum curriculo, ad humaniores litteras reuersus est. Elegantior enim sermo ei fuit in summo precio, præsertim ad concionandum. Hoc igitur in genere fœliciter quædam exarauit, & vt suos labores faceret posterorum fructus, edidit

Sermones synodales, *Librum vnum*.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum*. Et id genus alia plura.

Claruit circa annum Christi 1430, regnante apud Anglos Hẽrico sexto.

De Ioanne Bernegamo.

IOANNES Bernegamus seu Bernegam ordinis Carmelitani sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Vir in omnibus quidem scientijs tum sacris tum profanis nobiliter doctus, cuius tamen præcipua laus erat in Theologia. Nam in subtilibus sacræ Scripturæ quæstionibus explicandis, in concionibus ad populum declamandis, & in scholasticis difficultatibus dilucidandis multum suo tempore enituit, vt ex Trithemio & Petro Lucio in sua Carmelitarum bibliotheca clarè colligitur. Eorum tamen quæ scripsit, admodùm pauca ad manus nostras peruenerunt, præter vnicum præclarum opus multum à multis laudatum 1430. 793.

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*

Claruit anno reparationis humanæ 1430, solium Anglici simul & Gallici regnorum possidente Henrico sexto.

De Richardo Flemingo.

RICHARDVS Flemingus illustribus in Anglia natus parentibus, splendorem generis virtutibus & eruditione multum ornauit & clariorem reddidit. Oxonij diù studuit, atque ibi supremo insignitus Magisterio, designatus est vnus ex duodecim Doctoribus qui contra impias Vvicleffi opiniones & errores sententiam tulerunt. Posteà Rege annuente ad Episcopatum Lincolniensem euectus est. Vndè partim ex patrimonio, partim ex reditibus Episcopalibus ditior factus, in fauorem bonarum litterarum, ipse benè litteratus, Oxonij Collegium, quod Lincolniense vocari voluit, magnis sumptibus extrui fecit, fundauit, & possessionibus honestè ditauit. Anno Domini 1424, legationem perhonorificam ad Senense in Italia Concilium obiuit. Vbi contra Hispanos, Scotos, & Gallos coram Martino Papa quinto solemniter perorauit, & patriæ gloriam contra eorum calumnias magnificè tuebatur. Orationes istæ & alia eius scripta Oxonij diù fuerunt asseruata in bibliotheca Collegij Lincolniensis. Scripsit 1430. 794.

Super etymologia Angliæ, *Librum vnum.* Hispani contemptibiliter nos.
Orationes in Concilio Senensi, *Librum vnum.* Et alia nonnulla.

Claruit anno post Christum natum 1430, regnante in Anglia Henrico sexto. Vide eum quem fecimus de Lincolniensibus Episcopis Catalogum.

De Petro Bassetto.

PETRVS Bassettus claris in Anglia parentibus natus, Henrico quinto Angliæ Regi à cubiculis, & rerum ab eodem Rege fortiter vbique gestarum oculatus plerumque testis. Quæcunque igitur Rex domi vel foris, in pace seu in bello, notatu digna fecit aut dixit, hic accuratè notauit, ab ipsis ferè teneris annis nihil omittens. Scripsit etiam varias Regis in Galliam expeditiones, insignes de Frãcis victorias, illustres 1430. 795.

triumphos. Tandem cum Rege Francorum Carolo sexto initam pacem, contractam affinitatem, susceptam Regni administrationem, Henrici Angliæ Regis sexti apud Parisios coronationem, & tandem Regis Henrici quinti obitum descripsit. Et hæc omnia ad Regis sui laudem, ad Anglicanæ gentis gloriam, & nominis sui memoriam sempiternam congessit, & vno volumine sermone Anglico scripto comprehendit, totique operi titulum præfixit

Acta Regis Henrici quinti, Librum vnum. De alijs eius operibus nihil hactenùs legi.

Claruit anno reparatæ salutis 1430, dum Anglicani regni gubernaculum teneret Henricus sextus.

De Thoma Vvaldensi.

1430. 796.

THOMAS Vvaldensis, ab oppido natalicio cognomen istud accepit. Nam alioquin à familia progenitorum Netterus ei cognomentum erat. Ioanne & Mathilda parentibus in Anglia natus, Londini fratrum Carmelitarum institutũ adolescens amplexus est, & sub illa disciplina regulari tempestiuè didicit iugum Dñi portare. Facta debito tempore professione solemni habitum accepit, & sub illis sanctionibus vsque ad vitæ finem constanter perseuerauit. Erat profectò ad virtutem & bonas litteras à natura factus & formatus. Propter indolem præclaram, & spem quam de eo conceperant omnes optimam, solicitè ad pietatem & studia bonarum artium semper nutritus est. Positisque intra priuatos Monasterij parietes solidè primis doctrinæ fundamentis, ad subliniora capessenda missus est Oxoniam. Vbi ita Musas coluit, & adeò neruosam industriam ad acumen ingenij adiunxit, vt absoluto discendi cursu, docendi potestatem tum in Philosophia, tum in Theologia acceperit, & insignia supremi Magisterij communi senatus Academici suffragio solemniter collata, cum honore gestauerit. Hîc extra meum morem, bona lectoris cum venia, liceat mihi in præstantissimi viri laudes & virtutes paulò liberiùs expatiari, quas ex tribus præcipuè capitibus, & certò colligere, & meritò decantare poterimus. Primò à testimonijs hominum litteris & pietate insignium. Secundò à summis, quæ obiuit, penè omnis generis in republica muneribus. Tertiò ab eruditissimis quos scripsit libris. Quibus de re litteraria, de Catholica Ecclesia, & de omni posteritate eum optimè meritum esse constat.

Quod ad primum caput attinet: Ioannes Baptista Rubeus Rauennas Doctor Theologus, & ordinis Carmelitani Generalis scribit vnam & alteram epistolam, quæ in quibusdam editionibus primo tomo doctrinalis Vvaldensis præfiguntur, & maximè in editione Venetiana, in quibus epistolis Thomæ nostri singularem pietatem & doctrinam summoporè laudat, ordinis sui fratribus commendat, eumque tanquàm virtutis quoddam exemplar omnibus ad imitandum proponit.

Andræas Vega ordinis S. Francisci de Obseruantia Doctor Salamanticus

cus in opusculis suis de iustificatione quarta vocat eum insignem hæresum Vvicleffi impugnatorem, & vberrimum fontem ex quo hauserunt bonam argumentorum suorum partem penè omnes qui contra sectam Lutheranam scripserunt. Similia scribunt alij, Trithemius Abbas in suo scriptorum Ecclesiasticorum Catalogo. Sixtus Senensis in sua bibliotheca, & Nicolaus Aurificus Carmelita Senensis in eius vita.

Alfonsus à Castro testatur eum ita omnes errores Vvicleffianos impugnasse, ita fidem Orthodoxam defendisse, vt ex multis, qui in vtroque laborauerunt, nemo vberiùs, neruosiùs, solidiùs vtrumque præstiterit.

Raphaël Volateranus libro vicesimo primo suæ anthropologiæ, de ordine Carmelitarum differens, hunc præstantissimum Doctorem, quod ad eruditionem spectat, numerat inter doctissimos; quod ad vitæ sanctitatem, ponit inter beatos. Similia de illo testimonia perhibent alij viri litterati non pauci.

Sed iam ad secundum caput laudis huius præclari viri veniamus, & quanta cum dignitate publica obiuerit negotia, videamus. Anno Domini 1410, ab Angliæ Rege Henrico quarto missus, perhonorifica legatione functus est ad Concilium Pisanum, quod de tollendo schismate, & de vnitate Ecclesiæ reddenda, sub Alexandro Papa quinto conuocatum erat. Ibi exposita primùm aduentus sui causa coram summo Pontifice, Cæsare, totoque Concilio perorauit, disputauit, de pace & concordia ineunda conciones habuit, & multum ad vnionē Ecclesiasticam conciliandam laborauit, multum etiam effecit. Admirandum hominis ingenium, singularem prudentiam, incredibilem diuinæ gloriæ zelum, & multiplicem doctrinam plerique deprehendebant, multi suspiciebant, inimici etiam laudabant. Erat enim optimis quibusque naturæ dotibus imbutus, & omni genere diuinarum humanarumque disciplinarum insigniter instructus, Græcæ etiam & Hebraïcæ linguæ valdè peritus, moribus grauis, eloquio suauis, comis, mitis, modestus, acer ingenio, ad disputandum subtilis, Philosophus acutus, in scholastica Theologia multum exercitatus, in lectione & meditatione sacrarum scripturarum assiduè versatus, firmus in fide, integer in religione, omnique vitæ sanctimonia conspicuus. Concionator præcellēs, vtpote qui in persuadendo neruosus, in redarguendo vehemens, in exhortando potens, quæ volebat apud auditores plerunque efficiebat.

Porrò reuersus in Angliam, totius ordinis sui in patria factus est Prouincialis vicesimus tertius. Quod munus ad quadriennium prudenter, fideliter, soliciteque administrauit. Cúmque iam dedisset magnum specimen sui in grauibus negotijs tractandis consilij, in dirigendis prudentiæ, in expediendis dexteritatis, Rex Henricus quintus eum sibi adiunxit, vt esset in ijs quæ rempublicam concernebant, intimus à consilijs, & in ijs quæ ad moderamen suæ conscientiæ spectabant, à confessionum secretis. Et quoniam erat vir inuicti & implacabilis spiritus in hæreticos, anno Domini 1415, ab eodem Rege missus est ad Concilium Con-

stantiense, quod habitum est cõtra Hussitas. Aduersus quorum errores, iam multum laborauerat. Nam quoscunque deprehendit à regia Catholicæ fidei via deflectentes, hos vel conuertendos vel penitus euertendos, & nulla ratione ferendos iudicauit. In his refutandis strenuam semper operã nauauit; contra hos penè quotidiè disputauit, conciones frequentes habuit, multos etiam libros scripsit. Alijs etiam doctis viris suasit, contra tales nocte dieque docendũ, disputandũ, concionandum, declamandum, scribendum. Vt vel resipiscerent, vel nullam quietis horam haberent, & si minùs ratione flecti, importunitate saltem cogi ad veritatem agnoscendam possent.

Anno Domini 1419, missus est orator ad Vladislaum Poloniæ Regem, & Michaëlem in Prussia Magistrum Equitum ordinis Teutonici Generalem, pro componenda inter eos pace. In qua legatione Viennam transiuit, vbi multa ab Hebræis se didicisse testatur, quæ ad Sacramentum pœnitentiæ, & confessionem auricularem confirmandam spectant. Multa etiam verè Apostolici viri officia, & in illo itinere & in alijs pro occasionibus oblatis piè semper præstitit. De quibus suo loco.

Tribus Angliæ regibus percharus erat, Henricis videlicet quarto, quinto, & sexto. Ex quibus Henricus quintus in sinu eius animam afflauit, cui viuens semper animæ statum cõmiserat. In magna etiam gratia fuit apud Henricum sextũ quinti filium, eique adhuc penè puero fuit à sacris cõfessionibus. Pro cuius posteà coronatione solemni Parisijs peragenda, missus in Galliam, Rotomagi diem clausit extremum, vt infra dicetur.

Vnum hîc ex Lelandi Catalogo adnotare operæprecium erit, quod videlicet tot selectissimorũ auctorũ libros pulcherrimè litteris Romanis descriptos Carmelitarum bibliothecæ Londinensis vrbis reliquerit, quot illo tempore duobus ad minimum aureorum millibus æstimabantur. Sed proh dolor! hos & alios litterarios thesauros planè inæstimabiles dispersit, imò disperdidit præsens hæresis, amica ignorantiæ, inimica scientiæ, atque omnis veritatis & antiquitatis hostis capitalis.

Ad tertium tandem & vltimum caput eorum quæ initio proposueramus, veniamus; & quantam ex libris scriptis laudem præstantissimus hic auctor meruerit, expendamus. Ferunt eum in omnes sacrorum Bibliorum libros scripsisse scholasticam postillam, in quasdam partes exarasse commentarios, ex titulis mox infrà patebit. Edidit autem inter alia exactissimum opus contra Vvicleffitas, Hussitas, & omnes sui temporis hæreticos. Cui titulum fecit Doctrinale antiquitatum Catholicæ fidei. Quod Romam misit ad Martinum Papam quintum, vt à Sede Apostolica examinaretur, approbaretur, & examinatum atque approbatum maiore cum auctoritate prodiret in lucem, vti factum est. Vniuersum opus quatuor tomos continuit, sed quartus adhuc non fuerat absolutus, quandò tres primi approbati in publicum emanærunt. De quarto (quem dubium est perijsse) scribit ipse in quadam epistola ad dictum Martinum

Papam, quòd agat de ieiunijs, indulgentijs, iuribus & immunitatibus Ecclesiasticis, de fide quoque & perfidia. Tres priores tomos sæpè vidi, & ex parte legi. Nam excusi sunt typis Parisijs in Francia, Salamanticæ in Hispania, & tandem anno Domini 1571, Venetijs in Italia apud Vincentium Valgrisium. Et omnia eius scripta inueniri dicuntur Oxonij in noua Bibliotheca publica partim M M S S. partim Venetijs impressa. Sed nunc singulorum operum eius, quoad fieri potest, titulos subnectamus. Scripsit commentarios

In Genesim, *Librum vnum.*
In Exodum, *Librum vnum.*
In Leuiticum, *Librum vnum.*
In Sapientiam, *Librum vnum.*
In Epistolam D. Pauli ad Romanos, *Librum* j. Accepimus gratiā ad Rom.
In Acta Apostolorum, *Librum vnum.*
In primam S. Petri Canonicam, Libr. j. Ascendit Petrus in superiora.
In Magistrum Sententiarum, Libr. quatuor. In manibus suis abscondit.
Quæstiones ordinarias, Libr. j. Proposita quæstio rem difficilem.
Lecturas ordinarias, *Librum vnum.*
Determinationes, *Librum vnum.* Sicut intemerata mater Ecclesia.
De veritate Euangelica, *Librum vnum.*
Doctrinalis tomum primum, *Libros quatuor.* Martino beatissimo Papæ V.
De Sacramentis Ecclesiæ contra Vvicleffum tomum secundum, Librum vnum. Doctrinis varijs & peregrinis. M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca publ.
De Sacramentalibus tomum tertium, Librum vnum. Doctrinam Saluatoris nostri Dei.
De *Indulgentijs, Ieiunijs* &c. *Tomum quartum.* Et hoc totum doctrinale, vti & pleraque contra Vvicleffum, eiúsque sectatores habentur M M S S. Oxonij in pub. & in Coll. Merton. Cantabr. in publ. & in Coll. S. Benedicti, item in priuata Baronis de Lumleio.
De corpore Christi, *Librum vnum.*
Dialogos de fide, *Libros septem.* In omnibus curiosus semper ex.
De paupertate Christi, *Librum vnum.*
De præscientia & prædestinatione, *Librum vnum.*
Defensorium pacis, *Libros duos.* Omni quippè regno desider.
Sermones coram Rege, *Librum vnum.* In terra pax hominibus bonæ.
Sermones ad clerum Oxoniensem, *Librum vnum.* Cùm gratias egisset distribuit. Extat.
Sermones in funere Regis, *Librum vnum.* Rex in æternum viue.
De *diuinatione ad* Principes, *Librum vnum.*
De religione perfectorum, *Librum vnum.* Sæpè expugnauerunt me à iuuentute.
Fasciculum zizaniorum Vvicleffi, *Librū vnum.* Inimicus homo hoc fecit.
Responsa in Concilio Pisano, *Librum vnum.* Tempus & responsionē cor sap.
Ad Clerum in eodem Concilio, *Librum vnum.* Dedi te in lucē gentiū, vt sis.

Coram Sigismundo Cæsare orationū, Libr. j. Domine si in tēpore hoc restit.
Ad Concilium Constantiense, *Librum vnum*.
Epistolarum centum sexaginta quatuor, *Librum vnū*. Venerabili in Christo.
Collationes solemnes, *Librum vnum*. Benedictionem iubilæam Domine.
Propositiones ad principes, *Librum vnum*. Illustrissime princeps.
Grauamina fratrum contra Oxonienses, *Libr. vnum*. Supplicāt Reuerendissi.
In remediarium conuersorium, *Librum vnum*. De abstinentia quæ contra ventres.
De re Grammatica, *Librum vnum*.
Summulas logicales, *Librum vnum*. Nomen est vox significatiua.
Sophismatum strophas, *Librum vnum*.
De Prædicabilibus, *Librum vnum*. In materia vniuersalium ante.
De decem Prædicamentis, *Libros tres*.
Introductiones naturalium, *Librum vnum*. Natura est dupl. naturans &.
Quæstiones naturalium, *Librum vnum*. Vtrum definitio naturæ sit vera.
In Physicam Aristotelis, *Libros octo*. Cùm omnis scientia causas.
In eiusdem libros de cælo & mundo, *Libros quatuor*. Natura. Hic liber.
De generatione & corruptione, *Libros duos*. Liber incipit de generat.
In meteora, *Libros quatuor*. De primis & cent. Liber iste.
In libros de anima, *Libros quatuor*. Bonorum honorabilium cent. Circa.
Quæstiones de anima, *Librum vnum*. Circa litteram Philosophi quæritur.
In eius Metaphysicas, *Libros duodecim*. Reuerendi patres sicut cætera.
In eius Ethica, *Libros decem*, Aristotelis Ethica narranda. Scripsit etiam *Lecturas*, *Epistolas*, *Ambasiata*, & alia plurima opuscula. Rotomagi tandem in Neustria (vt supra dictum est) non sine opinione sanctitatis obijt in Domino, & ibidem in ordinis sui Monasterio sepultus dicitur tertio die Nouembris, anno postquàm Verbum caro factum est, & habitauit in nobis 1430, dum in Anglia simul & Gallia rerum potiretur Henricus sextus. Plura vide in eo, quem de Apostolicis Anglicanæ nationis viris conscripsimus, Catalogo.

De Thoma Ismaëlita.

1430.
797.

THOMAS Ismaëlita ordinis Sanctæ Brigittæ Monachus Anglus in cœnobio prope Richemundiam ad Tamisis ripam, quod ædificari fecit Angliæ Rex Henricus quintus, & loco nomen imposuit *Sion*. Hic Thomas dum vixit sub regulari disciplina, ad normam S. Basilij, tanquam perfectiorem, se cōformauit. Vir sanè magis pius, quàm doctus. Nam quod ad eruditionem attinet, vulgarem illorum temporum morem superauit, quoad virtutis cultum cumprimis & præcipuis de palma facilè contendit. Scripta quæ in lucem emisit, vtrumque satis testantur. Edidit enim

Speculum humilitatis, *Librum vnum*. Dominus noster Iesus Christus.
Collectiones miraculorum, *Librum vnum*. Et his similia non pauca. Claruit anno gratiæ 1430, sub Angliæ Rege Henrico sexto.

De Ioanne Tilnæo.

IOANNES Tilnæus ordinis Carmelitani Monachus Anglus, Gareni, vt habet Lelandus, id est, ad ostium Gareni fluminis in Norfolcia, oppidum vulgò Iernemoutha vocatur, natus. Ibi Carmelitarum floruit cœnobium in quo Prior aliquando fuit hic Tilnæus. Cantabrigiam in studijs altricem habuit, vbi sacræ Theologiæ Doctor, & aliquando Professor fuerat. Celebris ei fama fuisse dicitur proper eruditas lectiones, subtiles disputationes, & pias ad populum conciones. Erat enim fœlicis ingenij, tenacis memoriæ, copiosæ eloquentiæ, solidæ doctrinæ, in moribus candidus & syncerus, & vitæ per omnia integerrimæ. Nec contemnendos certè eruditionis & ingenij sui fructus posteris communicauit. Scripsit enim testibus Iacobo de Plebe, Petro Lucio & alijs

1430. 798.

In Apocalypsim S. Ioannis, *Librum vnum*. Septē Ecclesijs in Asia special.
Compendium sententiarum, *Librum vnum*. Vtrum secundū naturā, diuinā.
Lecturas scholasticas, *Librum vnum*.
Sermonum quadraginta quatuor, *Librum vnum*. Et alia nonnulla.

Claruit anno reconciliationis humanæ 1430, dum Angliæ regnum possideret, Galliæ regnum administraret Henricus sextus.

De Martino Sculthropio.

MARTINVS Sculthropius natione Anglus, patria Norfolcensis, & in Norfolciæ prouincia ordinis Carmelitani Monachus in cœnobio Blacueio, sacræ Theologiæ Doctor Cātabrigiensis. Concionator suo tempore non incelebris, & multiplici eruditione nobiliter instructus. Hæc ferè Lelandus Sed nec apud illum, nec apud alium quemquam hactenùs multa eius scripta reperio. Ex illo tamen in quibusdam Bibliothecis hæc saltem opera sequentia seruata fuisse colligo

1430. 799.

Conciones Academicas Latinè, *Librum vnū*. Regnabit rex & sapiens erit.
Determinationes scholasticas, *Librum vnum*.

In suo tandem cœnobio mortuus & sepultus dicitur circa annum redemptionis nostræ 1430, sub Angliæ Rege Henrico sexto.

De Richardo Vllerstono.

RICHARDVS Vllerstonus natione Anglus, patria Lancastrensis, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir in sacris & profanis litteris nobiliter doctus. Quod libri ab ipso cōscripti satis loquuntur. Nam inter cætera eius opera, testis est Lelandus eum scripsisse anno Domini 1409, doctissimum librum de articulis fidei, siuè de symbolo Ecclesiæ, quem librum Ioannes Stamberius Episcopus Herefordensis anno Domini 1463, quasi ex ore blattarum & tinearum eripuit, in lucem emisit, & commentarijs illustrauit. Alia etiam multa scripsit, quorum catalogum hîc more nostro subijciam. Pium viri ze-

1430. 800.

lum penè omiseram adnotare, qui in plerisque suis scriptis hactenùs inuentis, vel agit strenuè contra hæreticos, maximè VVicleffitas, vel tractat de reformatione abusuum, qui ex deprauatis hominum moribus sæpè in ipsa Ecclesia Catholica contingunt. Nam vt rectè inquit ille, *Illiacos intra muros peccatur & extra.*

Porrò scripsit Vllerstonus.

Commentarios in Psalterium, *Librum* j. Laudādum est valdè quòd hi qui.

Super Cantica Ecclesiæ, *Libr.* j. Finita vtcumque expositione Psalterij.

De Symbolo Ecclesiæ, *Librum vnum.*

Defensorium dotationis Ecclesiæ, *Libr.* j. Viam veritatis eligens ab initio.

Petitiones super reformatione militantis Ecclesiæ, *Librum vnum.* Reuerendo in Christo Patri. M S. Oxonij in Collegio Magdalenensi.

Lectiones ordinarias, *Librum vnum.*

De officio militari ad Regem, *Librum* j. Serenissimo ac illustrissimo princ.

Titulos aliorum operum eius hactenùs non inueni. Vixit anno incarnati Verbi 1430, dum in Anglia rerum potiretur Henricus sextus.

De Ioanne Polo.

1430. 801.

IOANNES Polus illustri prosapia apud Anglos natus, post imbibitas in natali solo liberales artes, Galliam peragrauit, & discendi studio tandem Italiam adijt, vbi repertis quibusdam Richardi Anglorum Reguli & Sueuorum Ducis monimentis, necnon Sanctæ VValburgæ eius filiæ, vtriúsque gesta collegit, & scriptis mandauit. In reditu autem ex Italia, cuiusdam Ecclesiæ Coloniensis Canonicus factus, quæ in itinere notauerat, & collegerat; in ordinem redegit, in historiam contulit, & in lucem edidit. Inter cætera autem quæ notatu digna ibi recenset, illud accuratè memorat, quòd Sancta VValburga Virgo, maiorem Ecclesiam Antuerpiæ, Beatæ Virgini Dei genitrici sacram, à fundamentis erexerit, & fundauerit. Porrò quod ad hominis eruditionem attinet, inter alia litteraria monimenta, hæc sequentia sequenti posteritati reliquit

De vita S. VValburgæ Virginis, *Librum vnum.*

De miraculis eiusdem, *Librum vnum.* Et alia nonnulla, quorum titulos nondum inuenio. Coloniæ tandem mortuus & sepultus dicitur circa annum reconciliationis humanæ 1430, regnante in Anglia Henrico sexto.

De Thoma Langleio.

1430. 802.

THOMAS Langleius ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in Hulmensi Comitatus Norfolcensis cœnobio. Vir omni cultiore litteratura non vulgariter imbutus, & cum primis sui sæculi poëtis non immeritò conferendus, in cuius epigrammata Ioannes Blacueius scripsit commentarios. Nam inter cætera in lucem emisit, & Ioanni Episcopo Norvvicensi dicauit

Epigrammata diuersi generis, *Libros duos.* Dudum conflictu vexatus.
De variandis carminibus, *Librum vnum.* Et alia nonnulla. Vixit anno Domini 1430, sub Angliæ Rege Henrico sexto.

De Richardo Kendallo.

RICHARDVS Kendallus, Grammaticus Anglus ita omnem ætatem in erudiendis pueris, & Grammaticis regulis illustrandis exegit, vt illos terminos non fuerit egressus, omnes melioris notæ Grammaticos qui ante eum scripserant, coëmit, perlegit, & ex ijs flores collegit. Et vt non solùm auditoribus & discipulis ad præsens, sed etiam posteris in futurum prospicere, & prodesse posset; quæ didicerat & docuerat, scriptis etiã mandauit, & posteris tradidit. Tantum denique sibi suæque scientiæ tribuit, vt quicquid secundum suas regulas scriptum foret aut dictum, id solum veræ Latinitati, Romanæque facundiæ quadrare dictitaret. Quod à suis regulis aberraret, vel omninò barbarè, vel non satis Latinè dictum affirmaret. Multa igitur hoc in genere satis fæliciter scripsit, quæ apud Norfolcenses in cœnobio Sanctofidiensi vsque ad fidei ruinam in Anglia seruata fuisse feruntur. Et posteà cum fide & religione perijsse creduntur. Operum titulos, quos vsque huc inueni, hîc subnectere non pigebit

1431.
803.

De legibus constructionũ, Librum j. Nota quòd duæ sunt partes construc,
De verborum ornatu, *Librum vnum.*
De componendis epistolis, *Librum vnum.* Ad agrum accedens incultum.
De dictamine prosaïco, *Librum vnum.* Omne dictamen tria requirit.
De dictamine metrico, *Librum vnum.* Tria requiruntur ad versus.
Aequiuocorum exempla, *Librum vnum.* Aura, id est fauor, vt apud.
Versus ac rithmos, Librum vnum. Et eiusmodi alia multa. Claruit circa annum incarnati Verbi 1431, dum Anglicani regni sceptrum teneret Henricus sextus.

De Ioanne Palmero.

IOANNES Palmerus seu Palmerius (non ille qui in Indice Romano inter auctores primæ classis prohibitus est) vtriusque iuris Doctor Anglus. Vir in omni legum scientia strenuè versatus, & egregiè peritus, quique multùm tribuebat sacrorum Conciliorum canonibus, & summorum Pontificum decretis. Quæ volumina nunquàm cessabat

1433.
804.

Nocturna versare manu, versare diurna.

Huc accessit mirabilis planè Catholicæ religionis zelus. Quo factum est, vt ad Concilium Basiliense vocatus, causarum auditor fuerit constitutus. Vt autem suas lucubrationes faceret posteritatis fructus, multa congessit, & in lucem, ad famam apud futura sæcula conseruandam, emisit erudita scripta non pauca. Quæ tamen penè omnia perierunt, nisi quòd in Norvvicensi, & quibusdam Oxoniensibus Bibliothecis

quædam diù conseruata fuisse ferant, ex quibus hos saltem titulos inuenio. Videlicet

Contra articulos Bohemorum, maximè Hußitarum, *Librum vnum*. Excelsus ille Propheta Dauid.

De adoratione imaginũ, *Librum vnum*. M S. Oxonij in Col. Mertonensi.

De peccato originali, *Librum vnum*. M S. ibidem.

Claruit circa annum à plenitudine temporis 1433, quo tempore rerum in Anglia potiebatur Henricus sextus.

De Gualtero Hiltono.

1433. 805.

GVALTERVS Hiltonus sacri ordinis Carthusiensis Monachus Anglus, vt videtur, illius cœnobij quod Henricus quintus Angliæ Rex in altera Tamisis ripa posuit, è regione Sionis, & Bethlehem nominari voluit. Inde colligo sacræ Theologiæ fuisse Doctorem, quod plerumque suis in scriptis Magistri titulo honoretur. Vir pietate & eruditione clarus, & secundùm regulam, quam sanctè secutus est, rerum diuinarum continuis contemplationibus semper attentus, quod licet omnes scriptores tacerent, eius tamen scripta, alta quodammodò voce clamarent, ipsique lucubrationum suarum tituli satis indicant. Scripsit enim

De origine religionis, *Librum j*. MS. Oxonij in Col. Magd. itẽ in Lũleiana.

De vtilitate eiusdem, *Librum vnum*. Quia verò ex tenore cuiusdam lit.

De prærogatiua eiusdem, *Librum vnum*. M S. Oxonij in Col. Mertonẽsi.

De contemplatione Anglicè, *Librum vnum*. M S. Cantab. in Col. S. Bened.

Baculum contemplationis, *Libros duos*. Rogo te, vt contenta sis, deuota.

Scalam spiritualis perfectionis, *Librum vnum*. Dilecta soror in Christo Iesu, rogo. M S. Oxonij in Col. Magdalenensi.

De ascensionibus spiritualibus, *Librũ vnum*. Beatus vir cuius est auxilium.

Pro sacris imaginibus contra hæreticos, *Librum vnum*. Inter cætera quæ mihi scripsisti. M S. Oxonij in Col. Lincolniensi.

De consolatione in tentationibus, *Librum vnum*. Ineffabilis misericordia.

De remedijs contra tentationes carnis, *Librum vnum*. Quoniam sicut ait Apostolus. M S. in Rubeo Claustro, vt ex Bunderio scribit Theodorus Petreius in sua Bibliotheca Carthusiana.

De modo sanctè viuendi, *Librũ vnum*. M S. Zutphaniæ apud Minor. Petr.

De castitate & munditia sacerdotum, *Librum vnum*. M S. Gandaui apud Prædicatores. Et in Isaacensi Abbatia, vt ibidem scribit Petreius.

De communi vita ad laicum, *Librum vnum*. Dilecte frater in Christo Do.

De idolo cordis, *Librum vnum*. Inter cætera dilecte in Christo.

De Musica Ecclesiastica, *Librum vnum*. Qui sequitur me non ambulat.

Et eiusmodi alia non pauca, quorum aliqua MMSS. dicuntur haberi Oxonij in Bibliotheca publica. Claruit circa annum Domini 1433, regnante in Anglia Henrico sexto.

De

De Ioanne Langtono.

IOANNES Langtonus ordinis Carmelitani Monachus Anglus in Conuentu Londinensi sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & quidem suo tempore nominis nequaquam obscuri: multum delectatus voluendis patrijs historijs, curiosus extitit antiquitatum domesticarum scrutator. Zelum etiam habens Dei secundum scientiam, contra hæreticos illius sæculi disputando & scribendo multum laborauit, multum etiam profecit. Veritatem Catholicam strenuè defendit, erroneas opiniones fortiter oppugnauit, imò fæliciter expugnauit. Scripsit

1434. 806.

De rebus Anglicis Historiarum, *Volumen.*
Examen Henrici Crumpi Hybenensis hæretici, *Librum vnum.*
Contra errores eiusdem, *Librum vnum.*
Actus suos ordinarios, *Librum vnum.* Et alia. Ad Concilium Basiliense tandem missus ibidem mortuus & sepultus est anno gratiæ 1434, dum in Anglici regni solio sederet Henricus sextus.

De Nicolao Botleshamo.

NICOLAVS Botleshamus ab oppido natali Comitatus Cantabrigiensis, Diœcesis Eliensis, hoc suum cognomen accepit. Erat autem ordinis Carmelitani Monachus Anglus. Et licet, vt habet Lelandus, aliquandò Cantabrigiæ tum Philosophicas, tum Theologicas disciplinas imbiberit, & fœliciter profecerit in omni virtutis & eruditionis incremento; tamen non ibi, sed Parisijs inter Sorbonicos Doctores Doctor creatus est. Posteà tamen Cantabrigiam denuò reuersus, magnam apud omnes doctrinæ famam consecutus est, editis in lucem libris non paucis numero, nec vilibus æstimatione. Hæc ex Lelando penè omnia. Ferunt etiam eum multo tempore, atque adeò vsque ad vitæ finem in suorum Conuentu Cantabrigiensi Prioratum gessisse. Scripsit

1435. 807.

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Circa primam partem.
Quæstiones Theologiæ, *Librum vnum.* Circa dubitationem primam.
In Cantica Rideuallis, *Librum vnum.* De commendatione Aaron, aliqua.
Tabulare studentium, *Librum vnum.* Ad vtilitatem studentium hæc.
Conciones & lectiones, *Librum vnum.* Et alia quædam. In cœnobio suo Cantabrigiæ mortuus & sepultus est anno gratiæ 1435, sub Angliæ Rege Henrico sexto.

De Ioanne Louo.

IOANNES Louus vel Loüs, natione Anglus, patria Vvigorniensis, eremitarum S. Augustini in Vvichiensi cœnobio primùm Monachus, deinde Londinensi conuentui præfuit, vt non obscurè insinuat Iosephus Pamphilus in Augustinianorum chronico, & tandem totius ordinis sui per Angliam Prouincialis. Fuit sacræ Theologiæ Doctor

1436. 808.

Oxoniensis. Eum scribit Lelandus in studijs bonarum litterarum, & in exercitijs virtutum, ab ipsa tenella ætate semper fuisse diligenter enutritum. Vt accedente tam sedula cultura ad ingenij fælicitatem, & alias bonas naturæ dotes, non mirum sit omnia ex voto prosperè successisse. Dicitur sanè fuisse concionator facundus & vehemens, disputator subtilis, scriptor non inelegans. In omnibus ita Domini zelum zelatus, idque secundum scientiam, vt vbicumque se obtulit occasio, & in concionibus, & in disputationibus, & libris etiam scriptis hæreses & hæreticos semper acriter fuerit insectatus. Anno Domini 1428, præsidente Guilhelmo Episcopo Norvvicensi, cum Thoma Vvaldensi, & sedecim alijs commissarijs doctis & pijs viris Norvvici seditiosos quosdam, & in fide plus quàm suspectos examinauit, hæresis conuicit & condemnauit, & tanquàm publicos tum regni, tum Ecclesiæ Christianæ hostes criminalibus iudicibus tradidit, qui non multo post tempore, vltimo supplicio fuerunt affecti. Sed ad hominis doctrinam redeamus, quam sui, nec immeritò mirè prædicant, & inimici etiã vel inuiti agnoscere necessariò debent, & plerumque solent. Erat enim antiquitatum mirus amator, & sedulus inuestigator. Bibliothecas ordinis sui, præsertim Londini, multum auxit, & selectissimis libris ornauit. Quibus & suas lucubrationes sanè laudatissimas adiecit. Huius industriæ, diligentiæ, vigilantiæ acceptum habemus quòd quædam antiquorum patrum scripta ab interitu vindicata ad nos peruenerint, quæ alioquin temporis iniuria, & hominum incuria, sine dubio prorsus perijssent. His tandem virtutis & doctrinæ meritis Regi Henrico sexto ita innotuit, vt eum vehementer dilexerit, consiliarium sibi asciuerit, & summis honoribus dignum iudicauerit. Primùm igitur ei contulit Episcopatum Assaphensem, deinde Roffensem, in quo vsque ad vitæ terminum permansit. Composuit autem hic pius & eruditus Doctor

Sermonum coram Rege, *Librum vnum.*
Sermonum per annum, *Librum vnum.*
Disputationes Theologicas, *Librum vnum.*
Lecturas ordinarias, *Librum vnum.*
Temporum historias, *Librum vnum.* Et alia non pauca. Roffæ tandem mortuum & ibidem in Ecclesia sua sepultum ferunt circa annum Dominicæ incarnationis 1436, sub Angliæ Rege Henrico sexto. Vide nostrum de Episcopis Roffensibus conscriptum Catalogum.

De Thoma Daudone.

1436. 809.

THOMAS Daudo ordinis fratrum beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli Monachus Anglus in Comitatu Vvilcheriæ, & Conuentus Marleburgensis Prior. Vir integræ vitæ, & non vulgaris doctrinæ, præsertim historiarum peritus. De cuius tamen scriptis admodum pauca inuenio. Lelando teste, ex quo penè hæc omnia desumpsi, scripsit

De vita & rebus gestis Regis Alfredi, *Librum vnum*. Cùm contemplarer florigeros. De alijs eius scriptis nihil habeo comperti, quia ne titulos quidem inueni. Marleburgi tandem debitum naturæ soluit, & quiescendi locum accepit circa annum ex quo Verbum caro factum est 1436, dum Anglicani regni diadema gestaret Henricus sextus.

De Guilhelmo Beccleio.

GVILHELMVS Beccleius ordinis fratrum de monte Carmeli Monachus Anglus, Sandvvici in Cantia natus, & in eiusdem oppidi cœnobio Prior. Iuuenis, vt auctor est Lelandus, Cantabrigiæ liberales artes & Philosophiam, maturior ætate Theologiam ibidem accuratè didicit, & suo tempore communi Senatus Academici consensu supremam Doctoratus lauream accepit. Erat enim fælicis ingenij, tenacis memoriæ, facundæ linguæ, & tum in concertationibus scholasticis, tum in eruditis concionibus plurimùm potuit. Vergens tamen ad senectutem, Academia cum Academicis palæstris relictis, Sandvvicum repetijt, & eò tanquàm in portum, non tam Oceani, quàm otij se recepit, diuinis deinceps obsequijs, & edendis libris penitus incumbens. Edidit igitur

1438. 810.

Quæstiones ordinarias, *librum vnum*.
De fratrum decimis, *Librum vnum*. Quòd fratres B. Mariæ de monte.
Quodlibetorum, *Librum vnum*. Vtrum aliqua sit hierarchia.
Concionum variarum, *Librum vnum*. Et alia quædam. Sandvvici tandem in suo Monasterio mortuus & sepultus est anno reconciliationis humanæ 1438, sub Angliæ Rege Henrico sexto.

De Ioanne Ouinhello.

IOANNES Ouinhellus ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Huic pietas & eruditio nomen non incelebre dederunt. Erat enim concionator elegans, disputator subtilis, & qui ingenij acumine ad soluendos difficillimarum quæstionum nodos multum valuit, fæliciter etiam in sacrarum scripturarum lectione versatus. Vnde & scripsit

1438. 811.

Collectanea vel exempla sacrarum Scripturarum, *Librum vnum*. Refert Magister in histor.
Sermonum per annum, *Librum vnum*. Saluator tuus venit soluere te.
Distinctiones rerum variarum, *Libros sex*. Et alia nonnulla. Caleti in Gallia diem suum obijt, & sepulturam accepit anno post aduentum Messiæ 1438, regnante in Anglia simul & in Gallia Henrico sexto.

De Ioanne Thorpo.

IOANNES Thorpus & ipse etiam ordinis Carmelitani Monachus Anglus in cœnobio Norvvicensi, sacræ Theologiæ Doctor Canta-

1440. 812.

brigiensis, ab ingenij præstantia cognominatus Doctor ingeniosus. Hic vnus erat ex quinque Doctoribus, qui seditiosum hæreticum Guilhelmum Vvhitum hæresis conuicerunt & condemnarunt, & tum Ecclesiæ, tum patriæ publicum hostem declarauerunt. Colligo ex Thoma Vvaldensi & Arnolfo Bostio in suo Scriptorum Catalogo ingeniosum hunc Doctorem scripsisse

In Apocalypsim S. Joannis, *Librum vnum.*
Consequentiarum canones, *Librum vnum.*
De sophismatibus, *Librum vnum.* De alijs nihil legi.

Norvvici fatis concessit, & ibidem, puto sepulturam accepit, insculpto tumbæ Doctoris ingeniosi titulo, die vndecimo Augusti anno postquàm Verbum caro factum est 1440, sub Angliæ Rege Henrico sexto.

De Ioanne Stovvo.

1440. 813. IOANNES Stovvus Norvvici ad S. Seruatorem ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir eruditionis non contemnendæ, & paris industriæ, variæ lectionis, licet in rebus Theologicis potissimùm versaretur, alia tamen studia nequaquam neglexit. Ex eius scriptis colligere est, eum interfuisse Concilio Basiliensi, & hæc pleraque ex Roberto Talbotto desumpsi. Porrò scripsisse dicitur Stovvus

Acta Concilij Basiliensis, *Librum vnum.* Sacrosanctæ generali Synodo.
Collectiones varias, puto ad Adamum Estonum Cardinalem, *Librum vnum.*
Disputationes solemnes, Librum j. In solio residens eminenti. Et alia multa.

Floruit anno post Christum natum 1440, regnante apud Anglos Henrico sexto.

De Nicolao Bungeio.

1440. 814. NICOLAVS Bungeius natione Anglus, patria Norfolcensis, oppido Bungey. Vir ingenij boni, multi laboris, quique in bonis litteris non contemnendos habuit successus. Initiatus tandem sacris ab Episcopo Londinensi, factus est clericus, & eidem Episcopo à sacellis. Quam quietem nactus, omnes, quas alijs occupationibus suffurari poterat horas, historicis libris voluendis impendit. Horum omnium testem habeo Guilhelmum Buttonerium. Ex quo etiam non obscuris indicijs colligitur Bungeium nostrum egregium quoddam opus compilasse, & in lucem emisisse, cui titulum præfixit

Adunationes Chronicorum, *Librum vnum.* An alia scripserit me latet.

Vixit anno à partu Virginis 1440, dum in Anglia summa rerum apud Henricum sextum resideret.

De Thoma Stacio.

1440. 815. THOMAS Stacius natione Anglus, Mathematicus Cantabrigiensis, Collegij regalis alumnus, Astrologus insignis. Syderum cursus

accuratè considerans, magnam vim in constellationibus sitam esse existimabat. De hac igitur scientia partim Latinè, partim Anglicè, quædam volumina scripsisse perhibetur, quæ aliquandò in præfati Collegij bibliotheca custodita fuerunt; illa tamē posteà pleraque perijsse ferunt, præter

Iudicia reuolutionum, *Librum vnum*.

Claruit anno gratiæ 1440, regnante in Anglia Henrico sexto.

De Ioanne Colleio.

IOANNES Colleius seu Collæus instituti Carmelitani Monachus Anglus in cœnobio DoncastrensiComitatus Eboracensis. Vir quem pietas & doctrina tum suis contemporaneis, tum etiam posteris multum commendarunt. Nisi tamen noster Lelandus (vt solet) hominem meritis laudibus affecisset, magis ex ipsius auctoris scriptis, quàm ex vllis Scriptoribus, qualis & quantus fuerat hic Doctor, collegissem. Erat in Latina lingua elegans, in concionibus facundus, & rerum celestium contemplationi impensè deditus. Scripsit Latinè, & quidem eruditè

1440.
816.

De passione Christi, *Librum vnum*. Vox sanguinis fratris tui Abel.
De laudibus Apostolorum, *Librum vnum*. Græcorum religio statuit, vt.
Sermones, *Librum vnum*.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum*. Reuerendissimo in Christo patri.

Et alia. Claruit anno redemptionis nostræ 1440, ad Anglicani regni clauum sedente Henrico sexto.

De Thoma Vualsinghamo.

THOMAS Vualsinghamus natione Anglus, patria Norfolcensis, ordinis S. Benedicti apud S. Albanum Monachus, & ibidem Præcentor, Congregationis Cluniacensis. Vir qui ita pietatem coluit, vt bonas litteras intereà non negligeret. Multæ lectionis, &, vt auctor est Lelandus, in perscrutandis antiquitatibus diligens, in conscribendis historijs industrius. Vndè & in illo Monasterio videtur fuisse regius historicus, hoc est, ad illud munus à Rege conductus, & ex Abbatis mandato deputatus. Puto illum Oxoniæ aliquando studuisse. Nam ad annum 1378, Oxoniensem Academiam materna vocat vbera, quæ dare lac potum scientiæ consueuere. Vbi etiam addit Oxoniense studium esse generale. Quicquid sit, multas compilauit historias, tanta fide, vt verax semper habeatur; tanta diligentia, vt pleraque ab alijs omissa, accuratè addidisse videatur. Habetque plurima notatu dignissima, quæ vix apud alium quempiam reperias. Duas autem præ cœteris luculentas edidit historias. Alteram breuem vel minorem; alterā longam vel maiorem. Breuem inchoat ab anno Christi 1273, & ad annū 1423, perduxit. Maiorem ab aduentu Normannorum in Angliam, vsque ad initium Regni Henrici sexti continuauit. Adiecit prætereà auctuarium ad polychronicon Ranulph Monachi Cestrēsis, incipiens ab Anno Domini 1342, & finiens

1440.
817.

ad annum 1417. Hæc partim ex fasce rerum Britannicarum Guilhelmi Hormanni, partim ex Catalogo Lelandi decerpsi, partim etiam ex ipso auctore collegi. Porrò quæ hactenùs ab hoc auctore scripta reperi, more meo hîc breui Catalogo subnectam. Nam saltem hæc sequentia scripta posteritati reliquit

Historiam maiorem vel Hypodigma Neustriæ, *Librum vnum*. Magnificentissimo &c. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Extat Londini 1574. Francofurti 1602. Habeo & ex parte legi.

Historiam breuem vel historiæ prototypon, *Librum vnum*. Anno gratiæ 1273, qui est annus. M S. ibidem. Et extat ibidem. Habeo & ex parte legi.

Auctuarium polychronici, *Librum vnum*. Hoc anno, quinto die Iunij.

Acta Regis Henrici sexti, *Librum vnum*. De alijs nihil mihi certi.

Claruit hic Thomas à partu Virginis anno 1440, dum Anglia simul & Gallia Henrico Regi sexto pareret.

De Thoma Ringstedo Iuniore.

1440.
817.

THOMAS Ringstedus Iunior Iuris vtriusque Doctor Anglus, Theologus etiam & concionator non contemnendus. Hic apud Mildenhalum in Comitatu Suffolcensi Vicarium egit, & cura animarum piè suscepta, non minùs industriè, quàm fideliter, quod erat sui muneris, præstitit. Vir in diuini verbi prædicatione inexhausti planè laboris, populum sibi commissum incredibili pietate, zelo, sedulitate docuit. Plerasque etiam lucubrationes suas scriptis ita tandem commisit, vt posteros earum participes fecerit. Edidit autem

Glossas in epistolas & Euangelia totius anni, *Librum vnum*.

Sermonum de tempore, *Librum vnum*. Factus est sermo Domini ad me.

Sermonum de festis Sanctorũ, *Librum j*. Dies Dominica ab hora diei Sabbat.

De Communi Sanctorum, *Librum vnum*. In ista rubrica duo notantur.

De Cõmemorationibus, *Librum vnum*. Beatæ Mariæ cõmemoratio. Et alia.

Claruit anno salutis restauratæ 1440, dum Anglicanæ reipublicæ clauum teneret Henricus sextus.

De Ioanne Vvhethamstedo.

1440.
818.

IOANNES Vvhethamstedus, id est, frumẽtarius, à loco vbi natus est, sic cognominatus, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus ad S. Albanum, alijs Glocestriæ, Congregationis Cluniacensis, qui etiam tandem factus est Abbas. Vir propter multiplicem doctrinam, & singularem linguarum peritiam, suo tempore celeberrimus. Erat etiam industriæ mirabilis, acerrimi ingenij, solidissimi iudicij, & incredibilis in rebus agendis prudentiæ. Propter quas insignes animi dotes, dici vix potest quanto fuerit in precio apud viros principes & magnates. Humfredus Glocestriæ Dux singularis bonarum litterarum & litteratorum hominum fautor, illum in delicijs habuit, & ad eum non rarò diuertens, de rebus varijs familiariter cum eo contulit, eiusque consilio & hortatu multa tanto principe digna fecit. In eius denique

gratiam cœnobij bibliothecam, coemptis varijs, ijsque selectissimis libris liberaliter auxit & ornauit. Abbas etiam bono principi vicissim quosdam libros donauit, suumque de viris illustribus elaboratum opus ei dedicauit, & exemplar vnum sua manu pulchre descriptum ipse tradidit. Hæc mihi Lelandus in suo Catalogo subministrauit. Porrò ferunt eum in Italiam missum aliquandò oratorem ad Concilium sub Martino Papa quinto, Senis & Papiæ solemnes orationes habuisse. Dicitur autem in tantum studijs delectatus, tam impensè libris legendis atque etiam scribendis intendisse, vt œconomiam, & res sui cœnobij penè neglexerit, ideoque tandem grauem Monachorum suorum indignationem in se concitasse, & ab ijs (quod olim Hesiodo, ob rem familiarem studiorum causa neglectam, filios fecisse ferunt) in ius vocatum fuisse. Quicquid de eo sit, omni saltem illud dubio caret, fuisse semper hominem multo magis ad rem litterariam, quàm ad familiarem attentum. Ad perpetuam nominis sui memoriam, & posterorum vtilitatem scripsit, maximè ad præfatum Glocestriæ Ducem,

Expositionem quandam sacræ Scripturæ, quam vocat granarium vel de granis typicis, *Libros quinque.* Abstinentia apud veteres olim in tanta.
In varios sacræ Scripturæ textus commentarios, *Librum vnum.*
Vitam S. Albani transtulit, *Librum vnum.*
De vita S. Amphibali, *Librum vnum.* Si cupis Amphibali certamina.
De situ terræ sanctæ, *Librum vnum.*
Ordinationes suæ Abbatiæ, *Librum vnum.*
De viris illustribus ad Glocestriæ Ducem, *Librum vnum.*
Manipularium Doctorum, *Librum vnum.*
Contra Episcopum Norvvicensem, *Librum vnum.*
Defensorium exemptorum, *Librum vnum.*
De gestis proprijs, *Librum vnum.*
Iterum ad Glocestriæ Ducem, *Librum vnum.*
Opus necessariorum, *Librum vnum.*
De omnium hominum officijs, *Librum vnum.*
Contra infidum fratrem, *Librum vnum.* Post primæ præuaricationis pi.
De hæreticis & eorum fautoribus, *Librum vnum.*
Declamationum, *Librum vnum.* O vos omnes qui transitis per viam.
Epistolarum quoddam, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum j.* Inuariabili impermutabilique suo.
Opus quoddam metricum, *Librum vnum.* In cirræ ciatho pueris potand.
Palearium poëtarum, *Librum vnum.*
Pabularium eorundem, *Librum vnum.*
Declamationes metricas, *Librum vnum.*
In multos etiam alienos libros indices fusissimos composuit.
In Joannem Salesberiensem.
In Petrum Blesensem.
In Valerium Maximum.

In Augustinum de Ancona.
In defensorium Ecclesiæ.

Non desunt etiam qui tribuunt ei multos alios in sacram Scripturam commentarios, & alia plura. Claruit anno post aduentum Messiæ 1440, sub Angliæ Rege Henrico sexto.

De Ioanne Lidgato.

1440.
820.

IOANNES Lidgatus, id est, ex oppido Lidgat, Comitatus Suffolcensis in Anglia natus, ordinis S. Benedicti Monachus in celeberrimo cœnobio Buriensi ad S. Edmundum in dicto Comitatu. Vnde (vt mihi videtur) non benè ponit eum inter Augustinianos Iosephus Pamphilus in suo chronico. Postquam scholas patrias diù frequentasset, & satis fœlices domi fecisset in re litteraria progressus: vt simul cum studijs linguas peregrinas addisceret, & exterorum mores experiretur, Academiam Parisiensem inuisit in Gallia, & Patauinam in Italia. Linguas vtriusque gentis didicit, vtrobique diligenter studuit, magnaque tum rerum experientia, tum morum vrbanitate, tum etiam optimarum disciplinarum supellectile instructus, in patriam redijt, scholas aperuit, nobilium filios litteras humaniores docuit. Et licet omnium penè scientiarum esset peritissimus, tamen in gratiam iuuentutis, vt eam in bonis artibus, moribus, & virtute institueret, exercitijs politioris litteraturæ quasi iugiter inhæsit. Erat autem non solum elegans Poëta, & Rhetor disertus, verum etiam Mathematicus expertus, Philosophus acutus, & Theologus non contemnendus. Multum etiam ornatus patriæ linguæ contulit, imitatus in hoc Chaucerum nostrum. In hunc autem finem Dantem Italum, Alanũ Gallum, & alios similes studiosiùs legit, accuratéque in linguam Anglicam transtulit, omnesque aliarum linguarum elegantias ad ditandum patrium sermonem assumpsit & accommodauit. Scripsit autem partim Anglicè, partim Latinè, partim prosa, partim versu libros numero plures, eruditione politissimos

De audienda Missa, *Librum vnum.*
De gaudijs cœlorum, Librum vnum. Multi sunt qui cœlorum gaudia cup.
De saltu Macabræ. Anglicè, The dance of Macabre, Librum vnum. Gentes lapide aut ferro duriores. Extat Londini anno 1554.
Vitam S. Albani protomartyris Britanniæ, *Librum vnum.*
Transtulit ex Prosa Latina in versus Anglicos Vitas & Martyria SS. Albani & Amphibali, *Libros duos.*
Item transtulit in versus Anglicos Chaucerum de obsidione Thebes.
Vitam S. Mariæ ad Henricum quintum, Librum vnum. Mœrore ac vario cor tactum. M S. Oxonij in bibliotheca publica.
Vitam S. Edmundi Regis, *Libros duos.* Illustrem historiam memoriæ.
Vitam S. Fremundi principis, Librum j. Gloriosus Martyr qui ex insigni.
Vitam S. Ethelstani, Librum vnum. Pro solidiore suscepti operis firm.
De cantico amoris, Librum vnum. Iesus seruator quis tuam dulcedinem.

Calendarium

Calendarium rithmicum, Libr. j. Iesu Domine pro tua circuncisione.
Pracepta Moralia, Librum vnum.
De Philosophorum secretis, Libr. j. Cunctipotens Dominus sua bonitate.
De Alexandro & Aristotele, Libr. j. Saluet altissimus & cōseruet Regē.
Parliamentum volucrum, Libr. j. Hoc parliamentum est auicularum.
De rustico & auicula, Libr. vnum. Problemata veterum similitudinum.
De equo, oue, & ansere, Librum vnum.
Contra temerarium iudicium, Librum vnum.
Inter rationem & tristitiam, Librum vnum.
De Rege Arthuro, Librum vnum.
De mensa eius rotunda, Librum vnum.
De arte militari, Librum vnum.
De officio Regis, Librum vnum.
Acta Guidonis Vvarvvicensis, Librum vnum.
De Guidone & Colbrando, Librum vnum.
Proprietates nationum, Librum vnum. Anglus interrogatus respondere.
Prouerbia Lidgati, Librum vnum.
Testamentum Lidgati, Librum vnum.
De fabro dominam reformante, Librum vnum.
De duobus amantibus, Librum vnum.
De homine diætando, Librum vnum.
De fortuna, Librum vnum.
Sales & satyras, Librum vnum.
Poëmata & odas, Librum vnum.
Aeglogas seu Bucolica, Librum vnum.
Comedias & tragædias, Librum vnum.
Præceptiones linguæ Gallicæ, Librum vnum.
De vita hominis Anglicè, Librum vnum. MS. Oxonij in Biblioth. pub.
De vita beatæ Mariæ Virginis Anglicè, Librum vnum. MS. ibidem.
Lamentationem eiusdem Anglicè, Librum vnum. MS. ibidem.

Ex Ioanne Boccatio & alijs transtulit

De casibus Illustrium virorum, ab Adamo vsque ad Ioannem Franciæ Regem ab Anglis in Pictauia captum, Libros nouem. Qui quandoque suam fecit diligentiam. Extat opus Londini anno 1527 & 1554. Habeo volumē istud versu Anglico.

De genealogia Deorum, Libros quindecim.
De nominibus Deorum, Librum j. Dum per Cancrum sol cursum serua.
De bello Thebano, Libros tres. Quoniam vestra clementia, Domini.
De captione Troiæ, Libros sex.
Boëtium de consolatione, Libros quinque.
Petrarchæ quædam, Librum vnum.
Dantis opuscula, Librum vnum. Alia etiam multa tum ipse iucundè scripsit, tum eleganter ex linguis alijs transtulit. Buriæ tandem circiter sexagenarius mortuus & sepultus est circa annum Verbi incar-

nati 1440 (malè etenim vitam eius producit Iosephus Pamphilus vsque ad annum Domini 1482) regnauit tunc apud Anglos & Gallos Henricus sextus. Sequēs epitaphium eius tumulo ferunt insculptum:

Mortuus sæclo, superis superstes,
Hic iacet Lidgat *tumulatus vrna*
Qui fuit quondam celebris Britannæ
Fama Poësis.

De Ioanne Feltono.

1440. 821. IOANNES Feltonus natione Anglus, Oxonij multo tempore studuit, fuitque ibi de societate Collegij S. Mariæ Magdalenæ, & tandem meritis virtutis & eruditionis in eadem Academia ad sacræ Theologiæ Doctoratum euectus. Vir in sacris & profanis litteris insignitè doctus, vt auctor est Lelandus. In concionibus autem adeò floruit, vt vulgò homiliarius, vel concionator per antonomasiam cognominaretur. Existimo eundem esse qui vocari solet Vicarius Magdalenensis Oxonij extra muros, quia vicariam illic alicui præstitit operam in concionibus ad populum habendis. Erat autem in eo totus, teste Lelando, vt tum clerum, tum populum ab omnibus vitiorum sordibus deterreret & auocaret; atque ad virtutis munditiem, omnísque pietatis cultum traduceret. Multas itaque eruditas conciones & ipse composuit, & ex alijs collegit, & penè quotidiè ad populum habuit. Tantumque abest vt has suas lucubrationes cuiquam inuiderit, vt etiam omnibus communes fecerit, & suorum operum participem voluerit esse posteritatem. Collegit etiam magno labore ex diuersis Roberti Lincolniensis scriptis librum perutilem, cui titulum præposuit

Alphabetum Theologicum, Libr. j. Accidia aduersatur hominum saluti.

Sermones Dominicales quinquaginta sex, *Librum vnum.* Penuria studentium in materia.

Sermones Dominicales ex Odone Parisiēsi & alijs, Librum vnum. M S. Oxonij in Collegio Orialensi. Et Cantabrigiæ in Coll. S. Benedicti.

Item sermones alios, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Collegio Magdalenensi.

Lecturas sacræ Scripturæ, *Librum vnum.* Et alia plurima. Claruit anno post Christum natum 1440, dum in Anglia regnaret Henricus sextus.

De Nicolao Cantilupo.

1441. 822. NICOLAVS Cantilupus illustri Demetarum Comitum prosapia natus in Cambria, patrem habuit Guilhelmum Demetiæ Comitem. De qua etiam familia fuit Thomas ille Cantilupus sanctissimus Herefordensis Episcopus, à cuius sanctitate, vt auctor est Lelandus, minimè degenerauit hic Nicolaus, illi factus similis imitatio-

ne, cui propinquus fuit sanguine. Iuuenis sanctum Carmelitarum institutum amplexus est in cœnobio Bristoliensi. Missus suo tempore Cantabrigiam (vt videtur) ad studia, fœlices fecit fructus, & tandem virtutis doctrinæque debitum percipiens ab Academia præmium, sacræ Theologiæ creatus est Doctor. Vir pius, doctus, grauis, modestus & auctoritate plenus, prudens & cordatus. Propter quasdam suas insignes naturæ dotes, aptus ad regendum, sed propter mentis acumen, fœlix ingenium, & propensum ad bonas artes animum, multo magis idoneus ad studendum. Dicitur in diuersis ordinis sui conuentibus Prioris auctoritate præfuisse Cantabrigiæ, Bristolij, Glocestriæ, vbi Humfredo præstantissimo Duci notus, dilectus, & intimè familiaris fuit. Tandem Northamtoniæ Prior electus, ibidem vsque ad supremum vitæ diem suos sanctè soliciteque rexit. Quod autem ad hominis attinet monimenta litteraria, in lucem emisit, & posteritati tradidit

Sermones Quadragesimales, Librum vnum. Ecce nunc tẽpus acceptabile.
In primum sententiarum, Librum vnũ. Omnia in sapiẽtia fecisti Domine.
Encomium ordinis sui, Librum vnum. Fratres Carmel. honesta cõuersatio.
Historiam Cantabrigiæ, Librum vnum. Anno à mundi creatione 4321.
Historiarum appendices, Librum vnum. Papa Innocentius tertius cõfirm.
Chronicorum epitomen, Librum vnum. Anno ante Christi incarnationem.

Et alia non pauca. Northamptoniæ tandem vinculis corporis liberatus est, vicesimo septimo die Septembris, anno ex quo Verbum caro factum est 1441, dum Anglici regni sceptrum teneret Henricus sextus.

De Nicolao Vptono.

1441. 823.

NICOLAVS Vptonus natione Anglus, iuris vtriusque Doctor cõsultissimus, & hoc nomine non vulgariter à Lelando nostro laudatus. Relicto vtcumque sæcularium & forensium negotiorum strepitu, factus est Sarisburiensis & Vvellensis Ecclesiarum Canonicus. Quam quietem nactus, magno confestim feruore ad scribendum se accinxit. Addidit stimulos & quasi currentem incitauit ad cursum Humfredus Glocestriæ Dux reipublicæ litterariæ præsidium singulare, rarum decus & ornamentum. Hic enim Vptonum suum, tanquam clientem sub protectione accepit, & hominem per se quidem promptum, longè promptiorem reddidit. Nullum igitur non mouit lapidem, vt beneficijs tanti patroni quoad posset, responderet, eiusque expectationi satisfaceret. Varios itaque libros de vera nobilitate, de illustribus militarium virorum factis, de gentilitijs insignibus, maximè gentis Anglicanæ, accuratè scripsit, quorum titulos hos adhuc in Bibliothecis inuenimus

De officio militari, Librum vnum. M S. in Bibliotheca Lumleiana.
Leges faciales, Librum vnum. Summum opificem qui est Alpha &.
Delineationes armorum, Librum vnum.

De colorum insignijs, *Librum vnum*. MS. in prædicta Lumleiana. Et similia.
Claruit anno Verbi incarnati 1441, dum in Anglia rerum potiretur Henricus sextus.

De Ioanne Vptono.

1442. 824.

IOANNES Vptonus, perperàm Vpsonum exteri nonnulli vocant, natione Anglus, patria Lincolniensis, ordinis Carmelitani Monachus in cœnobio Stanfordiensi, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, concionator deinde Londinensis, tandem ad illustrissimum Clarentiæ Ducem Thomam vocatus, magno in precio habebatur, eique ad secreta confessionum adhibitus est. Creuitque homini in dies apud populum fama, & apud principem existimatio. Hæc ferè ex Lelando, & ex Thomæ Vvaldensis epistola ad præfatum Clarentiæ Ducem. Porrò multa scripsisse perhibetur hic Vptonus, quorum ne tituli quidem nisi parcè admodum ad posteros venerunt. Solum constat eum edidisse

Sermones eruditos, *Librum vnum*.

Couentriæ tandem diem suum obijt anno postquàm Verbum caro factum est 1442, regnante apud Anglos Henrico sexto.

De Nicolao Hostreshamo.

1443. 825.

NICOLAVS Hostreshamus medicus Anglus suo sæculo celeberrimus. Nam postquam artes liberales didicisset, huius professionis primùm speculationi, deinde praxi se impensè dedidit, selectissimorum Doctorum diligenter vestigijs insistens, donec & ipse Doctor fieret. Postquam autem scientiam suam in morbis præueniendis, & fælicitatem in sanandis mundo testatum fecisset, cœpit eius fama per Angliam clarescere, & apud magnates magno loco habebatur. Quod acres ei stimulos ad studendum, atque etiam ad scribendum attulit, vt ad præsens sibi gratiam & beneuolentiam conciliaret & conseruaret, atque etiam apud sæcula futura nominis immortalem gloriam consequeretur. Itaque experimenta sanandi quæ probauerat, & remedia morborum quæ inuenerat, non est passus in obscuro latere, nec obliuionis tenebris inuolui; sed calamum admouens chartæ scripsit omnia, vt sui labores posteris seruire possent ad vtilitatem, & ad variorum morborum curationem, nec opus esset ijs medicinas inuenire, sed tantum inuentis vti & frui. Licet igitur multa ex ijs, quæ post se scripta reliquit, perierint; inueniri tamen adhuc in varijs Bibliothecis ferunt

Practicas medicinæ, *Librum vnum*. Practica diuiditur in duo, in scient.
Modum conficiendi & dispensandi, *Librum vnum*.
Antidotarium, *Librum vnum*. Ego Nicolaus rogatus à quibusdam
Contra dolorem renum, *Librum j*. Lapis quãdoque generatur in renibus.
De febribus, *Librum vnum*. Post executionem particularium.
Viaticorum necessariorum, *Libros septem*. Quoniam in Rhetoricis, vt ait.

Et alia plurima. Claruit circa annum Domini 1443, dum in Anglia rerum potiretur Henricus sextus.

De Henrico Chichileio.

HENRICVS Chichileius natione Anglus. Vir magnæ pietatis & prudentiæ, & saltem plus quàm mediocris doctrinæ, sed suprà quàm dici potest bonarum litterarum & litteratorum hominum cultor & fautor. Huic Guilhelmus Lindvvodus opera sua pleraque, tanquàm optimo patrono nuncupauit. Ad incrementū autem bonarum artium, Oxonij duo construxit Collegia. Quorum alterum omnium animarum memoriæ, in quo pro defunctis quotidianæ fierent preces; alterum D. Bernardo, quem peculiari inter ceteros sanctos ratione coluit, dedicauit. Nec his acquieuit quin etiam Cātuariæ bibliothecam reparauerit, auxerit, & lectissimis libris repleuerit. Virtutibus & eruditione comitibus ad summos honores peruenit, & magna in republica obiuit munia. Episcopus primùm Meneuensis, deindè Archiepiscopus factus Cantuariensis. Et tandem S. R. E. Cardinalis tituli S. Eusebij. Quid scripserit, me latet, nisi quòd apud Lindvvodum quædam eius decreta synodalia reperi

1445.
826.

De ferijs. Ineffabilis. Et infra.

De clericis coniugatis. Cum ex eo.

Obijt anno à partu Virginis 1445, regnante in Anglia Henrico sexto. Vide quem composuimus de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Humfredo Glocestrensi.

HVMFREDVS Glocestrensis Dux, & Pembrochiæ Comes, Anglorum Regum sanguine ortus. Erat enim Henrici quarti Regis filius, quinti frater, sexti patruus, à cubiculis Regis primus, & tandem totius regni supremus administrator. Ab ipsa pueritia præclaræ fuit indolis. Adolescens Oxonij studuit in Coll. Balliolensi didicitq; accuratè omnem politiorem litteraturam, & Latini sermonis elegantiam, Philosophiam etiam naturalem atque moralem. In iuuentute tantum imbibit bonarum disciplinarum amorem, vt per omnem reliquam ætatem eruditionem & eruditos viros, ipse nequaquam indoctus, mirificè coluerit, summo in precio habuerit. Cùm iam aulam pro Academia sequi debuerat, quantum per vitam curialem, & publica regni negotia licuit, semper aliquid temporis pristinis studiorum exercitijs dedit. Fuit suo tempore omnium Doctorum hominum, maximè in Anglia, Gallia, & Italia Mecænas optimus, nec quemquam talem ad se venientem, nisi magnificis donis remuneratum dimisit. Leonardum Aretinum, & Petrum Candidum Italos, viros illa ætate doctissimos & eloquentissimos in delicijs habuit, ijsque non vulgaria fauoris argumenta factis & re ipsa non semel demonstrauit. Cúmque horum alter Aristotelis Ethica, alter Platonis Politica è Græco in Latinum translata ei nuncupassent, vterque singularem eius humanitatem, & regalem planè largitatem satis expertus

1247.
827.

est. Erat semper animo tam alto, vt splendorem generis sui virtutibus illustrare & augere nunquàm cessauerit. Erga omnes adeò suauis, mitis, mansuetus, & affabilis, vt *Bonus* vulgò cognominaretur. In delinquentes tamen ita seuerus erat, vt omnium improborum odium incurrerit. Nam quem metuunt, oderunt. Polorum Suffolcensium Ducum familia, mirum in modũ illi fuit infesta. Pessimorum etiam hominum opera Carolus Gallorum Rex in eum incitatus, mortem ei machinatus est, quam tandem per Guilhelmum Polum Suffolciæ Ducem eiusque complices inferri curauit, & impiam suam voluntatem executioni mandari fecit. Sed ad institutum nostrum redeamus. Humfredus Oxoniensem Academiam, vbi iuuenis studuerat, aliquo memorabili beneficio afficere satagens, splendidam in publicum studiosorum vsum ædificauit bibliothecam. Quam optimis quibusque libris instruere cupiens, misit in Galliam & Italiam, qui antiquissimos & selectissimos codices coëmerent. Nullis sumptibus parcens, vt hunc litterarium thesaurum compararet. Empti sunt igitur partim in Gallia, partim in Italia præter obuios & communes sine numero libros, præstantissimi rarissimique auctores centum viginti nouem. Quibus in Angliam inuectis, exultauit bonus Dux, tanquàm qui inuenisset spolia multa. Misitque omnes dictos libros Oxoniam, & bibliothecæ, quam ibi recèns ædificauerat, donauit: plures promittens vbi se offerret occasio, & vbi prece vel precio poterunt haberi. Sed quoniam in hac litteratoria palæstra non tantum spectator erat & applausor, sed etiam actor; quid egerit videamus. Cùm esset Astronomus peritus, scripsit

Tabulas directionum, *Librum vnum.* Effectus planetarum & operatio.
Ad Abbatem S. Albani, *Librum vnum.* Meditantibus nuper quàm fug.
De sua donatione, *Epistolam vnam.* Cùm Dominus Rex per litteras suas.
Ad viros eruditos epistolarum, *Librum vnum.* Et alia plura.

Tandem in Buriensi Parliamento die vicesimo quarto Februarij puluinis suffocatus, à Suffolcensi factione, è medio, media nocte sublatus est, & corpus ad S. Albanum delatum honorificentissimam illic accepit sepulturam, anno post aduentum Messiæ 1447, cùm adhuc in Anglicani regni solio sederet Henricus sextus.

De Henrico Vvichinghamo.

1447. 828. HENRICVS Vvichinghamus, Vvinchughan perperàm vocat Sixtus Senensis, ordinis Carmelitani Monachus Anglus, in Conuentu Norvvicensi, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, vt testis est Lelandus. Vir subtilis ingenij, fœlicis memoriæ, promptæ & expeditæ linguæ. In scholasticis concertationibus acutissimus, & in omni Theologiæ genere versatissimus. Multus erat in sacrarum Scripturarum lectione, meditatione, explicatione, quarum synceros vt colligeret sensus, & mysteriorum fœliciùs arcana penetraret, duces secutus est antiquos Ecclesiæ Patres, & Doctores, D. Hieronymi præ ceteris fidelissimè ve-

stigijs insistens. A quo non solum rerum veritatem expiscatus est, sed etiam verborum ornatū, & sermonis puritatem didicit, vt & ipse meliùs omnia intelligeret, & alijs dilucidiùs clariúsque explicaret. Hinc ei magna laus, & fœlix prouentus in concionibus quotidianis. Nam modò ad populū, modò ad clerum publicè, modò ad suos fratres in capitulis priuatim frequentissimas easdemque pereruditas habuit prædicationes, quarum, sicuti & aliarum quarundam suarum lucubrationum participes fecit posteros, dum pleraque sua opera scriptis mandauit

In Isaiam lectiones octodecim, Librum j. Quoniam vt ait Hieronymus sup.
In Apocalypsim lectiones triginta, Librum vnum. Apertum est templum Dei in cœlo.
De quadruplici aduentu Christi, Librum j. Saluatorem expectamus Dn̄m.
De Conceptione B. Mariæ, Librum vnum. An beata Maria fuerit in originali.
Sermones hyemales, Librum vnum. Domine salua nos, perimus.
Sermones æstiuales, Librum j. Estote factores Verbi & non auditores tant.
Sermones de sanctis, Librum vnum. Gloria Libani data est ei, decor. Et alia.

Norvvici tandem obijt secundo die Martij, anno post incarnationem Verbi 1447, sub Angliæ Rege Henrico sexto.

De Ioanne Blacueio.

IOANNES Blacueius natione Anglus, patria Norfolcensis, ex pago Blacueio in littore maris, quinque circiter milliaribus à Vvalsinghamo, ordinis Sanctissimæ Trinitatis de redimendis captiuis in primario illorum Monachorum cœnobio, quod nomen habuit de Ingham. Ab adolescentia prima in studijs bonarū litterarum, & exercitijs virtutum diligenter educatus, maturescentibus annis in doctrina & pietate maturijt, & in virum egregiè doctum euasit. Scopum studiorum suorum eò direxit, vt Rhetorum flores colligeret, & elegantiam Latini sermonis tum ipse disceret, tum alios doceret. Atque hunc in finem perpetuus erat in antiquorum Rhetorum & Poëtarum lectione & imitatione. Quos tam fœliciter, si non consecutus, at certè secutus est, vt in eloquentia Romana rarum illorum temporum haberetur exemplum. Scripsit multa præsertim ad benè instruendos in Latino sermone tyrones. Docuitque quid in initijs, quid in progressu faciendum, vt ad perfectam demùm eloquentiam peruenias. Composuit igitur compilationes Grammaticales, quibus titulum dedit

1447. 829.

Necessiloquium Grammatices, Librum j. Nominū quinque sunt diuisiones.
Modum Rhetoricandi, Librum vnum. Ars inueniendi ornata verba.
De fabricandis epistolis, Librum vnum. Salutationes ad summum Pontific.
In epigrammata Langlæi, Librum vnum. In tractatu Dn̄i Thomæ Langlæi.
Iocale aureum, Librum vnum. Deum nedum iuuenes colent, verum.
In Boëtium de consolatione, Libros quinque.
De mundi ætatibus, Librum vnum. Ætas dicitur quasi æuitas, per. Et alia.

Claruit anno post partum Virginis 1447, sub Angliæ Rege Henrico sexto.

De Ioanne Talangerno.

1448. 830. IOANNES Talangernus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in Vvigorniensi cœnobio. Vir in sacris & profanis disciplinis operosè versatus. Omnem enim tum Philosophiam, tum etiam Theologiam in Oxoniensi Academia primùm didicit, deindè docuit, sacræ Theologiæ Doctor factus & Professor. Ad posteritatis autem vtilitatem, quæ docuerat, in scholis, denuò sub incudem vocauit, examinauit, perpoliuit, & in publicum emisit, testem habeo Lelandum,

Commentarios in Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Et alia plura.

Quorum tamen expressam mentionem nominatim apud Scriptores hactenùs non inuenio. Claruit anno postquàm Verbum caro factum est 1448, dum Anglicani regni gubernaculum teneret Henricus sextus.

De Ioanne Barninghamo.

1448. 831. IOANNES Barninghamus Carmelitanæ professionis Monachus Anglus, in Comitatu Suffolcensi, & ciuitate Gippesvvicensi, cui cœnobio præfuit ad annos non paucos, vt ex Lelando videre est. Oxoniæ diù studuit, & Parisijs inter Sorbonicos. Vndè & vtrobique Theologici Magisterij dignitatem suscepisse dicitur, ego sustinuisse potiùs dixerim. Hunc Bostius & Trithemius in suis Catalogis, ab ingenij festiuitate, & à miro in disceptationibus acumine, siue argumenta vrgeret sua, siue solueret aliena, summis in cœlum laudibus efferunt. Huius opera pleraque diligenter Oxonij quæsiuit, inuenit, quatuor voluminibus pulchre describi fecit, & in quadam bibliotheca Cantabrigiæ seruanda reposuit quidam eius amicus. Scripsit autem

Lecturas sacræ Scripturæ, *Librum vnum.*
Commentariolū de horrore peccati, Libr. j. Notandúquòd peccatū ratione.
In Magistrum Sententiarum, Libros iiij. Quis enim nouit sensum Domini?
Quodlibeta Theologica, Librum vnum. Amore languens sponsus Iesus.
Quæstiones ordinarias, Librum vnum. Vtrum lex vetus fuerit patribus.
Conciones sacras, *Librum vnum.* Et alia plura.

In cœnobio tandem Gippesvvicensi, senio confectus obijt Prior die vicesimo secundo Ianuarij, anno reparationis humanæ 1448, dum in Anglicani regni solio sederet Henricus sextus.

De Ioanne Bromio.

1449. 832. IOANNES Bromius ordinis S. Augustini eremita Anglus, Prior & sacræ Theologiæ lector in Monasterio oppiduli Gorleduni seu Gorlestoni in Norfolcia iuxta Iernemoutham, vti Lelãdus testatur. Vir pius & eruditus, & suprà quàm dici potest bonarum litterarum studijs delectatus. In suo cœnobio bibliothecam insignem erexit, & exquisitissimis libris instruxit, in quibus lustrandis & perlegendis *sedulus, ætatis menses consumpsit & annos.* Habuit ibi multos auctores præstantes, quos extra

extra illam Bibliothecam ferunt Angliam nequaquàm habuisse. Hæc ex nostro Lelando, & ex Iosepho Pamphilo in Augustinianorum chronico. Scripsit porrò vir industrius & laboriosus in plerosque suæ bibliothecæ libros

Directoria vel tabulas, *Librum vnum.*
Chronicorum indices, *Librum vnum.* Accommodare, nè Iudæi quidem.
Sermonum, *Librum vnum.*

Inter suos tandem in eodem Monasterio mortuus & sepultus est anno salutis reparatæ 1449, dum Anglicani regni diademate redimitus sederet Henricus sextus.

De Nicolao Suafhamo.

NICOLAVS Suafhamus ordinis Carmelitani Monachus Anglus, & Conuentus Cantabrigiensis Prior, in eadem Academia sacræ Theologiæ Doctor, & tandem Academicus Cancellarius. Videtur etiam aliquandò vel priuatim in suo Monasteric, vel publicitùs in ipsa Academia sacras litteras docuisse. Fuit sanè, vt satis insinuat Lelandus, in Philosophicis atque etiam Theologicis disciplinis optimè versatus. Vnde & præter illa quæ perierunt, constat eum scripsisse 1449. 833.

Lectiones ordinarias, *Librum vnum.*
Determinationes, *Librum vnum.*

Cantabrigiæ desijt esse in viuis anno redempti mundi 1449, regnante apud Anglos Henrico sexto.

De Dauide Boysio.

DAVID Boys vel Boysius Britonum sanguine in Cambria natus, ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli in cœnobio Glocestrensi. Arnoldus tamen Vion vult eum quidem in vrbe Glocestrensi fuisse Monachum, at ordinis S. Benedicti Congregationis Cluniacensis; sed illi non assentior. Quicquid de eo sit, studijs Theologicis Oxonij non pœnitendam dedit operam, ibidem in illa suprema facultate Doctor effectus, vt auctor est Lelandus, qui etiam insinuare videtur, eum illic Theologiæ Professorem egisse, suamque doctrinam alijs liberaliter communicasse. Inuisit posteà Cantabrigiam, vbi Ioannis Brauinghami simùl opera collegit, & in Academiæ Bibliotheca reposuit. Tandem exterarum nationum celebriores adijt Academias, vbique suum fructum, & magnam ad bonas disciplinas accessionem faciens. Inter hæc suæ professionis nunquàm immemor, vbicunque ageret, semper hominum frequentiam declinabat, sæculares strepitus fugiebat, sibi & Deo, quantum poterat viuebat, & vitam, quam elegerat, solitariam aut agebat, aut agere cupiebat. Ex thesauro suo litterario deprompsit pro posteritate 1450. 834.

Eruditas conciones, *Librum vnum.*
De doctrina spiritus, *Librum vnum.*

De vera innocentia, Librum vnum.
De duplici hominis immortalitate contra Agarenos, Librum vnum.
Contra Agarenorum insanias, Librum vnum.
De varijs gentiũ ritibus, Librum vnum. Homo ex dono cõditionis primæ. Et alia plura. Tandem inter suos Carmelitas mortuus & sepultus dicitur circa annum salutis communis restauratæ 1450, dum ad Anglici regni clauum sederet Henricus sextus.

De Guilhelmo Suttono.

1450. 835. GVILHELMVS Suttonus Mathematicus Anglus, Academiæ Cantabrigiensis alumnus, & ibidem in Regali Collegio Thomæ Stacij discipulus, cuius opera Astrologica diligenter legit, & vel similia scripsit fidelis sui Magistri imitator, vel scholijs illustrauit perspicuus commentator. Erat curiosus nimis subtilium rerum scrutator, imò verò superstitiosus stellarum spectator, & temerarius euentuum ex Astrologia coniector. Tandem ex suo cerebroso capite deprompsit partim, partim ex suo præceptore collegit opus, quod sub hoc titulo in lucem emisit

De iudicijs reuolutionum, Librum vnum.

Alia vel omninò ab eo scripta non fuerunt, vel ad nos, quantum inuenio, non peruenerunt. Vixit anno virginei partus 1450, regnante in Anglia Henrico sexto.

De Edvvardo Dinleio.

1450. 836. EDVVARDVS Dinleius seu Dinlæius nobilibus in Anglia natus parentibus, ex oppido Nouocastrensi Dunelmensis Episcopatus, ordinis Carmelitani Monachus. Vir bonarum litterarum amantissimus simùl & auidissimus, in quibus etiam operam non inutilem collocauit. Et quia natura fuit eloquens atque facundus, adiuncta ad illam propensionem industria, maximè circa Rhetoricos flores, & elegantiam linguæ Latinæ, concionator euasit insignis, atque eo magis celebris, quo cum suo Prouinciali Nicolao Kentono ad monasteriorum visitationem adhibitus, in locis diuersis suum talentum notum pluribus fecerit. Quædã non ineruditè scripsisse dicitur. Ex quibus ferunt aliquandò Londini fuisse vel impressum vel M S. idiomate Latino

Sermones viginti quatuor, Librum vnum. Leua in circuitu oculos tuos. Ex alijs hactenùs nè titulum quidem aliquem vidi. Claruit anno post natum Seruatorem 1450, dum in Anglia regnaret Henricus sextus.

De Ioanne Cressæo.

1450. 837. IOANNES Cressæus vel Cresseius ordinis fratrum de Monte Carmeli, Monachus Anglus, in Conuentu Comitatus Lincolniensis qui fuit ad S. Botulphum, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Studijs autem fœliciter absolutis, & suprema honorificè suscepta laurea, ad

suos reuersus, Monasterij Prior electus est. Quod nactus otium, cœpit de edendo aliquo sui tum ingenij, tum doctrinæ specimine cogitare. Successit res ex votis. Et quoniam in beatam Virginem Deiparam singulari ferebatur affectu, scripsit teste Lelando,

De laudibus assumptæ Mariæ Virginis, *Librum vnum.*
Homilias per annum, *Librum vnum.* Et alia non pauca.

Ad S. Botulphum inter suos mortuus & sepultus dicitur circa annum Verbi incarnati 1450, Angliæ sceptrum tenente Henrico sexto.

De Roberto Hardebio.

ROBERTVS Hardebius ordinis Carmelitani Monachus Anglus in cœnobio Lincolniensi. Videtur fuisse sacræ Theologiæ Doctor, & inter suos in eadem facultate Professor, & tandem sui cœnobij Prior. Pietatem cum eruditione in omni semper vita coniunxit, & miro in beatã Virginem Mariam ordinis Diuam Tutelarem, ducebatur affectu, in cuius laudem frequentes habuit conciones, ex quibus vnum opus conflauit, & edidit, vt auctor est in suo Catalogo Lelandus. 1450. 838.

De festiuitatibus B. Mariæ Virginis concionum, *Librum vnum.* De alijs nihil mihi constat. Claruit anno mundi per Christum redempti 1450, sub Anglorum Rege Henrico sexto.

De Roberto Balsacco.

ROBERTVS Balsaccus in Anglia, nobilibus, vt videtur, parentibus natus. Vir tum belli, tum pacis artibus mirè florens. Martem enim simùl & Musas, vt scribit in suis venationibus Nicolaus Brigamus, impensè coluit. Cùm autem parem in vtraque professione consecutus esset laudem, vno opere à se doctè composito testatum omnibus fecit, se & Martis & Mineruæ plurimùm valuisse disciplinis. Scripsit enim & posteris reliquit elaboratam lucubrationem 1450. 839.

De re militari, *Librum vnum.* De alijs nihil habeo explorati. Vixit anno post aduentum Messiæ 1450, dum in Anglia rerum potiretur Henricus sextus.

De Rogero Albano.

ROGERVS Albanus natione Anglus, patria Hartfordiensis, ex oppido S. Albani oriundus, ordinis Carmelitani Monachus Londinensis. Vir pius, eruditus, & in Latino sermone non inelegans. Historias autem tum sacras, tum profanas diligentissimè peruoluit, ab Adamo vsque ad suum tempus epitomen rerum maximè memorabilium contexus, vt ex ipsis eius chronicis, & operum titulis non difficulter colligi potest. Imprimis vetus Testamentum in huiusmodi compendium redegit, patrum illorum seriem per generationes suas ab Adamo vsque ad Christum & Apostolos deducens. Cui toti volumini titulum præfixit 1450. 840.

Compendium historiarũ Bibliæ, *Libr. j.* Considerans historiæ sacræ ab initio.

Progenies Regum Britanniæ, Lib. j. Considerans chronicorum prolixitatem. Multa etiam alia scripsisse dicitur; quorum ne titulos quidem hactenùs inuenio. Londini tandem mortuus & sepultus est circa annum gratiæ 1450, dum in Anglici regni solio sederet Henricus sextus.

De Osvvaldo Carthusiano.

1450. 841. OSVVALDVS Carthusianus natione Anglus, dum iuuenis studiorum causa Parisijs ageret, intimam familiaritatem contraxit cum sanctissimo viro, & præstantissimo illius ætatis Theologo Ioanne Gersone. Cuius pia conuersatione, & exemplis sanctis prouocatus Osvvaldus, seriò cogitauit de nouo vitæ regimine instituendo, & de progressu de virtute in virtutem, denique de Christiana perfectione, quantum fieri posset, consequenda. Itaque non multo post tempore sacri Carthusiensis ordinis institutum amplexus est, in qua via mirum est, quantum breui temporis spatio in diuinarum rerum contemplatione, & suarum passionum mortificatione profecerit. Quod breuiter insinuat Theodorus Petreius in sua Bibliotheca Carthusiana. Porrò pietate, prudentia, & auctoritate tantum valuit apud principes & magnates, vt Monasteriorum ordinis sui per Angliam, Scotiam, & Hiberniam numerum auxerit, & prouentus, facultates, possessiones, multum ampliauerit: vt cœlestia, & æterna contemplantibus, terrena & temporalia quæ ad victum, vestitum & alias corporis necessitates spectant, nullatenùs deessent. Hunc Iacobus primus Scotorum Rex cœnobio quod in Parthi suburbio Carthusianis erexerat, primũ Priorem præfici curauit. Qua occasione factum existimo, vt Hector Boëtius tam multus sit in huius viri sancti laudibus, præsertim libro decimo septimo historiæ Scotorum. Porrò sanctum illud amicitiæ fœdus cum Gersone in sæculo initum non neglexit, etiam à strepitu sæcularium rerum prorsus alioquin separatus. Quod satis apparet ex mutuis, quibus sese inuicem frequenter salutabant epistolis. Osvvaldus autem vt non pietatis solùm, verùm etiam eruditionis posteritatem testem relinqueret; multa tum pia tum docta in lucem emisit

Meditationes solitarias, *Librum vnum.*
De remedijs tentationum, *Librum vnum.*
Portiforium, Librum vnum. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Epistolarum maximè ad Gersonem, *Librum vnum.*
Transtulit è Gallico in Latinum Gersonis Libros plures. De alijs nihil hactenus inuenio certi. Claruit anno postquàm Virgo Mater Deum peperit hominem 1450, dum Anglicani regni gubernaculum teneret Henricus sextus.

De Thoma Becchingtono.

1450. 842. THOMAS Becchingtonus natione Anglus, Theologus Oxoniensis, humaniorum litterarum peritus, historiarum non ignarus, in

sacrarum Scripturarum lectione & meditatione fœliciter versatus, concionator non contemnendus, omni denique bonarum litterarum scientia insigniter instructus, litteratorum etiam hominum singularis Mecœnas, quem inter suos benefactores alumni Collegij Noui Oxonij ponere solent. Hæc ex Lelando. Qui etiam scribit Ioannem Chaudlerum aliquando dicti Collegij socium integro libro huius hominis raras virtutes egregiè descripsisse. Circa annum Domini 1429, erat hic Beckingtonus Decanus Curiæ de Arcubus. Quo tempore in synodo, quæ ad D. Paulum Londini plus quàm sex mensibus durauit, vnà cum Guilhelmo Linvvodo Curiæ de Arcubus Officiali, & Thoma Brouno Cantuariensis Archiepiscopi Vicario generali, certam formulam iuris præscripsit, qua contra Vvicleffitas seu Lolhardos esset procedendum. Tandem ad Aulam regiam vocatus Episcopatu Bathonensi donatus est. Sed de his Deo dante, suo loco fusiùs. Nunc agendum de laude litteratoria. Eius tempore, vt sæpè aliàs, disputabatur de iure Regum Angliæ ad regnum Franciæ. Thomas itaque confisus ingenio, doctrina, iudicio, patriæ patrocinium suscepit, & reiecta lege Salica, seu Gallica, multis argumentis probauit, ius hæreditarium ad Galliæ regnum Angliæ regibus omninò competere. Super qua re scripsit

De iure Regum Anglorum ad regnum Franciæ, *Librum vnum.*
Sermonum, *Librum vnum.*
In epistolas Petri Blesensis, *Librum vnum.* Aaronem infra quære.

Aliorum operum eius titulos adhuc non inuenio. Claruit anno gratiæ 1450, sub Angliæ Rege Henrico sexto. Vide illum quem compilauimus de Episcopis Bathonensibus Catalogum.

De Ioanne Amundishamo.

IOANNES Amundishamus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus ad S. Albanum. Quo tempore Oxonij studebat, omnibus Monachis studiorum causa in Aula Glocestrensi residentibus, præsidebat. Vir in politiore litteratura benè versatus, Philosophiæ non ignarus, & in rebus Theologicis plus quàm vulgariter exercitatus. Elegantia Latini sermonis ad illustrandas aliorum res gestas ita vsus est, vt apud eos, & eorum, de quibus scripsit, amicos, magnam conciliauerit gratiam, & apud omnes sibi immortalem pepererit gloriam. Inter alios Ioannem frumentarium Abbatem, quem viuentem intimè dilexerat, mortuum congruis laudibus celebrauit, eius vitam syncerè descripsit, eius famam à maleuolis obtrectatorum linguis tentatam piè liberauit, protexit, & integram, vti par erat, conseruauit. Huius eruditi viri scripta diù seruata fuisse dicuntur in Monasterio Ramesiensi, & puto quidem vsque ad apostasiam Angliæ. Quo tempore omnia doctrinæ & religionis monimenta, quantum fieri potuit, abolebantur, & flammis voracibus, luctuoso spectaculo, irreparabili damno, ferè vbique per miseram Angliam tradebantur. Fecerunt hoc hæretici quibus insitum est natura-

1450.
843.

le odium veritatis & antiquitatis. Porrò scripsit Amundishamus noster, maximè dum, vt dixi, ageret Oxoniæ

Acta præfati Ioannis Abbatis, *Librum vnum*. Ne lux regiminis Abbat. 6.
Clypeum eiusdem, *Librum vnum*. Vt discant pastores singuli præ.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum*.
Carmina diuersi generis, *Librum vnum*. Sæpè suburbanis lethes cũ cer.

De alijs nihil explorati habeo. Claruit anno Verbi incarnati 1450, dum in Anglia rerum potiretur Henricus sextus.

De Ioanne Holibroco.

1450. 844. IOANNES Holibrocus, vel Latinè Magister Ioãnes de sacro Fonte, natione Anglus, patria Surreiensis, Mathematicus & Philosophus, teste Lelando, laudatissimus. In Astronomia præsertim multum operæ posuit, magnam scientiam acquisiuit, & sibi inde non vulgarem famam peperit, non exiguam beneuolentiam etiam apud magnates & principes viros conciliauit. Ita vt hominem sublimem quodammodo rapuerit sublimis hæc scientia. Tabulas cuiusdam Alfonsi Astronomi, ad Christi annos, menses, dies, horas mira industria reduxit, scripsitque accuratissimè, vt auctor est Lelandus, mediorum motuum, & æquationis dierum

Tabulas nouas, *Librum vnum*. Quoniam cælestium motuum.
Canones Astronomicos, *Librum vnum*. Gloriosus atque sublimis rerum.

M S. Oxoniæ in Bibliotheca publica.

Super tabulas Alfonsi, *Librum vnum*. Et eiusmodi alia non pauca.

Claruit circa annum nati Seruatoris 1450, dum Anglicani regni coronam gestaret Henricus sextus.

De Ioanne Keningalo.

1451. 845. IOANNES Keningalus ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli Monachus Anglus, in cœnobio Norvvicensi & suorum in Anglia Prouincialis vicesimus quartus, quo munere strenuè functus est ad annos tredecim. Fuit Thomæ V valdensi doctissimo perinde ac sanctissimo eiusdem ordinis Monacho intima coniunctus amicitia. In Oxoniensi Gymnasio tam sedulam dedit melioribus litteris operam, vt gradatim ad suprema conscenderit, eosque honores illic acceperit, qui primæ notæ Theologis deferri solent. Erat enim vir integerrimæ vitæ, & singularis doctrinæ. Quantum autem in ipso creuerunt virtutes & scientiæ, tantum, vt fieri communiter assolet, creuit apud alios nominis existimatio, & dilata est longè latéque fama. Accessit ad hæc modestia singularis, insignis morum grauitas, incredibilis auctoritas, constans & solidum iudicium, in rebus agendis & expediendis prudentia, dexteritas, fælicitas. Eum in arduis negotijs non semel adhibuit consultorem Richardus Eboracensis Dux, cuius virtutes cum experientia iam exploratas haberet, eum sibi constituit conscientiæ

moderatorem, fecitque à confessionum secretis. His etiam nominibus ab ordine suo electus est, vt in causa prædicti amici sui Thomæ Vvaldensis Romam ad Papam Martinum quintum destinaretur, vt insigne opus, cui titulus Doctrinale Ecclesiæ, à præfato Thoma conscriptum, & summo Pontifici dedicatum, ei in manus traderet. Ille munus iniunctum executus est strenuè. Venit ad oscula pedum, aduentus sui causam paucis exposuit, librum promptè exhibuit, & tam dexterè ad dexteram Pontificis porrexit, vt non solum rem amici, sed & suam fœliciter egerit. Nam confestim Apostolicæ sedis nuncius in causis Ecclesiasticis designatus est. Hæc penè omnia desumpsi ex Lelãdo. Ille porrò domum reuersus ab amico gratias, ab ordine Prouincialis munus accepit, & ad suum Conuentum Norvvicensem, tanquàm ad tranquillitatis portum redijt, vbi quietè reliquos ferè vitæ dies exegit, nec cessans à studiorum laboribus, nec bonum ordinis & Monasterij sui promouere vnquam negligens, aut ad momentum pro occasionibus omittens. Anno Domini 1450, qui fuit Iubilæi, quasi iubilans opus bonum facere, & amicum suum Thomam imitari; nobilissimam in suo cœnobio Norvvicensi Bibliothecam erexit, eamque libris, quos acquirere poterat, exquisitissimis repleuit. Sed iam libros quos edidit in medium proferamus. Scripsit

Conciones Paschales duodecim, *Librum j.* Vt refulsit sol in clypeos aureos.
De suo itinere & legatione, *Librum vnum.*
In Aristotelem de animalibus, *Librum vnum.* Et alia. Norvvici mortuus & sepultus est die vicesimo octauo Aprilis, anno gratiæ 1451, sub Angliæ Rege Henrico sexto.

De Petro de Sancta Fide.

PETRVS de S. Fide, ordinis etiam Carmelitani Monachus Anglus, in eodem cœnobio Norvvicensi. Vir pius & eminenter doctus. Cantabrigiæ primùm, deinde Lutetiæ Parisiorum inter Sorbonicos Doctores Doctoralem dignitatem accepisse, & vtrobique Theologiam docuisse dicitur. Nam per idem tempus nouem Angli Doctores, qui cum exercitu Regis Henrici quinti, vt videtur, venerũt in Galliam, post Anglorum insignem de Gallis victoriam, Parisios se contulerunt, & habitis disputationibus publicis, ibi Doctores creati fuerunt. Quatuor autem ex ijs fuerunt Oxonienses, & quinque Cantabrigienses. Atque hæc ferè Lelandus. Porrò præter doctrinam & pietatem, habuit hic Petrus inuincibilem contra hæresim & hæreticos spiritum, & in erroribus refutandis multus erat, vbi se offerebat occasio. Hunc etiam in finem strenuè se exercuit in scholasticis concertationibus, in publicis concionibus, & lectionibus, & maximè in sacrarum Scripturarum meditatione. Vnde aliquando cum alijs contra hæreticam prauitatem constitutus est inquisitor, examinator, & iudex. Sed iam restat vt eruditionis indices in medium proferamus eius lucubrationes. Scripsit enim

1452.
846.

Commentarios in omnes epistolas D. Pauli, *Libros quatuordecim.*
In primã Petri Canonicã, Librum vnũ. Cum solicitudo pastoralis secundũ.
In secundã Petri Canonicã, Librum vnũ. Lectiones videlicet triginta octo. Quia pastor gregis debet desolatis.
Breuiariũ sententiarũ, Librum vnum. Reuerẽdi mei, articulus resumptio.
Præconia Petri Lũbardi, Librum vnum. Assumpsit Iesus Petrũ in montem.
Alphabetum Theologiæ, Librum vnum. Ab alio dicitur aliud esse dupli.
Determinationes varias, Librum vnum. Vtrũ Dei Verbũ vt clamat Euãg.
Placita Theologica, Librum vnum. Sponsabo te mihi in fide, summo.
Conciones ad clerum, Librum vnum. Relictis omnibus secuti sunt.
Sermones capitulares, Librum vnum. Ioannes venit in testimonium.
Pro sua inceptione, Librum vnum. Petrus in superiora domus ascend.
Norvvici tandem in suo cœnobio mortuus & sepultus est octauo die Nouembris, anno post Christum in carne natum 1452, dum sceptrum Anglici regni teneret Henricus sextus.

De Guilhelmo Staphilharto.

1456. 847. GVILHELMVS Staphilhartus natione Anglus, patria Cantianus, Londini Carmelita, Oxonij studiosus, & tandem ibidem in sacra Theologia Doctor & Professor, vti scribit Lelandus. Vir in sacris & profanis litteris ita nobiliter doctus, vt inter prima illius temporis Oxoniensis Academiæ ornamenta non immeritò numeraretur. Maturiore ætate dicitur se sacrarum litterarum studijs totum consecrasse, & diuina eloquia quotidianis in scholis lectionibus explicasse, in concionibus præsertim ad clerum annunciasse, & demùm emissis in lucem commentarijs illustrasse. Vnde has sequentes lucubrationes poster is tradidit
In Canticum Moysi, Librum vnum. Audite cæli, &c. Reuerendi Domini.
In aliquot Psalmos, Librum vnum. Bonitatem, & disciplinam, & scientiã.
Lectiones in Isaiam, Librum vnum. Visio Isaiæ, &c. Magistri reuerendi.
Sermones ad Clerũ Oxoniensem, Librum vnum. Præhonorãdi Magistri &c.
Quæstiones ordinarias, Librum vnum.
De materia paupertatis, Librum vnum. Et alia quàm plurima.
Claruit anno post aduentum Messiæ 1456, Henrico sexto in Anglia regni gubernaculum tenente.

De Guilhelmo Buttonero.

1460. 848. GVILHELMVS Buttonerus nobilibus in Anglia parentibus natus, patria Somersetensis, in ciuitate Bristoliensi in lucem editus, patrem habuit Equestris ordinis virum. Qui licet vxorem haberet & liberos, aleretque familiam, nihilominus tamen Musas impensè coluit, & nobilitatem generis bonarum litterarum accessione mirificè illustrauit, & additis omnis melioris doctrinæ ornamentis longè clariorem reddidit. Erat enim bonus Mathematicus, expertus Medicus, peritus Cosmographus, Historicus insignis, & antiquitatum scrutator diligentissimus.

gentiſſimus. Vbicumque ſe inuenturum ſperabat aliquod vetuſtatis monimentum, eò ſe conferebat, ibi curioſè, quod cupiebat, indagabat. Hunc enim in finem omnes Bibliothecas penè totius Angliæ, Eccleſias, cœnobia, codices, chartas, calendaria, ſepulchra, epitaphia, ad aliquot annos perluſtrabat, omnia notatu digna accuratè in ſcripta redigebat, vt è tenebris eruta ſuo tempore luce donaret. Scripſit itaque

Antiquitates Angliæ, *Libros tres.* Eximiæ probitatis & prudentiæ.
Acta Domini Ioannis Faſtulphi, *Librum vnum.* Anno Chriſti 1421, & ann.
Abbreuiationes Doctorū, *Librum vnū.* Cū diuerſorū diuerſi problematū.
Epiſtolarum acervum, *Librum vnum.* Oratori neceſſaria eſt ſapientia.
Collectiones medicinales, *Librum vnū* Recipe in nomine indiuiduæ Trinit.
De Aſtrologiæ valore, *Librum vnum.* Poſt locorum deſcriptionem.

Et alia multa. Claruit anno gratiæ 1460, quadrageſimum quintum ætatis annum agens, Henrico ſexto iam ægrè ſceptrum Angliæ tenente.

De Iuliana Barne.

IVLIANA Barnes illuſtri loco in Anglia nata, virago præclaris naturæ dotibus imbuta. Mineruam ſtudijs, Dianam imitata venationibus, nè otium ſectata, Veneris implicaretur illecebris. Ferunt enim illam domi ferè ſemper venationes & aucupia ſpeculatam, eademque exercitia non rarò in ſyluis & agris ſecutam. His honeſtis delicijs animum oblectans, corpus exercens, omnem vitæ curſum ita inſtituit, vt illicitas voluptates vel cautè ſemper declinauerit, vel conſtanter certauerit, & fortiter ſuperauerit. Piſcationem etiam non omiſiſſe perhibetur. Imò rei militari ſe immiſcuit, & de arte Haraldorum multa legit atque etiam ſcripſit; ingenio, conſtantia, fortitudine ſexum ſuperans, *Quin imò dicas ſexum ſuperaſſe virilem.* Scripſit igitur idiomate Anglico quædam poſteà facta Latina

1460.
849.

De arte aucupij, *Librum vnum.* Quoniam generoſi atque honeſti.
De arte venatoria, *Librum vnum.* Sicut in libro de arte aucupij.
De piſcatione, *Librum vnum.*
De legibus armorum, *Librum vnum.* In ſequente opere tractatur.

De alijs nihil inuenio. Claruit anno poſtquàm Verbum caro factum eſt 1460, Henrico ſexto de regno Angliæ periclitante.

De Fortiſcuto Cancellario.

FORTISCVTVS vulgò Foſkevv nonnulli vocant, honeſto loco in Anglia natus, & à teneris annis in ſtudijs virtutis & bonarum litterarum optimè educatus. Poſtquàm iuuenis Latini ſermonis elegantiam acquiſiuiſſet, iuri ciuili & legibus Angliæ municipalibus ſtrenuam operam dedit, & accedente ad magnum ingenium labore, atque induſtria, iuriſconſultus euaſit ſuo ſæculo cum primis meritò conferendus. Londini igitur ius tum ciuile, tum municipale publicè docuit, habuitque auditores nobiliſſimos iuuenes quàm plurimos. Deinde inter iudi-

1460.
850.

ces primarios relatus est, & gradatim per officia honorata & dignitates in republica ascendens, tandem factus est summus Angliæ Cancellarius, quod munus est supremæ post Regem in administratione regni auctoritatis. Et hæc pleraque scribit Robertus Recordus. Porrò in hoc summo officio tam piè prudenterque se gessit, vt omnem illam, quam consequi poterat, auctoritatem, ad reipublicæ referret vtilitatem. Ferunt tamen eum, furentibus tunc in Anglia bellis ciuilibus, exilio mulctatum. Quod non difficulter credo. Nam inter arma silent leges. Et vbi vi res geritur, quis, obsecro iustitiæ locus? Scripsit tamen non obstantibus tumultibus ciuilibus, differentiam legum prouincialium & ciuilium, sub hoc titulo

De discrimine legum, *Librum vnum*. Sæuiente dudum in regno Angliæ.
De vigore legis naturalis, *Librum vnum*.
De politica administratione, *Librum vnum*.
De laudibus legum Angliæ, *Librum vnum*. Et alia his similia. Vixit anno Domini 1460, tumultuante sub Henrico sexto Angliæ regno.

De Ioanne Buriensi.

1460. 851. IOANNES Buriensis vel de S. Edmundo, à loco natali Comitatus Suffolcensis sic cognominatus, Ordinis S. Augustini Monachus Anglus in Conuentu Clarensi, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, & tandem virtutis & eruditionis meritis, totius ordinis sui per Angliam & Hiberniam Prouincialis. Vir Lelandi testimonio pius & doctus, quique tam in sacris, quàm in profanis litteris non vulgarem laudem & meruit & consecutus est. In sacris scripturis benè versatus, in concionibus optimè exercitatus. Feruentis erat contra hæreticos zeli, eosque, quantum in ipso erat, nullo loco quietos consistere passus est. Ijs temporibus Reginaldus Pecoccus, aliàs Pauo, vir iuxta nomen suum vanus, arrogans, superbus, factus Episcopus primùm Asaphensis, deinde Cicestrensis, fœdo exemplo à fide defecit. Et scripsit multa perniciosa, docuit tanquam ex cathedra pestilentiæ, peruersa. De quadam Euangelij (si dijs placet) noua libertate. De laïcorum in Ecclesiasticos potestate. Contra dotationem cleri. Omnes esse æqualiter verbi diuini ministros. De legibus & doctrinis hominum. Et eiusmodi alia non pauca. Contra cuius impia dogmata scripsit hic Ioannes ad Archiepiscopum Cantuariensem Thomam Burcherium libros omni orthodoxa eruditione refertissimos. Quos vnà cum alijs eius operibus hîc in catalogo, sicut nostri moris est subijciendos existimaui. Scripsit itaque, teste Iosepho Pamphilo

Commentarios in D. Lucã, *Librũ vnum*. Quia omni legitimè certamini.
Lecturas sacræ Scripturæ, *Librum vnum*.
Sermonum, *Librum vnum*.
Quæstionum, *Librum vnum*.
Contra Reginaldum Pauonem, *Libros duos*. Sæpè vobis ouilique vestro

noua. M S. Anglicè Oxonij in Bibliotheca publica. De alijs nihil legi. Vixit anno restaurationis salutis communis 1460, sub inclinato Henrici sexti regno in Anglia.

De Thoma Gascoino.

THOMAS Gascoinus nobilibus in Anglia parentibus natus, patria Eboracensis, loco, qui Hunsfleta dicitur, ortus. Patrem Richardum, matrem Beatricem, fratrem natu maiorem habuit Ioannem. Oxonium quasi ad bonarum litterarum mercaturam missus, primùm Philosophicis, deinde Theologicis studijs ita inuigilauit, vt cum honore & fructu versatus in vtrisque fuerit, & tandem supremi magisterij susceperit insignia. Iamque sui iuris factus, iugiter bonos auctores legit, multa ex ijs collegit, in bonum ordinem redegit, descripsit, & in varijs Bibliothecis posuit. Sacras præsertim scripturas infatigabili labore peruoluit, perlustrauit, & inæstimabilem veritatis thesaurum in arcanis illis eloquijs quasi defossum & altè latitantem, incredibili diligentia, prudentia, fide, noctes & dies scrutatus est. Non suum in omni hoc conatu secutus sensum, sed antiquorum patrum, & nominatissimorum Ecclesiæ Doctorum quasi presse vestigijs insistens, nec ad dexteram, nec ad sinistram à receptissima illorum doctrina deflectebat. Præ cæteris autem D. Hieronymi virtutes, eruditionem, eloquentiam admiratus, & vt potuit, imitatus, eum mirificè coluit, & in amoris erga illum testificationem, vitam eius ex varijs auctoribus hinc inde labore multo collegit, & diligenter conscripsit. Tandem crescentibus hominis meritis, fama, auctoritate, in Academia Oxoniensi consentientibus omnium votis, electus est Cancellarius vniuersitatis. In qua dignitate constitutus, adeò non diminuit solitos studiorum labores, vt acriùs quam vnquam priùs, rei litterariæ insudauerit, & se totum scribendis libris consecrauerit. Sed nunc ingenij, laboris, & doctrinæ monimenta hîc ascribamus

1460.
852.

Sermones in Euangelia, *Librum vnum.*
Veritates ex scripturis, *Librum vnum.*
Dictionarium Theologicum, *Libros tres.* Fames in prima magna mortal.
Vitam S. Hieronymi, *Librum vnum.* Anno Dominicæ incarnationis 333.
Septem flumina Babyloniæ, *Librum vnum.* Super flumina Babylonis sedes.
Ordinarias lectiones, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Claruit anno redemptionis humanæ 1460, vergente ad ruinam in Anglia Henrici sexti imperio.

De Ioanne Chandlero.

IOANNES Chandlerus seu Candelarius natione Anglus, cùm esset à teneris annis bonæ indolis, & optimæ spei, solicitè in exercitijs pietatis, & bonarum artium studijs educatus est, & successu temporis educantium expectationem minimè fefellit, imò omninò superauit.

1460.
853.

Adolescens humanioribus disciplinis operam dedit sub optimis præceptoribus in schola Vvintoniensi, quam sumptu planè regio fundauit olim Guilhelmus Vviccamus Episcopus Vvintoniensis, cuius laudes & res præclarè gestas hic Chandlerus posteà libro integro prosecutus est. Postquàm autem linguæ Latinæ cognitionem acquisiuerat, ad Oxoniense Collegium, quod Nouum vocant, & eiusdem fundationis est, de more ad altiora studia ascendit. Vbi, vt insinuat Lelandus, post consummatum studiorum cursum, & Doctoralem gradum susceptum, sui Collegij designatus est præses (custodem seu Guardianum vocant illi) nec multo post tempore Academiæ Cancellarius electus, non suo tantum Collegio, sed & toti præfuit Vniuersitati. Tandem à Thoma Becchingtono Episcopo Bathonensi & Vvellensi Bathoniam, vt videtur, vocatus, illic officio Cancellarij Episcopalis functus est, fuitque ipsi Episcopo familiarissimus. Optatam igitur nactus quietem, vt scribere posset, & hunc optimum habens Mecœnatem, sub cuius tutela & protectione sua scripta in lucem emitteret, occasionem non neglexit, calamum arripuit, multa tum versu tum prosa edidit, & Episcopo tanquam suo patrono singulari pleraque nuncupauit. Tantam autem famam ibi obtinuit, tantamque beneuolentiam apud omnes conciliauit, vt eius opera partim propter se, partim in gratiam auctoris, ad multos annos in Fontanensi seu Vvellensi Bibliotheca serico villoso inuoluta, auro etiam & minio splendidè pecta & ornata, tanquam preciosus quidam thesaurus solicitè fuerint asseruata & custodita. Quorum titulos more nostro hîc attexemus

De statu naturæ humanæ, — *Librum vnum.*
Gesta Guilhelmi Vviccami, — *Librum vnum.*
De laudibus Thomæ Becchingtoni, — *Librum vnum.*
De laudibus Bathoniæ & Vvelliæ, — *Librum vnum.*
Epistolarum, — *Librum vnum.*
Responsionem ad orationem Cornelij Vitellij prælectoris in Collegio Nouo, Orationem vnam. Aliorum operum titulos non inuenio. Claruit anno Verbi incarnati 1460, sub tumultuoso in Anglia Henrici sexti regno. Fuit alter Ioannes Chandlerus quinquaginta circiter annos antiquior, Episcopus videlicet Sarisburiensis anno Domini 1417. electus & consecratus

De Roberto Fininghamo.

1460. 854. ROBERTVS Fininghamus natione Anglus, patria Norfolcensis, & ordinis S. Francisci Monachus Norvvicensis. Vir in omnibus liberalibus artibus benè educatus ab adolescentia sua. Iuuenis scientias Philosophicas diligenter didicit, & ad Theologiam ætate maturiore progressus est. Sed in nullo studio tantum profecit, quantum in iure Canonico, in quo *Vix dici poterit quantum sudauit & alsit.* Multa enim volumina perlustrauit, & collatis Doctorum sententijs, multa secum & cum alijs agitauit atque examinauit. De varijs etiam materijs non

infœliciter tandem scripsit. Imprimis egit contra calumniatores, de statu & dignitate ordinis S. Francisci, ostenditque quomodò fratres illi perfectionem Euangelicam profiteantur, pro se & pro alijs semper orantes, populo prædicantes, victum & vestitum mendicantes, denique nihil habentes & omnia possidentes. Sed nunc operum quæ scripsit titulos exhibeamus

Pro ordine Minorum, Librum vnum. Primo de approbatione paupertatis.
Pro dignitate status eorum, *Librum vnum*.
Casus Conciliorum Angliæ, *Librum vnum*. In statutis Oxoniensis Cōcilij.
De casibus decretorum, *Librum j*. Excōmunicationem incurrit qui asserit.
De casibus decretalium, *Librum vnum*. Qui Cardinalem percutit, aut qui.
De casibus Papæ reseruatis, *Librum vnum*. In ceteris autem casibus.
De extrauagantibus, *Librum vnum*.
De excommunicationibus, *Librum vnum*. Quoniam sub pena excōmunic.

De alijs nihil habeo explorati. Claruit circa annum ab aduentu Messiæ 1460, dum sub Rege Henrico sexto periculosè fluctuaret Angliæ regnum.

De Ioanne Hardingo.

IOANNES Hardingus in Septentrionalibus Angliæ regionibus illustri prosapia natus. Vir in pacis & belli disciplinis clarus. Cùm passim in historijs inuenisset Scotorum Reges Angliæ regibus esse subiectos, videret tamen plerumque rebelles, & nonnunquàm Gallorum potentia fretos, Anglis non modò non parere, sed etiam (licet cum suo damno) bellum indicere: se iuratum Scotorum hostem declarauit, & ad vindicādas iniurias patrię irrogatas, se tum calamo, tum gladio in eos armauit. Primùm igitur militauit sub Roberto Vmfreuillo Roxburgēsis castri Præfecto. Deindè sub Edvvardo tunc Eboracēsi Duce, posteà Angliæ Rege. Sub vtroq; valdè fideliter, nec minùs fœliciter. Sēper tamen ita Martem coluit, vt Mineruam nunquam neglexerit, vt quodammodò tenuisse videatur altera manu ensem strictum, altera librum semper apertum, aut calamum ad scribendum, *perpetuo Musis pariter comitatus & armis*. Perlustrando igitur antiqua chronica, ex ijs perspicuè vidit Scotorum Reges, saltem ab Athelstani Regis Angliæ tempore, hoc est, ab anno Domini plus minus 929, semper Angliæ Monarchis paruisse, submissiones fecisse, iuramenta fidelitatis præstitisse, regnum Scotiæ iuris Anglicani semper fassos fuisse. Cumque accepisset seruari quodam loco in Scotia chartam antiquam huius iuris locupletem testem, eò clam se contulit, & ibi multos dies occultè egit, non sine vitæ discrimine. Tandem litteras illas surripuit, & secum in Angliam detulit, easque regibus Angliæ Henricis quinto & sexto, necnon post illos Edvvardo quarto communicauit. Tandem ex ijs quæ multo labore legerat, & ex varijs auctoribus collegerat, historias instituit, exordium sumens à Brito & Britannorum imperio, breuiter rerum gestarum seriem deducens vsque

1461. 855.

ad Regem Henricum quartum. Adiunxit deindè sexaginta alios & amplius annos, fusiùs res dilatans, vsque ad Regem Edvvardum quartum, cui totum opus dedicauit. Scripsit Anglico versu & de rebus Anglicis

Chronicorum, *Libros duos*. Potior substantia vigoris ac fortit.
De submißione Regum Scotiæ sub Anglia, *Librum vnum*.
Breuem Scotiæ descriptionem, *Librum vnum*. Vt tuæ maiestati certum expe.

An alia scripserit nescio. Claruit senex anno redéptionis humanæ 1461, inchoante in Anglia regnum suum Edvvardo quarto.

De Roberto Balæo Seniore.

1461. 856. ROBERTVS Balæus Senior, Londini in Anglia natus, & ibidem in studijs iuris educatus, in qua professione tam fœliciter progressus est, vt primùm publicus vrbis notarius, deindè in causis ciuilibus iudex constitueretur. Vir sanè in politioribus litteris elegans, solidus, in perscrutandis antiquitatibus diligens, morum integritate conspicuus, & in suam vrbem natalitiam ac nutritiam insigniter gratus. Quippe qui omnem suam operam, omne studium eò direxit, vt eius splendorem magis ac magis semper illustraret. Ab ipsis igitur vrbis cunabulis omnia notatu digna mira inuestigauit diligentia, & accuratè singula describens, ab eius exordio vsque ad suum tempus rem deduxit, & in vnum volumen collegit leges, statuta, fundationes, magistratus, officia, comitia, varias mutationes, vastationes, ruinas, restaurationes. Vrbis etiam formam, situm, pontem, portum, flumen, arcem, templa, platæas, domus publicas descripsit. Totam vrbem in viginti & quatuor regiones distribuit, cuilibet parti Senatorem vnum, tanquam custodem attribuit. Eorum denique nihil omisit, quæ vel ad rerum veritatem explicãdam, vel ad vrbis dignitatem illustrandam pertinere posse videbantur. Porrò omnia eius, potissimùm in hoc genere, scripta ad annos benè multos in bibliotheca Londinensi asseruata fuisse dicuntur. Sed iam omnium, quæ composuit, operum, titulos, quantum possumns ponamus. Scripsit

Londinensis vrbis chronicon, *Librum vnum*. Anno ab orbe condito ad Rom.
De consulibus & præfectis eius, *Librum vnum*. Hoc anno à Christi Natiuit.
Instrumenta libertatum vrbis, *Librum vnum*. Vicecomitatus Lõdinensis.
Alphabetum sanctorum Angliæ, *Librum j*. Adrianus Abbas Græca lingua.
Regis Edvvardi tertij res gestas, *Librũ vnum*. Anno Domini 1312, decimo 3.

De alijs nihil mihi constat. Claruit anno post Christum natum 1461, initiante regnum suum in Anglia Edvvardo quarto.

De Guilhelmo Iuæo.

1464. 857. GVILHELMVS Iuæus natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis, posteà Londini ad D. Paulum Canonicus & Vicecancellarius. Vir pius, eruditus, prudens, magnanimus. In ijs contentionibus, quæ tum sanè graues fuerunt inter clerum An-

gliæ secularem, & fratres mendicantes, fideliter adhæsit Episcopo suo,&, vt suarum erat partium, clerum constanter defendit. Cumque ex dictis fratribus quidam Londini audaciùs quàm par erat, in suis concionibus contra clericos, ipsosque Episcopos declamassent: Episcopus Londinensis Richardus propter hanc eorum temerariam insolentiam Ioannem Miluertonum Carmelitarum prouincialem sacris interdixit, duos eiusdem ordinis concionatores, cum vno Dominicano carceribus mancipauit, & quæ seditiosè è suggestu locuti fuerant, ad crucem D. Pauli Londini solemniter reuocare coëgit. Iuænus etiam in hac causa scripsit contra dictos Monachos

De mendicitate Christi, Librum vnum. Præteriens aliquandò & aspiciens.
De Christi dominio, *Librum vnum.*
Sermones ad clerum, *Librum vnum.*
Lecturas Oxonienses, Librum vnum. Super Babylonis flumina aliquando.
Determinationum Theologicarum, *Librum vnum.*
Super Minores Prophetas, *Libros duodecim.* Et alia permulta.

Claruit anno post aduentum redemptoris 1464, regnante in Anglia Edvvardo quarto.

De Ioanne Freo.

1465.
858.

IOANNES Freus vel Freas Londini in Anglia natus, & ibidem ad pietatem & bonas litteras à teneris annis nutritus adolescentiã transegit. Iuuenis missus est Oxonium, vt aspiraret ad altiora, vbi ad societatem Collegij Balliolensis assumptus, studia, quorum iam non mediocria fecerat fundamenta, strenuè prosecutus est. Erat sanè perelegans hominis ingenium, omnemque politiorem doctrinam impensè coluit. Vndè & inter eos numeratur à Lelando, qui illo in genere, maximo patriæ fuerunt ornamento. Oxonia tandem relicta, Ventã Belgarum id est Bristolium, petijt, non vt ibi moraretur, sed vt indè in exteras nationes nauigaret. Erat enim animus Italiam visere, quod & fecit. Auditis ibi apud Ferariam Guarini prælectionibus, primùm rei medicæ, deindè iuri ciuili dedit operã. Posteà medicinã Ferariæ docuit. In scholis publicis, paulò pòst idem præstitit Florentiæ, & tandem Patauij vbi & insignia Doctoratus accepit. Cũque iam famam sui nominis & eruditionis crescere deprehenderet, Romam, vbi facilior ad honores patet aditus, honorum appetens, se contulit. Parem illic inuenit sibi neminem, siuè linguæ Græcæ & Hæbraïcæ cognitionem respicias, siuè Latini sermonis elegantiam spectes. His igitur titulis Paulo Papæ secundo commendatus, ità charus extitit, vt bonus Pontifex solicitus esset, quomodò hominem de republica litteraria tam benè meritum condignis afficeret præmijs. Dum autem in hac esset cogitatione, nuncium accepit vacare in Anglia Bathonensem Episcopatum. Cuius rei quàm primùm factus esset certior, huic Ioanni dictum Præsulatum contulit, ad quem tamen nunquam consecratus est, morte, post vnum mensem, præuentus. Sed

iam litteraria monimenta, quæ viuens edidit, & moriens posteris reliquit, in Catalogum redigamus. Partim enim ad Paulum Papam secundum, partim ad Ioannem Tipetotum Comitem Vvigorniensem Mecænatem suum scripsit

Expostulationem Bacchi, *Librum vnum.*
De coma parui facienda, *Librum vnum.*
Epistolas familiares, *Librum vnum.*
Carmina diuersa, *Librum vnum.*
Epigrammatum, *Librum vnum.*
De rebus Geographicis, *Librum vnum.* Mundus est, qui alio nomine cœlum.
Cosmographiam, *Librum vnum.* MS. Oxonij in Collegio Balliolensi.
Contra Diodorum Siculum poëticè fabulantem, *Librum vnum.* M S. ibidem.
Petrarchæ epitaphium. Thuscia me genuit, perclusus.

E Græco in Latinum transtulit

Xenophontis, *Libros sex.* Cùm plures qui Græcas & Latin[illegible]
Diodori Siculi bibliothecam, *Libros sex.* Magnas meritò gr[illegible]
Sinesium de caluitio, *Librum vnum.* Numinis ira te non medioc[illegible]

Et alia plura tum scripsit, tum transtulit. Romæ diem obijt extremum anno post Natiuitatem Christi 1465, dum ad Anglicani regni gubernaculum sederet Edvvardus quartus.

De Dionysio Holcano.

1466. 859.

DIONASIVS Holcanus ordinis fratrum beatæ Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli Monachus Anglus, in cœnobio Burnhaniensi, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Vir in sacris & profanis litteris plus quàm vulgariter eruditus. Paucas tamen eius lucubrationes inuenio. Edidit saltem, teste Lelando, ex quo hæc pleraque deprompsi

Formalitates Logicas, *Librum vnum.*

Obijt in suo cœnobio Burnhaniensi, & ibidem sepultus est anno reconciliationis humanæ 1466, sub Angliæ Rege Edvvardo quarto.

De Nicolao Montacutio.

1466. 860.

NICOLAVS Montacutius natione Anglus, idem est quem aliqui Manacutium cognominant, mihi coniectura non leuis est eum litteras humaniores in Etonensi schola iuxta Vvindeshoram docuisse. Quoniam in illius Collegij bibliotheca ferunt adhuc asseruari omnia eius scripta. Erat sanè in omni politioris doctrinæ genere, pro temporibus illis nec inutiliter, nec infœliciter versatus, & prosa laudabiliter scripsit & versu. Historiarum, etiam maximè gentis nostræ peritissimus. Scripsitque præteritorum temporum res insigniter gestas, tam magna diligentia, tam syncera fide, & ordine tam perspicuo, vt his saltem titulis, cum primis illorum temporum historicis, nec iniuria conferri potuerit. Cuius opera præsertim de Regibus & Episcopis Angliæ videre percuperem. Scripsit enim

Scalam

Scalam temporum à Christo nato, *Librum vnum.* Christus natus est.
De Romanis Pontificibus, *Librum j.* Si vis Pontifices Romanæ discere sed. M S. in bibliotheca Lumleiana.
De Episcopis Angliæ, *Librum vnum.* Augustinus Arelati consecratus est. M S. ibidem.
De regibus Angliæ, *Librum vnum.* Alfredus filius Ethelulfi iunior.
Epigrammatum, *Librum vnum.* Et alia plurima.
Claruit anno à plenitudine temporis 1466, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus quartus.

De Guilhelmo Surfleto.

GVILHELMVS Surfletus ordinis Carmelitani Monachus Anglus in Conuentu S. Botulphi Lincolniensis agri, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Vir quem integritas vitæ cum singulari doctrina coniuncta omnibus bonis suo sæculo commendatissimum reddidit. Erat enim assiduus virtutum cultor, & è suggestu vehemens contra omnium vitiorum illecebras declamator. Non inerudité multa scripsit, & moriens sui cœnobij bibliothecæ, ad posteritatis vtilitatem reliquit. Hæc Lelandus, ex quo etiam colligo eum scripsisse 1466. 861.

Conciones sacras, *Librum vnum.*
De vitijs & virtutibus, *Librum vnum.* Et alia multa.
Mortuus & sepultus est in prædicto suo Monasterio die decimo tertio Nouembris, anno gratiæ 1466, sceptrum Angliæ tenente Edvvardo quarto.

De Ioanne Stono.

IOANNES Stonus vel Stonæus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, de claustro Ecclesiæ Christi Cantuariæ. Vbi in summa vitæ sanctimonia, regulari obseruantia, & ingenti studiorum labore vixit ad annos multos. Nam in libris eius M M S S. inueniri ferunt, eum anno tandem Monachatus sui quinquagesimo, cœpisse suos litterarios labores luce donare. Scripsit autem magnum quoddam volumen 1467. 862.

De obitibus & alijs memorabilibus sui cœnobij, *Libros plures.*
Decreta quædam, *Librum vnum.*
Speculatiuas Sanctorum patrum sententias de fide, spe, & charitate, *Librum j.* Tanta dignitas. Quæ omnia M M S S. dicuntur haberi Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Claruit anno salutis reparatæ 1467, sub Angliæ Rege Edvvardo quarto.

De Nicolao Kentono.

NICOLAVS Kentonus, Chenton cognominat Sixtus Senensis, à pago in quo natus est sic vocatus, ordinis Carmelitani Monachus Anglus in cœnobio Gippesvvicensi, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, & tandem totius ordinis sui per Angliam Prouincialis vicesi- 1468. 863.

OOoo

mus quintus, præfuit per annos duodecim. Vir omni virtutum & scientiarum genere instructissimus. In Poësi & Rhetorica benè versatus, acutus Philosophus, Theologus insignis. Matura iam ætate magnam inter suos auctoritatem, & illam, quam dixi consecutus est dignitatem, quo tempore sacrarum Scripturarum lectioni & meditationi, cœteris penè studijs neglectis, se dedidit. Frequentes autem sermones habuit, & priuatos ad suos fratres, & ad populum publicos. Scripsitque de gestis sanctorum & antiquorum & recentium, præsertim sui ordinis. Vergens autem ad senectutem, contemplationis cupidus, & molestiarum regiminis pertæsus, petijt ab onere Prouincialis liberari, curam illam ætati suæ nimis esse grauem. Habuit enim plus quàm mille quingentos in sua prouincia fratres. Se iam malle precibus & Deo liberè vacare, quàm praxi attendere, parere potiùs deinceps velle, quàm præesse. Itaque tandem eius petitioni acquieuerunt fratres, & alium elegerunt. Sed ad id quod est instituti nostri veniamus, & quibus litterarijs monimentis nomen eius vsque ad nos peruenerit, videamus. Scripsit commentarios vel lectiones quatuordecim

In Cantica Canticorum, *Librum vnum.* Osculetur me osculo oris sui.
In historiam Helizei Prophetæ, *librum vnum.* Terræ sulcos dū rimans.
In orationem Dominicam, Librum vnum. Præhonorādi Domini sacra nos.
In Euāgelia sermones quadraginta octo, Librum vnum. Veniē euangelizauit.
Positiones Theologiæ, Librum j. Vtrum imago summi Regis in homine.
Positiones ad clerum, Librum vnum. Obsecro vos fratres amantissimi.
Ad clerum Cantabrigiensem, Librum j. Ambuletis dignè Deo ad Thessal.
Orationes duodecim ad fratres, Librum j. Deuotissimi patres fratresque.
Ad Episcopum Exoniensem, Librum vnum. Audite cœli quæ loquor: aurib.
Benedictiones procedentium, Librum vnum. Dabo filium cui benedicturus.
Commendationes eorundem, Librum vnum. Laus eius in Ecclesia Sanctorū.
Epistolas ducentas duodecim, Librum j. Reuerendissimo in Christo patri.
Ordinationes festiuitatum, Librum vnum. Quoniam ad Dei nostri cultum.
Pro commemoratione B. Mariæ, Librum vnum. Inuiolabilis antiquitatis auct.
Vitam S. Cyrilli Græci, Librum vnum. Gesta Sanctorum patrum quorum.
Precationes ad sanctos versu, Librum vnum. O mi sācte pater Alberte vir in.
Pro relinquendo officio, Librum vnum.
Ad Generalem contra quosdam reformatos, Librum vnum.
Contra cuiusdam blasphemias, Librum vnum.
Contra quosdam apostatas, Librum vnum.
Contra quendam obstinatum, Librum vnum.
Ad quendam errantem, Librum vnum.
Pro suscipiendo pœnitente, Librum vnum.
Ad Dauidem Chirburium, Librum vnum.
Ad Cardinalem Eboracensem, Librum vnum.
Ad Norfolciæ Ducem, Librum vnum. Et alia plura.

Londini eandem sanctissimè diem extremum obijt quarto die Septem-

bris, anno post Virginis partum 1468, dum summa rerum in Anglia penes Edvvardum quartum resideret.

De Thoma Vviltono.

THOMAS Vviltonus natione Anglus, & sæcularis cleri Sacerdos non indoctus. Erat enim in sacris litteris benè versatus, in profanis non ignarus. Sed maximos suos labores in studijs iuris collocauit. Et quidem, vt ego conijcio, fuit vtriusque iuris Doctor. Nam alioquin ad illas dignitates & officia, ad quæ in Ecclesia fuit euectus, vix aut nè vix quidem peruenire potuisset. Ferunt enim illum fuisse Londinensem Cancellarium, & in eadem vrbe ad D. Paulum Decanum. Strenuè prudenterque, se gessisse in ijs controuersijs, quæ inter clerum sæcularem, & fratres mendicantes per illa tempora agitabantur. Defenditque causam cleri & suam, in medium allatis solidis rationibus & argumentis, allegatis etiam textibus vtriusque iuris, quæ tandem scriptis commisit, & edidit

1470.
864.

Contra mendicantes, *Librum vnum.* Viri validi ad corporales labores.
De visitatione cleri, *Librum vnum.*
Petitiones orationis Dominicæ, *Librum vnum.* Cognoscere debes quæ.

De alijs hactenùs nihil inuenio. Claruit anno post Christum natum 1470, regnante in Anglia Edvvardo quarto.

De Roberto Flemingo.

ROBERTVS Flemingus natione Anglus, Richardi Flemingi Lincolniensis Episcopi consanguineus, Oxonij, Lelando teste, bonis litteris operam dedit, & quidem non infœliciter. Nam ab elegantia linguæ Latinæ celebre sibi nomen peperit, & viam ad honores muniuit. Inde tandē vocatus, constitutus est Decanus Lincolniensis. Posteà maiora discendi studio, profectus est in Italiam, vt ibi celebriores Academias inuiseret, & cum doctissimis hominibus conferre sermones, & consuetudinem habere posset. Baptistam Guarinum Ferariæ docentem audiuit, eiusque lectionibus attentus auditor frequenter interfuit. Deindè Romam petijt, & ibi ad vnum, vt videtur, & alterum annum moratus est, nunquam otiosus, semper aut ab alijs discens, aut ipse legens vel scribens. Illic cum Platina & alijs doctissimis viris multa illi intercessit necessitudo. Per æstiuos calores indè secessit ad rus Tiburtinum, & cum præ æstu serijs rebus operam dare non posset; nec præ studiorum amore otiosus esse vellet: Poësi tantisper animum oblectare constituit, composuitque heroïco carmine tractatus quosdam, quos summo Pontifici Sixto quarto dedicauit sub hoc titulo

1470.
865.

Lucubrationum Tiburtinarum, *Libros duos.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*
Carmina diuersi generis, *Librum vnum.*
Dictionarium Græco-latinum, *Librum vnum.* Et alia non pauca.

Lincolniæ tandem vita functus & iuxta Richardum præfatum Episcopum consanguineum suum sepultus dicitur, circa annum ex quo Verbum caro factum est, & habitauit in nobis 1470, dum Anglicani regni diadema gestaret Edvvardus huius appellationis quartus.

De Thoma Vvigenhalo.

1470. 866. THOMAS Vvigenhalus ordinis Præmonstratensis Monachus Anglus, in cœnobio Dieramensi Comitatus Norfolcensis. Vbi, vt insinuare videtur Lelandus, in diuinarum rerum meditatione, & sacrarum historiarum lectione ac scriptione, omnem exegit ætatem. Sua sorte contentus, nec in Aulis principum honores, nec in Academiarum scholis sublimiores sectatus scientias. Itaque vir bonus & humilis in pia sua simplicitate congessit ingenti volumine

Historiam sui cœnobij, Librum vnum.

Miracula B. Mariæ Virginis in eodem loco, Librum vnum Et alia.

Claruit anno post aduentum Messiæ 1470, dum in Anglicani regni solio sederet Edvvardus quartus.

De Henrico Parcherio.

1470. 867. HENRICVS Parcherius vel Parker, ordinis Carmelitani Monachus Anglus, in Conuentu Doncastriensi, Comitatus Eboracensis, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis. Vir, teste Lelando, doctrinæ fama celebris. Sed Aristarchi similis supra modum nimis erat rigidus. Nam anno Domini 1464, dum Londini ad D. Paulum è suggestu pro concione Christi paupertatem omnibus, & maximè personis Ecclesiasticis commendaret, nimis acerbè inuectus est in clerum sæcularem, & Ecclesiæ Prælatos, superbiæ, fastus ambitionis magis audacter quàm prudenter accusauit. Concionem etiam eandem descripsit, & omnibus legere cupientibus communicauit. Hoc audaci exemplo animatus Thomas Holdenus eiusdem ordinis Monachus, & quidam etiam Dominicanus, in suis concionibus similia protulerunt. Quibus iniurijs irritati Episcopi omnes eos Londini carceribus mancipari fecerunt, & ex eodem suggestu palinodiam canere coëgerunt. Legitimam denique sæcularis cleri potestatem agnoscere & palàm fateri compulerunt. Scripsit autem iam edoctus modestiam hic noster Parcherius.

De paupertate Christi sermones, Librum vnum. Simùl in vnum diues & pauper.

Dialogum diuitis & pauperis, Librum vnum. Diues & pauper obuiauerũt.

In Aristotelis Meteora lectiones triginta quatuor.

Intentio Philosophi in hoc primo. Et alia multa quæ forsan suppressa perierunt. Claruit anno Domini 1470, sub Angliæ Rege Edvvardo quarto.

De Rocho Carthusiano.

ROCHVS Carthusianus honesti ciuis Londinensis filius, indolis egregiæ, ad omne virtutum & bonarum disciplinarum studium magna cura parentum educatus. Propter ingenium alacre, & ardens doctrinæ desiderium, omnibus fecit spem manifestam eruditionis futuræ. Iuuenis igitur ad bonas artes capessendas ad Academiam Parisiensem missus est, vbi suprà quàm dici potest humaniori litteraturæ addictus, accuratam elegantiæ Romanæ cognitionem acquisiuit, imò iam acquisitam mirè perpoliuit. Exercuitque stylum suum tum versu, tum oratione soluta nitidè, tersè, comptè scribens. Erat ei tum temporis frequens cõsuetudo, & multa familiaritas cum Ioanne Shirvvodo. Nam æqualitas ætatis, morum similitudo, studiorũ societas magnam inter eos fecerat amicitiam. Vterque pietatem, vterque doctrinam, maximè politiorem impensè dilexit. Tamen idem vtrique posteà non erat successus. Nam Carthusianus Carthusianorum quidem in quodam Conuentu factus est Prior. Shirvvodus autem ad Dunelmensem euectus est Episcopatum. Hæc partim ex Lelando, partim ex Theodoro Petreio in Bibliotheca Carthusiana. Porrò Rochus composuit

1470.
868.

Dialogorum, Librum vnum.
Epistolarum ad diuersos, Librum vnum.
Epigrammata Latina, Librum vnum.
Carminum diuersi generis, Librum vnum. Et eiusmodi alia multa.

Claruit anno Dominicæ incarnationis 1470, sub Angliæ Rege Edvvardo quarto.

De Ioanne Gundorpio.

IOANNES Gundorpius vel Gunthorpius natione Anglus, bonas artes, vt Lelandus existimat, Oxonij didicit, vel ibi saltem in studijs bona fundamenta posuit. Maturior autem factus, pro alacritate fælicis ingenij, aspirans ad sublimia, regionum exterarum celebriores Academias sibi duxit inuisendas. Per Galliam igitur penetrauit in Italiam, & vnà cum Ioanne Freo, de quo suprà, præceptorem Ferariæ Guarinum virum ijs temporibus eloquentiæ laude percelebrem habuit. Demum in Angliam reuersus factus est Ecclesiæ Vvellensis Decanus, & Angliæ Regi Edvvardo quarto priuati sigilli custos. Posteà putant quidam eum Cantabrigiam se contulisse, & ibi quietem nactum in Collegio Iesu multa scripsisse. Ecclesiæ saltem Vvellensi reliquisse dicitur

1470.
869.

Epistolarum ad diuersos, Librum vnum.
Orationes elegantes, Librum vnum.
Carminum diuersi generis, Librum vnum. Et his similia non pauca.

Claruit anno postquàm Verbum caro factum est 1470, dum ad Anglicani regni gubernaculum sederet Edvvardus quartus.

De Ioanne Hambois.

1470. 870. IOANNES Hambois natione Anglus, vir humanioribus litteris, imò omnibus liberalibus artibus, & Mathematicis scientijs non vulgariter instructus, ex omnibus tamen Musicam, qua naturaliter valdè delectabatur, insolito quodam more quasi vnicam elegit, in qua fœcundum & facetum ingenium suum potissimum exerceret. In harmonijs igitur & consonantijs concinnandis, in dissonantijs inueniendis & euitandis, in proportionibus perpendendis, denique in omnibus quæ ad hanc speculationem pertinent, tam fæliciter laborauit, tantamque in hac tota facultate peritiam consecutus est; vt in illa arte cum præcipuis sui temporis conferri potuerit. Huc accessit elegantia linguæ Latinæ, qua scriptis hos suos labores mandauit, & hanc artem Angelicam posteris commendauit. Scripsit enim

Summam artis Musices, *Librum vnum.*

Cantionum artificialium diuersi generis, *Librum vnum.* Et alia plura. Vixit anno gratiæ 1470, sub Angliæ Rege Edvvardo quarto.

De Guilhelmo Grenæo.

1470. 871. GVILHELMVS Grenæus seu Viretus ordinis fratrum beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli Monachus Anglus, in Academia Cantabrigiensi sacræ Theologiæ Baccalaureus. Hic cùm esset doctus, industrius, & honoris ordinis Carmelitani studiosissimus, ferè totam Angliam peragrauit, vt ex Bibliothecis res gestas illustrium virorum sui potissimùm ordinis scrutaretur, & in vnum corpus colligeret, ac posteritati mandaret. Lectis igitur super hac materia multis historijs, opus tandem egregium compilauit de sanctis ordinis Carmelitani, cui nomen indidit

Hagiologium Carmelitarum, *Librum vnum.* De alijs eius scriptis nihil habeo comperti. Claruit anno post Christum natum 1470, dum in Anglia summa rerum esset penes Edvvardum quartum.

De Michaële Tregorio.

1471. 872. MICHAEL Tregorius vel Trigury, natione Anglus, patria Cornubiensis. Vir præstantissimis naturæ dotibus imbutus, & omni virtutum atque scientiarum genere instructissimus. Nam, teste Lelando, fœlix eius ingenium à iuuentute ita melioribus artibus excultum fuit, vt cùm iam vir esset ætatis maturæ, cum eruditissimis sui sæculi viris non immeritò conferri posset. Cùm Angliæ Rex Henricus quintus subactis Gallis Cadomi in Normannia Academiam erigere institueret, & monitus esset hunc Tregorium tunc Oxoniensem Doctorem virum prudentem, grauem, eruditum ad hoc nobile opus inchoādum reperiri aptissimum, per litteras eum accersiuit, & vt regalem magnificentiam decuit, magnis stipendijs conductum anno Domini 1418. nouiter ere-

cto gymnasio præfecit, eique ad docendum adiunxit ex mendicantibus fratribus eruditos in omnibus scientijs Professores. Tregorius multa cum grauitate & auctoritate quæ suarum erant partium egregiè præstitit. Publicè legendo, disputando, & eruditè scribendo famam suam auxit, & maiore indies nominis celebritate claruit. Multo tempore illam Academiam, eiusque omnia negotia fæliciter & prudenter administrauit. Tandem anno Domini 1449, defuncto Richardo Talbodo Archiepiscopo Dubliniensi in Hibernia, Rex Angliæ Henricus sextus huic Tregorio dictum Archiepiscopatum contulit. Multa scripsisse perhibetur, quæ Gallis inter quos vixit, vel Hibernis apud quos obijt, magis quàm Anglis ex quibus natus est, nota esse poterunt. Hos tamen paucos titulos sequentes inuenio

Super Magistrum Sententiarum, Libros quatuor.
De origine illius study, Librum vnum.
Quæstiones ordinarias, Librum vnum.
Contra Henricum Albrincensem, Librum vnum. Et alia plura. Dubliniæ in Hibernia senex fatis concessit, & ibidem in Archiepiscopali sua Ecclesia sepulturam accepit anno salutis per Christum reparatæ 1471, dum Anglici regni clauum teneret Edvvardus quartus.

De Ioanne Tipetoto.

IOANNES Tipetotus illustrissima Comitum Vvigorniensium in Angliana natus familia, & ipse tandem Vvigorniæ Comes. Natalem locum habuit, teste Lelando, Euerton in Comitatu Cantabrigiensi. Indoles ei à teneris annis fuit præclara, educatio curâ parentum optima, virtus & bonæ artes ei naturaliter cordi fuerunt, quibus suo tempore splendorem generis mirificè illustrauit. Adolescens Oxonij studuit in Collegio Balliolensi, tanta cum fœlicitate, vt breui tempore, Latinæ linguæ didicerit elegantiam. Sed cùm dolens videret in Anglia Martem Musis inimicum, furere, & pacem publicam armis ciuilibus perturbari, Lancastrensi & Eboracensi familijs hostiliter de regno Angliæ decertantibus, cessit tempori, & misertus patriæ, sumpto amplissimo viatico, Hierosolymam peregrinatus est, ibi diuinam imploraturus bonitatem, vt sui patriæque afflictæ velit misereri. Hierosolymæ moratus aliquamdiù, voto satisfecit, & alias ciuitates Palæstinæ pijssimè inuisit, apud loca pleraque Christi & Christianis mysterijs sacra preces fudit & lachrymas. Quibus ita peractis, redijt Venetias, studiorum causa Patauium inuisit, eumque Ferariam attraxit (vti & plurimos per illa tempora Anglos) Guarinus ille Veronensis, vt eum audiret, quem Angli nostri tunc quasi quendam eloquentiæ Deum visebant, colebant, suspiciebant. Romam tandem profectus Bibliothecam Vaticanam frequentabat. Et dum in vrbe moraretur, coram Pio Papa secundo elegantem habuit orationem, cuius suauitas & mellissua dulcedo gaudij lacrymas dicto Pontifici elicuit copiosas. Sed quoniam

1471.
873.

non minus triennio *Mansit in Jtalia Musarum captus amore*, videamus alicuius Itali de illo testimonium. Ludouicus Carbo Ferariensis in oratione funebri scribit eum anno ætatis suæ vicesimo quinto fuisse summum Angliæ Thesaurarium, rem militarem etiam tunc exactè calluisse, & à prosapia Regum Angliæ suam originem duxisse. Nec silentio præterit singularem eius ad liberales scientias affectum. Qui inquit, litterarum auidissimus, omnes, vt ita dixerim, Italiæ Bibliothecas spoliauit, vt plurimis Bibliorum monimentis Angliam exornaret. Quem ego mitissimum Dominum meum appellare possim, & debeo. Hæc ille. Nos autem eius scripta recenseamus. Nam teste Caxtono edidit orationes multas Romana planè eloquentia refertas

Ad Pium Papam secundum, *vnam.*
Ad Cardinales, *vnam.*
Ad Patauienses, *vnam.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia plura.

Transtulit è Latino in Anglicum sermonem.

Publij Cornelij & Caij Flaminij de vera nobilitate, *Libros duos.*
Ciceronem de amicitia, *Librum vnum.*
Eundem de senectute, *Librum vnum.* Et alios auctores bonos.

Reuersus in Angliam, siue sua culpa, seu aliorum inuidia vehementer suspectus, quod contrarias Regi partes foueret, Londini securi percussus est, & apud Dominicanos sepultus. Vir sanè qui vitam egit meliore & honoratiore morte dignam. Hoc tamen supplicio mulctatus est anno salutis humanæ 1471, sub Angliæ Rege Edvvardo quarto.

De Ioanne Suttono.

1473. 874. IOANNES Suttonus natione Anglus, patria Eboracensis, ordinis Carmelitani Monachus in Doncastrensi Conuentu, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & per totam Angliam ordinis sui Prouincialis vicesimus septimus, quo munere cum suo merito, suorum fructu, omniumque bonorum laude, functus est ferè ad triennium. Vir sanè qui ad multiplicem scientiam omnem addiderat virtutem. Philosophus & Theologus insignis, omni denique tum sacra tum profana litteratura abundanter instructus. Ad publicam autem eruditionis suæ testificationem, vt auctor est Lelandus noster, edidit

Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.*
Quodlibeta, *Librum vnum.* De alijs nihil habeo certi. Doncastriæ diem suum obijt, & sepulturam accepit anno à plenitudine temporis 1473, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus quartus.

De Ioanne Stanberio.

1474. 875. IOANNES Stanberius in Occidentalibus Angliæ partibus natus, ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis. Vir præclaris animi dotibus

bus imbutus, virtute & eruditione spectabilis, omnium Carmelitarum in Anglia suo tempore, vt habet Lelandus, facilè princeps. Quo intuitu fuit apud magnates in summo precio, & Doctoribus Oxoniensibus charissimus, cui omnes, quos poterant, detulerunt honores. Rex etiam Henricus sextus audita hominis fama, eum accersiuit, & in grauissimis rebus, maximè ad religionem spectantibus, eius vsus est consilio. Multam certè auctoritatem ei conciliauit ipsa corporis habitudo longè decentissima. Erat enim vultu decorus, statura procerus, habitu modestus, incessu grauis & compositus, in colloquijs suauis & affabilis; acutus etiam ingenio, maturus iudicio, lingua promptus & expeditus, in consultando prudens, in expediendo dexter. Erat denique per omnia talis, vt siue animi, siue corporis respicias dotes, meritò affirmaueris naturam ei fuisse matrem perbeneuolam. Rex eum suo Collegio Etonensi, quod iuxta Vvindeshoram posuerat, educandæ iuuentuti primum præfecit Rectorem, & paulò pòst vt ipsi à secretis confessionum esset, assumpsit. Deinde eum Episcopatu Norvvicensi donauit. Sed opponente se tum Guilhelmo Polo Duce Suffolcensi, cessit. Et anno Domini 1448, Banchorensem Præsulatum accepit, quem postquam quinquennio tenuisset, ad Herefordensem translatus ascendit. Sed de his alibi. Hæc autem decerpsi partim ex Lelando, partim ex Trithemio, partim ex Iacobo de plebe in indice scriptorum Carmelitarum, & ex Petro Lucio in Bibliotheca Carmelitana. Ex quibus etiam habeo eum eruditè scripsisse

De vigore sacræ Scripturæ, *Librum vnum*. Tanta est auctoritas Canonicæ.
De prærogatiua Ecclesiastica, *Librum vnum*. Princeps, vt verus.
De symbolo fidei, *Librum vnum*. Vt magis communitati proficiat.
De vigore decretorum, *Librum vnum*. Iura ciuilia, decreta & decretalia.
De sanctionibus Ecclesiasticis, *Librum vnum*. Conciliorum generaliũ sanct.
De potestate Pontificia, *Librum vnum*. Leges humanas an Papa poterit.
De dote Ecclesiæ, *Librum vnum*. An liceat clericis & Christi Sacerdoti.
De vario scripturæ sensu, *Librum vnum*. Sacræ Scripturæ sensus distinguit.
De discrimine iurisdictionum, *Librum vnum*. Pontificalis dignitas & præ.
Super Magistrũ Sententiarum, *Libros quatuor*. Textum libri quem præ man.
De laboris vniuersi præmio, *Librum vnum*. Reuerendi Magistri, patres &c.
Sermones coram Rege, *Librum vnum*.
Sermones ad Clerum, *Librum vnum*.
Sermones ad populum, *Librum vnum*.
Quæstiones ordinarias, *Librum vnum*. Vtrum viantis aliqua sit euidens.
De regimine celebrantiũ, *Librum vnum*. Prouocatus etiã per amicos qua.
De quatuor minimis, *Librum vnum*. Notandũ secũdum Physicos, aqua.
Lecturas Oxonienses, *Librum vnum*.
Commentarios & auctuarium Richardi Vlerstoni, *Librum vnum*.
De casu & fortuna, *Librum vnum*. Causa per accidens est duplex.
De fato & fortuito, *Librum vnum*. Superest iam scrutari de fato.

Composuit etiam indices in multos Doctores.

In D. Chrysostomum, nemo læditur. Abnegare se qualiter quis debet?

In S. Augustini confessionale. Abyssus abyssum inuocat.

In eundem super S. Ioannem. Abraham, vbi Deus Abræ.

In eundem de doctrina Christiana.

In Enchiridion eiusdem.

De visitatione infirmorum.

De cura agenda pro mortuis.

De laude charitatis.

De disciplina Christiana.

In Homilias S. Gregorij. Et in alia aliorum opera. Ludlovvæ tandem inter Carmelitas obijt vndecimo die Maij: corpus eius Herefordiam delatum, ibi honorificam accepit sepulturam, anno reconciliationis humanæ 1474, regnante in Anglia Edvvardo quarto. Vide eum quem conscripsimus de Episcopis Herefordensibus Catalogum.

De Thoma Nortono.

1477. 876. THOMAS Nortonus natione Anglus, patria Bristolensis, Alchymista suo tempore peritissimus. Nam, vt de illo scribit Robertus Recordus, cum in studijs Philosophiæ curiosiùs arcana naturæ mysteria scrutari cæpisset, in hanc vanissimam artem miser impegit, in ea suum tempus inaniter contriuit, suam etiam sine dubio substantiam, & eorum qui ei crediderunt, bursas exhausit & exinaniuit. Ad ostentationem autem ingenij perspicacis & curiosi de hac friuola scientia scripsit egregius iste nugarum opifex rithmo Anglico

De lapide Philosophico, *Librum vnum.*

Epitomen Alchymiæ, *Librum vnum.* Ad honorem Dei in tribus personis. M S. in Bibliotheca priuata Baronis de Lumleio.

De transmutatione metallorum, *Librum vnum.* Et id genus alia multa. Floruit anno salutis reparatæ 1477, dum in Anglicani regni solio sederet Edvvardus quartus.

De Ioanne Sloleio.

1477. 877. IOANNES Sloleius ordinis S. Augustini Monachus Anglus, in cœnobio Norvvicensi, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiẽsis. Adolescens vitæ istud institutum amplexus est, vt liberiùs obsequijs diuinis, & bonarum litterarum studijs vacare posset. Nam ad hæc duo videbatur à natura factus & compositus. Referunt eius ordinis scriptores fuisse hominem in sacris & profanis litteris egregiè doctum, pium, & prudentem. Vnde & à suis electus est in ordinis Prouincialem per Angliam, in quo munere dum versatus erat, non solum Prouinciam impositam cum honore sustinuit, & fideliter administrauit, verum etiam ad populum frequentes sermones habuit, & verbum Dei multo cum fructu prædicauit. Scripsit teste Iosepho Pamphilo & alijs

Quæstionum variarum, *Librum vnum.*
Sermonum per annum, *Librum vnum.* De alijs eius ſcriptis nihil mihi certi. Norvvici viuendi finem fecit, & ibidem inter ſuos ſepulturam accepit die quarto Iunij anno Domini 1477, vel ſecundùm Pamphilum 1479, regnante apud Anglos Edvvardo quarto.

De Gualtero Hunto.

GVALTERVS Huntus, ſeu Venantius, in Occidentalibus Angliæ partibus natus, ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de monte Carmeli, ſacræ Theologiæ Doctor Oxonienſis, & ibidem aliquando Profeſſor. Vir ingenij ſolertiſſimi, ſermonis politi, linguæ expeditæ, eminentiſſimæ tam in ſacris, quàm in profanis litteris ſcientiæ. Quibus acceſſit linguarum exacta peritia. Denique tanta (nec immeritò) erat apud omnes de eius ſanctitate & eruditione ſingulari, opinio, vt anno Domini 1438, in flore ætatis conſtitutus, communi totius regni decreto & nomine, Ferariam primùm, deinde Florentiam ad ſynodum generalem ſub Eugenio Papa quarto, ad refutandos Græcorum & Armeniorum errores indictam, orator deſtinaretur. In qua ſynodo præſente Græcorum Imperatore Ioanne Paleologo, & Patriarcha Ioſepho, quatuordecim menſium ſpacio, congreſſibus ferè quotidianis, contra Græcorum Doctores, de proceſſione Spiritus ſancti à Patre & Filio, de cõſecratione in pane azimo, de Primatu Romani Pontificis, & de multis alijs articulis ſtrenuè neruoſéque diſputauit cum magno præſentium applauſu. Notantque auctores quòd Iulianus S. Angeli Cardinalis, & Andreas Archiepiſcopus Coloſſenſis eum à multiplici doctrina, à ſolidiſſimis argumentis in ea concertatione propalatis ſummoperè laudauerint. Quodque apud ſummum Pontificem magnam gratiam, apud Angliæ proceres parem beneuolentiam, denique apud omnes celebrem famam in ea legatione ſibi conciliauerit. Hæc partim Trithemius, partim Petrus Lucius in Bibliotheca Carmelitana, partim alij ſcriptores teſtantur. Oxoniam deinde reuerſus, ibi à docendo & ſcribendo etiam in ætate decrepita numquàm vſque ad mortem ceſſauit. Vnde & plurimam litterariam ſupellectilem poſteris communicauit

1478.
878.

Enarrationes Euangeliorum, *Libros quatuor.*
Super Magiſtrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Super Eccleſiæ ſymbolo, *Librum vnum.* Sed magna erat quæſtio, vtrum.
De Eccleſiæ auctoritate, *Librum vnum.* Symbolica Chriſti Eccleſia.
De præcellentia S. Petri, *Librum vnum.* Petrus Apoſtolorum princeps.
De Pontificum iuriſdictione, *Libros tres.* Suprema militantis Eccleſiæ.
De regalitate Chriſti, *Librum vnum.* An Chriſtus hominũ perfectiſſimus.
De eius paupertate, *Libros duos.*
De prædeſtinatis, *Librum vnum.* Soli præuenti Dei gratia prædeſtin.
De Vniuerſali Pontificum Dominio, *Libros tres.*

Lecturas Theologicas, *Librum vnum.*
De Cleri Vniuersali Dominio, Librum vnum. Non solũ parochiales curati.
De religiosorũ prærogatiua, Librum vnum. Viso superiùs quid sit Ecclesia.
De statu fratrum medicantium, Librum j. Religiosorũ mendicantiũ status.
Sermones viginti septem notabiles, *Librum vnum.*
Disputationum, *Librum vnum.*
Abbreuiationes Petri Cõmestoris, Librum vnum. Ex Ægypto vocaui filiũ.
Contra Græcorum articulos, Librum vnum. Differendæ materiæ altitudo.
Acta Ferariæ & Florentiæ, Libros sex. Sciendũ est quòd duodecim vicib.
De processu sacri Concilij, Librum vnum. Post hæc sic dicta, vnicũ actũ.
Certamina Latinorum, Librum vnum. Dominus Archiepiscopus Coloss.
Excerptiones duodecim chronicorũ, Libros duodecim. Ioan. filius minor Héric.
Historiarum epitomen, Librum vnum. Ouidius Naso sic dictus est, quia.
Contra mulieres doctrices, Librum vnum. Non licet mulieribus publicè.
De cõmunione fœminarũ, Librũ vnum. Idoneæ ministræ nõ sunt mulieres.
Vocabulariũ Latinũ, Librum vnum. Ab præpositio, omnibus in cõposit.
De vigore litterarum, Librum vnum. A vocalis aliquando mutatur per.
In Parisiensem de virtutibus indices. Ad notitiam istius tabulæ, qua.
In eundem de vitijs. Abbatũ exempla de taciturnitate. Et alia plura.

Oxonij senex ætatis planè decrepitæ viuendi simul & scribendi finem fecit, & ibidem inter suos sepultus est die vicesimo octauo Nouembris, anno post partum virgineum 1478, regnãte in Anglia Edvvardo quarto.

De Thoma Radburno.

1480. 879.

THOMAS Radburnus alter, quem iuniorem vocant, ordinis sancti Benedicti Monachus Anglus in Hidensi cœnobio, quod in Septentrionali suburbio ciuitatis Vvintoniensis situm erat, & nouum appellari solebat. Vir qui ab adolescentia sua iugum Domini portare didicerat, & vnà cum studio virtutum, & Monastica disciplina, amorem etiam bonarum litterarum auidiùs imbiberat. Historias impensè dilexit. Ex quarum lectione facilè deprehendit optima depromi vitæ instituendæ exempla, & præclara siue ad virtutem amplexandam, siue ad omne vitiorum genus declinandum documenta suppeditari compertum habuit. Fecit igitur insitus amor patriæ, vt qui omnes etiam exterarum nationum historias legere, quoad fieri potuit, non omitteret, solas tamen eligeret patrias, quas scriberet. Perlustratis itaque antiquissimis Britannorum & Anglorum historicis, vtilissimam operam impendit, & accurata nostræ nationis edidit chronica, multas indagauit antiquitates, & plurima memoratu dignissima ab obliuionis tenebris vindicauit, in lucem posuit, posteris tradidit. Seriem autem huius narrationis historicæ ab ipso Brito primo Britonum Rege, vsque ad Henricum tertium Anglorum Regem optimo ordine plenè deduxit. Hunc Radburnum citat aliquando Ioannes Rossus Vvarvvicensis in suis historijs, qui etiam asserit se non solum eius opera legisse, ve-

rum etiam ipsum auctorem vidisse. Scripsit autem Radburnus
De rebus Hidensis Monasterij, *Librum vnum.*
Breuiarium chronicorum, *Librum vnum.* Multi nobiles ac pietatis studio. M S. in bibliotheca Baronis Lumleiani.
Historiam maiorem, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Et alia quædam.
Claruit anno gratiæ per Christum factæ 1480, dum in Anglici regni solio sedebat Edvvardus quartus.

De Dauide Morganio.

1480. 880.

DAVID Morganius Britannorum sanguine in Cambria natus, & ibidem Ecclesiæ Landauensis Thesaurarius. Vir Britãnicarum rerum valdè peritus, vtpote qui, teste Lelando, hoc studium quasi cum lacte nutricis imbiberat, & à puerilibus annis suorum parentum, ab ipsis parentibus edoctus, genealogias contexere consueuerat. Creuit cum ætate hoc desiderium, quod factum est annis maturioribus ardentissimum. Postquàm enim ingenium ingenuis artibus excoluisset, ad antiquitates Cãbriæ scrutandas tanto feruore se accinxit, vt nullũ laborem fugeret, nullam viam intentatam relinqueret, quæ ad finem hunc spectaret, aut quoquo modo conduceret. Ciuitates, castella, templa, montes, lacus, fluuios ipse magnis itineribus adiuit, antiquitatis monimenta singula curiosissimè proprijs oculis lustrauit. Situm, distantias, commoda, incõmoda locorum diligenter notauit. Cum indigenis cuiusque loci contulit, & vetusta quæque ab ijs, quantum fieri potuit, expiscatus est. In his maximè suã Morganiam patriæ gratissimus alumnus accuratissima diligentia illustrauit, & quicquid ibi esset celebrioris notæ ad amussim descripsit. Huius auctoris honorificam facit mentionem Synchronos eius Ioannes Rossus in suo libro de Academijs. Porrò postquam multo sudore collegisset opulentum hunc antiquitatis venerandæ thesaurum, multa edidit hoc in genere præstantissima opera, videlicet
Antiquitates Cambriæ, *Librum vnum.*
Geographiam eiusdem, *Librum j.* Titulos aliorum librorum quos edidit adhuc non inuenio. Claruit anno post Christum natum 1480, regnante in Anglia Edvvardo quarto.

De Ioanne Kento.

1482 881.

IOANNES Kentus alijs Cailegus in illa parte Cambriæ quæ Demetia dicitur, in oppido Cailegio natus ad Iscæ fluminis ripas, vt auctor est Lelandus. Vir elegantis ingenij, & ad bonas artes à natura formati. Cantabrigiæ studiorum sedem fixit, vbi diù moratus, imprimis humanioris litteraturæ summam acquisiuit peritiam, deindè mathematicas scientias omnemque Philosophiam laboriosè didicit, & posteà publicè docuit. Tandem ad medicinam animum adiecit, in qua tantos fecit progressus, vt publicis Academiæ suffragijs Doctoralem gradũ acceperit.

Quo honorifico titulo insignitus, feruentiùs quàm priùs in inuestigandis morborum remedijs laborauit. Naturas, operationes, effectus herbarum, radicum, florum, fructuum diligẽtissimè indagauit. Et nè posteritatem suis lucubrationibus fraudare videretur, pleraque, imò melioris notæ penè omnia scriptis mandauit. Ex quibus non pauca in bibliothecis Cantabrigiensibus diù asseruata fuisse ferunt. Scripsit autem partim prosa, partim eiam versu, & in vtroque genere multa satis, & ea certè non inelegantia

De rebus sacris, Librum vnum.
De re medica, Librum vnum.
De naturis herbarum, Librum vnum.
De animalibus, Librum vnum.
De goëtia & theurgia, Librum vnum.
Tabulas Astronomicas, Librum vnum. De alijs nihil legi.

In Demetia tandem mortuus & sepultus dicitur circa annum à Christo nato 1482, dum in Anglia regnaret Edvvardus quartus.

De Guilhelmo Caxtono.

1483.
882.

GVILHELMVS Caxtonus natione Anglus. Vir pius, doctus, & multum industrius, propriæ quidem laudis nonnihil appetens, sed multò magis patriæ gloriæ cupidus. In Flandria quidem triginta annis vixit cum Margareta Burgundiæ Duce, Regis Edvvardi quarti sorore. Quo toto tempore nunquàm fuit otiosus, sed aut patrias aut exterarum regionum historias in manibus ferè semper habebat. In Angliam demùm reuersus, inuenit, vt ipse fatetur, historiæ cuiusdam principia inchoata à quodam prælectore Monasterij S. Albani, qui morte præuentus opus intẽtum absoluere non potuit. Chartas illas imperfectas accepit Caxtonus, suas illis adiecit ex optimis quibusque auctoribus collectas. Ex omnibus egregiam historiam composuit, incipiens, vt ipse asserit, ab eo tempore, quo primùm insula nostra cœpit inhabitari, & vsque ad vicesimum tertium, hoc est, vltimum Regis Edvvardi quarti annum, qui erat Christi 1483, perueniens, seriem rerum perduxit, titulum operi dedit fructus temporum. Volumen puer aliquando vidi Vvintoniæ. Scripsit etiam appendices ad Ioannem Treuisam ab anno Domini 1397, vsque ad annum 1460. Collegit omnia Galfredi Chauceri opera, quæ priùs non nisi sparsim hinc indè reperiebantur, eaque ad iusta redegit volumina, & in publicum prodire fecit, nè dispersa perirent, quæ in vnum compacta faciliùs reseruarentur posteritati. Ioannes Maior libro quarto de gestis Scotorum fatetur se quasdam huius auctoris historias ex Anglico in Latinum vertisse sermonem, & maiorem historiæ suæ partem ex illo sumpsisse. Scripsit potissimùm sermone patrio

Chronicon mundi vel fructus temporum, Libros septem. Cùm sit cunctis Christianæ religionis. Extat Londini anno 1515. Habeo Anglicè.

Historiam Regis Arthuri, Libros viginti & vnam. Contigit in diebus Vtheri Pendrag.

Appendices ad Treuisam, *Librũ j.* Prosequens demùm præscripti operis.
Vitam S. Edvvardi Regis & Confessoris, *Librum vnum.* Gloriosi ac Deo dilecti Regis Edvvardi.
Ex varijs auctoribus compilauit Angliæ, Scotiæ, Vvalliæ, Hiberniæ descriptionem, *Librum vnum.* In varijs locis habentur Anglo. Extat Anglicè Londini anno 1515. Habeo in mea bibliotheca.
Imaginem mundi, *Librum j.* Quoniã citò euanescunt verba. Et alia plura.

Partim autem ex Gallico, partim ex Latino in Anglicum sermonem transtulit.

Historiam excidij Troiani, *Libros tres.* Dum commendo memoriæ omnes.
Vegesium de re militari, *Libros quatuor.* Quia strenuitas tam necessaria.
Bonauenturam de vita Christi, *Librum vnum.* Attende lector huius libri pr.
Ioannitam de ludo scaccorum, *Libros iiij.* D. Apostolus & Doctor gent.
Capgrauij Catalogum de sanctis Angliæ, *Librum vnum.*
Illustrationes armorum Christini, *Librum vnum.*
Historiam Lumbardicam, *Librum vnum.*

Ex Gallico in Anglicum sermonem vertit *obsidionem & expugnationem Ierusalem per Godefridum de Bullien ad Angliæ Regem Edvvardum quartum*, *Librum j.* Extat Vvestmonasterij anno 1481. Habeo in mea bibliotheca. De alijs eius scriptis vel eorum titulis hactenùs nihil inuenio. Claruit anno post aduentum Messiæ 1483, regnante in Anglia Edvvardo quarto.

De Ioanne Capgrauio.

1484. 883.

IOANNES Capgrauius, natione Anglus, patria Cantianus, ordinis eremitarum S. Augustini in Monasterio Cantuariensi, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & tandem in Anglia totius Augustinianæ familiæ Prouincialis. Vir pietatis & eruditionis laudibus insignis, & teste Iosepho Pamphilo, cui & multi alij astipulantur, omnium, qui vnquam illius ordinis in Anglia fuerunt, doctissimus. Erat tum in sacris, tum in profanis litteris fœlicissimè versatus, accessitque ad præclaras naturæ dotes, tam diligens ingenij cultura, vt ei pares illa ætate perpaucos, superiorem vix omninò quemquam Anglia protulerit. Acer ingenio, solidus iudicio, clarus eloquio, subtilis disputator, elegãs concionator, Philosophus acutus, Theologus profundus, in explicandis sacris scripturis clarus, perspicuus, dilucidus. His accessit morum candor singularis, mansuetudo, benignitas, affabilitas, animi moderatio, sedatæ passiones, prudentia, dexteritas, mira per omnia vitæ integritas. Quarum virtutum titulis Deo & hominibus amabilis extitit. Singularem habuit patronum Humfredum Glocestriæ Ducem, principem optimum, apud quem multum valuit gratiã, nec minùs auctoritate. Erat enim illi à Confessionum secretis, multa ad eum scripsit, & sub eius tutela patrocinioque sua pleraque in lucem emisit. Sed ex operibus ipsis videamus, quantum huic eximio Doctori debeat respublica litteraria. Non desunt qui affirmant eum in omnes & singulos libros sacrorum Bibliorum

ſcripſiſſe commentarios omni eruditione refertos eoſdemque fuſiſſimos. Quicquid autem de eo ſit, illud certè conſtat, eum maiorem vtriuſque inſtrumenti partem doctiſſimis explicationibus illuſtraſſe, & pleraque ſua præfato Duci ſuo optimo Mecænati nuncupaſſe. Edidit igitur poſtillas ſeu commentarios

In Geneſim, *Librum vnum*. Arduum namque & ſupra vires eſt.
M S. Oxonij in Collegio Orialenſi.
Super Exodum, *Librum vnum*. Quia hiſtoriam quam hîc proſequ.
Super Leuiticum, *Librum vnum*. Occultiſſimorum myſteriorum ſunt.
Super Numeros, *Librum vnum*. Ex Nicolao de Lyra ſuper libro.
Super Deuteronomium, *Librum vnum*. In hoc vltimo libro Moyſi.
In Ioſue, *Librum vnum*.
In Iudices, *Librum vnum*.
In Ruth, *Librum vnum*.
In Reges, *Libros quatuor*. Quod in regnorum libris.
In pſalterium, *Librum vnum*. Beatus vir qui non abijt in conſilio.
In Eccleſiaſtem, *Librum vnum*.
In Iſaiam Prophetam, *Librum vnum*.
In Danielem, *Librum vnum*.
In duodecim Prophetas minores, *Libros duodecim*.
In quatuor Euangelia, *Libros quatuor*.
In epiſtolas S. Pauli, *Libros quatuordecim*. Domino ſuo honorabili Hunfr.
In acta Apoſtolorum, *Librum vnum*. Reminiſcor ſancte Antiſtes, quanto.
M S. Oxonij in Collegio Balliolenſi.
In Epiſtolas Canonicas, *Libros ſeptem*.
In Apocalypſim S. Ioannis, *Librum j*. Venerabili Domino ſuo in Chriſto.
De fidei Symbolis, *Libros tres*. Quoniam Pſalmographus ait, ſe.
M S. Oxonij in Collegio Balliolenſi.
Epiſtolam ad Guilhemum Epiſcopum Elienſem. M S. ibidem.
Manipulum doctrinæ Chriſtianæ, *Librum vnum*. Inter cetera otij mei ſec.
Super Magiſtrum Sententiarum, *Libros quatuor*.
Determinationes Theologiæ, *Librum vnum*.
Diſputationes ordinarias, *Librum vnum*.
Lecturas ſcholaſticas, *Librum vnum*.
Sermones per annum, *Librum vnum*.
Orationes ad clerum, *Librum vnum*.
Ad poſitiones erroneas, *Librum vnum*.
De ſequacibus S. Auguſtini, Librum vnum. Teſtatur ille Græcorum eloq.
De illuſtribus viris ordinis S. Auguſtini, *Librum vnum*.
Catalogum ſanctorũ Angliæ, *Librum vnum*. Sancti patres qui priſcis fuere.
De nobilibus Henricis, *Libros tres*. Henrico Dei gratia Regi Angliæ.
Vitam Humfredi Ducis Gloceſtriæ, *Librum vnum*.
Chronicorum, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Epiſtolarum ad diuerſos, *Librum vnum*. Et alia quædam.

Teſte

Teste Pamphilo, Linnæ mortuus & sepultus est die duodecimo Augusti anno salutis reparatæ 1484, Richardo tertio vsurpatore per summum scelus Angliæ regnum inuadente.

De Ioanne Spinæo.

IOANNES Spinæus natione Anglus, patria Bristoliensis, ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, sacræ Theologiæ Doctor, &, vt videtur Professor Oxoniensis. Vir Philosophicis & Thelogicis scientijs non vulgariter instructus, & concionator suo tempore satis celebris. Vndè & scripsit ad nominis sui memoriam, & posterorum vtilitatem 1484. 884.

Sermonum ad clerum, *Librum vnum*. Cùm venerit paraclitus, quem pater.

Disputationes solemnes, *Librum vnum*. Aliorum operũ titulos non inuenio.

Oxonij diem suum obijt anno post Christum natum 1484, Richardo tertio per tyrannidem Angliæ regnum occupante.

De Ioanne Miluertono.

IOANNES Miluertonus ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmeli, in Conuentu Bristoliensi Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis. Postquam in publicis lectionibus & scholasticis concertationibus magnum sibi conciliasset, nomen; à Ioanne Soretho ordinis Magistro generali Parisios vocatus est, & in solẽni suorum capitulo, anno Domini 1456, per Angliam, Scotiam, & Hiberniam constitutus est ordinis sui Prouincialis. Quem Magistratum cum fructu & honore gessit ad annos circiter vndecim, & alia vice ad annos duodecim. Vir quidem doctus, sed qui multa sibi nimis temerè arrogabat. Nam imprudente quodam zelo plus satis reprehendit excessus Prælatorum Ecclesiasticorum, & ipsorum adeò Præsulum. In quibus grauitatem pro superbia, congruum dignitati habitum pro luxu, hospitalitatem pro prodigalitate, seueritatẽ pro tyrannide, vel grauiter redarguebat, vel omninò condemnabat. Occasionem quidem primam sumpsit optimam. Nam per illud tempus Reginaldus Pecoccus Episcopus primum Asaphensis, deindè Cicestrensis in graues errores prolapsus est. Contra hunc Miluertonus, & benè, strenuè concionatus est. Sed intra debitos limites nequaquàm se continuit. Quid enim opus erat tam atrociter *Præsulis vnius diffundere crimen in omnes?* Et qua ratione vt scribit in epistola quadam D. Hieronymus, *paucorum culpa fit omnium scelus?* Hoc tamen fecit, & quidem suo malo Miluertonus. Cuius malum exemplum secuti quidam alij Monachi, indiscretis suis è suggestu reprehensionibus Episcoporum contra sese animos exasperauerunt, & ad iustam iracundiam prouocauerunt. Richardus tandem Episcopus Londinensis duos ex his insolentioribus Monachis carceribus concludi fecit, & ipsum Miluertonum excommunicauit. Miluertonus Romam ad Paulum Papam secundum confugit. Sed Pa- 1486. 885.

pa accusatione Episcoporum accepta, & Miluertoni excusatione reiecta, hominem in carcerẽ detrudi fecit, & ad triennium in castello S. Angeli detinuit. Tandem causa septem Cardinalibus iudicanda commissa est. Quorum sententia vinculis liberatus, & aliquo modo honori restitutus est. Ab Episcopatu tamen Meneuensi tum fuit reiectus, ad quem anteà fuerat electus. Occasione huius tam grauis infortunij, totus ordo Carmelitarum in Anglia deinceps declinauit, honor & existimatio diminuta est, auctoritas euacuata, doctrina etiam defecit, deficientibus medijs & Mecænatibus, qui subsidia studiorum, vt priùs, illis subministrarent. Scripsit autem Miluertonus anno Domini 1458, ad Pium Papam secundum, vt se insinuaret, contra Reginaldum Pecoccum satis prolixum opus in quo comprehendit eius accusationem, articulos obiectos, totum denique processum, & formam condemnationis. Hoc tamen eum periculis non eripuit. Sed nunc ad hominis litteraria monimenta, quæ communia fecit posteritati, veniamus. Scripsisse dicitur

Commentarios in diuersos sacræ Scripturæ textus.
Super S. Augustinum de ciuitate Dei, *Librum vnum.*
Sermones per annum, *Librum vnum.*
Lecturas ordinarias, *Librum vnum.*
Determinationes Oxonienses, *Librum vnum.*
Symbolum suæ fidei, *Librum vnum.* Dominus aperiat mihi ostium.
De paupertate Christi, *Librum vnum.* Gratia Domini nostri Iesu.
Prolixum opus contra Reginaldum Pecoccum, *Librum vnum.*
Contra quendam Episcopum, *Librum vnum.*
Epistolas sexaginta quatuor ad amicos, *Librum vnum.* Frater Ioannes Hu.
Ad Mecænates Anglos, Librum vnum. Pater in Christo Reuerendissime.
Ad quendam Romanum, Librum j. Reuerende Doctor, postulationes de.
De sua captiuitate, *Librum vnum.*

Dum esset captiuus scripsit

Ad Paulum Papam secundum, *Librum vnum.*
Ad S. Angeli Cardinalem, *Librum vnum.*
Ad Cardinalem Nicænum, *Librum vnum.*
Ad Ioannem S. Sixti Cardinalem, *Librum vnum.*
Ad Cardinalem Therasonensem, *Librum vnum.*
Ad Cardinalem Rothomagensem, *Librum vnum.*
Ad Cardinalem Papiensem, *Librum vnum.*
Ad Vrsinum Cardinalem Spoletanum, *Librum vnum.*
Ad quosdam Italiæ nobiles, *Librum vnum.*
Ad Angliæ Doctores, *Librum vnum.* Et alia quàm plurima.

Tandem ærumnis & diebus plenus Londini viuendi finem fecit die penultimo Ianuarij, & ibidem in choro sui cœnobij sepultus est, postquam suis præfuisset annis viginti duobus, dum ageretur annus gratiæ 1486, inchoante fœliciter in Anglia regnum suum Henrico huius nominis septimo.

De Thoma Pemchetto.

THOMAS Pemchettus ordinis eremitarum S. Augustini Monachus Anglus, in cœnobio Vvarringtonensi. Hic in Occidentalibus Angliæ partibus natus, Oxonium studiorum suorum sedem elegit, vbi tantos maximè in Philosophicis & Theologicis scientijs fecit progressus, vt illos honoris acceperit titulos, quos primæ notæ Theologis Academiæ conferre consueuerunt supremos. Vir ingenij subtilissimi, & incredibilis in scholasticis disceptationibus acuminis. Argutias subtilis Doctoris Ioannis Scoti per omnia, si non consecutus, at certè diligenter imitatus & pressè secutus est. De quo scribit Ambrosius Coriolanus in suis commentarijs, eum omnia Scoti scripta tam exactè tenuisse, vt si omnia perijssent, omnia tamen potuisset ex memoriæ suæ thesauro depromere, & penè singula de nouo integritati pristinæ restituere valuisset. Fama mirabilis ingenij, & eminentis doctrinæ, ita vbique terrarum percrebuit, vt in Italiam vocatus, & magno salario conductus, Patauiæ Theologiam multo tẽpore publicè docuerit, vt auctor est Iacobus Middendor pius libro quarto Academiarum, in Patauina. Quo in loco Pemchettus omnia Scoti opera typis mandari curauit, ab auditorio suo rogatus, vt scribit Iacobus Bergomensis, qui etiam prodigiosam hominis memoriam laudare non omittit. In patriam tandem reuersus, fit ordinis sui per Angliam & Hiberniam Prouincialis. Sed ecce quàm magna magnis ingenijs imminent pericula! Anno Domini 1483, cum quodam Doctore Theologo Ranulpho Shao iniquum iniuit consilium, vt scilicet Richardus ille vulgò vsurpator, in Regem sublimari posset, & Edvvardi progenies reijceretur. Quod licet ad effectum quodammodò perductum fuerit, eo tamen impio facto tantam suæ famæ, imò & ordini ipsi in Anglia maculam aspersit, quantam nunquàm eluere valuit. Tamen eius doctrina nihilominùs famam habet immortalem. Scripsit teste Iosepho Pamphilo & alijs

1487.
886.

Annotationes in D. Augustinum, *Librum vnum.*
Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Placita Theologica, *Librum vnum.*
Conciones ad vtrumque statum, *Librum vnum.*
Ordinarias disputationes, *Librum vnum.*
Lectiones in Scotum, *Librum vnum.*
Castigationes in quodlibeta Scoti, *Librum vnum.* Extant anno 1481. Vidi in bibliotheca Franciscanorum Nancæi.
Actus Magistrales, *Librum vnum.*
De arte sermocinandi, *Librum vnum.* Quamuis vnica & certa ars sit.
In Metaphysicam Aristotelis, *Libros duodecim.*
Elucidationes naturalium, *Librum vnum.*
Philosophantium præceptiones, *Librum vnum.*
Summam dialectices, *Librum vnum.* Et alia non pauca.

Londini in suo Monasterio mortem obiuit, & sepulturam accepit vicesimo die Maij, anno salutis reparatæ 1487, dum in Anglia rerum potiretur Henricus septimus.

De Ioanne Tonneio.

1490. 887. IOANNES Tonneius Norvvici in Anglia natus, & ibidem inter fratres eremitas S. Augustini penè à puero educatus, ad maturiorem perueniens ætatem, illud vitæ institutum amplexus est in ipso cœnobio Norvvicensi. Vir elegantis ingenij, & boni iudicij. Postquàm litteras humaniores intra priuatos parietes apud suos didicisset, Cantabrigiam ad maiora studia missus, Philosophiam, Græcas litteras, & tandem Theologiam ita medullitùs imbibit, vt absoluto studiorum cursu Doctor Theologus communibus suffragijs fuerit creatus, & inter suos non ita multo post tempore Theologiam docuerit. Sic enim ex Lelando colligo. Cumque ad eximiam doctrinam accederet præstans iudicium, & magna in rebus gerendis prudentia, non multo post tempore ordini suo per totam Angliam electus est Prouincialis. Iamque sui iuris planè factus, nullum peculiare studium secutus est, sed quasi per omnia vagatus, vti erat multiplicis doctrinæ, modò in rebus Grammaticis, modò in Poëticis & Rhetoricis, modò in Philosophicis, modò in Theologicis se exercuit, & in omni ferè melioris disciplinæ genere, aliquid scriptum posteris reliquit. Præter prouerbia, facetias, Hymnos, & Rithmos, quos inchoauit, & morte præuentus non absoluit, multa in vtroque genere, versu scilicet & oratione soluta scripsit. Quæ pleraque Londini aliquando à Regio Typographo Richardo Pinso excusa fuerunt. Hos sequentes operum eius titulos apud Iosephum Pamphilum in Augustinianorum chronico, & apud alios probatos auctores inuenio

Lecturas Magistrales Cantabrigiæ, *Librum vnum.*
Certamina scholastica, *Librum vnum.*
Collectaneorum, *Librum vnum.*
Sermonum ad populum, *Libros duos.*
Orationes ad clerum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*
De quantitate syllabarum, *Librum vnum.*
De edendis versibus, *Librum vnum.*
Facetias & Rithmos, *Librum vnum.*
Rudimenta Grammatices, *Librum vnum.* Et alia nonnulla.

Londini tandem mortuus & sepultus dicitur circa annum post aduentum Messiæ 1490, dum apud gentem Anglicanam fœliciter
Septimus Henricus regni tractaret habenas.

De Georgio Riplaio.

GEORGIVS Riplaius natione Anglus, Bridlingtonæ in agro Eboracensi ordinis S. Augustini Canonicus Regularis. Vir ingenij perspicacis, & suprà quàm dici potest curiosi. Totam ferè suam ætatem in perscrutandis rerum naturalium occultis & abstrusis causis & effectibus consumpsit. Quem in finem, Lelando teste, Galliam, Germaniam, & Italiam strenuè peragrauit. Quibus in regionibus cum doctissimis quibusque viris familiaritatem habuit. Et semper aliquid vel scripsit, vel didicit, vel docuit. Erat Poëta, Rhetor, Mathematicus insignis, omnium liberalium artium peritus, in omni Philosophiæ genere benè versatus, Theologus etiam non vulgaris, vt qui in generali suorum capitulo apud Ailesfordiam habito, anno Domini 1489, communi suffragio sacræ Theologiæ Professor fuerit designatus. Sed tandem vt mundo penitùs valediceret, & se totum Deo studijsque sacris, rerumque cælestium meditationi consecraret, ab Innocentio Papa octauo absolutus est ab ordinis sui regulari obseruantia, & ad suos diploma vel indultum super ea re obtinuit, vt liberè demitti posset. Cuius voti compos factus, apud S. Botulphum ordinis Carmelitani cœnobium, in cella inclusus, vt Anachorita, reliquos vitæ suæ dies exegit. Scripsit autem maximè ad Archiepiscopum Eboracensem

1490.
888.

De compaßione B. Mariæ, *Librum vnum*. Gaudia præclara cæli tua præst.
Vitam S. Botulphi Abbatis, *Librum vnum*.
Vitam S. Ioãnis Bridlingtoni, *Librum j*. Sacratissimæ recordationis Ioan.
Theoricam, *Librum vnum*. Requiram primùm mi Domine pro.
Dialogorum, *Librum vnum*.
Dictata ægri, *Librum vnum*. Multipliciter Philosophi loquebantur.
Practicam ceremonialem, *Librum vnum*. Locuti sumus de doctrina figuræ.
Concordias Guidonis & Raimũdi, *Librũ j*. Asserit Raimũdus de lapidis ser.
De lapide Philosophico, *Latinè tractatum rithmicum*.
Alchimistarũ mysteria, *Librum vnum*. Dũ sol in Ariete, Phæbusq; lucet.
Compendium Alchimiæ, *Librum vnum*. Exordium hic cœpit Alchimiæ compo. M S. in Bibliotheca illustris Baronis Lumleiani.
Secreta Philosophorum, *Librum vnum*.
Medullam Philosophiæ, *Librum vnum*.
Castellum duodecim portarum, *Librum vnũ*. Lux incõprehensibilis & ma.
De magia naturali, *Librum vnum*.
Pupillam Alchimiæ, *Librum vnum*.
Artem breuem vel clangorem, *Librum vnum*.
Terram terrarum, *Tractatum*.
Carminum & epistolarum, *Librum vnum*.
Experimenta Philosophica, *Librum vnum*.
De rerum temperaturis, *Librum vnum*. Et huiusmodi alia plura.

Apud S. Botulphum mortuus & sepultus est circa annum reconcilia-

tionis humanæ 1490, dum ad Anglicani regni gubernaculum potenter sederet Henricus septimus.

De Roberto Viduo.

1490.
889.

ROBERTVS Viduus natione Anglus, patria Essaxiensis, oppido Thacosteda, vbi aliquando fuit in Ecclesia parochiali Vicarius, & posteà Vvellensis apud Somersetenses Canonicus, ac demùm ibidem Vicedecanus, quo loco constitutus vir Dei zelo, idque secundum scientiam plenus, multa seueritate corruptos clericorum mores reformauit, eorum nimis exorbitantem viuendi licentiam inflictis pœnis coërcuit. Erat in omni melioris litteraturæ genere plus quàm mediocriter doctus. Sed in humanioribus studijs, & potissimùm in Poësi longè fœliciùs quàm in alijs versatus. Varia de varijs scripsit poëmata, & præsertim de principe Edvvardo Nigro Edvvardi Regis tertij filio primogenito, qui Ioannem Galliæ Regem cepit in prælio, quem satis appositè comparat Hectori. Ex ijs igitur, quas edidit lucubrationibus, saltem extare comperimus

De principe Edvvardo Nigro & alijs, versu, *Librum vnum.*

Epigrammatum variorum, *Librum vnum.* Alia me latent. Apud Vvelliam mortuus & sepultus est circa annum à plenitudine temporis 1490, dum in Anglia regnaret Henricus septimus.

De Henrico Medvvallo.

1490.
890.

HENRICVS Medvvallus nobilissimis in Anglia parentibus ortus, stemma suum litteris & virtutibus mirificè illustrauit. Erat autem sacerdos sæcularis, & Ioanni Mortono Archiepiscopo Cantuariensi à sacellis, eique multùm charus ac dilectus. Fecerat sanè hunc amorem morum similitudo proborum, & eruditio ferè par atque æqualis. Nec dubium est, quin hic noster Medvvallus multas lucubrationes egregias posteris reliquerit, sed pleraque posterorum incuria perijsse videntur. Solùm constat adhuc extare quandam eius Poësim vulgari lingua valdè eleganter compositam, & posteà Latinam factam, cui titulum fecit

Comediam de natura, *Librum vnum.* Cunctipotens ille qui omnem fabricam. De alijs nihil habeo certi. Vixit anno partus Virginei 1490, sub Anglorum Rege Henrico septimo.

De Guilhelmo Blacneio.

1490.
891.

GVILHELMVS Blacneius ex oppido natalitio Comitatus Norfolcensis sic cognominatus, Latinè dixeris Nigrium. Fuit autem in eodem oppido ordinis fratrum beatæ Mariæ Virginis de monte Carmelo Monachus Anglus. Cantabrigiæ, teste Lelando, in Doctorum Theologorum album ascriptus. Refertur à quibusdam nimis curiosè scrutatus arcana naturæ mysteria, & nescio quid sibi arrogasse, & apud

imperitam multitudinem venditasse in arte magica. Qua de re cùm iam fama percrebuisset, Episcopus Norvvicensis ægrè ferens in Monacho leuitatem, dicam an impietatem? hominem duris modis excepit. Quod tamen de tali materia scripserit aliquando, non inuenio. Nam posteris tradidit omnia potiùs sacra, quàm profana. Testes saltem habemus has sequentes lucubrationes, & similes

Lecturas in Cantica Canticorũ, *Librum vnum*. Osculetur me osculo oris.
Disputationes subtiles, *Librum vnum*. Senex in oppido suo natalitio mortuus & sepultus est, circa annum salutis reparatæ 1490, dum Angliæ sceptrum teneret Henricus septimus.

De Galfrido Grammatico.

GALFRIDUS Grammaticus in Orientalibus Angliæ partibus natus, ordinis S. Dominici Monachus, vt mecum multi sentiunt. Vir bonus & simplex, atque ita rebus Grammaticis impensè deditus, vt indè cognomen assumpserit, & in ijs discendis atque docendis, omnem penè suam ætatem consumpserit. In quo genere non illaudata reliquit posteris documenta, quæ & Parisijs & Londini fuerunt aliquando typis mandata. Scripsit autem hæc

1490. 892.

Præceptiones pueriles, *Librum vnum*.
Hortum vocabulorum, *Librum vnum*. Vt etenim multos nostræ præ.
In Ioannis Garlendi synonyma, *Librum vnum*. Cùm omnis diuisio libri sit.
In eiusdem æquiuoca, *Librum vnum*. In superiore libro tractaui de.
In doctrinale Alexandri, *Libros tres*.
Medullam Grammatices, *Librum vnum*. Cernentibus solicitè clericorũ.
Expositiones hymnorũ, *Librum vnum*. Iste liber dicitur liber hymnorum.
In Poëtria noua, *Librum vnum*. MS. Oxonij in Coll. Balliolensi. Et alia.

Claruit anno postquàm peperit Virgo 1490, regnante in Anglia Henrico septimo.

De Ioanne Erghomo.

IOANNES Erghomus, Erghon vocat Iosephus Pamphilus, in Septentrionalibus Angliæ regionibus natus, patria Eboracensis, & Eboraci in cœnobio fratrum ordinis S. Augustini eremita, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis. Postquàm enim in illa Academia multis annis studuisset, ad perfectam sacrarum & profanarum disciplinarum cognitionem peruenit, & honores talibus viris dari consuetos publico suffragio accepit. Vir acuti ingenij, tenacis memoriæ, multæ lectionis, styli fluentis, expeditæ linguæ. Ad quæ dona cùm accessisset constans iudicium & ætatis maturitas, relictis scholis & scholasticis disceptationibus, ad studium sacrarum scripturarum, & concionandi functionem se contulit. Ex animi sententia res successit. Nemo enim fœliciùs siue in commentarijs scriptis, siue in concionibus habitis, figuratum sacrarum litterarum sensum & allegorias aperuit. Et

1490. 893.

hoc exercitio adeò fuit delectatus, vt maxima cum diligentia, & incredibili labore, omnes auctores tum Græcos, tum Latinos, tum antiquos, tum recentiores, qui typicum hunc interpretandi modum secuti fuerant, coaceruauerit, peruoluerit, eorumque flores decerpserit, quibus etiam suos adiecit. Ex omnibus autem ingens opus compilauit, in lucem emisit, Herefordiæ Comiti nuncupauit, & hoc sequente titulo insigniuit

Compilationes vaticiniorum, Librum vnum. Ego Augustinensium minimus.
Sermones vulgares, Librum vnum.
In vaticinia Ioannis Bridlingtoni, Libros tres. Illustrissimo Domino.
In Carmina Ioannis Canonici, Librum vnum.
Calculationes Astrologiæ, Libros duos. Et alia plurima.

Eboraci tandem inter suos corporis sarcinam deposuit, & ibi requiescendi locum accepit, circa annum post Christi natiuitatem 1490, regnante apud Anglos Henrico septimo.

De Thoma Mailorio.

1490. 894. THOMAS Mailorius natione Britannus, in Mailoria Cambriæ regione, iuxta Deuam fluuium, teste Lelando, natus. Vir alti & generosi animi, cui natura magnas dotes, fortuna pares opes contulerat. Etiamsi laboriosis, & quidem honoratis in republica fungeretur muneribus; illæ tamen curæ nequaquàm impediuerunt, quo minùs aliquas nonnumquàm horas in bonarum litterarum studijs vtiliter collocaret. Historias optimas antiquitatis testes, vitæque benè instituendæ quasi duces & præceptores, summo habuit in precio. Ex quarum lectione non mediocrem delectationem cum pari fructu & vtilitate coniunctam percepit. Vndè postquàm in ijs peruoluendis diu versatus fuisset, non solum suum, sed & posterorum intendens commodum, atque etiam voluptatem; ex varijs auctoribus tum Gallicè, tum Latinè scriptis, selectiora quæque congessit, in linguam Anglicam conuertit, & licet admistis nonnumquàm fabulis, laudabili industria in vulgus emisit

Acta Regis Arthuri, Librum vnum.
De mensa eius rotunda, Librum vnum. De alijs nihil hactenus inueni.

Claruit circa annum post aduentum Messiæ 1490, dum in Anglia rerum potiretur Henricus septimus.

De Philippo Bromierdo.

1490. 895. PHILIPPVS Bromierdus ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor, & verbi diuini eximius præco, magis tamen eruditus, quàm facundus. Sic de illo ferè testimonium perhibet Philippus Vvolphius eiusdem ordinis Doctor Germanus in suo de vitis peritorum virorum libro. Sed quicquid sit de sermonis elegantia, meritò reputatur inter doctos illius

ætatis

ætatis viros, quod & libri ab eo conſcripti ſatis probant. Ad poſteritatis enim vtilitatem, & ſui nominis memoriam hæc ſaltem poſt ſe litteraria monimenta reliquit

Diuiſionum prædicabilium, Librum vnum. Vt ſacræ veritatis ſplendor.
Sermonum per annum, Librum vnum. Et alia plurima quorum titulos adhuc non inuenio. Floruit anno reparatæ ſalutis 1490, dum Anglici regni ſceptrum teneret Henricus ſeptimus.

De Thoma Scropo.

THOMAS Scropus nobiliſſima familia in Anglia ex oppido Bradleio natus, claritatem generis litteris & virtutibus plurimùm illuſtrauit. Fuit primùm ordinis S. Benedicti Monachus, quam regulam, vbi ſatis auſteram ſibi non inuenit, ad maiorem aſpirans perfectionem, de eligendo aliquo ordine ex mendicantibus deliberare cœpit. Vnum autem ex duobus inſtitutum amplecti decreuit, Carmelitarum videlicet aut Prædicatorum. Tandem re, vti par erat, maturè conſiderata, Carmelitarum diſciplinæ ſe ſubmiſit, & in cœnobio Norvvicenſi, facta profeſſione, ſolemniter habitum ſuſcepit, circa annum Domini 1430. duxit autem vitam in auſteritate penè incredibili, populo diligenter prædicans, non verbo ſolum, ſed etiam exemplo. Extra prædicationem ferè ſemper cella concluſus, ad annos viginti, vitam ibi egit anachoreticam. Tandem conſentiente Eugenio Papa quarto, ab illa ſolitaria vita euocatus eſt, vt Euangelium Chriſti denuò populo annunciaret. Intereà anno Domini 1446, vita functus eſt Dauid Chirburius, vel Richardus Meſinus (nam dubiè loquitur Lelandus) quorum vterque fuerat Epiſcopus Dromorenſis in Hibernia. Prædictus igitur Pontifex Scropum ad illum Epiſcopatum euexit, & paulò pòſt in legatione ad Rhodienſes miſit. In qua profectione, cum quodam Minorita Hieroſolymitano, qui non multos ante annos ex Iudæo factus erat Chriſtianus, ſæpè contulit, & ab eo plurima didicit. Sed reuerſus ad Epiſcopatum diù cum Hibernis pacificè viuere non potuit. Relicta igitur Hibernia, & reſignato Præſulatu, Norvvicum denuò reuerſus eſt, & ibi ſub Epiſcopo Vicarium egit generalem. Et habitis frequenter ad populum concionibus non exiguum fructum fecit. Quicquid autem vel ex ſuis reditibus percepit, vel aliàs à ditioribus lucrari poterat; id totum aut pauperibus diſtribuit, aut in alios pios vſus erogauit. Quantæ autem fuerit doctrinæ, quantoque honore & amore ordinem ſuum proſecutus fuerit, ex eius ſcriptis facilè apparet. Nam præterquàm quòd decem libros Philippi Riboti Catalani de peculiaribus Carmelitarum geſtis, in Anglicum ſermonem tranſtulerit, & Cyrillo Garlandio ſui cœnobij Priori dedicauerit; ſcripſit etiam ad Ioannem Blacneium ordinis ſancti Benedicti Monachum ſatis Latinè, & valdè copiosè de antiquitate, dignitate, & varijs laudibus ordinis Carmelitani

1491.
896.

De Carmelitarũ institutione, *Librum j.* Inuidiæ proprium est alterius laud.
De eodem ordine ad Eugeniũ Papam, *Librum vnum.* Quia Isaias Propheta.
Catalogũ Sanctorũ eiusdẽ ordinũ, *Librum vnũ.* Quoniã Deus in sanctis suis.
Compendiũ historiarũ & iurium, *Libros nouẽ.* Filij Prophetarũ sunt fratres.
Sermones de decem præceptis, *Librum vnum.*
De priuilegijs Pontificum, *Librum vnum.* Dum præcelsa meritorum insig.
De sua legatione ad Rhodios, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia plura.

Anno tandem ætatis suæ plus minùs centesimo in Leistost Suffolcensis Comitatus oppido viuendi finem fecit die decimo quinto Ianuarij, non sine sanctitatis opinione. In eodem autem oppido sepultus fuit cum epitaphio elegiaco carmine conscripto, cuius duo versus postremi sunt hi duo sequentes:

Venit ad occasum morbo confectus amaro;
Spiritus alta petit, pondere corpus humum.

Erat autem tum annus salutis humanæ 1491, dum ad Anglicani regni gubernaculum sederet Henricus septimus.

De Ioanne Rosso.

1491. 897.

IOANNES Rossus vel Rous Vvarvvici in Anglia natus, & ibidem in bonis litteris vsque ad iuuentutem educatus, vt auctor est Lelandus, ad studia Philosophica petijt Oxonium. Vbi tamen percepta quadam in voluendis historijs dulcedine, spinosas scholasticorum exercitiorum salebras, amœnis historiarum campis longo postposuit interuallo. Incredibili igitur labore, diligentia, industria scrutatus est antiquitates tum Britannicas, tum Anglicas; perlustratis penè omnibus totius insulæ Bibliothecis. Collecta autem ingenti rerum memorabilium copia, secessum quæsiuit, & quietis locum ad scribendum opportunum. Nec longè à natali solo, quod quæsiuit, inuenit. Vix enim vno distat milliari à Vvarvvicensi ciuitate collis editior ad Auonæ fluminis ripam (Cliuum Guidonicum vocant) quoniam Guido Comes Vvarvvicensis ille famosissimus illic aliquando vitam egit solitariam. Hunc locum ad viuendum salubrem, ad studendum commodum elegit Rossus, & Edvvardo Rege quarto concedente, muro inclusum accepit. Ibi igitur quasi in quodam nouo Paradiso, vel Musarum Parnasso, totum se contemplationi, vel lectioni, vel denique scriptioni dedidit. Omnia quæ prius vt quoddam Chaos & rudem molem coaceruauerat, tunc in suas partes distribuit, singula ad suum locum retulit, & in diuersos historiarum libros omnia redegit, ordinatè diuisit, descripsit, & posteris reliquit. Nec priùs scribendi quàm viuendi finem fecit. In fauorem etiam rei litterariæ, & litteratorum hominum, Vvarvvici apud D. Virginem, in Australi Ecclesiæ porticu, Bibliothecam insignem erexit, & optimis libris repleuit. Scripsit autem Latino sermone & quidem non ineleganter

Antiquitates Vvarvvici, *Librum vnum.*
De Comitibus Vvarvvicensibus, *Librum vnum.*
Chronicon Vvarvvicense, *Librum vnum.*
Vetustates Cliui Guidonici, *Librum vnum.*
Historiam quæ habetur. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
De Episcopis Vvigorniæ, *Librum vnum.*
De Academijs Britannicis, *Librum vnum.*
Contra historiolam Cantabrigiensem, *Librum vnum.* Et alia plura. Vvarvvici mortuus & ibidem in templo D. Virginis sepultus est decimo quarto die Ianuarij, anno gratiæ 1491, sub Angliæ Rege Henrico septimo.

De Guilhelmo Bintræo.

GVILHELMVS Bintræus, cognomen hoc à pago, vnde originem habuit, accepit, natione Anglus, patria Norfolcensis, ordinis Carmelitani (Lelandum sequor) Doctor Theologus Cantabrigiensis. Hic adolescens Burnhamiæ regulam hanc amplexus, prima fundamenta suorum studiorum ibidem posuit. Deinde Cantabrigiam profectus, omnes liberales artes, Philosophiam omnem didicit. Nec his humanis scientijs contentus, ingenij quadam diuinitate ad diuinarum rerum cognitionem fœliciter ascendit. Inter studia litterarum nunquàm pietatem & virtutem neglexit. Sed ita in vtroque pari processit passu, vt vtriusque perfectionem consequeretur. Erant ijs temporibus quidam qui mendicantium ordines in Anglia calumniabantur, & præ cæteris Carmelitas, qui tum apud nostrates maximè florebant, impugnabant. (inuidia namque plerumque fœlicitatis est comes.) Bintræus igitur suas existimabat esse partes, ordinem suum defendere, & inuidorum calumnias diluere. Vti fecit, libro in eum finem doctissimè conscripto. Nec solum hoc opere, sed & multis alijs suum nomen insigniter posteris commendauit. Nam ex eruditi pectoris thesauro hanc litterariam supellectilem futuris sæculis vtilem deprompsit

1493.
898.

Lectiones in Cantica Salomonis, *Librum vnũ.* Reuerentiarũ vestrarũ celeb.
Sermones varios, *Librum vnum.*
De laude D. Virginis, *Librum vnum.* Semper laus eius in ore meo.
Determinationes Theologiæ, *Librum vnũ.* Præstantissimi theoriæ affluẽtes.
Quæstiones ordinarias, *Quadraginta duas.* Vtrũ Spiritus sanctus proced.
Defensorium paupertatis, *Librum vnum.* Multæ sunt rationes erroneæ.
De Latini sermonis ornatu, *Librum vnum.* Colores præcipui pertinentes. Et alia plura. Burnhamiæ mortuus & sepultus est tertio die Septembris, anno post Christum natum 1493, dum in Anglia rerum potiretur Henricus septimus.

De Petro Keningalo.

1494. 899. PETRVS Keningalus, teste Lelando, parentibus Anglis, iisdemque nobilibus nescio quo casu in Gallia natus, sed in Anglia semper in studijs educatus. Ordinis Carmelitani Monachus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir optimis naturæ donis præditus, & cui ad Euangelium Christi prædicandum nec zelus, nec eloquentia, nec ornatus verborum, nec elegans gratia, nec denique lucidus ordo defuit. Posteris igitur reliquit

Sermonum ad Clerum, *Librum vnum*. Recordare quia recepisti bona.
Disputationes ordinarias, *Librum vnum*. Et alia quædam. Oxoniæ in suo cœnobio diem clausit extremum, & ibidem habuit sepulturam, anno post gratiam per Christum humano generi factam 1494, dum in Anglicani regni solio sederet Henricus septimus.

De Guilhelmo Betho.

1498. 900. GVILHELMVS Bethus ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus, & in Anglia totius ordinis sui Prouincialis. Vir moribus grauis, iudicio maturus, pietate insignis, doctrina solidus, prudens in rebus agendis, & summæ inter suos auctoritatis. Scripsit

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*.
Lecturas scholasticas, *Librum vnum*.
De vnitate formarum, *Librum vnum*. Et alia quædam. Claruit anno Domini 1498, regnante apud Anglos Henrico septimo.

ÆTAS DECIMASEXTA.

De Ioanne Alcocco.

1500. 901. IOANNES Alcoccus natione Anglus, ab ineunte ætate cum bonis litteris pijssimos imbibit mores. Vir temperans, castus, innocens, mitis, & mansuetus, omnibus bonis charus, & in oculis magnatum gratiosus. Patrem sanctimonia & virtute clarum vocat Polydorus Virgilius. Porcimoniam & sobrietatem per totam vitam diligenter coluit. Studijs, laboribus, precibus, vigilijs, ieiunijs, cilicijs passiones animi rebelles domabat, carnis illecebras, & inordinatos prurientis luxuriæ motus rigidè comprimebat. Nec potuerunt hominis tantæ virtutes in obscuro latere, sed tanquam accensa candela super candelabrum posita, luxerunt omnibus in domo Dei. Vnde tandem intuitu meritorum ad Episcopatum Eliensem eleuatus, non solum auctoritate populo suo præfuit, sed multo magis doctrina & exemplo profuit. Existimo illum aliquando Cantabrigiæ studuisse. Nam ibi in fauorem studiosorum mutauit cœnobium sanctimonialium in scholarium Collegium, circa annum Domini 1450, ipsumque locum, qui priùs ædes Dei vocabatur,

Collegium Iesu nominari fecit. Quod autem ad litterarios eius labores attinet, scripsit teste Sixto Senensi & alijs

In septem psalmos pœnitentiales, *Librum vnum.*
Homilias vulgares, *Librum vnum.*
Montem perfectionis, *Librum j.* Ad Carthusianos. In monte te saluum fac.
Abbatiam Spiritus Sancti, *Librum vnum.*
Gallicantū ad prædicatores, *Librum j.* Apprehendite filij dilectissimi discip.
Meditationes pias, *Librum vnum.* Et alia multa.

Apud Ecclesiam suam Eliensem mortuus & sepultus est, non sine opinione sanctitatis, anno reconciliationis humanæ 1500, dum in Anglia summa rerum penes Henricum septimum resideret. Vide illum quem coaceruauimus de Eliensibus Episcopis Catalogum.

De Ioanne Parceuallo.

IOANNES Parceuallus natione Anglus, à puerilibus penè annis in studijs bonarum artium educatus, patrias Academias adolescens frequentare cœpit. Iuueniles autem attingens annos, tantam ostendit acrimoniam ingenij, tantam industriam, & ad discenda quæuis alacritatem, vt omnes studiorum socios longo præcurreret interuallo. Fœlicem hunc in eruditione progressum, similis comitabatur in virtute profectus. Nam ad maiorem semper non solum in doctrina, sed multo magis in pietate aspirabat perfectionem. Tandem maturescente cum annis iudicio, optimam partem elegit cum Maria, quæ nunquam, quoad vixit, ablata est ab eo. Nam sacri Carthusiensis ordinis disciplinæ se tradidit. Vbi tantum profecit, teste Petreio in bibliotheca, vt Parisiensis Conuentus factus sit Prior. Igitur in cœlestium rerum contemplatione reliquum vitæ tempus posuit. Quo etiam in genere multa præclara opera scripsit. Quorum tamen pars longè maior perijsse videtur. Inueniri adhuc ferunt

1500.
902.

Compendium amoris diuini, *Librum vnum.* Hominem ad videndum Deum, Parisijs anno 1530.
Epistolas ad solitarios, *Librum vnum.* Aliorum operum titulos hactenùs non vidi. Claruit anno post partum Virgineum 1500, dum ad Anglici regni clauum sederet Henricus septimus.

De Stephano Havves.

STEPHANVS Havves illustribus parētibus in Anglia natus, ab adolescentia bonarū litterarum studijs diligenter inuigilauit, quibus vt mentē copiosiùs excoleret, omnia illa sustulit impedimenta, quæ suum hunc progressū retardare possent. Relicto enim natali solo, omniq; cum parentibus & consanguineis cōsuetudine; per Angliam, Scotiam & Galliam Musas quæsiuit, quæsitas inuenit, & inuentas ita coluit, vt illarum ope, & auxilio, seipsum & cultissimis moribus, & multiplicibus melioris notæ disciplinis mirificè ornauerit. Accessit insuper locuples virtutum

1500.
903.

apparatus, adeò vt omnes tum animi tum corporis dotes, quas natura dederat eminentes, ille sedula cultura reddiderit multo præstantiores. Virtutes igitur hominem tantum commendarunt, vt earum fama ad Regis Henrici septimi notitiam peruenerit. Qui eum primùm ad Aulam vocauit, deindè ad interius cubiculum admisit, & tandem ad secretius conclaue assumpsit. Nec iniuria certè. Tantarum enim virtutum tales honores debita fuerunt præmia. Hoc honestum nactus otium, non sibi tantum, sed etiam alijs consulendum iudicauit. Nec contemplatiuas suas lucubrationes posteris inuidit, sed partim Anglicè partim Latinè, partim versu, partim prosa ad publicum omnium fructum & vtilitatem in lucem emisit

Templum chrystallinum, *Librum vnum.*
Virtutis exemplar, *Librum vnum.*
Delectamentum Spiritus, *Librum vnum.*
De coniugio principis, *Librum vnum.*
Amantium consolamen, *Librum vnum.*
Alphabetarium auicularum, *Librum vnum.* Et alia plura.

Claruit anno Dominicæ Incarnationis 1500, sub Angliæ Rege Henrico septimo.

De Guilhelmo Chubs.

1500. 904. GVILHELMVS Chubs, alijs Stubs, natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, & ibidem Collegij Iesu Rector. Vir subtilis & acuti ingenij. Vndè & plus satis illo studiorum genere, quod in argutijs & abstrusis disceptationibus versatur, delectatus fuisse videtur. Nec alia, quod sciam, doctrinæ monimenta post se reliquit, quàm quæ tale hominis ingenium demonstrant. Scripsit

Introductionem Logices, *Librum vnum.* Benè fundatum exigit debitum.
Declarationem libri secundi Joannis Scoti, *Librum vnum.* Quicquid natum est, principium. Et eiusmodi alia.

Claruit anno redemptionis humanæ 1500, dum Anglia pareret Regi Henrico septimo.

De Roberto Balæo Iuniore.

1503. 905. ROBERTVS Balæus Iunior, natione Anglus, patria Norvvicensis, & ordinis fratrum Beatæ Mariæ semper Virginis primùm Monachus Norvvici, deindè Burnhamiæ Prior. Vir pius, prudẽs & eruditus, vti libri ab eo conscripti testantur, qui vsque ad religionis exterminium in Anglia seruabantur in Bibliotheca Burnhamiensi. Ad posteritatis vtilitatem non infœlicibus auspicijs edidit

Historiam Heliæ Prophetæ, *Librum vnum.* Ecce ego mitto vobis Heliam.
Officium Simeonis Angli, *Librum vnum.* Aue Simon pater inclyte, &c.
Annales breues ordinis sui, *Librum vnum.* Anno mũdi 4186, Helias Proph.
Concionum, *Librum vnum.* Et alia his similia.

Burnhamiæ tandem diem suum obijt, & ibidem sepulturam accepit anno postquam Verbum caro factum est 1503, dum Anglici regni sceptrum teneret Henricus septimus.

De Guilhelmo Galeone.

GVILHELMVS Galeon natione Anglus, patria Norfolcensis, ordinis S. Augustini Monachus in cœnobio Linnensi, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & tandem suorum per totam Angliam Prouincialis. Vir pietate & doctrina clarus, tantæque inter suos auctoritatis, vt exemplo solo multos quasi à somno torporis excitauerit, & ad studia tum virtutum, tum litterarum animauerit. Hæc ferè Iosephus Pamphilus, qui tamen in eo mihi non probatur quòd eum nonagenarium obijsse scribat anno Domini 1500. Porrò hæc sequentia doctrinæ monimenta posteritati tradidisse dicitur Galeon 1507. 906.

Lectiones in Theologia, *Librum vnum.*
Disputationes varias, *Librum vnum.*
Conciones per annum, *Libros duos.* Et alia plurima.

Linnæ tandem inter suos mortuus & sepultus est anno Christi nati 1507, dum Angliæ diademate insigniretur Henricus septimus.

De Ioanne Soulæo.

IOANNES Soulæus ordinis Carmelitani Monachus Anglus in cœnobio Londinensi, sacræ Theologiæ Doctor, & concionator suo tempore celeberrimus, Ioannis Coleti præstantissimi viri coætaneus, eique arctissimo necessitudinis vinculo coniunctissimus. Vir fœlicis ingnij, tenacis memoriæ, promptissimæ linguæ, ex cuius ore melle dulcior fluebat oratio. Diui Pauli diligens sectator, feruorem Spiritus, & diuinæ gloriæ zelum, quem in eius scriptis deprehendebat, licet consequi nunquàm se posse sciret, imitari tamen nunquàm desijt. Nihil eorum in suis concionibus omittens, quæ vel auditores à vitijs deterrere, vel ad studium virtutis possent incendere, & vehementiùs inflammare. Scripsit 1508. 907.

Sermones ex D. Paulo, *Librum vnum.* Paulus seruus Iesu Christi.
Sermones per annum, *Librum vnum.* Formido mortis cecidit super me.
Diuisiones thematum, *Librum vnum.* Abijciamus opera tenebrarum.

Et alia non pauca. Londini mortuus & sepultus est anno gratiæ 1508, regnante in Anglia Henrico septimo.

De Edmundo Dudleio.

EDMVNDVS Dudleius nobili familia in Anglia natus, & parentum cura penè à pueritia in studijs bonarum litterarum educatus. Transacta fœliciter adolescentia in ijs disciplinis quæ ad humanitatem mores formant; iuuenis Londinum missus est, vt inter alios nobiles more patrio, iura regni municipalia disceret. His itaque studijs adhibuit ille magnam diligentiam, & successu temporis insignis iurisconsultus 1509. 908.

euasit. Henricus Rex septimus per illa tempora monitus fuerat quædam regni statuta salutaria reipublicæ, passim à quibusdam aut negligi, aut apertè violari. Emisit igitur edictum vt præfata statuta diligentiùs in posterum obseruarentur, constituta in violatores mulcta. Totius negotij executioni hunc Dudleium, & sub eo quendam Empsonum, præfecit quasi iudicem fiscalem. Qui duo Regis auctoritate ad iniustum lucrum, ad inexplebilem auaritiam, & ad miserum populum quodammodò excoriandum insigniter abusi, magnam crudelitatem in innocentes exercuerunt. Sed tandem tam execrabilis infidelitatis accusati & conuicti, sub Rege Henrico octauo nondum apostata, publicam infamiam subierunt anno Domini 1509. Quod autem ad eruditionem spectat Dudlei, varia iuridica scripsit, ex quibus adhuc extare ferunt *Arborem reipublicæ, Librum vnum.* Cetera amissa auctoris existimatione, simul amissa videntur. Vixit anno Domini 1509, fœliciter inchoante regnum suum apud Anglos Henrico octauo.

De Ioanne Claimundo.

1510. 909.

IOANNES Claimundus natione Anglus, ab ipsa adolescentia, propensione naturali ferebatur ad bonarum litterarum studia, & in ijsdem parentum & amicorum cura diligenter enutritus. Nam Oxonium missus in Collegio S. Mariæ Magdalenæ ingenium bonis artibus excolere cœpit, factusque successu temporis de societate Collegij, omnes artes liberales & Philosophicas scientias accuratè didicit. Deindè Theologiam aggressus, ordinatus est presbyter, & crescentibus simul cum doctrina virtutibus, creatus Doctor, electus est in præsidem Collegij corporis Christi. Quam nactus quietem, Musas impensiùs, quàm priùs coluit. In elegantia Latini sermonis, siuè Rhetoricam, siuè poësim respicias, summam assecutus est perfectionem. Curiosa etiam ex naturalibus historijs non infœliciter scrutatus est, & selectissimos in illo genere auctores non solum diligenter voluit, & attentè perlegit, verum etiam præcipuos quosque incredibili labore & industria doctissimis commentarijs illustrauit. Scripsit enim elucidationes perutiles

In omnia opera Plinij, *Libros triginta septem.*
In Auli Gellij Noctes Atticas, *Libros viginti.*
In Plautum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad Simonem Grenaum, *Librum vnum.*
Orationes Latinas, *Librum vnum.* Et his similia non pauca.

Claruit teste Ioanne Shepræo in eius vita, anno post Christum natum 1510, sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Henrico Hornebio.

1510. 910.

HENRICVS Hornebius natione Anglus, patria Lincolniensis, Theologus Cantabrigiensis, & ibidem Collegij S. Benedicti Rector. Vir in omni tum sacra, tum profana litteratura insigniter eruditus,

& morum integritate multum conspicuus. Rerum cœlestium contemplationi, & spiritualium fidei Christianæ mysteriorum meditationi impensè deditus. Quo in genere & sibi profuit & posteris. His enim considerandis animam suam sublimem eleuauit in Deum; his scribendis solamen spiritale proximis impertiuit. Pleraque sua dedicauit Margaritæ Reginæ fœminæ pijssimæ, quæ ad incrementum bonarum litterarum duo Collegia Cantabrigiæ fecerat ædificari. Scripsit autem Hornebius

Historiã nominis Jesu, **Librum vnum**. A solis ortu vsque ad occasum laud.
Historiam visitationis B. Mariæ Virginis, **Librum vnum**. Æterni patris filius, Mariam com. Et alia quædam eiusmodi.

Claruit anno post humanæ salutis restaurationem 1510, sub Henrico Rege octauo.

De Ioanne Stanbrigio.

IOANNES Stanbrigius in Anglia natus, Oxonij bonarum litterarum studijs ab ipsa adolescentia nutritus. Postquàm fœlices admodum fecisset progressus, considerans ad omnem scientiam magnum positum esse adiumentum in exacta linguæ Latinæ cognitione, ad humaniorum litterarum studia regressus est, omnemque deinceps ætatem in, ijs discendis & docendis exegit, euasitque sui temporis Grammaticorum facilè princeps. Scripsitque in hac arte non pauca. Et extra eam quod sciam, nihil. Pleraque eius opera Londini aliquandò fuerunt typis mandata. Quorum titulos sequentes adhuc inuenimus, 1510. 911.

Paruulorum institutiones, *Librum j.* Quid agendum sit cum vulgare aliq.
Vocabularium versu, *Librum vnum*. Sinciput, & vertex, caput, occiput.
De ordine constructionum, *Librum vnum*.
Vulgaria Stanbrigiana, *Librum vnum*. Et eiusmodi alia plurima.

Claruit anno nati Seruatoris 1510, sub Henrico Rege octauo.

De Ioanne Holtigena.

IOANNES Holtigena, & iste etiam Grammaticus Anglus, paulò pòst Stambrigium, eius & tempora & vestigia secutus est, nempe, & vt ipse disceret accuratè, & alios doceret diligenter linguæ Latinæ elegantiam, tanquam omnium bonarum disciplinarum ministram summè necessariam. Scholas igitur aperuit, iuuentutem sedulò instituit, & quædam laudabiliter hoc in genere scripsit, ex quibus vnum saltem opusculum aliquandò dicitur typis mandatum Londini simùl cum libris Stambrigij, sub hoc sequente titulo 1511. 912.

Lac puerorum, *Librum vnum*. An alia scripserit necnè me[illegible] et.

Claruit anno salutis reparatæ 1511, regnante & in fide adhuc stant[illegible] d Anglos Rege Henrico octauo.

De Roberto Fabiano.

1512. 913. ROBERTVS Fabianus Londini in Anglia natus, & ibidem Mercator diues, atque tandem ex duobus tribunis, qui in Senatu illo ciuico, sub Prætore præsunt, vnus. Vir mirè deditus litterarū studijs, & humanioribus disciplinis apprimè instructus. Poësim Anglicam, Gallicam, & Latinā accuratè calluit. Sed supra omnia legendis & scribendis historijs delectabatur. Ex quibus magnam rerum experientiam, & optima vitæ benè instituendæ documenta colligi probè sciebat. Antiquissima igitur scrutatus aduersaria, narrationes historicas contexuit, exordium sumens à Brito Troiano primo Britonum Rege, seriem rerum deduxit vsque ad vltimum annum Regis Angliæ Hērici secundi. Aliud etiam opus exarauit à Richardo primo, vsque ad mortem Henrici septimi. Non leuiter etiam tetigit res gestas Francorum à Clodouæo vsque ad Carolum nonum Pleraque autem historica scripsit Anglicè. Titulos operum hos annexos inuenio

Historiarum concordantias, Libros septem. Quoniam in annorum supputat.
A Rege Richardo primo, vsque ad suum tempus, Librum vnum. Quoniam ad tempora ipsa.
De temporibus Regis Henrici septimi, Librum vnum. Hoc anno Domini 1485.
Breuem regum Angliæ nomenclaturam, Librum vnum. Albiō & cur hæc ins.
Annales rerum Londinensium, Librum vnum.
De Prætoribus eiusdem vrbis, Librum vnum. Et alia similia plurima.

Diem suum obijt Londini, & ibidem in Ecclesia omnium sanctorum tumulatus est die vicesimo octauo Februarij, anno post aduentum Messiæ 1512, apud Anglos regnante Henrico octauo.

De Henrico Bradshaüo.

1513. 914. HENRICVS Bradshaüus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus apud S. Vverburgam in ciuitate Cestriensi, ad confinia Vvalliæ. Vir à natura ad bonas artes capessendas factus & formatus. Liberales disciplinas magna quadam auiditate imbibit, & pari cum fructu atque vtilitate suos docuit. Vergens autem ad senectutem historiarum lectioni, & antiquitatum indagationi se totū consecrauit. Scripsit autem partim versu, partim prosa, partim Anglicè partim Latinè, vt Arnoldus Vion insinuat, qui tamen non rectè scribit eum floruisse anno 1346.

De vita S. Vverburgæ Virginis, Librum vnum. Dum Phæbus in sagittario.
De antiquitate & magnificentia vrbis Cestriæ, Libros plures.
Chronicon quoddam, Librum vnum. Et eiusmodi alia non pauca.

Obijt anno salutis reparatæ 1513, dum in Anglia regnaret Henricus octauus.

De Ioanne Harlæo.

IOANNES Harlæus ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor, & inter suos Professor. Vir multiplici doctrina, & magna vitæ religiosæ sanctimonia clarus. Acutus ingenio, in omnibus subtilitatibus argutus, & in scholasticis disceptationibus valdè versatus. Vndè teste Antonio Senensi & alijs, scripsit

1514.
915.

Super Magistrum Sententiarum commentarios binos, *Libros octo.*
De prædestinatione, *Librum vnum.*
Quodlibeta, *Librum vnum.* Et in hoc genere alia plura.

Floruit anno postquam Verbum caro factum est 1514, regnante in Anglia Henrico octauo.

De Ioanne Coleto.

IOANNES Coletus Londini in Anglia, Henrico & Christiana parentibus opulentis natus. Huius pater bis Prætor Londinensis fuit. ex nobili & prædiuite coniuge sua viginti & duos suscepit liberos, ex quibus omnibus hic primogenitus solus superuixit. Vir præstantissimis tum animi, tum corporis dotibus ità splendidè ornatus, vt natura copiosè sua meliora in eum dona effudisse non immeritò dici possit. Si formam & corporis delineamentum spectes, erat staturæ proceræ, frontis serenæ, vultus decori, oris suauissimi, toto corpore rectus, & erectus, vt ipsam compagem congruam dixeris præstantissimis animi dotibus sedem, à natura affabrè cōcinnatam. Et sanè debitè responderunt animi ornamenta. Erat enim mitis, mansuetus, humilis, temperans, sobrius, castus, modestus, affabilis, moribus per omnia candidis & vrbanis. Prudens, dexter, facundus, omni vitæ integritate spectabilis, omni virtutum ornamento conspicuus. Altas in eius animo radices egerat illa sententia Iob: *Militia est vita hominis super terram.* Itaque ieiunijs & abstinentia carnem suam macerabat, & dies noctesque vigilijs, laboribus, & precibus contra vitia decertabat. Sed hæc ferè præter nostrū institutum. Quid in re litteraria præstiterit hîc nobis præcipuè perpendendum. Adolescens in Anglia Philosophiæ studium ad humaniorem litteraturam adiunxit. Posteà partim in Gallia, partim in Italia Theologiam diligenter didicit. In patriam denuò circa tricesimum ætatis suæ annum reuersus, Oxoniæ Diui Pauli epistolas gratis explicare aggressus est. Sed indè paulò pòst ab Henrico septimo Rege Londinum vocatus, in Cathedrali, quæ D. Paulo sacra est, Ecclesia Decanus constitutus est, & frequentes ad populum conciones habuit, in quibus penè assiduum auditorem habuit Thomam Morum. Ibi ad erudiendam ciuitatis suæ pubem scholam nouam extruxit, eique Guilhelmum Lilium virum Græcè Latinéque insigniter doctum, primum tum ordine, tum dignitate præceptorem præfecit, cui adiunxit Ludimagistrum secundarium, vtrique honoraria constituit salaria, vt gratis ciuiū filios & quoscunque aduentantes doce-

1519.
916.

rent. Porrò Coletus à doctis illius temporis viris mirè colebatur. Ad eum Erasmus Roterodamus non rarò scripsit epistolas, & in epistolis ad alios honorificam illius mentionem persæpè facit, eum nonnunquàm præceptorem suum optimum vocans. Qui etiam testatur eum à libris scribendis abstinuisse: coniectura nonnullorum est, quòd timuerit rigidas criticorum censuras. Aliorum, quòd Græcæ linguæ fuerit imperitus. Quicquid sit, quamdiù huius lucis vsura frueretur, in lucem suas lucubrationes non emisit; examinare forsan, & accuratiùs polire, quæ scripserat intendebat. In eius bibliotheca post mortem inuenta ferunt exemplaria duo noui Testamenti veteribus & penè ignotis characteribus M. M. S. S. quæ nunc etiam in bibliotheca publica Cantabrigiæ seruari dicuntur. Trithemius autem & Sixtus Senẽsis, & alij testantur eum hæc opera sequentia scripsisse

In Prouerbia Salomonis, *Librum vnum.*
In Euangelium S. Matthæi, *Librum vnum.*
In epistolas D. Pauli, *Libros quatuordecim.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
In precationem Dominicam, *Librum vnum.*
In Symbolum fidei, *Librum vnum.*
Breuiloquium dictorum Christi, *Librum vnum.*
De reformidatione Christi, *Librum vnum.*
Conciones ordinarias, *Librum vnum.*
Conciones extraordinarias, *Librum vnum.*
Vitam hominis Christiani, *Librum vnum.*
In cleri conuocatione, *Librum vnum.*
Excerptiones Doctorum, *Librum vnum.*
Ortolanum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad Erasmum, *Librum vnum.*
De moribus componendis, *Librum vnum.* Hosce articulos præceptor.
De institutione puerili, *Librum vnum.* Accipe optime & litteratissime.
Epistolarũ ad Tailerum, *Librum vnum.* Ioannes Coletus Thomæ Tailero.
Ad argumenta Erasmi, *Librum vnum.* Et alia multa imperfecta.

Pestilente tandem sudore tactus, sensit viscerum tabem, & abdicatis omnibus, in Schænum nobile Carthusianorum cœnobium, septimo ab vrbe Londino milliario, vt se ad mortem præpararet, secessit, vbi in diuinarum rerum contemplatione, & continuis precibus dissolutionem suam sanctè expectauit, & anno ætatis suæ quinquagesimo tertio, die decimo sexto Septembris in viuis esse desijt, anno Seruatoris nati 1519, regnante in Anglia infausto illo Henrico octauo. Superstitem reliquit matrem benè annosam, imò planè decrepitam, quæ filium honorificè sepeliri curauit Londini ad D. Paulum in Australi chori latere, vbi, vt fertur, vsque hodiè visitur eius sepulchrum, cui amici tabulam cum eius imagine ad viuum depicta apposuerunt. Hæc pleraque decerpsi ex Georgio Lilio in elogijs virorum illustrium.

Admonitio ad Lectorem.

CIRCA hæc tempora pernitioso Regis exemplo, quidam etiam ex doctis claudicare cæperunt in vtramque partem, & Catholicam fidem, quam mente tenebant, factis profiteri timebant, imò libris scriptis apertè negabant. Vel quia per adulationem Regi complacere cupiebant, vel quia gratia eius excidere metuebant. Quorum factum non excuso, nec tamen personas meo Catalogo excludo: quia tanquam hæreticos, si ad errorem non accesserit pertinacia, non condemno. Eos postea pœnituisse & resipuisse piarum mentium est credere. Quod ego & credo & spero. Itaque Christianus lector non offendatur, si tales hic aliquos reperiat: Errori saltem pertinaciter adhærentem, scienter ad meum Catalogum admitto neminem.

De Guilhelmo Grocino.

GVILHELMVS Grocinus natione Anglus, adolescens optimæ spei, missus est ad scholam Vvintoniensem à Guilhelmo Vviccamo fundatam, vt pietatem & bonas litteras in Collegiata disciplina edoctus, præclaras ingenij dotes ingenuis artibus excoleret. Dum ibi studeret, iucundi quid accidisse dicitur. Ex aucupio casu præteriens, venit in scholam quidam Galliæ legatus Poësis non ignarus, sed nonnihil suspectæ castitatis. Is perdicem manu tenens ei promisit, qui primus carmen à se duobus tantum verbis inceptum, absolueret & compleret. Petierunt pueri vt proponeret. Proposuit ille sic: *Accipe perdicem*. Grocinus impromptu & appositè versum prosecutus, adiecit: *Capio: cape tu meretricem*. Argumentum sanè non contemnendum expediti in adolescente ingenij. Ex alia etiam occasione simile specimen egregiæ indolis edidisse dicitur. Iulia quædam formosa puella pilam nimis in eum torsit. De qua re sequens hoc epigramma ille confestim composuit. Quod nec inuentione, nec iudicio, nec sua caret elegantia.

1520.
917.

Me niue candenti petijt mea Iulia: rebar
Igne carere niuem, nix tamen ignis erat.
Sola potes nostras extinguere Iulia, flammas,
Non niue, non glacie, sed potes igne pari.

Porrò postquam in Anglia, tum in Græcis, tum in Latinis florentis ingenij talia multa dedisset signa, ad solidiorem in vtrisque capessendam scientiam, missus est in Italiam. Vbi optimis vsus præceptoribus Demetrio Calchondile, & Politiano, vtriusque linguæ peritissimus euasit. In patriã igitur reuersus Oxoniæ publicè Græcas litteras docuit, & foris acquisitam scientiam, suis domi liberaliter communicauit. Cumque esset ingenij nonnihil curiosi, iuuenis Alchymiæ studium sectatus est. Maturior tamen factus facilè deprehendit rem esse vanam & futilem, & spem precio emptam gratis reliquit, probè edoctus omne id quod splendet non esse aurum. Vixit semper paucis contentus, naturæ du-

ctum Christianis præceptis regulatum secutus, nec honores ambiens, nec tamen labores fugiens, nec delicijs vnquam affluens, nec diuitijs omninò inhians, pace fruens, honesta mediocritate gaudens, *Vt prisca gens mortalium.* Nihil suarum lucubrationum vnquàm viuens in lucem emisisset, nisi amicorum suasu ad hoc inductus. Magis enim ingenij exercitio, & tacita scientiæ conscientia recreabat animum priuato contentus oblectamento, quàm venditata apud alios eruditione gloriam quærebat, aut nominis immortalitatem posteritati scriptis tradere curabat. In studijs Philosophicis Platone neglecto & reiecto, vnicè coluit Aristotelem. Cuius opera omnia adhibitis in partem laboris Guilhelmo Latimero, & Thomis Linacro & Moro, è Græco in Latinum accuratè vertere aggressus est. Sed res non successit ex voto. Nam animum ad Theologiam conuertit, & mutato consilio, susceptoque sacerdotio, omne deinceps profanarum rerum studium deseruit, & opus illud, si exordium respicias, optimè inchoatum; si finem, omninò imperfectum reliquit. Qua de re sic Paulus Iouius: *Thomas Linacrus Galeni nitidißimus interpres, qui Arthuri principis præceptor fuit, æqualesque eius duo Guilhelmi Latimerus atque Grocinus, qui nobili, sed irrito voto, vertendi Aristotelis negotium cum Linacro susceperunt.* Grocini non raro mentionem honoratam facit Erasmus Roterodamus in suis epistolis, eúque subinde patronum & præceptorem appellat. Sed ego maxima ex parte Georgium Lilium in elogijs virorum illustrium hic secutus sum. Porrò amicorum rogatu Grocinus, alioquin quodammodò inuitus edidit

Contra Hostiolum Vvicleffi, Librũ j. Non est videre maiorem abominat.
Notas ad Terentium, Librum vnum.
Epistolarum ad Erasmum & alios, Librum vnum.
Isagogicum quoddam, Librum vnum.
Grammaticam, Librum vnum.
Vulgaria puerorum, Librum vnum.
Epigrammatum elegantißimorum, Librum vnum. Et eiusmodi alia plura.

Sexagenarius obijsse dicitur circa annum post partum Virginis 1520, regnante in Anglia Henrico octauo.

De Henrico Standicio.

1520. 918.

HENRICVS Standicius ordinis S. Francisci Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor, & tandem Episcopus Asaphensis. Vir pietate & doctrina clarus, Catholicæ religionis strenuus propugnator, omniumque hæresum iuratus hostis, in suis concionibus hæreticorum argumenta & errores neruosè refutare solebat. Et inter alios Erasmum Roterodamum temerariæ doctrinæ nominatim aliquando arguebat. Pauca tamen eius scripta reperio, licèt eum plura scripsisse constet. Hos saltem sequentes operum titulos inueni apud Vvillottum & quosdam alios

Sermones ad populum, Librum vnum.

Contra versionem noui Testamenti factam per Erasmum, *Librum vnum.*
Londini mortuus & sepultus est in senectute bona circa annum à natiuitate filij Dei 1520, sub Henrico Rege octauo. Vide quem fabricauimus de Episcopis Asaphensibus Catalogum.

De Guilhelmo Latimero.

GVILHELMVS Latimerus, natione Anglus, vir tum in sacris, tum in profanis litteris nobiliter eruditus, & verè, vt scribit Erasmus, Theologus integritate vitæ conspicuus. Thomæ Moro studiorum aliquando socius, & eidem valdè charus. In Italia Græcas litteras & Philosophiam didicit. Æqualis Thomæ Linacri & Guilhelmi Grocini, quibus aliquando se aggregauit, vt vnitis ingeniorum viribus omnia Aristotelis opera elaboratè verterent è Græco in Latinum, licet partim in vita impediti, partim morte præuenti manum vltimam operi adijcere non potuerint. Hunc Reginaldus Polus in Anglia, pro formandis moribus præceptorem, & pro bonis litteris addiscendis Magistrum habuit. Tandem se totum ad sacrarum litterarum studium conuertit. Huius præclari viri laudes celebrat Georgius Lilius in suis illustrium virorum elogijs. Multa doctè exarasse dicitur, sed ne titulos quidem operum inuenio. Scripsit tamen maximè ad Erasmum

1520.
919.

Epistolarum, *Librum vnum.* Redditæ sunt mihi.
Vixit vsque ad sexagesimum ætatis suæ annum vegetus, & erecta corporis proceritate conspicuus anno salutis reparatæ 1520, sub illo Henrico Rege octauo.

De Richardo Vvhitfordo.

RICHARDVS Vvhitfordus ordinis D. Brigittæ Monachus Anglus, in cœnobio non longè à Londino, quod Sion dicitur. Vir probitate morum, & bonarum litterarum laude spectabilis, quem per epistolas nonnumquàm salutare solitus est Erasmus. Sub Guilhelmo cœnobij Priore viro pio sanctissimè vixit, Deo semper vacans. Etenim tempus quod vacuum habere poterat ab obseruantia regulari, & precibus publicis, omne illud sacrarum historiarum lectioni, vel cælestium rerum contemplationi diligenter impendit. Atque hinc est quòd Erasmus ad eum in quadam epistola sic scribit; *Cura vt valeas teque tua Philosophia oblectes.* Contemplationem intelligit. Nam profanam aliquam Philosophiam bonus vir planè non nouerat. Non potuit autem fama sanctitatis viri priuata cella concludi, nec Monasterij septis ita terminari, quin emanarit in publicum, & multis etiam in sæculo innotuerit. Factum est igitur vt Guilhelmus Montionis per illa tempora pietatis & eruditionis singularis fautor & cultor, Richardum hunc sibi ascisceret, & ad secreta confessionum adhiberet, & eum quasi patris loco deinceps reputaret. Quod ad eius doctrinam attinet, præter litteras humaniores, diuinas meditationes, & Christum atque hunc crucifixum; nihil

1520.
920.

sciuisse creditur. In istis autem non segniter versatus, partim ipse scripsit, partim è Latino in Anglicum vertit ad vtilitatem simplicis populi

Meditationes solitarias, *Librum vnum.*

Psalterium Iesu, Opus pium nunquam satis laudatum sæpius tam Anglicè quam Gallicè impressum.

Pro Oeconomo seu domus gubernatore, Librū vnū. Vbi hāc dedisse lecturā.

Martyrologium Sanctorum, *Librum vnum.*

Additiones ex alijs auctoribus, Librum vnum. Quamplures deuoti, &c. Sed & alia quædam scripsit. Claruit anno reconciliationis humanę 1520, sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Stephano Barone.

1520. 921. STEPHANVS Baron ordinis Minorum S. Francisci Monachus Anglus, & in Anglia suorum Prouincialis, Angliæ tandem Regi Henrico nondum apostatæ à confessionum secretis. Vir pietatis, doctrinæ, prudentiæ laudibus insignis. In Academia Cantabrigiensi diu floruit concionator non vulgaris. Scripsit ad prædictum Angliæ Regem tractatum egregium

De regimine principum, *Librum vnum.*

Sermonum Cantabrigiæ habitorum, Librum vnum. Extat Londini. De alijs nihil habeo comperti. Claruit anno Dominicæ incarnationis 1520, dum in Angliâ regnaret Henricus octauus.

De Arnoldo Londinensi.

1520. 922. ARNOLDVS natione Anglus, ciuis Londinensis miro ductus in patriam affectu, magna auiditate suæ gentis historias peruoluit, multa ad laudem & decus Anglicanæ nationis, in vnum corpus collegit, omnia ordine disposuit, varia nomina exposuit, totumque opus in historicam formam optimis documentis refertam redegit, & in lucem tandem emittens, indigitauit

Repositorium historicum, *Librum vnum.* An alia scripserit, nescio. Claruit anno salutis reparatæ 1520, Henrico octauo Angliæ Rege.

De Guilhelmo Meltono.

1520. 923. GVILHELMVS Meltonus natione Anglus, Cancellarius Eboracensis, & tandem ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus. Hunc à multiplici doctrina, & ab eximia in rebus Theologis scientia mirificè laudant Fridericus Nauseus & Erasmus Roterodamus. Erat enim suo tempore concionator insignis, & sacras Scripturas diligenter voluendo, in lege Domini meditabatur die ac nocte. Res ipse clariùs quàm mille testes loquuntur. Hic est enim ille auctor quem & Sixtus & Antonius Senensis de Melitona cognominant, & Cancellarium Parisiensem fuisse volunt, ex quibus, vti etiam ex alijs probatis scriptoribus

bus

bus habeo, eum illustrasse commentarijs

Pentateucham, *Libros quinque.*

Danielem Prophetam, *Librum vnum.*

Duodecim Prophetas Minores, *Libros duodecim.* Qui dicuntur haberi in Bibliotheca Dominicanorum Placentiæ, teste Sixto Senensi.

Machabæorum, *Libros duos.*

Epistolam ad Hebræos, *Librum vnum.* Narrabo nomen tuum. Bononiæ in Bibliotheca Dominicanorum, teste Sixto Senensi.

Sermones in Euangelia, *Librum vnum.*

De Musica cælesti, *Librum vnum.*

De examine eorum qui sunt sacris initiandi, *Librum vnum.* Et alia quædã. Claruit anno post Christum natum 1520, dum in Anglia regnaret Henricus octauus.

De Guilhelmo Lilio.

1522. 924.

GVILHELMVS Lilius natione Anglus, patria Southamptoniensis, diœcesis Vvintoniensis, ex oppido Odihamo. Vir rara ingenij fœlicitate pollens. Hic adolescens religionis ergô Hierosolymam peregrinatus est, persolutisque ad loca sacra votis, in reditu nauigauit in insulam Rhodum, vbi studiorum causa subsistens, Latinæ Græcæque linguæ rudimenta perdidicit, & inde perrexit in Italiam, Romamque perueniens Ioannem Sulpicium & Pomponium Sabinum cultissimos eo sæculo viros audiuit docentes. Quibus præceptoribus cùm Græcas litteras, puritatem Latini sermonis, omnemque litteraturam humaniorem accuratè didicisset; post aliquot annos in patriam reuersus, quæ foris magno labore acquisiuerat, domi pari diligentia docuit. Nam à Ioanne Coleto Londini humaniter susceptus, honesto salario, & pulchris ædibus auctus, in schola ad D. Paulum recenter erecta primum præceptorem egit, & quindecim annis ibi magna cum auditorum suorum vtilitate & fructu præfuit. Multa scripsit tum Anglicè, tum Latinè, tum prosa, tum versu. Multa etiam transtulit partim ex Græco in Latinum, partim ex Italico in Anglicum sermonem. In omnibus de se suoque ingenio modestè cogitans, quæcumque scripsit, non temerè in lucem emisit, sed prius aliorum iudicio censurisque submisit. Syntaxim, qua Latinæ linguæ constructionem breuiter dilucidéque explicat, Erasmo examinandam, &, si ita videretur, corrigendam tradidit. Vndè factum est, vt ille liber Erasmi putaretur, & sub Erasmi nomine typis excusus prodierit. Epigrammata ex Græcis versa Thomæ Mori censuræ ita subiecit, vt pro eius arbitrio vel imprimerentur, vel supprimerentur. In gratiam etiam eiusdem Mori transtulit ex Italica in Anglicam linguam librum Spiritei Equitis Florentini de cognoscendis sortibus ex iactu talorum. Pleraque huius Lilij opera annotationibus illustrauit Thomas Robertsonus. Sed iam singulorum librorum Catalogum hîc more nostro subijciamus. Composuit omnia illa Grammati-

cælia quæ ego adolescens didici, quæque in Anglicanis scholis vbique prælegunt. Videlicet

Octo partium syntaxim, Librum vnum. Cùm aliquid habeam vulgare.
De generibus nominum versu, Librum vnum. Propria quæ maribus.
De verborum præteritis versu, Librum vnum. As in præsenti perfectum.
De moribus scholarium libellum. Qui mihi discipulus puer es cup.
Progymnasmata è Græcis, Librum vnum. Murem Asclepiades in tecto.
Spiritei libellum transtulit. Quoniam homines natura sic.
Ad Sceltonium apologiam, Librum vnum. Siccine vipereo pergis me.
Ad Vvhittingtonum apologiam, Librum vnum.
Regulas Grammaticales, Librum vnum.
De laudibus Deiparæ Virginis, Librum vnum.
Epistolarum ad diuersos, Librum vnum.
Orationes pueriles, Librum vnum.
Epigrammatum & diuersorum versuum, Librum vnum.
Ad Philippum Archidiacem carmen.
In aduentum Caroli quinti Cæsaris Panegyricum. Et alia eiusmodi. Et hæc ferè omnia deprompsi ex elogijs virorum illustrium Georgij Lilij. Londini tandem quinquagenarius obijt peste cum vxore & aliquot liberis, & ad D. Paulum in vestibulo templi tumulatus est, sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Thoma Linacro.

1524.
925.

THOMAS Linacer vel Linacrus natione Anglus, postquàm annos adolescentiæ in studijs litterarum illi ætati congruis in Anglia transegisset; Italiam iuuenis petijt. Et à Laurentio Medicæo principe humanissimè exceptus Florentiæ Demetrium & Politianum præceptores habuit, ibi magnum ingenij præclari specimen dedit, & eo nomine sibi tum laudem, tum gratiam non exiguam conciliauit. Deinde Romam ad litterariam supellectilem ex antiquis Bibliothecis eruendam inuisit. Quo loco inter cæteros viros eruditione claros Hermolao Barbaro familiarissimè vsus est. Quæ necessitudo multum ei profuit, ad perficiendam variam, quam prius acquisiuerat, doctrinam. Demum Græcæ Latinæque linguæ peritia nobiliter instructus, & alijs scientijs insigniter ornatus, redijt in patriam, vbi iam magnam famam etiam longè absens acquisiuerat. Itaque confestim Arthuro principi Regis Henrici septimi filio primogenito datus est præceptor. Ex quo tempore penè neglectis alijs, vel saltem postpositis quibuscumque studijs, ad medicinam se totum conuertit, & ad Academicos magis quàm ad Aulicos suspirauit honores, quamuis & hos & illos successu temporis in ampliori forma fœliciter consecutus fuerit. Nam in Academia Medicinæ Doctor creatus, & eiusdem facultatis Professor constitutus, quodammodò primas obtinuit. Deinde ad Aulam reuocatus primum Regi Henrico septimo, & posteà filio eius Henrico fuit à valetudinis cura

ex multis quos habebat, præcipuus, &, vt ita dicam, Archimedicus. Atque hæc pleraque ex elogijs virorum illustrium Georgij Lilij desumpsi. Erat porrò tam insignis politioris litteraturæ cultor, & amator, vt in elegantia Latini sermonis, & styli puritate, *Vix illi similem quemquam sua viderit ætas*. Quo nomine penè apud omnes eruditos sui temporis admirationem concitauit, amorem conciliauit. Grammaticus optimus, elegans Poëta, Rhetor disertus, Medicorum planè Phœnix, Græcæ linguæ peritissimus. Omnes quotquot vnquam fuerunt Galeni interpretes longè superauit, atque ita eleganter eius opera pleraque Latina fecit, vt collatione vtriusque textus facta, Galenus minus eloquens in Græco, quàm Linacer in Latino videatur sermone. Meum solius iudicium non est, nec aliquid hac in parte mihi vendico. Sed testes appello præcipuos quosque illius ætatis oratores, & quotquot humaniores litteras impensiùs colere, vel accuratiùs callere sese profitebantur. Ex multis saltem pauca aliqua huius veritatis proferamus testimonia. Budæus (cuius nec liber ad manum, nec verba iam ad mentem mihi occurrunt) quæ dixi, expresse asserit. Paulus Iouius historicus Italus, & Episcopus idem Nocerinus, *Thomas*, inquit, *Linacrus Galeni nitidissimus interpres*. Desiderius Erasmus in epistola quadam sic scribit: *Mitto tibi libros Galeni operâ Thomæ Linacri meliùs Romanè loquentes, quàm anteà Græcè loquebantur*. Dicet aliquis, non esse mirum, si tantus vir ab amico supra meritum laudetur. Erasmus enim suum Linacrum in epistolis sæpè, & in scholijs Hieronymianis aliquando honoratis compellat nominibus, & eum, tanquàm intimum amicum, vocat præceptorem, patronum, ipsumque hoc Linacri opus appellat Galenum. Vt eius testimonium à fauore profectum videri possit. Audiamus igitur inimicum de eo vel inuitè veritatem fatentem. Ioannes Checus Catholicæ religionis & Catholicorum hominum aduersarius, in libro de pronunciatione Græcæ linguæ arguit Linacrum tanquam senem morosum, Ciceronis conuitiatorem, & quod, sacerdos cum esset, vix ætate tandem decrepita ad sacrarum Scripturarum lectionem animum adiecerit. Idem tamen vel inuitus agnoscit Linacri in litteris iudicium singulare, in medicina summam peritiam, in transferendis Galeni libris laudem propemodum singularem. Simile est de illo aliorum doctorum hominum iudicium. Nec minùs fautor, quàm cultor bonarum litterarum fuit. Nam Cantabrigiæ publicam lectionem vnam, Oxoniæ duas medicinæ studiosis in perpetuum fundasse dicitur. Moriens etiam honestam domum Londini Collegio Medicorum ex testamento reliquit. Nunc ad Catalogum eorum, quæ scripsit, veniamus. Scripsit Grammatica præcepta ad ingenia tenera, & captum puerilem valdè accommoda sub hoc titulo

Grammaticæ rudimenta ad Principẽ Mariã, Librũ vnũ. Cùm tibi illustrissima Maria. Parisijs extat anno 1533. & 1543. Habeo in mea Bibliotheca.

De structura Latini sermonis, *Libros sex*. Partes orationis in lingua Latina. Extat vt supra. Et habeo etiam.

Epistolas ad diuersos, *Librum vnum*. Cùm multi tibi quotidiè.

Diuersi generis carmina, *Librum vnum*. Et eiusmodi alia plura, quorum titulos hactenùs non inuenio.

Ex Galeni libris fecit Latinos.

De inæquali intemperie, *Librum vnum*. Librum hunc præsentem.

De temperamentis, *Libros tres*.

De naturalibus facultatibus, *Libros tres*.

De sanitate tuenda, *Libros sex*. Absit, candide lector, quisquis.

De pulsuum vsu, *Librum vnum*.

Methodum medendi, *Libros quatuordecim*. Iterum iam maiestatem tuam.

Sphæram Procli ad Arthurum principem, *Librum vnum*. Axis mundi vocatur di. Extat Venetijs anno 1500.

Aristotelis Meteora imperfec. Et alia plurima. Postquàm cum infirmitate longa diu conflictasset, & moderatissima victus ratione, vitam ad aliquot annos ægrè produxisset, Londini diem suum obijt die vicesimo Octobris anno post Christum natum 1524, & in æde Cathedrali D. Paulo sacra ad Septentrionalem portam sepulturam accepit, quæ vsque hodie visitur multis voluminibus, & Phœnicis auis imagine decorata sic: Thomas Linacrus Regis Henrici octaui medicus, vir & Græcè, & Latinè, atque in re medica longè eruditissimus, multos ætate sua languentes, & qui iam animam desponderant, vitæ restituit. Multa Galeni opera in Latinam linguam, mira & singulari facundia vertit. Egregium opus de emendata structura Latini sermonis, amicorum rogatu paulò ante mortem edidit. Medicinæ studiosis Oxoniæ publicas lectiones duas, Cantabrigiæ vnam, in perpetuum stabiliuit. In hac vrbe Collegium medicorum fieri sua industria curauit, cuius & præsidens primus electus est. Fraudes dolosque mirè perosus, fidus amicis, omnibus iuxta charus. Aliquot annis antequàm obiret, sacerdos factus, plenus annis ex hac vita migrauit, multum desideratus. Anno 1524, vicesimo Octobris. Cuius animæ sit Deus propitius.

Aliquantò altiùs tumba cum Phœnice & inscriptione:

Viuit post funera virtus.

Thomæ Linacro clarissimo medico Ioannes Caius posuit anno 1557, mense Augusto.

De Thoma Philomelo.

1524.
926.

THOMAS Philomelus Londini in Anglia natus. Vir lepidi & elegantis ingenij. Politiorem litteraturam fœliciter didicit, & accuratam Latini sermonis scientiam, accedente ad promptitudinem naturalem labore & industria, consecutus est. Exercuit quidem se tum versu, tum oratione soluta satis laudabiliter. Pauca tamen scripsit, vel ex ijs quæ scripsit, pauca inueniuntur. De eius prosa nihil hactenùs reperi,

Constat autem eum scripsisse versu elegias præsertim & carmina lugubria.

De obitu Ioannis Coleti carmen. Multum deflerat Lacedæmon.

In mortem Guilhelmi Lilij elegiarum, *Librum vnum.* Plangite Pierides.

Et alia similia. Claruit anno postquàm Verbum caro factum est 1524, sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Ioanne Sceltono.

IOANNES Sceltonus Sacerdos Anglus, & Pastor in Dissa Comitatus Norfolcensis oppido. Vir lepidi & faceti ingenij, nec certè infœlicis. Ab ipsa penè pueritia disciplinas humaniores studiosè amplexus, in vtroque scribendi genere, versu scilicet & oratione soluta elegans & facundus euasit. Inter Poëtas laurea donatus, inter Rhetores regius orator factus. Sed in his admodum est difficile modum non excedere. Lingua enim periculosum loquacibus malum. Sermo salsus sæpè vertitur in mordacem, risus in opprobrium, iocus in amaritudinem, & dum tibi videre salsè submonere, carpis acerbè. In Monachos præsertim Prædicatores S. Dominici sæpè stylum acuit, & terminos prætergressus modestiæ, contra eos scommatibus acerbiùs egit. Quo facto suum exasperauit Episcopum Richardum Nixum, qui habito de vita & moribus eius examine, deprehendit hominem votam Deo castitatem violasse, imò concubinam domi suæ diù tenuisse. Præterea conuictus est de litteris quibusdam inuectiuis, quas contra Cardinalem Vvolsæum Archiepiscopum Eboracensem scripserat. Itaque sibi metuens ad asylum Vvestmonasteriense confugit, ne captus caput in discrimen adduceret. Vbi licet Abbatis Islepi fauore protegeretur, tamen vitam ibi, quantumuis anteà iucundè actam, tristi exitu conclusit. Sed nunc aliquid hîc de hominis doctrina adijciamus. Erasmus in epistola quadam ad Angliæ Regem Henricum iam lapsum, vocat Sceltonum Britannicarum litterarum lumen & decus. Scripsit partim prosa, partim versu, partim Anglicè, partim Latinè

1529.
927.

De peccatis fugiendis,	*Librum vnum.*
Comœdiam de virtute,	*Librum vnum.*
Peregrinationem vitæ humanæ,	*Librum vnum.*
Ad Moysi cornua precationem,	*Librum vnum.*
Meditationes deuotas,	*Librum vnum.*
Declarationes hymnorum,	*Librum vnum.*
Meditationem de S. Anna,	*Librum vnum.*
Comœdiam de bono ordine,	*Librum vnum.*
De Virgine Cantiana,	*Librum vnum.*
Sales de Domina Margarita,	*Librum vnum.*
De Alienora Rominga,	*Librum vnum.*
De Magistra Anna Cantilenas,	*Librum vnum.*
De Rosamundæ thalamo,	*Librum vnum.*

Cantilenas solitarias, *Librum vnum.*

Epitaphia Regum, principum, magnatum, nobilium, Librum vnum. Ex quibus multa conspiciuntur Vvestmonasterij sepulchris incisa.

In Guilhelmum Lilium inuectiuam, *Librum vnum*. Vrgeor impulsus tibi Li.

Contra linguas virulentas, *Librum vnum.* Quid detur tibi aut quid appo.

Contra Robertum Gaguinum, *Librum vnum.*
De statu honoris, *Librum vnum.*
Viam honoris acquirendi, *Librum vnum.*
Artem bene moriendi, *Librum vnum.*
Creationem Arthuri principis, *Librum vnum.*
De rosario & principe, *Librum vnum.*
Artem ornatè loquendi, *Librum vnum.*
Grammaticam Anglicam, *Librum vnum.*
De quotidiana perfidia, *Librum vnum.*
Dialogos de imaginatione, *Librum vnum.*
De moribus Curiæ, *Librum vnum.*
Ex Tullio, Academion, *Librum vnum.*
De bona deliberatione, *Librum vnum.*
Lauream coronulam, *Librum vnum.*
Angliæ tubam, *Librum vnum.*
Philippum Passerculum, *Librum vnum.*
Cur ad Curiam non venis, *Librum vnum.*
Psitacum loquacem, *Librum vnum.*
Schedulam superioritatis, *Librum vnum.*
Comœdiam de magnificentia, *Librum vnum.*
Triumphos rubeæ rosæ, *Librum vnum.*
Speculum principis, *Librum vnum.*
Ioannem Iuenem, *Librum vnum.*
Colinum Cloutum, *Librum vnum.*
Epitaphium Adæ nebulonis, *Librum vnum.*
De porcorum grunnitu, *Librum vnum.*
De gemitu acerinæ radicis, *Librum vnum.*
Theatrales ludos, *Librum vnum.*
De Minerua & oliua, *Librum vnum.*
De molitore & sponsa, *Librum vnum.*
Nationem stultorum, *Librum vnum.*
Apollinem fatiloquum, *Librum vnum.*
Amasiorum Testamentum, *Librum vnum.*
Contra pseudo-Poëtam, *Librum vnum.*
Accipitrem caue, *Librum vnum.*

Automedon meditandi amoris, *Librum j.* Et alia eiusmodi quàm plurima.

Transtulit etiam Diodorum Siculum, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Tandem, vt dixi, ad asylum Vvestmonasteriense confugiens, ibi viuen-

di finem fecit, & in sacello S. Margaritæ tumulatus est sub lapide Alabastro cum hac inscriptione *Ioannes Sceltonus vates Pierius hic situs est.* Obijt autem die vicesimo primo mensis Iunij, anno post partum Virginis 1529, sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Thoma Spensero.

THOMAS Spenserus natione Anglus, patria Norfolcensis, patre Leonardo in ipsa vrbe Norvvicensi ortus sui principium habuit. Successu temporis factus est Monachus sacri Carthusiensis ordinis in cœnobio Hintonensi Comitatus Somersetensis. Vir secundùm institutum vitæ quod secutus erat, multum solitarius, & cœlestium rerum contemplationi impensè deditus, nec tamen lectionem aut etiam scriptionem prorsus neglexit. Imò potiùs ita vicissitudine quadam vsus est, vt fessum meditatione lectio recrearet; & fatigatum lectione scriptio exciperet; vtroque demùm lassus ad meditationem denuò rediret. Atque itaque in orbem quotidiè repetitis exercitijs vir strenuè sedulus à diabolo nunquàm inuentus est otiosus. Sacras Scripturas, D. Pauli præsertim epistolas, diligẽter peruoluit, magna etiam ex parte (vt ex Theodoro Petreio, & alijs colligere est) commentarijs illustrauit. Scripsit etiam alia multa, quorum tamen iam nè titulos quidem inuenimus. Eius tempore Bilnæus & Latimerus Hæretici contra Repsum quemdam Catholicum graues habuerunt querelas. Spenserus autem de toto illo negotio plenè & veraciter informatus, edidit opusculum, quo ostendit quibus modis hi duo Hæretici Catholicum illum insectabantur. Operi titulum præfixit

1529.
928.

Trialogum inter Bilnæum, Latimerum, & Repsum, *Librum vnum.*

In epistolam D. Pauli ad Galatas, Librum vnum. De aliorum operum titulis nihil mihi certi constat. In prænominato suo cœnobio naturæ concessit, anno Domini 1529, regnante in Anglia Henrico octauo.

De Ioanne Palsgrauio.

IOANNES Palsagrauius Londini in Anglia natus. Vir cui natura multiplicia dona vtcumque liberaliter impertiuit. Habuit enim fœlix ingenium, tenacem memoriam, promptissimam linguam, modestiam & animi moderationem satis laudabilem. Erat in ætate matura supra vulgarem hominum morem grauis, prudens, & qui multam præ se ferebat auctoritatem, cum morum tamen suauitate, & mira affabilitate coniunctam. Hic postquàm in patria strenuè coluisset illas disciplinas quæ ab humanitate nomen acceperunt, & prima saltem Philosophiæ rudimenta degustasset, in Galliam nauigauit, Parisiensem Academiam studendi causa petijt, vnà cum rebus Philosophicis, linguæ Gallicæ dedit operam, & quidem, vt euentus comprobauit, non inutilem. Nam in Angliam reuersus propter sermonis Gallici peritiam, nobilissimis quibusque viris magno cœpit esse in precio. Et tandem Mariæ Regis An-

1530.
929.

gliæ Henrici septimi filiæ, quæ tum collocanda fuit in matrimonium Ludouico Gallorum Regi, constitutus est in lingua Gallica præceptor. Qua occasione cœteris studijs postpositis, scripsit partim ad dictam Mariam Dominam suam, partim ad quosdam è præcipua nobilitate Mecænates

Illustrationes linguæ Gallicæ, *Librum vnum.* Difficultas linguæ.
Annotationes verborum, *Librum vnum.* Mox vt factum denunciant.
Annotationes participiorum, *Librum vnum.* Dictio quæ in nostra lingua.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*

Transtulit in Anglicum sermonem Acolastem comœdiam. Aliorum operum titulos non inuenio. Vixit anno reparatæ salutis 1530, dum in Anglia summa rerum esset penes Henricum octauum.

De Edvvardo Foxo.

1530. 930. EDVVARDVS Foxus natione Anglus, Cantabrigiæ regalis Collegij socius, & in eadem Academia sacræ Theologiæ Doctor: denique successu temporis Episcopus Herefordensis. Vir eloquentiæ laude præstans, prudens etiam & grauis, in dirigendis & expediendis arduis negotijs cum iudicio promptus & dexter. Vndè Rex Angliæ Henricus octauus huius viri operâ, in varijs legationibus in Italiam, & in Germaniam vsus est, & quidem satis commodè. Item nobilissimus Heros Henricus Dominus de Staffordio, virum hunc mirè coluit, & in gratiam auctoris aliqua eius opera ex Latino in Anglicum vertit sermonem. Ex ijs quæ scripsit, hæc pauca saltem inuenio,

Differentiam vtriusque status & potestatis, *Librum vnum.* Quem in Anglicum vertit ipse Staffordius.
Annotationes in Mantuanum, *Librum vnum.*
Orationum & epistolarum, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Floruit anno postquam Verbum caro factum est 1530, sub Angliæ Rege Henrico octauo. Vide eum quem collegimus de Episcopis Herefordensibus Catalogum.

De Ioanne Langlando.

1530. 931. IOANNES Langlandus natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxoniensis, cui tanquàm viro docto & doctorum hominum insigni patrono Thomas Robertsonus aliquas ex suis lucubrationibus Grammaticalibus dedicauit. Vir eruditus & disertus, pius etiam, & diuinæ gloriæ zelo feruens. Concionator denique suo tempore non incelebris. Tandem intuitu virtutis & eruditionis, aliorumque in rem publicam meritorum, ad Episcopatum Lincolniensem euectus est, fuitque Regi Hérico octauo, etiam tum cum ad schisma propensior esset, eleemosynarius & à confessionum secretis. Viditque satis manifestè quò res spectabat, & egit omni, quo potuit, conatu atque industria, tum publicè per doctissimas conciones, tum priuatim per salutaria monita,

monita, & spirituales exhortationes, vt malum impendens Ecclesiæ, reipublicæ, ipsique Regi & populo auerteret ac propulsaret. Scripsit etiam in eundem finem sermones suos penè omnes, partim Latinos, partim vulgares, quos etiam in Latinum sermonem posteà vertit Thomas Caius. Vt his argumentis toti mundo fidem faceret indubiam, se suas partes non neglexisse, & nihil penitùs eorum omisisse, quæ ad salutem Regis in Domino iudicabat necessaria. Scripsit igitur ad Regem Latinè

Sermones in sextum psalmū, *Librum vnum*. Quandò mecū ipse considero.
Sermones vulgares, *Librum vnum*. Et alia quædam quorum tituli modò non occurrunt. Floruit anno post Christum natum 1530, dum in Anglia rerum potiretur Henricus octauus. Vide quem de Lincolnienſibus Episcopis composuimus Catalogum.

De Richardo Croco.

RICHARDVS Crocus, Lelando Curuus, natione Anglus, vir elegantis & politi ingenij. Humaniorem litteraturam & linguam Græcam ità accuratè calluit, vt in ijs disciplinis, paucos sui sæculi (quod fuit hominum doctorum admodū ferax) agnouerit superiores. Videtur mihi fuisse vilioris conditionis, & tenuioris fortunæ, quàm vt suā scientiam, alioquin eximiā, mundo patefacere potuerit, deficientibus ijs, quæ ad ingenium liberalibus artibus excolendū sunt necessaria. Tamen illi peropportunè contigit; vt ad obsequium Guilhelmi Grocini viri eruditi perueniret. Qui expertus diligens & fidele eius ministerium, videnſque in eo præclaram indolem, & ingenium ad bonas litteras natum, eum docuit Græcam linguam. Ex prosperis autem initijs maiorem spem concipiens, suppeditato per se & per amicos necessario ad studia commeatu, ad Academiam Parisiensem eum misit, cuius rei mentionem in epistola quadam facit Erasmus. Postquam autem aliquot annos vtiliter in Græcæ linguæ studio posuisset; in Germaniam profectus, omnium primus in Academia Lipsicensi Græcas litteras publicè prælegit. Vndè Erasmus in epistola ad Thomam Linacrum scribit, *regnat Crocus in Academia Lipsicensi publicitùs Græcas docens litteras*. Idem deindè docendi munus obiuit Louanij. Postremò reuocatus in patriam, idem priuatim apud Regem, & publicè Cantabrigiæ præstitit, teste eodem in epistolis Erasmo. Hunc Thomas Morus magno habuit in precio, vt ex quadam ad eum epistola satis liquet. Et sanè multos ea tempestate viros doctos habuit amicos, inimicum, nescio quo fato, vnicum, quod sciam, Lelandum. Ita vt stylum contra se mutuò acuerint, & sese inuicem salsis, nè dicam acerbis scriptis pupigerint. Puto quòd Crocus vsque ad vitæ finem constans perstitit Catholicus: Lelandus miserè suis vltimis diebus seductus, in hæresim simùl & amentiam lapsus interijt. Quod præuidisse videtur Crocus, quandò eum fatuum vocauit. Ad quam appellationem respondit Lelandus

1530. 932.

Me fatuum Curuus fatuorum maximus ille,
Imperio quodam prædicat esse suo.
Vt sim, me furiæ non torquent: illius vrgent
Clade Mathematicum nocte dieque caput.

Porrò Crocus in ijs quæ professus est studijs, quædam non indocta in lucem emisit, & ad posterorum vtilitatem suique nominis perpetuam memoriam reliquit

Introductiones ad linguam Græcam, Librum vnum.
Elementa Grammaticæ Græcæ, Librum vnum.
De verborum constructione, Librum vnum.
Librum quartum Theodori Gazæ transtulit.
Item Elysium Calentium, Librum vnum. Plura etiam alia tum composuit, tum transtulit. Claruit anno post aduentum Messiæ 1530, sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Ioanne Heliaro.

1530. 933.

IOANNES Heliarus natione Anglus, vir ingenij rara fœlicitate præditus, & in linguis Latina, Græca, & Hebraïca insigniter doctus. Quantum ex Lelando conijcere possum, Cardinalem Vvolsæum fautorem & in studijs Mecœnatem habuit. Sic enim illa eius verba intelligenda existimo: ex Cardinali Vvolsæo prodierunt Heliar & Frogmorton. Heliarus autem tam accuratè dicitur calluisse omnem Latini sermonis elegantiam, vt cum præcipuis Poëtis & Rhetoribus sui temporis esset meritò conferendus. Fidem faciunt indubiam scripta quæ tum versu, tum oratione soluta perutilia posteris reliquit. Scripsit enim

In Ciceronem pro M. Marcello, Librum vnum.
Scholia in Sophoclem, Librum vnum.
In epistolas Ouidij, Librum vnum.
Epitaphium Erasmi Roterodami Græcè & Latinè.
Transtulit è Græco in Latinum S. Chrysostomum de prouidentia & fato.

Alia item multa partim composuit, partim transtulit. Claruit anno postquam Verbum caro factũ est 1530, dum in Anglia summa rerum esset penes Henricum octauum.

De Roberto Shirvvodo.

1530. 934.

ROBERTVS Shirvvodus natione Anglus, patria Couentriensis, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir ingenij magni & multiplicis doctrinæ, in linguis præsertim pereruditus. Louanij publicè Theologiam, Græcas & Hebræas litteras simùl professus est. Scripsit anno Domini 1523, ad Ioannem Vvebbum Monachorum ordinis S. Benedicti in cœnobio Couentriensi Abbatem optimum suas lucubrationes

Recognitionem vel explanationem in Ecclesiastem, Librum vnum. Nescio profectò quo fato contigit. Extat Autuerpiæ anno 1523.
Sermonum variorum, Librum vnum. Et alia quædam.

Claruit anno gratiæ 1530, sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Antonio Fizherberto.

ANTONIVS Fizherbertus seu Fietbertus, id est, filius Herberti, quem Dauid Povvel in historia Cambrica ex illustri familia Herbertorum Pembruchicæ Comitum deducere conatur: at verisimilius Camdenus. In Comit. Glocestriæ, ex equestri Fitzherbertorum antiqua prosapia ortum existimat: Erat autem Eques auratus, & tantus bonarum litterarum cultor, vt dum præ amore scientiarum, generis splendorem neglexisse videretur, eundem multo magis, si non auxit, at certè illustrauit. Iurisconsultorum sua tempestate in Anglia consultissimus, per varios honorum gradus, vsque ad supremum Angliæ tribunal ascendit: ex quo ea maiestate, qua ibi fieri consueuit; ea æquitate qua decet; & maiore cum laude quàm facilè explicari possit, ad aliquot annos ita ius dixit, vt penè tota respublica ab eius nutu pendere videretur. Illud sanè in præstantissimi viri indole non minùs pia quàm generosa memoratu dignum est, nè posteritas ignoret; quod morti iam vicinus, & vel palàm videns, vel certè non à longè prospiciens religionis in Anglia euersionem, Ecclesiarum & Monasteriorum direptionem, ruinam, exterminium imminere, filijs suis strictissimè mandauerit, imò sub interminatione maledictionis & diuinæ & suæ coniurauerit; vt Monasteriorum possessiones, vel quæcumque Ecclesiastica bona, nec emerent vnquàm, nec gratis donata acceptarent, nec quoquo modo vt sua tenerent, aut à suis possideri sinerent. Hoc patris mandatum filij sanctè obseruauerunt, eorumque nepotes etiamnùm obseruant. Qui propter constantem fidei Catholicæ professionem exilium & alia incommoda patienter tolerant. Et maiorum suorum vestigijs pressè insistentes, bonarum litterarum studia, sed multò magis religionem Catholicam impensè colunt. Sed de his infrà suo loco. Porrò noster hic Antonius scripsit in leges Angliæ municipales

1530. 935.

Commentariorum, *Librum vnum.*
De natura breuium, *Librum vnum.*
Epitomen iuris, *Librum vnum.*
De l'office & authorité des Iusticiers de paix, *Librum vnum.* Quem auctum typis excudi fecit Londini Richardus Cromptonus anno Domini 1587.
De agricultura Anglicè, *Librum vnum.* Quem aliqui fratri eius Ioanni ascribunt. Et super plerisque his libris indices scripsit Guilhelmus Rastallus. Claruit Antonius anno à plenitudine temporis 1530, dum Anglici regni sceptrum teneret Henricus octauus.

De Georgio Folberio.

GEORGIVS Folberius natione Anglus, & in Anglia vsque ad iuuentutis suæ florem in bonis litteris sub optimis præceptoribus diligenter educatus, Poësim, Rhetoricam, linguam Græcam, omnem-

1530. 936.

que profanam Philosophiam præclarè tenuit. Deindè solum vertens in Galliam ad studia Theologica profectus est, & in Academia Montis Pessulani tandiù scholas frequentauit, & tantos in sacris litteris progressus fecit, vt in illa diuina & omnium suprema facultate Doctoralem gradum acceperit. Posteà diuini verbi prædicationi se strenuè dedidit, & concionator non vulgaris euasit. Scripsit autem

Conciones elegantes, *Librum vnum.*
Polita epigrammata, *Librum vnum.* Parua velut ceræ tepefacta.
Carmina diuersi generis, *Librum vnum.* Et alia similia plura.

Claruit anno post Christi Natiuitatem 1530, dum in Anglia rerum potiretur Henricus octauus.

De Ioanne Aldrisio.

1530. 937.

IOANNES Aldrisius natione Anglus, Academiæ Cantabrigiensis alumnus in gymnasio Regio. Ab ipsa penè puerili ætate ad bonarum litterarum studia destinatus, adolescens in Etonẽsi schola Latinam linguam, omnemque eius elegantiã auidè imbibit, tum in ligata, tum in soluta oratione peritissimus, quippe qui florẽ ætatis ijs Musis vigilanter impenderat. Successu temporis incidit illi controuersia cum Roberto Vvhitingtono, viro in scriptis suis nõnihil mordaci, qua sua imprudẽte calami licentia multos in se concitauit aduersarios, & quidem inter alios Aldrisium, qui non solum ipse contra eum scripsit, verum etiam Guilhelmum Hormannum, & alios quosdam, vt idem facerent, animauit & concitauit. Porrò Aldrisius iam annis prouectior, moribus sedatior, iudicio maturior, virtutum & multiplicis litteraturæ nomine Regi non solum notus, sed etiam charus esse cœpit. Vndè & euocatus ex Academia, ad Episcopatũ Carleolensem assumptus est. De quo plura suo loco. Nunc ad eius monimenta litteraria veniamus. Scripsit Heroïco carmine ad Guilhelmum Hormannum cõtra Robertum Vvhitingtonum

Antibossicon, *Librum vnum.* Quæ facis in Bossum, te carmina.
Epigrammatum, *Librum vnum.* Et alia plura.

Claruit anno salutis reparatæ 1530, sub Angliæ Rege Henrico octauo. Vide illum quem compilauimus de Carleolensibus Episcopis Catalogum.

De Guilhelmo Cattono.

1530. 938.

GVILHELMVS Cattonus ordinis S. Francisci Monachus Anglus, vt videtur, sacræ Theologiæ Doctor & Professor. Vir in Theologicis illis disceptationibus, quas scholasticas vocant, exercitatissimus. Vndè & pereruditè scripsit

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Quæstionum Theologicarum, *Librum vnum.* De alijs nihil habeo comperti.

Vixit anno redemptionis humanæ 1530, dum in Anglicani regni solio sederet Henricus octauus.

De Ioanne Squiso.

IOANNES Squisus vel Squisius, natione Anglus, patria Cornubiensis. Vir fœlici ingenio præditus, & multiplici rerum tum scientia, tum experientia imbutus, & egregiè instructus. Industrius, prudens, promptus, & dexter. Quibus nominibus magnam sibi apud regni proceres conciliauit & famam & gratiam. Tandem in familiam Cardinalis Vuolsæi receptus, ad grauia magnique momenti negotia tractanda adhibitus est, vbi postquam prudentiæ singularis, iudicij constantis, & integerrimæ fidelitatis officijs se probatum reddidisset, maiori in precio cœpit haberi, eique factus est ab intimis consilijs. Sed inter hæc studia nunquàm neglexit, & raro historicos de manibus deposuit, ex quibus propemodum incredibile videtur quot peruoluerit & perlegerit. Nam vix quenquam ex selectioribus nostræ gentis prætermisit, quin vel totum percurrerit, vel ex eo flores decerpserit. Exordium enim ab antiquissimis sumens, vsque ad recentiores deuenit, quæ melioris erant notæ ex singulis delibans, & in historicam seriem digerens. Ex ijs igitur collegit rerum memorabilium abbreuiationes quasdam, & operi titulum dedit

1530.
939.

Chronicorum epitomen, *Librum vnum*. De descriptione huius regni.
De bello Troiano, *Librum vnum*. Cyrus filius Ianon regn. & alia.

Claruit anno partus Virginei 1530, Anglicani regni sceptrum tenente Henrico octauo.

De Roberto Vvhitingtono.

ROBERTVS Vvhitingtonus natione Anglus, patria Lichefeldensis. Grammaticus suo sæculo non incelebris, eo solo infœlix, quòd dum lepidus videri voluit, iocos cum amaritudine adhibens, nimis mordax, ne dicam acerbus fuerit. Hinc enim cum Guilhelmis Hormanno & Lilio, cum Ioanne Aldrisio & alijs lites habuit, qui omnes ab eo prouocati scriptis aculeatis hominem tanquam maledicum pupugerunt. Qui cùm essent plerique maioris tum eruditionis, tum æstimationis, eius famam ea ratione non parum diminuerunt. Alioquin certè multa non indoctè in suo genere scripsit, quæ aliquando Londini typis fuerunt excusa

1530.
940.

Principia Grammatices, *Librum vnum*. Quot sunt orationis partes?
De octo partibus, *Librum vnum*. Grammatica est scientia congruè.
De nominum generibus, *Librum vnum*. Omne Dei proprium petit hic.
De præteritis & supinis, *Librum vnum*. Præteritum primæ formando.
De nominum declinatione, *Librum vnum*. Rectis as, es, a simul am.
De verborum formis, *Librum vnum*. Octuples formas verborum.
De heteroclitis, *Librum vnum*. Cùm de heteroclitis variam.
Syntaxim, *Librum vnum*. Verbum cum recto casu quinto vè.
De concinnitate Grammatices, *Libros quatuor*. Cùm sæpiùs mecum.

De synonymis & epithetis, *Librum vnum.* Bethlehemiticus ille Cithar.
De variandi formulis, *Librum vnum.* Cùm innumeri formarum sint.
De syllabarum quantitate, *Librum vnum.* Satis admirari nequeo quid.
De accentu, *Librum vnum.* Accentus est acutus vel grauis.
De generibus metrorum, *Librum vnum.* Metrorum vndeuiginti gener.
De Magistratibus Romanorũ, *Librum vnũ.* Romanũ imperiũ primo Reges.
Transtulit in Anglicum sermonem officia Ciceronis & Senecam de moribus. Claruit anno post aduentum Messiæ 1530, dum Anglicani regni diadema gestaret Henricus octauus.

De Henrico Bulloco.

1530. 941.

HENRICVS Bullocus natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, & de societate Collegij quod vocatur Reginæ. Vir in Græcis Latinisque litteris excellenter eruditus, vt ex Erasmo Roterodamo, quo cum maximam cõtraxerat amicitiam, colligere est. Cardinalem Vvolsæum optimum habuit patronum, in cuius gratiam quosdam libros edidit, eique nuncupauit

Contra Lutherum de Captiuitate Babylonica, *Librum vnum.*
Orationum, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*
Transtulit è Græco in Latinum Luciani opusculum de serpentibus siticulosis, *Librum vnum.* Et alia plura. Vixit anni Domino 1530, regnante in Anglia Henrico octauo.

De Ioanne Batmansono.

1531. 942.

IOANNES Batmansonus sacri Carthusiensis ordinis Monachus Anglus in Conuentu Londinensi, vbi successu temporis factus est Prior, vel, vt Theodori Petrei verbis vtar, doctissimus simul & pientissimus moderator. Erat enim vir acuti & perspicacis ingenij, magnæ pietatis, paris eruditionis, nec minoris zeli. In sacrarum Scripturarum lectione & meditatione assiduus, vitam inter homines agebat Angelicam. Edvvardo Leio Archiepiscopo Eboracensi mirè charus erat, à quo animatus scripsit quædam contra Desiderium Erasmum, atque etiam contra Martinum Lutherum, ex quibus tamen aliqua retractasse dicitur. Scripsit autem piè doctéque vt testes sunt Nicolaus Brigamus, & Petreius

In Cantica Canticorum, *Librum vnum.*
In Salomonis Prouerbia, *Librum vnum.*
Super Missus est, *Librum vnum.*
De Christo duodenni, *Homiliã vnam.* Cũ factus esset Iesus annorũ duod.
Institutiones Nouitiorum, *Librum vnum.*
De contemptu mundi, *Librum vnum.*
De vnica Magdalena contra Fabrum Stabulensem, *Librum vnum.*
Contra annotationes Erasmi Roterodami, *Librum vnum.*
Contra quædam scripta Martini Lutheri, *Librum vnum.*

Retractationem quorundam scriptorum suorum, Librum vnum. Et alia quædã. Londini tandem in suo Monasterio mortuus & sepultus est die decimo sexto Nouembris anno post partum Virgineum 1531, regnante apud Anglos Henrico octauo.

De Richardo Pacæo.

RICHARDVS Pacæus nobilibus parentibus in Anglia natus, vir præclaris animi dotibus præditus, multiplici doctrina excultus, & doctorum hominum singularis fautor ac patronus. Thomæ Moro familiarissimus. Cum Erasmo Roterdamo magnam contraxit amicitiam, vti ex mutuis inter eos per epistolas colloquijs constat. Cum Cardinalibus & alijs principibus viris vbique penè terrarum multam habuit notitiam. Christophoro Vrswicco S. Praxedis Cardinali pleraque, quæ ex Græco in Latinum transtulit, nuncupauit. Ipsi Regi ad multos annos ab intimis consilijs, eique suprà quàm dici potest aut credi, charus. Erant in viro partes planè singulares. Quod ad doctrinam spectat, vt Erasmi verbis loquar, *Erat vtriusque litteraturæ callentissimus.* Habebat ingenium acre, iudicium maturum, constans, solidum, memoriam fœlicem, linguam promptam & expeditam. Siqua subitò grauis occurrebat difficultas, in eo mirus erat, quòd siue quid dicendum esset, siue faciendum; dexterè, velociter, & simul fœliciter rem omnem expediebat. In peritia linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraïcæ, cum doctissimis sui sæculi viris de palma meritò contendere potuit. Erasmus in epistola ad Albertum Cardinalem Archiepiscopum Moguntinum sic scribit: *D. Richardus Pacæus, qui Regis nomine ad vos venit, præter alias innumeras dotes, vir est insigni vtriusque litteraturæ peritia præditus, apud regiam maiestatem multis nominibus gratiosissimus, fide syncerissima, moribus plus quàm niueis, totus ad gratiam & amicitiam natus. Quem si dignaberis propius nosse, scio, gaudebis te à nobis admonitum fuisse.* Hæc ille. Has virtutes honor meritò comitabatur. Imprimis mortuo Ioanne Coleto factus est ad D. Paulum Londini Decanus. Deinde nomine Regis apud exteras nationes, & præcipuos Europæ Monarchas honoratissimis legationibus functus est. Missus ad Cæsarem Maximilianum, peractis fœliciter Regis regnique nogotijs, nè otiosus esset, scripsit tractatum eruditum de vtilitate scientiarum, siue de fructu qui ex bonis litteris percipitur. In quo libro dum in temulentiam inuehitur, temulentos offendit; & Constantienses, qui sese, præter cæteros, læsos existimabãt, apologiam suarum consuetudinum contra eum satis mordacem scripserunt. Aliam legationem obiuit apud Heluetios, vbi, vt in epistola quadam scribit Erasmus, plus quàm biennium moratus est. Deinde apud Venetos. Postremò apud summum Pontificem Clementem septimum. Tandem inuidorum malitia factum est, vt ex Italia domum reuocaretur, & iniquè de re malè gesta accusaretur, & Regis indignationem incurreret. Cuius facti indignitas ita animum hominis percu-

1532.
943.

lit, vt quodammodò desponderit, nè dicam desperauerit. Imprimis itaque sacerdotium opulentum, quod habuit Exoniæ in Deuonia, cessit sponte Reginaldo Polo. Decanatum ad D. Paulum Londini resignauit Stephano Gardinero. Deinde infestum habuit Cardinalem Vuolsæum, cuius opera factum creditur, vt Pacæus in medijs miserijs raperetur ad carceres. His igitur ærumnarum cumulis obrutus & oppressus, inualescente atra bile ad insaniam redactus est, ex qua nunquam conualuit. Dum autem gratia Regis, & sana mente frueretur, multa scripsit, multa ex alijs in alias linguas transtulit

Præfationem in Ecclesiast.
De lapsu Hebraicorum interpretum, *Librum vnum.*
De fructu scientiarum, *Librum vnum.*
Ad Constantienses, *Librum vnum.*
Ad Leium Theologum, *Librum vnum.* Si otium, mi Leie, suppetisset.
Orationes ad principes, *Librum vnum.*
Epistolas ad Erasmum, *Librum vnum.* Petro Lusco, quem in proximis.
De restitutione Musices, *Librum vnum.*
Collectanea numerorum, *Librum vnum.*
Carmina diuersi generis, *Librum vnum.*

Transtulit

Ex Anglico in Latinum concionem Episcopi Roffensis habitam Londini in publica combustione librorum Lutheri, *Librum vnum.* Sæpè accidit.
E Græco in Latinum Demonactis Philosophi vitam, *Librum vnum.* Fore equidem putabam vt nos.
Plutarchum de commodo ex inimicis capiendo, *Librum vnum.* Video te, Corneli pulcherrime.
Eundem de modo audiendi, Librum vnum. Meas de modo audiédi lucubr.
Apolloniũ Tyaneũ de morte, Librum vnum. Nullius rei mors est sed tantũ.
Simplicij præfationem, Librum vnum. Longa Pater amplissime, neque vt.

Tandem vt scribit partim Georgius Lilius in elogijs illustrium virorum, partim alij probati auctores, circa annum ætatis suæ quadragesimum demens obijt, & in Stepuei sepultus est, anno post Christum natum 1532, regnante in Anglia Henrico octauo. Eius autem sepulchro sequens hoc epitaphium inscripsit Ioannes Huntingtonus,

Richardus iacet hic venerabilis ille Decanus,
Qui fuit ætatis doctus Apollo suæ.
Eloquio, forma, ingenio, virtutibus, arte
Nobilis, æternum viuere dignus erat.
Consilio bonus, ingenio fuit vtilis acri,
Facunda eloquij dexteritate potens.
Non rigidus, non ore minax, affabilis omni
Tempore, seu puero seu loquerere seni.
Nulli vnquam nocuit, multos adiuuit, & omnes
Officijs studuit demeruisse bonos.

Tantus hic & talis ne non doleatur ademptus,
Flent Musæ, & laceris mæsta Minerua comis.

De Ioanne Burcherio.

IOANNES Burcherius Equestri familia in Anglia natus, Dominus de Berners. A teneris annis parentum cura nutritus in litterarijs disciplinis, nobilitatem illam, quam à maioribus traxerat, liberalibus artibus mirificè excoluit, & euasit in virum pace bellóque florentissimum. Cùm anno Domini 1456, Cornubienses duce Michaële Iosepho Fabro Ferrario sumptis in Regem Henricum septimum armis, periculosum Regi & reipublicæ tumultum mouerent; hic regis partibus constanter adhærescens, in cohibendis temerarijs illis coniuratoribus, & regni proditoribus fidelem & strenuam præstitit operam. Vnde & fœliciter fractis eorum viribus, magnum sibi nomen acquisiuit, & multam apud Regem gratiam conciliauit. Nec multo post tempore, ciuitatis Caletensis in Gallia constitutus est præfectus supremus. Vbi linguas, quas iuuenis didicerat, exercuit, & quasi quietem & otium, certumque commorandi locum nactus, ad Musas postliminio reuersus est. Multos igitur libros peruoluit, multa ex Gallica, Italica, Hispanica in Anglicam linguam transtulit, nonnulla etiam ipse suo Marte, sua potiùs Minerua composuit

1532.
944.

De officijs Caletensium, *Librum vnum.*
Comœdiarum quarum prima fuit, Ite in vineam meam, *Librum vnum.*
Transtulit castellum amoris, *Librum vnum.* Affectu desiderij atque oblig.
Chronicon Ioannis Frossardi, *Libros quatuor.* Quas gratias histor.
Vitam Arthuri Equitis Armorici, *Librum vnum.* Quia delectabile.
Marcum Aurelium, *Librum vnum.* Vetustus omniũ gentium, omniũq.
Gesta Hugonis Burdegalensis, *Librum vnum.* Tempore quo supput.

Et alia nonnulla. Caleti diem suum obijt, & ibidem in Ecclesia maiore sepultus est die decimo sexto Martij, anno à natiuitate Seruatoris 1532, sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Thoma Lupseto.

THOMAS Lupsetus, Londini in Anglia, honesta familia natus. Optimæ spei adolescens, in tutelam à Ioanne Coleto ad D. Paulum Decano susceptus, sub præceptore Guilhelmo Lilio solicitè in pietatis & bonarum litterarum studijs educatus est. Breui tempore per summã industriam incredibiles fecit progressus, tantumq; tum in Græca, tum in Latina lingua profecit, vt adhuc valdè iuuenis in Oxoniensi Academia Ciceronis Philippicas publicitùs docuerit, & post Ioannem Clementem ibidem Græcæ linguæ Professor extiterit. Ingenium mirè fœlix, amabile, candidum, cultissimum. De quo Erasmus in epistola quadam ad Thomam Morum, Nihil, inquit, huius ingenio gratius, nihil amantius. Solebant enim per epistolas familiares mutuò colloqui,

1532.
945.

ex quibus quid cuique sit ingenij facilè deprehenditur. Porrò desiderio videndi regiones exteras, cathedram & lectionẽ suam Ioanni Ludouico Viues Hispano cessit, & Italiam petens Patauij Reginaldum Polum inuisit, & ibi studiorum causa moratus, opera D. Chrysostomi diligenter legit. Cuius eloquentia melliflua delectatus & allectus, ad sacrarum litterarum studiũ animum adiecit. Sed importuna Thomæ Vvolsæi Cardinalis Eboracensis petitione, illum cursum abrupit inuitus. Nam Thomæ Vvintero Cardinalis alumno Parisijs adhibitus est præceptor. Breui tamen post tempore, ad studia pristina, & vehementer optatam Poli familiaritatem, quasi postliminio reuersus est. Cùm autem iam ingenij doctrinæque eius fama percrebuisset, & indicijs Regiæ beneuolentiæ non vulgaribus ad altiora peruenturus crederetur, ex redundante pituitæ distillatione à capite seu cerebro, in febrim lentam incidit, & pulmonum tussi vix iuueniles egressus annos contabuit. Hæc pleraque decerpsi ex Georgio Lilio de elogijs illustrium virorum. Porrò multa patrio sermone conscripta, multa Latino, domi penes se ad priuatum potiùs vsum retinuit, quàm ad vtilitatem publicam in vulgus emisit. Amici tamen post eius obitum illis litterarijs thesauris posteritatem priuari non permiserunt, sed pleraque typis excudi curauerunt

Regulas vitæ Christianæ, *Librum vnum*. Primùm si homini vel mulieri.
Exhortationem charitatis, *Librum vnum*. Benè animatus est promissis.
Semitam vitæ honestæ, *Librum vnum*. Accidit iamiam Eadmunde suo.
De malis fugiendis, *Librum vnum*.
In corruptos sæculi mores, *Librum vnum*.
Dialogum contra profanos in epulis verbi diuini abusus, *Librum vnum*.
De formando vitæ statu, *Librum vnum*.
De morte non pertimescenda, *Librum vnum*.
Viam rectè moriendi, *Librum vnum*. Dicunt superbi vanitatis punct.
Consilia ex Isidoro, *Librum vnum*. O homo, nosce teipsum, nosce.
Pro Erasmo contra Leyum. *Librum vnum*.
Epistolas familiares, *Librum vnum*.
Homiliarum ad imitationem D. Chrysostomi, *Librum vnum*.
In Ciceronis Philippicas, *Librum vnum*.
Sermones ad Clerum maximè Caleti, *Librum vnum*.

In Anglicum sermonem vertit

S. Chrysostomi, Nemo læditur nisi à seipso, Librum vnũ. Satis noui crassioris.
Cyprianum de immortalitate, Librum vnum. Circumspectus ille qui solet.

Et alia plura. Obijt Londini die vicesimo septimo Decembris, anno ætatis suæ tricesimo sexto, & ad Crepulgate, in templo S. Elphegi sepultus est, anno post aduentum Seruatoris Christi 1532, dum in Anglia rerum potiretur Henricus octauus.

De Nicolao Vvesto.

NICOLAVS Vvestus sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Vir pius, eruditus, & in defendenda Catholica fide valdè strenuus. Virtutis & doctrinæ multiplicis intuitu à Rege Henrico octauo ante deplorandum in fide lapsum, euectus est ad Episcopatum Eliensem, eiusdem tamen Regis effræni libidini posteà fortissimè restitit, nec vnquam consentire voluit, vt Rex legitimam vxorem repudiaret, nec vt Catholicam Ecclesiam desereret, & schisma faceret. Fuitque in causa matrimonij, vnus ex Reginæ Catharinæ aduocatis. Vnde & scripsit

1533. 946.

De non dissoluendo Henrici Regis primo matrimonio cum Catharina, Librũ vnũ. De alijs eius scriptis eorumque titulis nihil mihi constat. Claruit anno post Christum natum 1533, regnante in Anglia Henrico octauo. Vide eum quem compilauimus de Episcopis Eliensibus Catalogum.

De Ioanne Litletono.

IOANNES Litletonus Iurisconsultus Anglus, & quidem Municipalium Angliæ legum peritissimus, quas vtique longo tempore, & multo labore accuratè didicit, & posteà Professor diligenter docuit. Inter ea forenses etiam, causas agens, vtiliter cum speculatione praxim coniunxit. Postquàm autem omnem ætatis florem in his studijs & exercitijs consumpsisset, accedentibus iam maturioribus annis, animum ad scribendum appulit, & edidit Anglicè

1533. 947.

Introductionem ad patriæ iura Municipalia, Librum vnum. Tenens in feodo simplici, Londini anno 1532. Alia me latent. Vixit circa annum Domini 1533, sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Ioanne Fishero.

IOANNES Fisherus, natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, & eiusdem aliquando Academiæ Cancellarius. Inde à Rege Henrico septimo euocatus, Episcopus Roffensis designatus est. Vir doctrinæ varietate, conuersationis suauitate, morum grauitate, animi robore, vitæ innocentia, pietatis, fidei, religionis synceritate cum Apostolicis initio nascentis Ecclesiæ Christianæ viris meritò conferendus. Hunc Erasmus Roterodamus in suis epistolis non semel egregiè prædicat, & omnibus Episcopalibus virtutibus suffarcinatissimum vocat. Et alibi sic scribit: *Aut egregiè fallor, aut is vir est vnus cum quo nemo sit hac tempestate conferendus, vel integritate vitæ, vel eruditione, vel animi magnitudine.* Et adhuc in alia epistola: *Reuerendus Episcopus Roffensis vir non solum mirabili integritate vitæ, verum etiam alta & recondita doctrina, tum morum quoque incredibili comitate commendatus maximis pariter ac minimis. Atque his nominibus aliquando Regis Henrici, qui nunc Angliam moderatur, auiæ paternæ Margaritæ egregiè charus, & à confeßionum secretis. Cui Margaritæ auctor fuit, vt in Academia Cantabrigiensi Collegia duo con-*

1535. 948.

struxerit, & amplis possessionibus dotauerit. Quorum alterum Christo Seruatori, alterum S. Ioanni Euangelistæ consecrauit. Solebat etiam ipse pro sua facultate bonæ spei adolescentes, maximè pauperiores liberaliter ad studia nutrire. Sed hîc cæteris nunc omissis & ad suum locum relatis, quæ doctrinam eius testantur, videamus. Omnia autem eius scripta vel redolent pietatem, vel defendunt veritatem, vel errores & hæreses impugnant, imò expugnant. Scripsit autem saltem hæc opera sequentia, vti excusa habentur Vvirceburgi, id est, Herbipoli in Francia Orientali seu Franconia in folio anno Domini 1597

Assertionem septem sacramentorum contra Lutherum, sed tribuitur opus Regi Angliæ Henrico octauo, Librum vnum. Quemadmodum animal omne.

Epistolam responsoriam epistolæ Lutheri, Librum vnum. Quas tu Luthere.

Contra captiuitatem Babylonicā Lutheri ad Episcopum Eliensem, Librum vnum. Præterierunt iam anni duo.

Assertionis Lutheranæ confutationem per articulos quadraginta & vnum, Librum vnum. Quando iam tandem, cum ex.

De veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistia contra Oecolampadium ad Richardum Episcopum Vvintoniensem, Libros quinque. Circumspicienti mihi. Extat Coloniæ anno 1527.

Sacerdotij defensionem contra Lutherum, Libros plures.

Contra Vlricum Velenum, S. Petrum fuisse Romæ, Librum vnum. Post aliquot menses quàm Lutheranis articulis.

Concionem Londini Anglicè, quando publicè combusti sunt libri Lutheri, Quam concionem Latinam posteà fecit Richardus Pacæus. Sæpè accidit vt.

De fructu orationis, Librum vnum.

Expositionem Orationis Dominicæ, Librum vnum.

Pro damnatione Lutheri, Librum vnum.

De vnica Magdalena, Libros tres. Libellū quendā auctore Iacobo Fabro.

Commentarios in septem Psalmos pœnitentiales Anglicè. Quos Latinos fecit Ioannes Fennius. Cùm fructuosas & longè præclaras.

Concionem de Paßione Domini ad sororem Elizabetham Anglicè. Vertit in Latinum idem Fennius. Nihil est soror mea.

Concionem de iustitia Pharisæorum & Christianorum Anglicè. Vertit in Latinum etiam Fennius. Nisi abundauerit iustitia vestra.

Methodum perueniendi ad summam perfectionem religionis ex carcere ad sororem, Librum vnum. Eodem interprete. Cupio quidem soror.

De charitate Christiana, Epistolam. Ad Hermannum Letmatium Gondanum Decanum Traiectensem. Quod tam amice nos.

De neceßitate orandi tractatum. Cùm spectet ad omnes.

Psalmos & precationes, Librum vnum. Dominator Domine Deus. Et hæc omnia excusa Herbipoli, habeo in mea Bibliotheca. Porrò scripsit prætereà

De Purgatorio, Librum vnum.

Contra commentarium Iacobi Clitonai in Iacobum Fabrum, *Librum vnum.*
Additiones de vnica Magdalena, *Librum vnum.*
Defensorium matrimonij Regis Henrici cum Catharina Hispana, *Librum vnum.*
Liber de fiducia misericordiæ Dei falsò ei tributur. Legi insuper in eius vita quæ Anglicè M S. seruatur Delavvariæ in bibliotheca publica Benedictinorum Anglorum combustos fuisse ab hæreticis tot eius M. S. libros, quot robustus equus iusto onere portare posset. Tandem plenus dierum intuitu virtutum & doctrinæ renuntiatus est S. R. E. Cardinalis, licet prius caput amiserit, quàm pileũ acceperit. Nam capite obtruncato pro pileo coronam accepit Martyrij die vicesimo secundo Iunij anno Domini 1535, sub Angliæ Rege Henrico octauo. Vide eum quem de Roffensibus Episcopis conscripsi Catalogum.

De hoc Martyrio sic eleganter inducit ipsum Roffensem loquentem Gregorius Martinus, vti habeo in quodam eius libro M S.

Dum mihi Martyrij donat diadema securis,
Quæso meum teneas ô bone trunce caput.
Idem ibidem aliter.
Ne tu desereres verum caput, Anglia, Christum
Pontificem, caput hic sponte relinquo meum.
Idem aliter.
Vim sine vi patior, qualem, qui carcere rupto,
Cogitur è vinclis liber abire suis.

De Thoma Moro.

1535. 949.

THOMAS Morus Londini in Anglia natus, patre Ioanne ordinis Equestris viro genitus, filius vnicus. Vir perspicacis & acuti ingenij, acerrimi iudicij, memoriæ fœlicissimæ, multæ lectionis, singularis eruditionis. In dicendo promptus, in conuictu omnique congressu mitis, humilis, candidus, in sermone lepidus & iucundus, vitæ innocentia purus, morum integritate syncerus, denique in diuinis & humanis litteris tam insigniter doctus, in naturalibus donis tam eminenter fulgens, in omni denique virtutis genere tam summè splendens; vt in eum non tam liberalis, quàm prodiga planè mater fuisse natura meritò dici potuerit. In timore Dei, & bonarum litterarum studijs ab annis puerilibus optimè educatus, maturior factus Oxonium ad maiora studia paulatim capessenda missus est à Ioanne Mortono Cardinali & Archiepiscopo Cantuariensi, & sub Thoma Linacro viro pietate & doctrina claro Græcam linguam accuratè didicit, in qua posteà liberos suos diligenter instrui curauit. Mathematicas etiam scientias exactè tenuit. Denique licet patriæ fines studiorum causa nunquam fuerit egressus, maximam tamen Europæ partem singularis eruditionis & ingenij fama repleuit. Guilhelmum Grocinum, Ioannem Coletum, Thomam Linacrum viros pietate & eruditione insignes in studijs habuit præceptores. Guilhelmum Lilium, & Cutbertum Tonstallum posteà Episcopum, socios

Vir iam factus sæcularem amplexus est statum, vxorem duxit, filium vnicum, tres filias procreauit, totam familiam ita semper instituit, vt virtutum omnium scholam iurè dixeris. Habuit secum domi suæ præter filium cum nuru, tres filias cum earum maritis & vndecim liberis, quos ante mortem mori genuerant. Totidem etiam vno minus, post eius Martyrium progenuerunt. Ita vt in vniuersum nepotes eius fuerint viginti & vnus. Mortua prima vxore secundam duxit viduam, ex qua liberos omninò non suscepit.

Cùm autem ingenio plurimùm valeret, & propter eximiam legum Britannicarum peritiam, causas magna cum æquitate diceret, electus est primùm populi Londinensis orator, deindè syndicus vrbis. Quo munere dum fungeretur, duas nomine Regis perhonorificas legationes, in Gallijs alteram (linguam enim Gallicam perfectè calluit) alteram in Flandria obiuit. Ab harum posteriore reuersus, ex vrbe in Aulam, & in supremum Senatum regius Consiliarius ascitus est, simulque Eques auratus, totiusque regni Proquæstor declaratus. Quod munus postremò nominatum mira cum æquitate ad aliquot annos administrauit. Deindè factus est Lancastriæ Ducatus sub Rege supremus administrator & Cancellarius. Elapsis verò decem plus minus annis, cùm Cameraci tractaretur de componenda celeberrima illa pace inter Carolum quintum Imperatorem, Ferdinandum Romanorum, Henricum Anglorum, & Franciscum Gallorum Reges, anno Domini 1529, electus est Morus qui cum Cutberto Tonstallo Episcopo, nomine Regis & regni Angliæ, in tanto negotio legatum ageret. De qua (ni fallor) legatione, sic Erasmus, qui non rarò ad Morum epistolas dedit, eiusque frequenter honoratà aliàs facit mentionem, in epistola quadam ad Petrum Ægidium scribit: *Adsunt Brugis duo totius Angliæ doctissimi, Cutbertus Tonstallus Archiepiscopi Cantuariensis Cancellarius, & Thomas Morus cui moriã inscripsi.* Porrò Rex post exploratam Mori fidem, integritatem, in rebus gerendis dexteritatem, & prudentiam singularem, statim peracta fœliciter legatione, & pace prosperè composita, eodem anno, die vicesimo sexto Octobris, deposito Cardinali Vvolsæo, singulari fauore, & vnanimi principum consensu, Morum ad supremam Cancellarij dignitatem euexit. Qui honor apud Anglos post Regem primus est & maximus.

Iam verò quanta prudentia, æquitate, fide, dexteritate in amplissimo illo munere versatus fuerit; illud inter alia poterit esse argumento, quod eius tempore semel euenisse ferunt, vt omnes causæ ita fuerint expeditæ, omnes lites ita terminatæ, omnes controuersiæ ita sopitæ; vt nihil quodam die iuridico proponendum superesset, quod pro eius tribunali tractaretur. Id tabulis publicis inscriptum. Ab adolescentia ferè prima vsque ad annum ætatis suæ circiter quinquagesimum in aliquo publico munere cum honore semper versatus est, Regi acceptissimus, regni proceribus & principibus viris gratus, ab vniuerso populo plurimùm dilectus. Quo toto tempore in tanto pretio habitus, in tanta dignitate constitutus, tanto fauore & gratia apud ipsum Regem pollens,

ad reditus suos annuos non fecit accessionem aureorum sexaginta, sexcentorum & longè plurium perfacilè sanè fecisset, & citra cuiusquam iniuriam, si voluisset. Sed non tulit hoc, moderatum hominis ingenium, & pectus ab omni auaritiæ labe alienum.

In tanta autem officiorum magnitudine, & negotiorum reipublicæ multitudine, quis vel suspicari posset, homini adhuc super fuisse tantillũ otium, quod rei litterariæ, librisque non dico scribendis, sed legendis suffuratum impendere voluisset, aut etiam valuisset? Impẽdit tamen ingenti labore, incomparabili fructu. Nam licet nolint studia litterarum forenses strepitus, & ab aulicis tumultibus abhorreant Musæ, totum denique hominem sedatum, quietum, tranquillum requirant: tamen non obstantibus his impedimendis, tum publicis tum priuatis, quotidiè libros manibus terebat, & saltem quantum potuit temporis somno cibo que subtrahebat, vt illud vel alijs docendis, vel libris scribendis, vel certè legendis neruosè impenderet. Somno quatuor, ad summum quinque horas dabat. Nam vespertina nona decumbere, matutina secunda surgere per totum annum consueuerat. Quinque horas proximè somnum sequentes partim precibus, partim studijs, reliquum totius diei tempus ferè negotijs publicis insumebat.

Cancellarij munere strenuè functus est per annos duos & dimidium. Renunciatus videlicet die vicesimo sexto Octobris anno 1529, renunciauit die decimo quinto Maij anni 1532. Quo etiam tempore vitę aulicę, publicisque negotijs penitùs valedixit. Præsagiebat enim illi animus grande aliquod malum toti regno imminere, postquam vidit & Regem in peius mutatum, & Aulæ disciplinam omninò corruptam, omnia denique propendere ad ruinam, imò iam ruere. Quid igitur in tam amplo faceret magistratu, tanta mala conspiciens? Quibus nec auctoritate mederi potuit, nec conniuendo consentire debuit, nec aperta violentia resistere valuit? A Rege igitur multis precibus impetrauit, vt magistratu se abdicaret, Aulam relinqueret, sibi saltem consuleret, vbi alijs non potuit. Cupiuit enim Deo & sibi viuere, ne cum alijs in communi rerum declinatione de sua salute æterna periclitaretur.

Sed iam ad id quod maximè intendimus, veniamus, ad doctrinam scilicet & studia litteraria. Deus bone, quæ & quanta ingenij, laboris, industriæ, eruditionis monimenta posteritati reliquit! Quid adolescens ante publica munia? Quid vir maturus ad grauiora reipublicæ vocatus negotia? Quid priuatus in prouectiore ætate post officia relicta, hoc in genere præstitit? Omnia si diligenter consideres, hominem profectò ad miraculum doctum, ingeniosum, disertum non immeritò dixeris.

Imprimis Angliæ iura municipalia Londini multo studio, & industria magna accuratè didicit, & non minore cum auditorum applausu & fructu ibidem posteà publicè docuit. Qua etiam in vrbe apud S. Laurentium D. Augustinum de ciuitate Dei explicauit, illa potissimum auditoribus suis tradens, quæ ad Philosophiam & historias pertinent. Idiomate

etiam Anglicano elegantissimè adhuc iuuenis varia composuit opuscula, diuersa scripsit epigrāmata de vanitate, de fortuna , & similibus; pleraque per dialogos more ferè Platonico. Eiusmodi sunt illi quatuor libri omni bona eruditione referti, de sanctorũinuocatione, de peregrinationibus, de reliquijs, de veritate & vnitate Ecclesiæ, alijsque fidei controuersijs. Huic operi respondit quidam Tindalus hæreticus, quem Morus nouem alijs doctissimis libris refutauit. Scripsit etiam contra Ioannem Frithum de veritate corporis & sanguinis Domini in Eucharistia. Deindè apologiam adhuc aliam ad Tindalum, & apologiæ suæ defensionem, cui titulum fecit debellationem Solymorum & Bizantij. Item contra hæreticorum famosos libellos librum doctissimum, ad quorum titulos vt alluderet, opus cum hac inscriptione in lucem emisit: *Libellus supplex animarum in purgatorio.* Longam habuit aliquandò cum Simone Grinæo Lutherano Germano disceptationem domi suæ in Anglia, quam posteà per litteras continuauit, & Anglicè in lucem emisit. Insignis etiam est illius de quatuor nouissimis tractatus, cuius pars multo maior intercidit. Scripsit etiam pereleganter lingua nostra vulgari historiam Regis Richardi tertij, quam etiam inchoauit Latinè, sed imperfectam & incorrectam in rudi & crudo reliquit. Quamuis & ipsa mutila, vt est, sua non careat elegantia. Præterea ipse sibi confecit deuotam psalmodiam, vel psalmorum compendium, aliasque pias preces partim Anglicè partim Latinè, quas precando quotidiè recitare consueuerat. Epigrammatum eius in epistolis mentionem facit Erasmus. Vtopiam nouam insulam, idem Erasmus in epistolis ad Morum vocat *Nusquammam*, scripsit Latinè, quod opus translatum inuenitur in linguas Anglicam, Gallicam, Italicam, Germanicam. Illius etiam liber est, qui Guilhelmi Rossæi nomine circunfertur, in quo respondit Lutheri spurcitijs anno Domini 1523, in lucem emissis, similibus propemodum dicterijs. Sed non conueniebat, vt vir tantus tali libro, in quo respondit stulto secundum stultitiam suam, nomen suum apponeret, apposuit igitur vel alienum, vel fictitium. Hoc autem perlecto libro, Lutherus, qui anteà sibi doctus & elegans videbatur, visa suarum scurrilitatum absurditate, miser deinceps obmutuit.

Hæc & similia apud varios auctores legi, & in vnum corpus quasi compendio collegi. Nam huius memorabilis viri scripta pauca, fateor, hactenus vidi. Quo faciliùs mihi ignoscendum est, si in titulis vel defecero, vel redundauero, vel aliàs errauero. Tandem quia quibusdam sanè non bonis Henrici Regis octaui conatibus, & effræni libidini, vti par erat, vel obsistere voluit, vel potiùs consentire noluit, post quatuordecim ferè mensium vincula, capite plexus Martyrij coronam adeptus est, vt infrà dicetur. Porrò etiam in vinculis positus scripsit expositionē historicam passionis Dominicæ secundum quatuor Euangelistas, exordium capiens ab eo loco, *appropinquauit autem dies festus*, vsque ad illa vrba, *Iniecerunt manus in Iesum.* Deinceps autem tam arctæ traditus est custodiæ,

custodiæ, vt nunquàm ampliùs scribendi facultatē habuerit. Atque hæc quidem, & siqua alia extant, ab eo Anglicè conscripta, Guilhelmi Rastalli industria conseruata, vno volumine edita, & posteritati tradita sunt. Restat nunc vt singulorum operum, quæ scripsit, titulos hîc breuiter in Catalogo subiungamus. Scripsit enim

De Ecclesia contra Barnes, *Librum vnum.*
De iustificatione operum, *Librum vnum.*
In S. Augustinum de ciuitate Dei. *Commentarios.*
Dialogum de inuocatione sanctorum, *Librum vnum.*
Dialogum de peregrinationibus, *Librum vnum.*
Dialogum de reliquijs, *Librum vnum.*
Dialogum de veritate & vnitate Ecclesiæ, *Librum vnum.*
Defensionem horum omnium contra Tindalū, *Libros nouem.*
Debellationem Solymorum & Byzantij contra eundem, *Librum vnum.*
Dialogum de Eucharistia contra Frithum, *Librum vnum.* Ardentiore quo.
Contra Anonymum de cœna Domini, *Libros quinque.*
Contra libellos famosos hæreticorum, *Librum vnum.*
Disputationem contra Simonem Grinæum, *Librum vnum.*
Pro Erasmo contra Dorpium, *Librum vnum.*
Dialogorum pro Purgatorio contra Frithum, *Libros quatuor.*
Laruam aduersus Iouum, *Librum vnum.*
Confutationes diuersorum hæreticorum, *Librum vnum.*
Contra Joannem Pomeranum epistolam prolixam. Extat Louanij 1569.
Jterum contra Martinum Dorpium politioris litteraturæ reprehensorem, Libr. j.
Apologiam Latinam pro bonis litteris ad Academiam Oxoniensem, *Librum j.*
Contra Antimorum Germani Brixij, *Librum vnum.*
Contra Cordigeram eiusdem, *Librum vnum.*
De attritione & contritione, *Librum vnum.*
De quatuor nouißimis, *Librum vnum.*
Psalmodiam Latinam, *Librum vnum.* Louanij anno 1572.
Preces Anglicè, *Librum vnum.* ibidem.
De dignè accipienda Eucharistia Anglicè, *Librum vnum.* ibidem.
Historiam Paßionis Dominicæ, *Librum vnum.* Vel tractatum prolixum.
De solatio in afflictione, *Libros quatuor.*
Responsionem ad Lutheri spurcitias sub nomine Guilhelmi Roßæi, Librum vnum. Tota ista spirat. Londini 1523.
Declarationem de tyrannicida ad imitationem Luciani, *Librum vnum.* Ascendit quidam in.
In Angliæ iura municipalia, *Librum vnum.*
Epigrammata de vanitate, fortuna, &c. *Librum vnum.*
Vtopiæ nouam insulam, Libros duos. Pudet me propemodū. Coloniæ 1555.
Dialogos familiares, *Librum vnum.*
Comœdias iuueniles, *Librum vnum.*
Epistolarum ad amicos, *Libros tres.*

Epistolas ad Leium tres. Accepi mi chare Leie, tuas.
Carmina diuersi generis, *Librum vnum.* Bellè prorsus conuenire.
Panegyricum in Regis coronatione, Librum vnum. Siqua dies vnquam, siquod.
Vitam Edvvardi quinti, Librum vnum. Æternus Deus ad suam misericor.
Contra fraterculi rabiem, *Librum vnum.* Perlatæ sunt ad me litteræ tuæ.
Dialogorum pro ceremonijs, *Libros quatuor.*
Apologiam in Lutheranos, *Librum vnum.*

E Græco transtulit Luciani Dialogos

Menippum seu Necromantiam. Salue atrium, domusque vesti.
Cynicum. Quid tu tandem barbam quidem.
Philoseudem seu incredulum. Potes mihi Philocles dicere.
Pro tyrannicida. Cùm duos tyrannos iudices.
Super eodem adhuc. Non putaueram iudices ei.
Item epigrammatũ ex Græcis, Librum vnum. Vereor illustrissime princeps.
Progymnasmata ex Græcis, *Librum vnum.* Murem Asclepiades, vt apud.

E Latino vertit in Anglicum.

Vitam Joannis Pici Mirandulani, *Librum vnum.*
Eiusdem epistolas, *Librum vnum.*
Eiusdem duodecim præcepta viuendi, *Librum vnum.*

Alia non pauca partim Latinè, partim Anglicè, partim versu, partim prosa vertit aut scripsit. Quæ pleraque excusa fuerunt Louanij anno Domini 1566. Multa eius Anglica scripta excusa fuerunt Londini anno Domini 1557. Varia denique eius opuscula impressa fuerunt Basilææ anno Christi 1563.

Tandem decimo tertio die post Martyrium Ioannis Fisheri pridiè Nonas Iulij, in profesto Translationis S. Thomæ Cantuariensis patroni sui, in octaua S. Petri Apostolorum principis, pro cuius primatu sanguinem suum fudit, in cuius sacello in ipso castro Londinensi sepulturam accepit, euolauit in cœlum coronatus Martyrio, anno ætatis suæ quinquagesimo secundo, Natiuitatis Dominicæ 1535. sub Henrico Angliæ Rege octauo. Margarita eius filia longè dilectissima corpus patris honoratiori qua potuit sepulturę, vti dixi, committi curauit. De Martyrio eius scripsit Mauritius Channeius Carthusianus.

De Guilhelmo Hormanno.

1535.
950.

GVILHELMVS Hormannus, natione Anglus, patria Sarisburiensis, transactis puerilibus annis, ad Collegium Etonense studiorum causa missus, vbi auidè haustis litteris humanioribus, perceptisque Græcæ linguæ rudimentis; dignus habitus est qui Cantabrigiam ad altiores disciplinas destinaretur. Magis igitur animatus ad studia, & ea quæ inchoauerat accuratiùs perfecit, & variarum rerum multiplici cognitione auctus, ad summam tandem peruenit eruditionem. Fluebat ei Poëtica vena perelegans, rhetorum floribus ornatissimè cultus enituit, omnibus melioris Philosophiæ pręceptis instructissimus euasit, fuitque

Græcæ linguæ peritissimus, tantus tandem Theologus factus est, vt publico Senatus Academici consensu, ad supremū Magisterium meritò fuerit euectus. Cumque iam aliquot annos in legendis & meditandis sacris Scripturis vtiliter collocasset, ad Etonense Collegium denuò reuocatus, vt videtur, adolescentibus in illa schola instituendis præficiebatur. Quo tempore in litteris humanioribus scholares illic insigniter erudiuit, & patrijs historijs voluendis subindè se exercuit. Successu autem temporis perspecta morum eius probitate, & multiplici doctrina, capitulum Etonensis Ecclesiæ in suum vicepræsidem seu vicepræpositum eum elegit. Quam quietem vbi nactus esset homo studiorum amātissimus, otiosus in otio nec potuit esse nec voluit. Auxit igitur, magno sumptu coëmptis selectissimis libris, suam bibliothecā, sua scripta relegit, perpoliuit pleraque quæ priùs rudiusculè tractauerat, & luce digna reddita, tandem luce donauit. Ad honorem itaque suæ gentis, ad sui nominis memoriam, & ad posterorum vtilitatem chartis victuris commisit

In Theologiam Gabriëlis Biel, *Librum vnum.*
Fascem rerum Britannicarum, *Librum vnum.* Britannia insula Græcis nost.
Indices chronicorum, *Librum vnum.* Abbas Siculus Nicolaus Panormita.
Farraginem historiarum, *Librum vnum.* Generationes patrum veteris Test.
Compendium Guilhelmi Malmesberiensis, *Librum vnum.* Prima sedes Episc.
Epitomen historiæ Ioannis Pici, *Librum vnum.*
De secundo Regis connubio, *Librum vnum.* Quæritur an ducere vxorem fr.
Antibossicon in Vvhitingtonum, *Librum vnum.* Occurrit mihi nuper Vvitting. Quod opus exarauit concitatus & ad id animatus à Ioanne Aldrisio Episcopo Carleolensi.
Apologeticon in protouatem, *Librum vnum.*
Collectanea diuersorum, *Librum vnum.* In anteriore parte capitis.
Farraginem plurium, *Librum vnum.* Abusiones in mundo nouem.
Sophicos flores, *Librum vnum.* Virtutes Theologicæ cum materia.
Anatomiam membrorum, *Librum vnum.* Galenus in Tegni testatur quod.
Anatomiam corporis humani, *Libros duos.* Corporis humani partes, quæ.
Orationes & carmina, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.*
Elegiam in mortem Lilij. Lili pars animi nostri, fera flam.
Apothecam carminum iucundorū, *Librum vnum.* Gagnini oratoris carmen.
De arte dictandi, *Librum vnum.* In varia artificia Colendiss.
De orthographia, *Librum vnum.* Orthographia est verè scribendi.
Vulgaria puerorum, *Librum vnum.* Postquā publico erudiendæ iuuentuti.
Herbarum synonyma, *Librum vnum.* Abrotanum & ablactorium dicuntur.
Penultimarum syllabarum tempora, *Librum vnum.* Penultimæ syllabæ tēpus.

Scripsit etiam indices in varios auctores.

In chronica Sabellici. In hac tabula est compendiosum.
In eiusdem historiam Venetam. Acto Æstensis, septuagesimo.

In Catonem de re rustica. Ager quomodo emi, paratique debet.
In Varronem de re rustica. Agnorum cura libro secundo.
In Columellam de re rustica. Absinthitem libro decimo tertio.
In Paladium de re rustica. Ablaqueatio vitium libro secundo.
In moralia Æsopi. Adiutorio alterius omnes indige.

Scripsit etiam alia non pauca. Ex quibus pleraque moriens imperfecta reliquit. Tandem in Etonensi Collegio plenus dierum viuendi finem fecit, & ibidem in Ecclesia sepultus est, die duodecimo Aprilis, anno post Christi Seruatoris natiuitatem 1535, regnante in Anglia Henrico octauo.

De Ioanne Houghtono.

1535. 951.

IOANNES Houghtonus natione Anglus, honestis parentibus in Comitatu Estsexiæ ortus, sacri Carthusiensis ordinis in domo Annunciationis beatissimæ Virginis Mariæ Monachus. Hunc in adolescentiæ primis annis parentes ad studia bonarum litterarum educari curauerunt. Qui tantos progressus fecit, vt in Academia Cantabrigiensi artium liberalium & Philosophiæ Baccalaureus fuerit creatus. In Vtroque posteà iure, vt scribit in sua Carthusiana bibliotheca Theodorus Petreius, primam lauream accepit. Sed vanitatem reputans omnem humanam scientiam, diuinis constituit se totum mancipare obsequijs. Itaque quàm primùm per ætatem licuit, presbyteratus ordinem suscepit. In quo statu quadriennium circiter in sæculo peregit, & anno ætatis suæ plus minus vicesimo octauo ad sacrum Carthusianorum ordinem, in præfato iuxta Londinum cœnobio receptus est, & illo habitu indutus, mundum, atque ea quæ mundi sunt, exuit. Ibi in summa patientia, humilitate, obedientia, austeritate, & sui ipsius mortificatione, imò perfecta abnegatione, cellæ silētijque strictissimus obseruator, sanctissimè vixit. Deindè factus est ibi Sacristarius Ecclesiæ, & post quinquennium domus Procurator, in quo officio peracto triennio, Prior Bellæ vallis constitutus est. Sed post sex menses mortuo Priore Londinensi Ioanne Batmansono, ad suum primum Monasterium denuò reuocatus, factus est ibi Prior. Vix autem completo biennio electus est supremus per totam Angliam ordinis sui visitator. Sed ad institutum nostrum veniamus, & eius eruditionem examinemus. Habebat concionandi gratiam non vulgarem, suosque ad fortitudinem & constantiam in fide hortatus est, tum cum Rex Henricus illius nominis octauus ab omnibus iuramentum exegit, vt illicitis suis actis expressum præberent consensum. Habuit autem plerasque suas exhortationes super primos quinque versus psalmi quinquagesimi noni; *Deus repulisti nos & destruxisti nos.* Scripsit igitur præter ea quæ cum auctore sublata sunt è medio

Concionum, *Librum vnum.*
Epistolarum maximè ad Theodoricum Loërum Carthusianum, *Librum vnum.*

Miraberis forsan religiosissime pater. De aliorum operum titulis nihil

habeo. Martyrio coronatus est die quarto Maij, anno ætatis suæ quadragesimo octauo, incarnationis Dominicæ 1535, sub Angliæ Rege Henrico octauo. Martyrium eius scripsit Mauritius Channæus.

De Ioanne Clerco.

IOANNES Clercus sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Vir litteris, pietate, & prudentia insignis, & qui in grauibus reipublicæ negotijs cum honore versatus est. A Rege semel missus orator ad Leonem Papam decimum. Intuitu virtutis & eruditionis ad Episcopatum Bathoniésem euectus, præfuit in solitudine, & gregem sibi commissum verbo & exemplo diligenter pauit. Cùm disputaretur de diuortio inter Henricum octauum Angliæ Regem, & Catherinam coniugem, nunquam adduci potuit, vt iustam Reginæ causam desereret, & ad Regis iniquas partes transiret. Vnde & eruditè scripsit

1535. 952.

Pro defensione matrimonij Henrici cum Catharina, *Librum vnum.*

Orationum & epistolarum, *Librum vnum.* Aliorum scriptorum eius titulos hactenus non inueni. Claruit anno post aduentum Messiæ 1535, sub præfato Angliæ Rege Henrico octauo. Vide illum quem de Bathoniensibus Episcopis compilauimus Catalogum.

De Ioanne Holimanno.

IOANNES Holimannus natione Anglus, Episcopus Bristoliensis. Vir pietate, prudentia, doctrina, & fidei zelo clarus. Hic cùm videret Henricum octauum Angliæ Regem vehementer ad hæresim propendere, & ad iniustum tum suæ legitimæ, tum Christi dilectæ sponsæ repudium multum inclinari; iustissimo diuinæ gloriæ, & æquitatis publicæ zelo motus, priuatis persuasionibus, publicis concionibus, & libris scriptis vtrumque malum impedire & auertere pro sua virili parte conatus est. Demonstrauitque clarissimis argumentis matrimonium Henrici Regis octaui cum Catherina Hispana legitimum fuisse; nec ab homine dirimi posse debere, quod Deus coniunxit. In quem etiam finem doctissimè scripsit

1535. 953.

Pro defendendo dicto matrimonio, *Librum vnum.*

Quod aliud quidpiam scripserit hactenus non reperio. Floruit anno reparatæ salutis 1535, regnante in Anglia dicto Rege Henrico octauo. Vide nostrum de Bristoliensibus Episcopis Catalogum.

De Ioanne Rastallo.

IOANNES Rastallus Londini in Anglia natus, & eiusdem vrbis ciuis ac typographus. Vir pius, litteratus, & diuinæ gloriæ zelo mirè feruens. Quibus nominibus ita charus extitit Thomæ Moro, vt indignum non iudicauerit sororem suam illi dare in coniugem. Erat Mathematicorum in Anglia suo tempore facilè princeps, omni humaniore litteratura non vulgariter instructus, Philisophus non contemnen-

1536. 954.

dus, in ipsa demùm sacra Theologia plus quàm mediocriter versatus. Studium autem historiarum & cosmographiæ præ cæteris profitebatur. Quo in genere quasi totum terrarum orbem ingenio complexus, composuit prolixam & ingeniosissimam comœdiam, in qua descripsit ad viuum, adhibitis figuris & alijs instrumentis, tres mundi partes, Asiam, Africam, & Europam. Totam autem comœdiam intitulauit

Naturam naturatam, *Librum vnum.* Exuberans diuinæ potentiæ gratia.
Canones Astrologos, *Librum vnum.*
Anglorum Regum chronicon, *Librum vnum.* Quisquis in veteribus legere.
De bonis operibus, *Librum vnum.*
De oratione, *Librum vnum.*
De indulgentijs, *Librum vnum.* Licet certi ac indubij sitis, quod.
Dialogos de Purgatorio, *Libros tres.*
Regulas bonæ vitæ Anglicè, *Librum vnum.*
De societate Rosarij, *Librum vnum.*
Apologiam contra Ioannem Frithum, *Librum vnum.* Et alia multa lingua præsertim materna. Londini tandem diem clausit extremum anno Virginei partus 1536, dum in Anglia regnaret Henricus octauus.

De Vvilfrido Holmes.

1536.
955.

VVILFRIDVS Holmes familia nobili in Anglia natus, patria Eboracensis. Vir in bonarum litterarum studijs plus quàm mediocriter versatus. Qua tempestate arma caperet populus Eboracensis potissimùm & Lincolniensis, ad defendendam auitam fidem contra errores & schismata, quæ tunc in Angliam irrepere cæperant, hic totam illam commotionem dialogo, & quidem non indocto descripsit, in quo ferunt eum, in Regis gratiam, nonnulla non vsque adeò fideliter & veraciter protulisse. Interlocutores sunt Imperatrix Anglia, & Vvilfridus Holmes. Titulum operi præfixit

De vtroque Borealium tumultu, *Librum vnum.* Postquàm frigora Phœbus.
Ad Merlini prædictiones, *Librum vnum.* Sed vnum, inquam, quod vix cred. & alia. Diem suum obijsse dicitur anno post Christum natum 1536, dum in Anglia rerum potiretur Henricus octauus.

De Ioanne Foresto.

1538.
956.

IOANNES Forestus ordinis S. Francisci de Obseruantia Monachus Anglus, sacræ Theologiæ Doctor. Vir integerrimæ vitæ, multiplicis doctrinæ, & magnus Catholicæ religionis zelator. Quibus nominibus dignus habitus est, vt Reginæ Catharinæ magnarum virtutum fœminæ adhiberetur ad secreta confessionum. Contra schisma à Rege inchoatum, & pro auctoritate Ecclesiæ, summique Pontificis strenuè laborauit, docuit, prædicauit, scripsit. In qua tandem causa, carceres & vincula primùm pertulit, deinde sanginem & vitam profudit. Doctrinæ autem monimenta hæc saltem sequentia post se reliquit

De auctoritate Ecclesiæ summiq; Pontificis, Librũ j. Nemo sibi sumat honoré.
Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* De alijs nihil habeo explorati. Londini affectus est martyrio decimo calendas Iunij, anno à natiuitate Christi 1538, dum Anglicani regni gubernaculum teneret Henricus octauus.

De Roberto Vvacfeldo.

1538. 957.

ROBERTVS Vvacfeldus, Polypum aliqui cognominant, natione Anglus, in studijs bonarum litterarum ab adolescentia nutritus Cantabrigiæ, magnam in humaniore litteratura & Philosophia consecutus est peritiam. Exteras deinde regiones peragrauit, & cum doctissimis vbique viris communionem habuit. Linguas Græcam, Hebræam, Chaldæam, & Syriacam didicit, & Tubingæ in Germania aliquando docuit. Deinde reuersus in Angliam, his nominibus ipsi Regi non solum cognitus, sed etiam charus esse cœpit, adeò vt ei tandem fieret à sacellis. Qui Regis fauor hominem ita rapuit, vt deinceps de quibusdam erroribus semper fuerit suspectus, quam suspitionem etiam ipsius & mores & scripta nonnihil auxerunt. Vnde & aliqui saltem eius libri sunt omnino prohibiti, ne à Catholicis legantur. Præterea dum anno Domini 1536, Rex Monasterium Ramesiense dirui faceret, hic iniquitati tantæ consensisse, & affuisse videtur. Nam & ipse ex illa Bibliotheca non paucos libros surripuisse dicitur, & in his dictionarium Hebraicum Laurentij Holbecci, opus doctum & elaboratum. Porrò quod ad doctrinam attinet Vvacfeldi, sequentia monimenta reliquit

Paraphrasim in Ecclesiastem, *Librum vnum.*
Orationum, *Librum vnum.*
De vtilitate trium linguarum, Librum vnum. Cogitans apud quos modo.
De Hebræorum codicum incorruptione, *Librum vnum.*
Institutiones Hebraicas, *Librum vnum.*
De laudibus Hebraicæ linguæ, *Librum vnum.*
Cotser codicis, *Librum vnum.*
De laudibus agriculturæ, *Librum vnum.*
De Philosophia, *Librum vnum.*
De non ducenda fratria, Librum vnum. De Deuteronomica lege quod.
De optimo statu reipublicæ, *Librum vnum.*
De fide & operibus, *Librum vnum.*
De parsimonia, *Librum vnum.*
De pace, Librum vnum. Et alia quàm plurima. Obijsse dicitur anno post humani generis reparationem per Christum factam 1538, dum in Anglicani regni solio sederet Henricus huius appellationis octauus.

De Christophoro de sancto Germano.

1539. 958.

CHRISTOPHORVS de S. Germano, illustri prosapia in Anglia natus, patria, vt videtur, Cornubiensis. Postquam artes liberales

& Philosophiam didicisset, Londini studijs legum operam dedit, in Templo (quod vocant) interiori. Vbi partim sub doctis Magistris, partim ingenij & industriæ suæ ductu ad summam iuris scientiam peruenit. Nec tantum in patrijs legibus, sed etiam in iure tum Pontificio, tum Cæsareo peritissimus euasit. Propter singularem prudentiam, & in expediendis negotijs dexteritatem, magnam famam, nomen celebre consecutus est. Castitatem perpetuò coluit, ad quam, præter donum quod habuisse videtur naturale, multum contulerunt in victu quotidiano sobrietas & temperantia. Quæ omnia in causa fuerunt, quòd vitam vsque ad multam senectutem produxerit. Studijs adeò delectabatur, vt omnem, quam ex suis reditibus corradere poterat, pecuniam, non in alia, quàm in librorum supellectile semper impenderit viuus; nec aliam, præter instructissimam Bibliothecam, possessionem hæredibus reliquerit mortuus. Bibliothecam autem ornauerat, non solum libris precio coemptis, sed etiam ex ingenij proprij thesauro depromptis, suoque labore & studio doctè compositis. Vnum tamen in eo vehementer dolendum est, quòd suspectum se reddiderit quorundam errorum, quodque quasdam opiniones tenuisse dicatur à sana doctrina vel omninò alienas, vel nonnihil discrepantes. Pertinaciam tamen accessisse non inuenio. Fueritnè in causa huius mali, iudicij debilitas, an naturæ facilitas, an temporis iniquitas, an forsitan aliqua ex inconsideratione in homine temeritas; nescio. Quicquid de his sit, fuit vir sanè non vulgariter doctus, id quod eius lucubrationes satis declarant. Scripsit enim idiomate partim patrio, partim Romano

De Cleri potestate ex iure, *Librum vnum.* Quamuis huius libri propositũ.
Quod Clerus non conderet leges, *Librum vnum.*
Discrimen Cleri & populi, *Librum vnum.*
Dialogum de vtraque potestate, *Librum vnum.*
Quid sit Ecclesia, *Librum vnum.*
De eiusdem Sacramentis. *Librum vnum.*
Apologiam ad Thomam Morum, *Librum vnum.*
Apologiam ad epistolam quandam, *Librum vnum.*
Concilia Romanorum Pontificum, *Librum vnum.*
Doctrinam S. Bernardi & sanctæ Brigittæ, *Librum vnum.*
Salem & Bizantium, *Librum vnum.* Liber iste quem nuper edidit.
Additionem Salis & Bizantij, *Librum vnum.*
Dialogum de legibus Anglicanis, *Librum vnum.*
Dialogum de fundatione eorundem, *Librum vnum.*
De statutis prouincialibus, *Librum vnum.*
In Mahometem & eius sectam, *Librum vnum.* Et alia non pauca.

Tandem post superatos octoginta ætatis suæ annos à morte superatus est Londini die vicesimo octauo Septembris anno postquàm Verbum caro factum est 1539, & in templo S. Elphegi ad Criplelgate iuxta Lupsetum sepultus est, regnante in Anglia Henrico octauo.

De Edvvardo Povvello.

EDVVARDVS Povvellus, vel Poëllus ex Britonum sanguine in Vvallia natus, sacræ Theologiæ Doctor. Vir pius, syncerus, strenuus & constans. Vnus erat ex Reginæ Catharinæ aduocatis, cùm Rex Henricus octauus diuortij causas quæreret. Regis igitur libidini hac in parte liberrimè restitit hic Doctor, veritus id quod res erat, nè Rex non solum suam legitimam coniugem, sed etiam Christi sponsam repudiare intenderet Ecclesiam, vti posteà comprobauit euentus. Principijs horum malorum obuiam iuit, quantum potuit Poëllus habitis, disputationibus, & libris scriptis. Vndè primùm carceribus Londini mancipatus, deinde martyrio coronatus est. Sic enim scribit Hormannus, & libro primo schismatis Anglicani Sanderus. Varia scripsit Poëllus, & inter cætera librum doctissimum quo irrefragabilibus argumentis probauit matrimonium Regis Henrici octaui cum Catharina Hispana & ritè legitiméque contractum, & nequaquam esse dissoluendum. Titulum operi præfixit

1540.
959.

De non dissoluendo Henrici Regis cum Catharina matrimonio, *Librum vnum.*
De Sacerdotio Euangelico & septem Sacramentis, *Librum vnum.*
Contra Lutheri captiuitatem Babylonicam, *Librum vnum.* Quem diù asseruatum Londini ferunt in Bibliotheca Regia. Aliorum operum titulos non inuenio. Londini tandem in foro fabrili cum alijs quibusdam martyrium gloriosum consecutus est anno gratiæ 1540, sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Thoma Abelo.

THOMAS Abelus sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Vir pius, prudens, & eruditus. In illo turbulento inter Regem Henricum, & Reginam Catharinam diuortij negotio, vnus erat ex aduocatis Reginæ, in qua causa constans æquitatis propugnator doctissimè probauit, & acerrimè defendit matrimonium illud legitimè contractum, ratum, consummatum, & susceptione prolis corroboratum, nullo iure posse, nulla ratione debere dissolui. In quo certamine Londini primùm carcere, deinde capite mulctatus est. Quid scripserit non inuenio, præter

1540.
960.

De non dissoluendo Henrici & Catharinæ Reginæ matrimonio, *Librum vnum.*
Martyrio coronatus est vnà cum Poëllo & alijs, vt dictum est, anno salutis reparatæ 1540, sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Richardo Fetherstono.

RICHARDVS Fetherstonus sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Vnus erat ex aduocatis Reginæ Catharinæ contra diuortium quod Rex fieri cupiebat, quia perditè aliam amabat. Hic autem iniquum Regis desiderium ferre non potuit, & impendentia mala timens, & lupum iam venientem videns, fugere noluit: denique nè ouile Christi dis-

1540.
961.

pergeretur, vsque ad carceres, vincula, & mortem restitit. Rationibus igitur solidissimis, & firmissimis argumentis quasi ad oculum demonstrauit, omni iuri tum diuino, tum humano manifestè repugnare, vt quis coniugem legitimam repudiet, & aliam, ea viuente ducat. Tandem expresè scripsit

Contra diuortium Henrici & Catharinæ, Librum vnum.

Londini martyrio cum præcedentibus duobus affectus est anno post aduentum Messiæ 1540, sub regno Henrici octaui.

De Ioanne Houkero.

1541. 962.

IOANNES Houkerus vel Houcherus natione Anglus, Academiæ Oxoniensis alumnus, & ibidem in Collegio sainctæ Mariæ Magdalenæ liberalium artium & Philosophiæ Magister. Vir Græcè Latinéque non vulgariter doctus. Mihi quidem suspectus in fide propter suspectum tempus & locum quibus vixit & scripsit. Sed quia nec eius opera vidi, nec inuenio quenquam qui hominem condemnet, omnia in partem meliorem interpretor. Scripsit, vti ferunt, non ineruditè multa partim Anglicè partim etiam Latinè

Comediam cui titulum fecit Piscatorem, vel fraudem illusam, Librum vnum. Saluete omnes, vobis salutem.

Introductionẽ in Rhetoricã, Librum vnum. Conducit igitur intelligere.

De vero crucifixo carmen. Quicumque Christum pendentem cruce.

Epigrammatum, Librum vnum. Et alia similia. Oxonij diem suum obijt anno à plenitudine temporis 1541, regnante apud Anglos Henrico octauo.

De Ioanne Shepræo.

1541. 963.

IOANNES Shepræus natione Anglus, studijs bonarum litterarum operam dedit Oxonij, fuitque de societate corporis Christi. Vir pius & eruditus. Fœlicis ingenij, memoriæ singularis, vtpote quam & naturalem & artificialem habuit optimam. Elegans Poëta, Rhetor facundus, trium linguarum cognitione insignis. Multa Latinè scripsit, non pauca è Græco in Latinum transtulit sermonem. Illius est epistola non inelegans elegiacis versibus nomine Hippolyti scripta ad Phædram, in qua non infœliciter Ouidium imitatus est. Cuius initium sic habet:

Reddo tibi miseræ, quam das mihi Phœdra salutem,
Si dici poßit res malè sana salus.

Hic Ioannem Claimundum Doctorem Oxoniensem, & aliquando eiusdem Collegij Corporis Christi præsidem mirè coluit, eiusque laudes integro libro celebrauit oratione Latina. Ad memoriam iuuandam composuit quædam disticha in capitula totius Noui Testamenti. Qui liber à quibusdam posteà fuit auctus, & in lucem editus. Sed nunc singulorum operum eius Catalogum breuiter more nostro per titulos adiungamus. Scripsit

Diſticha ducenta ſexaginta in Nouum Teſtamentum, *Librum vnum.*
A priſcis oritur Chriſtus, turbatur.
De vita Joannis Claimundi, *Librum vnum.*
Carminum diuerſorum, *Librum vnum.*
Hippolyti ad Phadram epiſtolam. *Reddo tibi miſera quam das mihi Phæd.*
E Græco in Latinum tranſtulit.
Quendam libellum Baſilij.
Hecubam Euripidis, *Librum vnum.*
Herculem furentem, Librum vnum. Et alia nonnulla. Oxonij diem ſuum obijt anno partus Virginei 1541, dum in Anglia regnauit Henricus octauus.

De Edvvardo Leio.

EDVVARDVS Leius, natione Anglus, ab ipſis adoleſcentiæ primis annis in ſtudijs liberalium artium educatus, ad ſummam eruditionem ſucceſſu temporis peruenit. Ad elegantiam Latini ſermonis Græcæ linguæ peritiam adiunxit, ad Philoſophicas ſcientias Theologiam addidit, eratque in ſacris eloquijs verſatiſſimus. His acceſſit pietas, prudentia, dexteritas, & incredibilis diuinæ gloriæ zelus. Quibus nominibus Regi Henrico octauo quantumuis iam à religione Catholica alieno, mirè charus extitit. Vnde factus eſt ei primùm ab eleemoſynis, & tandem Archiepiſcopus Eboracenſis. Rex etiam in arduis negotijs eius conſilio, & in honoratiſſimis legationibus eius opera non ſemel vſus eſt. Hic vnus erat ex deputatis ad examinandam & cognoſcendam cauſam illam diuortij inter Regem & coniugem Reginam Catharinam. In quo negotio timorem Dei ita cum humana prudentia temperauit, vt Reginæ partes tanquam æquas defendens, nec Regi diſplicuerit, nec Deum offenderit. Thomæ etiam Moro ſemper amiciſſimus, neque in hoc Regis indignationem incurrit. Denique nec Reginæ repudio, nec religionis mutationi vnquam conſenſit. Imò hæreticos diſputationibus acutiſſimis, concionibus doctiſſimis, & libris eruditè ſcriptis ſtrenuè confutauit, & nihilominus gratiam Regis diù conſeruauit. Palam profeſſus eſt ſe Regem quidem vt optimum patronum amare & colere, ſed magis Deum diligere & timere. Tandem tamen gratia Regis excidiſſe dicitur. Lutheranorum flagellum non immeritò dicebatur, & Eraſmum Roterodamum eorum in multis fautorem teſte Sixto Senenſi non benè ferebat: ſexcentos Noui Teſtamenti textus, quos Eraſmus ſua verſione corruperat, taxauit, & doctiſſimè correxit. Propter hæc & ſimilia eius rectè facta virulentæ poſteà linguæ in eum grauiter acuebantur, & nequiſſimas hæreticorum calumnias expertus eſt. Contra eum ſcripſerunt, Eraſmus apologias, Euricius Cordus, & Vlricus Huttonus epigrammata mordacia, Ioannes Gertophius acerbam criminationem, quæ in ſacro Concilio Tridentino reiecta & condemnata eſt. Porrò ſcripſit Leius

1544.
964.

Epistolas sexcentas, *Librum vnum.*
Annotationes in Nouum Testamentum contra illas Erasmi, *Librum vnum.*
Ecce nunc domum habes, Desideri. Extat Maguntiæ anno 1520.
Inuectiuam in Erasmi versiones, *Librum vnum.*
Reprehensiones Erasmi, *Librum vnum.*
Epicedia clarorum virorum, *Librum vnum.*
De exhibitis consilio Cæsario, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia non pauca. Eboraci tandem mortuus, & ibidem in Ecclesia sua Cathedrali sepultus est anno salutis humanæ 1544, dum in Anglia rerum potiretur Henricus octauus. Vide eum quem de Archiepiscopis Eboracensibus contexuimus Catalogum.

De Ioanne Parkinso.

1544. 965.

IOANNES Parkins nobilibus parentibus in Anglia natus. Vir à natura ad bonas litteras capessendas formatus. Imbibitis litteris humanioribus, Londinum ad studia iuris contendit, & in illo legisperitorum habitaculo quod interius Templum vulgò dicitur, municipalibus patriæ legibus sedulam nauauit operam, donec eò scientiæ perueniret, vt ipse ibidem, quæ didicerat, publicè doceret. Ab acumine ingenij, solido iudicio, & linguæ facundia multum commendatus, suo munere magna cum laude functus est. Tandem ad publicum suorum auditorum commodum, & vt suorum laborum participem faceret posteritatem, suumque nomen commendaret æternitati, scripsit & in publicum emisit Anglicè cum procemio Latino de legibus Angliæ
Explanationes in vndecim capita iuris, *Librum vnum.* Quia vsus rerum secundum rectam rationem. De alijs nihil habeo certi. Obijsse dicitur circa annum Christi 1544, regnante in Anglia Henrico huius appellationis octauo.

De Thoma Robersono.

1544. 966.

THOMAS Robersonus, natione Anglus, patria Eboracensis, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, Græcæ Latinæque linguæ peritissimus, Grammaticorum sui temporis facilè princeps. Tantam in erudienda adolescentia, & in ipsis Grammatices rudimentis percepit delectationem, vt in illis exercitijs penè omnem consumpserit ætatem. Exceptis autem huiusmodi Grammaticalibus, nihil, quod sciam in lucem emisit, nihil posteris ad sui memoriam reliquit. Vir alioquin multiplici doctrina, varijsque scientijs non ignobiliter instructus. De cuius scriptis sic Henricus Knolæus:

Ausonij ruris segetes si falce recurua
Carpere fortè velis, hunc pete lector agrum.
Vomere quem docto coluit doctissimus ille,
Ille Robersonus, flos, decus, Oxonij.

Omnia porrò quæ hîc subijciam eius opera Basilææ fuerunt excusa an-

no Domini 1532. Ad instructionem iuuentutis in rebus Grammaticis scripsit ad Ioannem Langlondum Episcopum Lincolniensem in regulas Guilhelmi Lilij

De nominum generibus, *Librum vnum.* Prodijt superioribus annis.
De nominibus heteroclitis, *Librum vnum.* Adorsus de heteroclitis scribere.
De verborum præteritis, *Librum vnum.* Quædam istorum interdum.
De verbis defectiuis, *Librum vnum.* Sed nunc vt totum percurras.
De versibus pangendis, *Librum vnum.* In hac versificandi methodo.

Et eiusmodi alia plurima. Claruit anno à Christi Seruatoris natiuitate 1544, regnante in Anglia Henrico octauo.

De Thoma Lanqueto.

THOMAS Lanquetus natione Anglus, vir in humaniore litteratura supra vulgarem morem eruditus, & antiquarum historiarum scrutator curiosissimus. Anglica lingua scribere intendebat epitomen chronicorum ab initio mundi vsque ad suum tempus. Quæ autem suo sæculo gesta inuenit historia prolixiore fusiùs ad longum narrare moliebatur. Opus vtrumque non infœliciter inchoauerat, sed morte præuentus neutrũ absoluit. Vtrumque autem adeò imperfectum reliquit, vt prioris quidem bona pars, posterioris vnicum, quod sciam, fragmentum ad nos peruenerit. Ab exordio mundi ad Christi Natiuitatem seriem narrationis intentæ perduxit duobus libris, sed cum initio tertij finem vitæ fecit. Scripsit igitur [1545. 967.]

Chronicorum epitomen, *Libros duos.* Licet ob varias causas, quas.
Expugnationem Boloniæ, *Librum vnum.* De alijs nihil habeo comperti.

Obijt Londini anno ætatis suæ vicesimo quarto, Verbi incarnati 1545, dum Anglicano regno præesset Henricus octauus.

De Thoma Sulmone.

THOMAS Sulmo, Sulemanum, vel Solimountem aliqui cognominant, natione Anglus, in insula Garneze in lucem editus. Vir in litteris politioribus, & omnibus ingenuis artibus benè eruditus, & historicus non contemnendus. Patrias antiquitates ex auctoribus vetustis magna diligentia inuestigauit, quas in vnum corpus collectas, & bono ordine dispositas, ad suam famam propagandam, & posteritatem vel iuuandam, vel certè delectandam, edidit. Totique operi titulum præfixit [1545 968]

Antiquitates Britanniæ selectiores, *Librum vnum.*
De gestis S. Thomæ Cantuariensis, *Librum vnum.* Et alia eiusmodi.

Londini tandem mortuus est, & ibidem apud Carmelitas sepultus anno postquam Verbum caro factum est 1545, dum Anglicani regni clauum teneret Henricus octauus.

De Thoma Elioto.

1546.
969.

THOMAS Eliotus vel Eliota, Equestri familia in Anglia natus, patria Suffolcensis, & ipse armatæ militiæ auratus Eques. Patrem habuit Richardum etiam Equitem. Cuius cura à teneris annis ad bonarum litterarum studia semper erat nutritus. Ne optima indoles & præclaræ animi dotes defectu culturæ corrumperentur, & veterno perirent, humanioribus litteris strenuam imprimis nauauit operam. Auidéque imbibit successu temporis omnes artes liberales. Litteras etiam Græcas accuratè didicit. Tandem Grammaticus, Poëta, Rhetor, Philosophus, Medicus, Cosmographus, & Historicus euasit insignis. Omni denique melioris doctrinæ genere fœlix ingenium mirificè excoluit, nè, vt ipse de se scribit, vel desidi otio, vel pernitioso negotio vitam infirmaret. Desidiam enim tamquam omnium vitiorum matrem semper habuit exosam, industriam omnium virtutum conseruatricem impensè coluit. Exteras nationes discendi studio strenuè peragrauit, multas inuisit celebres Academias, cum doctissimis vbique viris multum contulit, magnam amicitiam contraxit, & à plerisque, quæ maximè è re sua fuerant, diligenter didicit. Vir animi candore, morum integritate, vitæ innocentia, & pietate, quæ ad omnia vtilis est, planè insignis. Potius vitam amisisset, quàm Catholicam vitam deseruisset. Thomæ Moro propter morum similitudinem & studiorum communionem amicus intimus. Postpositis honoribus, ad quos, propter generis splendorem, & amplissimas possessiones, facillimus ei patebat aditus, se totum studijs addixit, multum ad ornatum linguæ Latinæ consequendum laborauit, antiquitates patrias ex historijs eruit, ad rem medicam discendam & exercendam non modica attulit adiumenta. Pleraque sua scripta Henrico octauo Angliæ Regi nuncupauit, in quibus non semel lapsum miseri Regis deplorauit. Scripsit

Flores sapientiæ, *Librum vnum.*
Conuiuium sapientiæ, *Librum vnum.*
Dialogos de sapientia, *Libros quinque.* Deus cui omnia corda sunt aperta.
Pro educatione puerorum, *Librum vnum.*
De rebus Angliæ memorabilibus, *Librum vnum.*
Castellum sanitatis Anglicè, *Libros quatuor.* Galenus excellentissimus medicus. Extat Londini anno 1541. Vidi in bibliotheca Arthuri Pitsij.
Defensorium bonarum mulierum, *Librum vnum.* Postquam diligentia quadam perlegissem.
Gubernatorem, *Libros tres.* Nuper considerans excellentiam.
Imaginem gubernationis, *Librum vnum.* Dum à diebus aliquot inter.
Bibliothecam dictionariam, *Librum j.* Præclarus Philosophus Plutarchus.
Opus quoddam imperfectum, *Librum vnum.*

Ex Latina in Anglicam linguam transtulit.

Doctrinale principum, *Librum vnum.*

Picum de vita Christiana, *Librum vnum.*
Sermones Cypriani, *Librum vnum.*
Pasquilli dialogum, *Librum vnum.* Et alia multa partim scripsit, partim transtulit. Carletonæ tandem suæ ditionis in Comitatu Cantabrigiensi mortuus & sepultus est die vicesimo quinto Martij, anno salutis reparatæ 1546, dum Anglicani regni sceptrum teneret Henricus octauus.

De Edvvardo Hallo.

EDVVARDVS Hallus, natione Anglus, vir in litteris humanioribus benè eruditus, & in studijs municipalium Angliæ legum diù multumque vtiliter versatus. Eloquens etiam & disertus. Quibus nominibus magnam famam, gratiam, auctoritatem sibi conciliauit. Adeò vt ab ipsa vrbe Londinensi eligeretur, vt ibi in causis ciuilibus iudicis fungeretur officio. Erat præterea non contemnendus historicus. Suscepitque tractandam tragœdiam illam funestam, quæ sub Rege Henrico quarto cœpta est inter Eboracensem & Lancastrensem familias per rubram & albam rosam designatas, durauitque vsque ad vtriusque domus combinationem factam per connubium Henrici septimi cum Elizabetha Edvvardi quarti filia. Quod matrimonium partium animos reddidit pacaciores. Scripsit igitur Hallus super hac re patrio sermone ad Regem Henricum octauum nonnihil adulatoriè quoddam opus, cui titulum fecit

1547.
970.

Familiarum vnionem, Libros octo. Obliuio pernitiosa claritudinis inimica. Mortuus & sepultus est Londini anno Domini 1547, dum in Anglicani regni solio sederet Henricus octauus.

De Ioanne Guinetho.

IOANNES Guinethus humili loco in Anglia natus, adeò tenuis fortunæ fuit, vt vndè in studijs se alere posset, non haberet. Cum tamen esset acuti & perspicacis ingenij, necnon industriæ singularis, ipse quasi per se & proprio Marte bonas litteras didicit, & successu temporis ad magnam eruditionem peruenit. In sacrarum scripturarum lectione benè versatus, contra Lutheranos & Zuinglianos eruditè scripsit, eorum nugas & ineptias detexit, eorum errores non minus neruosè, quàm eleganter refutauit, denique quàm absurdis inter sese disceptationibus pugnent, dilucidè demonstrauit. Scripsit Anglicè super eo

1548.
971.

Qui offendit in vno factus est omnium reus, *Librum vnum.*
Contra Ioannem Frithum, *Librum vnum.* Et alia quædam.
Senex vixisse dicitur anno postquam Verbum caro factum est 1548, inchoante regnum suum in Anglia Edvvardo sexto.

De Antonio Copo.

ANTONIVS Copus nobili familia in Anglia natus. Vir Musarum amantissimus. Postquàm Academias Anglicanas diù fre-

1548.
972.

quentasset, studiorum etiam causa Germaniam, Galliam, Italiam inuisit, Academias notæ melioris vbique visitans, cum Doctoribus celebrioribus vbique conferens. Partim domi, partim foris multa eruditè scripsit, vt colligitur ex varijs probatis auctoribus, & ex quodam epigrammate, quod in eius laudem, vt fertur, scripsit Ioannes Baptista Mantuanus. Pleraque eius opera, propter turbulentas in Anglia per id tempus mutationes, circa religionem potissimùm, perijsse videntur. Quædam tamen ex eius lucubrationibus extant Londini, quorum nihilominus titulos non inuenio, præter quoddam opus ad Angliæ Reginam Catharinam, cui titulum præposuit

Elucidationes in viginti Dauidis psalmos, *Librum vnum.* Hominum in tribuendis strenis.

Claruit anno Domini 1548, sub Angliæ Rege Edvvardo sexto.

De Arthuro Keltono.

1548. 973. ARTHVRVS Keltonus in illis Anglici regni partibus quas Cambriam vocamus aut Vvalliam, natus. Vir elegantis & festiui ingenij. Multam & quidem non inutilem operam in bonis litteris posuit, & post acquisitam omnium meliorum artium multiplicem scientiam, in nullo sibi magis complacuit studio, quàm in iucundissima historiarum lectione. In quo studij genere nihil habuit antiquius aut honorificentius, quàm vt patriæ suæ gloriam, & res ibi à primis gentis regibus gestas historicis relationibus illustraret. Multa igitur super hac materia diligenter coaceruauit, in rithmos Anglicos concinnauit, & Guilhelmo Herberto Equiti aurato dedicauit

Cambrorum laudes, *Librum vnum.* Illustri Domino Guilhelmo Herberto.

Genealogiam Britannorum à Brito, *Librum vnum.* Dum inclytus & prudens.

Et alia plura tum versu tum prosa, quorum hactenùs tituli mihi non occurrunt. Claruit anno post salutem humano generi factam 1548, regnante in Anglia Edvvardo sexto.

De Andræa Bordo.

1548. 974. ANDRÆAS Bordus, natione Anglus, vir ad litteras satis acuti, sed alia nimis leuis & inconstantis ingenij. Iuuenis sacrum ordinem Carthusiensem ingressus, in eo non perseuerauit, ad sæculum redijt, in Gallias traiecit, in Monte Pessulano rei medicæ operam dedit, & in illa professione Doctoralem gradum accepit. Deindè in patriam rediens, Vvintoniæ medicinam exercuit, & ibidem reliquum vitæ tempus exegit. Vsque ad extremum diem castimoniam sanctè coluit, memor vndè exciderat, & inter alia contra Sacerdotes castitatis votum violantes acriter scripsit. Titulos operum multorum admodum paucos reperimus

Prognosticorum, *Librum vnum.*
De indicijs vrinarum, *Librum vnum.*

Promptuarium Physices, *Librum vnum*. Vvintoniæ tandem obijt anno Domini 1548, sub Angliæ Rege Edvvardo sexto.

De Roberto Talboto.

ROBERTVS Talbotus, natione Anglus, Ecclesiæ Cathedralis Norvvicensis Canonicus. Vir ingeniosus, industrius, & doctus. Antiquitatum tantus amator, & tam curiosus scrutator, vt codices vetustos vbicumque eos inueniret, aut precio emeret, aut prece mendicaret, aut commodatò acciperet, aut propria manu laboriosè describeret. Qua sua diligentia insignem sibi coarceruauit bibliothecam, & multa veterrima aduersaria inuitis blattarum dentibus ab interitu eripuit, & ad vtilitatem posteritatis luci reddidit. Descripsit manu sua 1550. 975.

De chartis Regum Britannorum exemplar quoddam. Quod habetur adhuc M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Composuit

Commentarios in itinerarium Antonij Augustini. M S. ibidem.

Collegit ex veteribus versibus & rithmis aurum de stercore, *Librum vnum.*

Et eiusmodi alia non pauca. Claruit anno salutis humanæ 1550, sub Angliæ Rege Edvvardo sexto.

De Edvvardo Godsaluo.

EDVVARDVS Godsaluus Sacerdos Anglus, sacræ Theologiæ Baccalaureus. Vir pius & eruditus. Hic videtur beneuolo vsus fuisse Ioanne Christophorsono Episcopo Cicestrensi. Nam illius Ecclesiæ fuit aliquádo Canonicus. Et vbi fides Catholica fuit oppressa in Anglia, fugit hic Confessor in Belgium, & Antuerpiæ in Monasterio S. Michaëlis sacram Theologiam docuit, & in eadem vrbe Typis mandari curauit Eusebij Cœsariensis libros decem, quos anteà præfatus Christophorsonus è Græco in Latinum verterat. Audiui Godsaluum hunc elucidationes quorumdam textuum sacræ Scripturæ concinnasse, quod tamen mihi certo non constat. Poterit etiam alia forsam scripsisse, quæ me latent. 1550. 976.

Claruit circa annum Christi 1550, regnante in Anglia Edvvardo sexto.

De Guilhelmo Salisbirio.

GVILHELMVS Salisbirius, nobilibus parentibus in Cambria natus. Penè ab annis teneris in bonarum litterarum studijs educatus, cum esset ingenij fœlicis, euasit in virum doctum, prudentem, & mirè facundum. Quibus nominibus cùm esset Regi Henrico octauo ante defectionem à fide, & cognitus & charus, plerosque, quos iuuenis edidit libros, eidem Regi dedicauit. Historias autem veteres diligentissimè peruoluit, & antiquitates multa sedulitate & pari fœlicitate scrutatus est. Scripsit 1550. 977.

Glossarium Britannicum, *Librum vnum.*
Antiquitates & leges Hovvelis, *Librum vnum.*

Dictionarium Cambricæ linguæ, *Librum vnum*. Dum inter varias & multas.
De Anglica pronunciatione, *Librum vnum*. Et alia plurima.
Claruit anno redemptionis communis 1550, dum ad Anglicani regni gubernaculum sederet Edvvardus sextus.

De Ioanne Rheso.

1550. 978. IOANNES Rhesus nobilibus progenitoribus etiam in Cambria natus, vir Equestris ordinis, & ipse auratus Eques. Postquàm multos annos in varijs studijs vtiliter posuisset, historijs legendis, & patrijs antiquitatibus inuestigandis se totum dedidit. Collectisque ex Scriptoribus priscis, optimis rerum gestarum monimentis, Latino sermone libros plures eleganter & eruditè scripsit præsertim contra Polydorum Vergilium tanquam Britannorum calumniatorem

Fidem historiæ Britannicæ, *Librum vnum*.
De varijs antiquitatibus, *Librum vnum*.
Pro Rege Arthuro, *Librum vnum*.
Tractatum de Eucharistia, *Librum vnum*. Et alia nonnulla.

Claruit anno redemptionis humanæ 1550, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus sextus.

De Thoma Caio.

1550. 979. THOMAS Caius vel Keye, natione Anglus, vir Latinæ Græcæque linguæ peritus. Nihil, quod sciam, de rebus fidei scripsit, nec illis se multum immiscuit, aut cui religioni magis faueret, manifestè declarauit. Adulatoriè tamen, vt Regi Henrico octauo & Reginæ Catharinæ Parræ hæreticæ complaceret, simulauit se hæresim amare. In gratiam etiam Reginæ, transtulit ex Latino in Anglicum sermonem

Erasmi paraphrasim in S. Marcum, *Librum vnum*. Inter innumera beneficia.
Ex Anglico in Latinum sermones Ioannis Longlandi, *Librum vnum*.
Ex Græco in Latinum Aristotelem de mirabilibus mundi, *Librum vnum*.
Tragœdiarum Euripidis, *Librum vnum*.
Isocratis orationem quæ Nicocles dicitur. Non desunt qui perindè sunt.

Claruit anno postquàm Verbum caro factum est 1550, regnante in Anglia Edvvardo sexto.

De Dauide Tolleio.

1550. 980. DAVID Tolleius, alij Tablæum, alij Taualegum vocant, natione Anglus, patria Deuonius, professione Medicus. Vir ingenij cultissimi, & in bonis artibus bellè exercitati. Ad Latini sermonis elegantiam adiunxit Græcarum litterarum insignem peritiam, & in eo genere non pauca, nec illa indocta scripsit. Quasi ex floribus omnium Grammaticarum collegit

Grammaticam regiam, *Librum vnum*.
Institutiones linguæ Græcæ, *Librum vnum*. Habentur Monachij in Bauaria, in bibliotheca Ducali.

Progymnasmata Grãmatica Græca, Librũ vnum. Octauus iam agitur annus.

Themata Homeri, Librum vnum. Et alia similia.

Claruit anno Dominicæ incarnationis 1550, dum Angliæ regno præesset Eduuardus sextus.

De Guilhelmo Balduuino.

GUILHELMUS Balduuinus natione Anglus, vir magnæ lectionis, multiplicis eruditionis, rerum etiam plurimarum vsu longaque experientia prudens, & in dirigendis expediendisque negotijs dexter. Iucundi, facundi, & elegantis ingenij sequentia posteris reliquit monimenta. Scripsit & ex antiquis auctoribus collegit 1500. 981.

De adagiorum vsu, Librum vnum. Quem modum amator in amatæ.

De similitudinibus & prouerbijs, Librum vnum. Similis tribus opusculis.

Vitas & responsa Philosophorum, Librum vnum. Dum Pericles collegisset exercitum.

Philosophorum præcepta & consilia, Libr. j. Ignotũ non est ijs qui notitiam.

Comediarum, Librum vnum. Et his similia non pauca.

Claruit anno post Christum natum 1550, sub Angliæ Rege Eduuardo sexto.

De Oliuerio Starcaio.

OLIVERIUS Starcaius, natione Anglus, vir à varia multiplicique doctrina multum commendatus, quique potissimùm ab elegantia Latini sermonis magnam commeruit laudem. Diuersa de diuersis materijs opuscula scripsit omni eruditionis genere referta, quibus etiam stylus comptus & tersus non parùm addidit decoris. Ex eius autem lucubrationibus adhuc extare ferunt, vt inter alios testis est Grimoaldus, 1550. 982.

Rithmos in Ecclesiastem, Librum vnum.

Discursum in Salustium, Librum vnum. Aliorum operum titulos hactenùs non inuenio. Claruit anno postquam Dei filius in carne apparuit 1550, regnante in Anglia Eduuardo sexto.

De Ioanne Griffino.

IOANNES Griffinus natione Britannus seu Cambrius, Monachus Cisterciensis in cœnobio Halensi, Comitatus Vuigorniensis. Vir pius & eruditus, qui tamen regnante Eduuardo sexto, ex nimia quadam simplicitate ferè seductus, in fide cespitare cœpit. Resumptis tamen viribus, vel omninò in errorem non incidit, vel in eo saltem non perseuerauit. Cùm autem esset concionator non vulgaris, suos sermones vel habere solebat apud doctiores Latinè, vel certè in Latinum eos vertit. Nam lingua Romana edidit 1550. 983.

Conciones æstiuales, Librum vnum. Modicum etiam non videbitis me.

Conciones hyemales, Librum j. Cùm appropinquasset Iesus Ierosolymam.

De alijs eius operibus, vel de illorum titulis hactenùs mihi nihil constat. Claruit anno à partu Virginis 1550, dum regalem Angliæ coronam gestaret Edvvardus sextus

De Thoma Phairo.

1550. 984. THOMAS Phairus vel Phaier genere Britannus seu Cambrius. Vir in litteris humanioribus insigniter peritus, Philosophus non vulgaris, vtriusque etiam iuris non imperitus. His omnibus scientijs perlustrãdis, tandem ad rem medicam transiuit, & medicinæ Doctor creatus, non infœlices habuit in illa professione successus. Dum in studijs iurisprudentiæ versabatur, ad publicam vtilitatem edidit

Instrumentorum seu communium Scriptorum, Librum vnum. Pensata vtilitate.
De natura breuium, *Librum vnum.*

Ex Gallica & alijs linguis transtulit partim in Latinam partim in Anglicanam.

De pestilentia & eius curatione, Librum vnum. Postquam Deus omnipotens pater.
De ægritudinibus puerorum, Librum j. Quamuis (quod non dubito) quisq;.
De natura simplicium, *Librum vnum.*
Regimen vitæ naturalis, Librum vnum. Humanum corpus constitutum est.
Ex Latinis in Anglicos versus vertit Virgilium magna grauitate pari elegantia.

De alijs nihil habeo explorati. Londini diem clausit extremum & ibidem sepulchro clausus est, circa annum salutis humanæ 1550, dum in Anglici regni solio sederet Edvvardus sextus.

De Georgio Lilio.

1550. 985. GEORGIVS Lilius Guilhelmi suprà dicti filius, natione Anglus, in Italia studijs excultus, vt scribit Paulus Iouius, ferè per omnia patrem imitatus est, multa Latinè non minùs doctè quàm eleganter scripsit, maximè dùm Romæ apud Cardinalem Polum egit. Rhetor, Historicus, Cosmographus insignis, ad iucundiorem, faciliorem, & certiorem totius insulæ Britanniæ notitiam, tabulam eius tam accuratam descripsit, vt ante eum nemo rem attigisse videri poterit, quam ille graphicè quidem ad voluptatem depinxit; alij autem ad posteritatis vtilitatem in æs incisam conseruandam meritò putarunt. Scripsit concisa breuitate summorum Põtificum & Cæsarum Romanorum seriem. Legi etiam aliquando regum Britanniæ Chronicon ab ipso Brito vsque ad Henricum octauum deductum & Paulo Iouio Nucertensi Episcopo inscriptum, & eiusdem opusculum de doctis quibusdam sui temporis in Anglia viris, eidem etiam Episcopo nuncupatum, sed opera eius singula, quæ hactenus inuenire potui, per suos titulos breuiter hic subijciamus. Scripsit

Tabulam, quam dixi, Britanniæ.
Catalogos Pontificum & Cæsarum Romanorum, Librum vnum.

Chronicon regum Anglorum, *Librum vnum*. Britanni generis sui antiquitatem. Extat Venetijs anno 1548. & Francofordiæ anno 1560.

De quibusdam illustribus Angliæ viris, *Librum vnum*. Cùm ad Britanniæ insulæ. Extat ibidem.

Antiquorum locorum nomenclaturam, *Librum vnum*. Et eiusmodi alia plura. Claruit anno post Christi Incarnationem 1550. dum ad Anglicani regni gubernaculum sederet Edvvardus sextus.

De Ioanne Redmanno.

IOANNES Redmannus, natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Cantabrigiensis, & in eadem Academia Aulæ sanctissimæ Trinitatis Magister seu Rector, & tandem Ecclesiæ Collegiatæ Vestmonasteriensis Canonicus. Parcam, fateor, inuenio istius viri mentionem præterquam in epitaphijs tum Anglicè, tum Latinè, ad eius tumulum, vti ferunt, Vestmonasterij scriptis, quorum copiam mihi communicauit quidam bonus amicus. Quibus lectis non difficulter deprehendi eum & vitæ sanctimonia, & singulari doctrina floruisse. Erat concionator suo tempore præstantissimus, in eo maximè commendatus, quòd non tam apparatu verborum (qui tamen nec vnquam ei defuit) quàm exemplis virtutum populum docuerit. Mundi contemptum docuit, mundum ipse contempsit. Diuitias spernendas prædicauit, diuitias parum aut nihil curauit. Eleemosynas pauperibus dandas suasit, ipse largiter donauit. Innocentiam vitæ, simplicitatem columbinam omnibus commendauit, ipse tanquàm puer innocuus, sine felle, vt columba pacificè cum omnibus vixit. Omnium denique virtutum viam arctam ineundam proposuit, ipse præcessit gressu, præluxit exemplo. Sed hæc pleraque post eius mortem de illo scripserunt alij, nos, quid ipse, dum vixit, scripserit, & posteris reliquerit, videamus. Multa enim edidisse perhibetur, quorum ego nihil hactenus inuenire potui, præter

1551.
986.

De iustificatione cum hymno eiusdem argumenti, *Librum vnum*. Extat Antuerpiæ anno 1555.

De gratia, *Librum vnum*. Quem Ioannes Yongus in Anglicum vertit. Vvestmonasterij mortuus & sepultus est anno ætatis suæ quinquagesimo secundo, quarto die Nouembris, anno reparatæ salutis 1551, sub Angliæ Rege Edvvardo sexto.

Ex epitaphijs illius sepulchro inscriptis hîc aliquod fragmentum apponere operæprecium iudicaui.

Eius nunc corpus sub marmore conditur isto,
Spiritus in cælo est cum Christo vti spero precorque,
Tuque precabere idem (lector charissime) mortis
Et memor esto tuæ, &c.

De Dauide Claphamo.

1551. 987. DAVID Claphamus, natione Anglus, vir fœlici ingenio præditus, & eruditione multiplici instructus. Præter alias scientias se studijs iuris plurimùm dedidit, & quidem tam prospero successu, vt suo tempore iurisconsultorum consultissimus haberetur. Et cùm ad variarum rerum cognitionem accessisset industria, Latinæque linguæ non vulgaris peritia, animum ad scribendum appulit, & multa tum ipse scripsit, tum in Anglicum vertit

De vera nobilitate, *Librum vnum.*
De laudibus mulierum, *Librum vnum.* Et alia his similia non pauca.

Transtulit ex Latino in Anglicum sermonem.

Erasmum de matrimonio, *Librum vnum.*
Agrippam de mulieribus, Librum vnum. Et alia multa. Londini tandem in viuis esse desijt anno post Verbum carnem factum 1551, dum Edvvardus sextus Anglicani regni habenas teneret.

De Ioanne Lelando Iuniore.

1552. 988. IOANNES Lelandus, ad Senioris differentiam Iunior appellatus, Londini in Anglia natus, & ab annis penè teneris ad bonarum litterarum studia nutritus, ita præclaras animi dotes, & ingenium, quod ei natura dederat præstantissimum, liberalibus primùm artibus, deinde omnibus melioribus scientijs insigniter excoluit; vt successu temporis euaserit doctissimus, fueritque tandem non solum vrbis Londinensis, verum etiam totius Britanniæ lumen, decus, & ornamentum singulare. Postquam in Anglia præter linguam Anglicam, etiam antiquam Saxonicam, Britannicam, & Scoticam didicisset, & in patrijs Academijs elegantiam Latini sermonis, cum Græcis litteris & Philosophicis scientijs coniunxisset, Lutetiam Parisiorum contendit, vt, si quid ad perpoliendam suam doctrinam singulare haberet Gallia, quod Anglia non suppeditaret, acquisitis adijceret ad cumulum perfectionis. In hūc finem ibi Syluio cuidam per id tempus viro litteratissimo se tradidit in disciplinam. Ex cuius conuictu & quotidiano commercio, semper se doctior fiebat, nec vnquam proficere desinebat. In transmarinis etiam partibus Gallicam, Italicam, & Hispanicam linguas didicisse perhibetur. Transactisque ibi perutiliter aliquot annis,

In patriam tandem Musis comitatus abiuit.

Domi itaque constitutus, nec otiosus esse voluit, nec ingratus erga patriam, cuius odium odio habuit. Regius itaque Bibliothecarius factus, omne suum studium eò conuertit, vt patriæ laudes scriptis celebraret, eiusque gloriam illustraret, omnique posteritati, imò, si posset æternitati commendaret. Et quoniam non minus elegans Poëta, quàm orator erat facundus; & versu scripsit, & oratione soluta. Antiquitates Britannicas studiosissimè inuestigauit, vetustissimos codices vbique

perquisiuit, plurimos inuenit, inuentos curiosissimè excussit, ex quibus res nimia vetustate obrutas è tenebris eruit, accepta etiam ab ipso Rege honorata commissione, & largo viatico anno Domini 1534, totam Angliam peragrare incepit, celebriores quasque totius regni Bibliothecas excussit. In qua peregrinatione, vt ipse in strena fatetur, integrum sexennium posuit. Cum librorum lectione locorum inspectionem ita accuratè conferens, vt diligens & perspicax hominis ingenium nihil melioris notæ fugere posset. Super qua re librum Anglicè scripsit, & regi strenæ loco obtulit. Rerum & vocabulorum origines primas, modernos vsus, omniumque rationes scrutatus est, & ipsissimam in singulis veritatem, tanquam preciosissimam margaritam solicitè quæsitam inuenit, fœliciter inuentam, & quasi omnibus diuenditis coemptam, ob oculos legentium in libris posuit. Sic veterem patriæ gloriam suis scriptis renouauit, & quasi intermortuam ex obliuionis sepulchro resuscitauit. Huic itaque industrio viro acceptam habemus multorum illustrium virorum gloriam conseruatam, res gestas à vetustatis tenebris ereptas, posteritati consecratas, exempla virtutum quæ sequamur, vitiorum quæ fugiamus, graphicè depicta, & omnibus ad imitationẽ proposita. Nec solum res patrias, sed etiam externas illustrauit, & ab humanis ad diuinas scientias processit. Sacras enim scripturas diligenter legit, quas vt rectiùs intelligeret, sanctos Ecclesiæ patres interpretes adhibuit. Et in eo strenuè laborauit, vt ex antiquis Doctoribus aliqui correctiùs & castigatiùs in lucem emitterentur. Inter cæteros curauit, vt Tertullianus emendatiùs, quàm vnquàm prius, typis fuerit excusus. Illud sanè vehementer dolendum, quòd hic vir præclarus, & optimè de patria meritus, perfidorum suasionibus, & Regis vel timore, vel fauore fuerit adductus, vt postremis ferè vitæ suæ diebus in fide claudicare cœperit. Qua labe facta sunt nouissima hominis peiora prioribus. Nam conscientiæ remorsus fœlix illud ingenium tam infœliciter torsit, vt id penitùs extinxerit. Vnà videlicet cum fide labefactata labefactauit intellectum, & paulatim in delirium incidens, miser planè mortuus est amens. Quo tristi exitu factum est, vt sua scripta pleraque imperfecta reliquerit. Sed nunc hominis litterariam suppellectilem inspiciamus. Scripsit enim

De origine & incremento litterarum, *Librum vnum.*
De Academijs Britannicis, *Librum vnum.*
De illustribus Britanniæ scriptoribus, *Libros quatuor.*
De antiquitate Britannica siue ciuilem historiam secundum Comitatus tum Angliæ tum Vualliæ, *Libros quinquaginta.* Ex primo libro antiquitatũ Beros.
De topographia Britanniæ primæ, *Librum vnum.*
De vetustis nominibus, *Librum vnum.*
De insulis adiacentibus Britanniæ, *Libros sex.*
De nobilitate Britannica, *Libros tres.*
Descriptionem Angliæ, *Librum vnum.* Hæc pars tenui freto ab Occidẽt.

De titulo Regis ad Scotiam, *Librum vnum.* Lucis natura talis est, quod.
De imperio Anglorũ in Scotos, Librũ vnũ. Giraldus in institutione princ.
Errores ex Hectore Boëtio, Librũ vnũ. Ioannes à Vado Boum vnus ex script.
Errores ex Polydoro Vergilio, Librum vnũ. Beda ignarus antiquitatis Brit.
Contra defensorem Polydori, *Librum vnum.* Multi se credunt insigniter.
De Pontificibus Britanniæ, *Librum vnum.*
Ad viros eruditos, *Librum vnum.* Regia cum lætis floreret Roma.
Vitam Sigiberti Regis, *Librum vnum.*
De pace inter Papam & Cæsarem, *Librum vnum.* Nõ videor mihi nõ citra.
Antiphilarchiæ dialogũ, *Librum vnũ.* Quis est hic quẽ propter amœnas.
Antiphilarchiam in Albertum Pighium, *Librum vnum.* Qui liber est hæreticus, prohibitus, & contra Papam ad adulandum Regi Henrico octauo.
Epitaphiorum multorum, *Librum vnum.*
Assertionem Arthuri Regis, *Librum vnũ.* Cura semper meritò maxima.
Dictionarium Britannico-Latinum, *Librum vnum.*
Pigmæomachiam, *Librum vnum.* Bella per extremas canimus.
De sua peregrinatione, *Librum vnum.* A Granta Giruiorum ad Eltislegã.
Collectanea eiusdem, *Librum vnum.* Ioannes Rous Capellanus Cantab.
Ad Annam Cliuensem, *Librum vnum.* Vt Libano Cedrus fœcundo.
De coronatione eiusdem, *Librum vnum.* Cæsariem Tamisis redimitus.
Ad Henricum Regem de suo itinere strenam, *Librum vnum.* Vbi tuæ Celsitudiui visum fuit. Habeo, Anglicè legi.
Itinerarium Cantiæ ad eumdem, *Librum vnum.*
Laudationem pacis, *Librum vnum.* Martia bella canant alij, gladiosque.
Bononiam Gallomastigem, *Librum vnum.* Maxima nuper erat clarus.
Nænias in mortẽ Thomæ Vviatti, *Librum vnũ.* Accipe regnorũ Comes Ill.
Commentarios in Martialem, *Librum vnum.*
Syllabum antiquarũ dictionũ, *Librum vnum.* Abrefraũ, Britãnicè Aberfra.
Elenchũ antiquorũ nominũ, *Librum vnum.* Abrinus ab Abro Britannico.
Cygnæam cantionem, *Librum vnum.* Tanta est tui nominis cum celeb.
Cõmentarios in eandẽ, *Librum vnũ.* Conqueritur studiosorũ chorus mul.
Funebre carmen, *Librum vnum.*
Encomiasticon, *Librum vnum.*
Sales & locos, *Librum vnum.*
Epigrammatum, *Libros duos.* Dulcia quæ vasto meditaris.
Panigyricon ad Cardinalem, *Librum vnum.* Dicturo de tuis laudibus.
In declamationes Quintiliani, *Librum vnũ.* Video quã arduã rem aggred.
Genethliacon Edvvardi Principis, *Librum vnum.* Scripsimus Edvvardi natalem principis. Extat anno 1543. & alia plura. Quorum penè omnium mentionem facit ipse auctor in strena de suo itinere ad Angliæ Regem Henricum octauum. Londini tandem amens obijt die decimo octauo Aprilis, anno redemptionis humanæ 1552, sub Angliæ Rege Edvvardo sexto. Hos sequentes versiculos de illo scriptos inueni, quos siue

siue ipse de se scripserit, vt stylus indicat, siue alius eius nomine; sic accipe:

Quantum Rhenano debet Germania docto,
Tantum debebit terra Britanna mihi.
Ille suæ gentis ritus & nomina prisca,
Aestiuo fecit lucidiora die.
Ipse antiquarum rerum quoque magnus amator,
Ornabo patriæ lumina clara meæ.
Quæ cum prodierint niueis inscripta tabellis,
Tum testes nostræ sedulitatis erunt.

De Alexandro Barcleio.

ALEXANDER Barcleius, quibusdam Scotus fuisse videtur, sed Anglus verè fuit, patria, vt probabile est, Deuoniensis. Nam ibi ad S. Mariam de Otery Presbyter primùm fuit, deinde ordinis S. Benedicti, tum posteà S. Francisci Monachus. Vir cultioribus disciplinis benè instructus, Poëta & Rhetor non vulgaris. Hic tandem factus est Capellanus Thomæ Cornitij Tauenensis Episcopi, & diœcesis posteà Bothonensis Suffraganeus. Omne suum studium in rebus pijs, & historijs sanctorum legendis atque scribendis posuit. Nonnulla quidem ipse scripsit, sed multo plura ex Latino in Anglicū sermonem transtulit [1552. 989.]

Mancum de virtutibus, *Librum vnum.*
Vitam S. Margaretæ, *Librum vnum.*
Vitam sanctæ Ethelredæ, *Librum vnum.*
Vitam sanctæ Catherinæ, *Libros tres.*
Vitam sancti Georgij ex Mantuano, *Librum vnum.*
Quinque eglogas eiusdem, *Librum vnum.*
Castellum laboris, *Librum vnum.*
Bucolicam Codri, *Librum vnum.*
Eglogam quartam, *Librum vnum.*
Nauem stultiferam ad Thomam Cornitium Episcopum, *Librum vnum.*
Contra Sceltonum, *Librum vnum.*
De miserijs Aulicorum, *Librum vnum.* Illustres Poëtæ nouem Musis.
Salustiū de bello Ingurthino, *Librū vnum.* Memini me superioribus annis.
De pronunciatione Gallica, *Librum vnum.* Multi ac varij homines litterati. Et alia plura. Croidonæ tandem non longè Londino mortuus & sepultus est mense Iunio, anno salutiferæ natiuitatis 1552, dum in Anglia regnaret Edvvardus sextus.

De Roberto Recordo.

ROBERTVS Recordus claris parentibus in Cambria natus, medicinæ Doctor Oxoniensis. Vir fœlici ingenio præditus, & doctrina multiplici nobiliter instructus. Omnem politiorem litteraturam accuratè calluit, omnium liberalium artium, & Mathematicarum scientia- [1552. 990.]

rum peritissimus. Philosophus celeberrimus. Cælestium corporum motus & operationes contemplatus, insignem in Astrologia consecutus est peritiam. Philosophiæ naturalis arcana scrutatus, plantarum, herbarum, radicum, elementorum, metallorum naturas, vires, ac virtutes curiosè inuestigauit. De quo non immeritò dici potest, *Conscendit cælos, penetrauit viscera terræ.* Oxoniæ publicè docuisse dicitur, primùm Rhetoricam, deinde Mathematicas scientias, præsertim Arithmeticam, omnemque rectè supputandi rationem, quam clariorem & dilucidiorem reddidit, quàm vnquam ante eum quisquam. Et in his quidem omnibus, dum se intra suos terminos continuit, non mediocrem consecutus est laudem. Sed tandem vt sutor vltra crepidam progressus, rebus Theologicis, in quibus parum aut nihil intellexit, nonnihil se infœliciter immiscuit, & quædam scripsit quæ meritò à Catholicis legi prohibentur. Sed hoc eius factum infirmitati magis quàm malitiæ ascribendum existimo, vt tempori se accommodaret, & Regi complaceret. Non quòd ita vt scripsit, rem habere crederet, nec quòd illas erroneas opiniones pertinaciter defenderet. Pleraque autem sua scripta edidit Anglico idiomate, & ex ijs plurima imperfecta reliquit

De origine artium, *Librum vnum.* Apud me condolebam plurimùm.
Arithmeticæ principia, *Librũ vnum.* Plurimũ sæpiusculè mecũ lugebã.
Secundam eius partem imperfectè, *Librum vnum.*
Geometriæ semitã, *Librum vnum.* Excusatum me habeas generose.
Geometriæ theoremata, *Librum vnum.* Non dubito candide lector, qui.
De arte mansurandi, *Librum vnum.*
Cosmographiæ Isagogen, *Librum vnum.*
De vsu globorum, *Librum vnum.*
De arte faciendi horologium, *Librum vnum.*
Opera Euclidis transtulit, *Libros quatuor.*
Vrinale Physices, *Librum vnum.* Dum mecum ipse considero, quid per.
De iudicijs vrinarum, *Librum vnum.*
Anatomiam, *Librum vnum.*
De origine nationum, *Librum vnum.*
De peregrinatione hominis, *Librum vnum.*
De statu temporum, *Librum vnum.*
Imaginem reipublicæ veræ, *Librum vnum.*
Mutationes regnorum, *Librum vnum.*
De effectibus creaturarum, *Librum vnum.*
De auriculari confeßione, *Librum vnum.*
De Eucharistia, *Librum vnum.* Et alia multa.

Claruit anno Dominicæ incarnationis 1552, in Anglicani regni solio sedente Edvvardo sexto.

De Ioanne Clerco.

IOANNES Clercus vel Clericus natione Anglus, Thomæ Illustrissimi Ducis Norfolcensis Secretarius. Vir in omni politiori litteratura benè versatus, Anglicè Latinéque facundus, & externarum linguarum, Italicæ præsertim & Gallicæ valdè peritus, qui denique regiones exteras peragrando magnam rerum experientiam collegerat, atque permulta quæ tum ipsi, tum alijs fuerunt ex vsu, didicerat. Scripsit sermone Latino satis eleganter

1552. 991.

Mortis meditationem, Librũ j. En mortem corporalem Christiane lect.
De mortuorũ resurrectione, *Librum vnũ*. Hæc in publicũ edidi peregrinis.
De Jtalica verborum declinatione, *Librum vnum*. Accipe Italicorum &c.
De Gallica verborũ declinatione, *Librum vnum*. Vt in lingua Latina, sic in.
E Gallico sermone transtulit de nobilitate, *Librum vnum*. Nobilitas penes.

Et alia multa. Tandem cum Domino suo læsæ maiestatis accusatus, & in Londinensi castro conclusus, decimo die Maij strangulatus est, anno Domini 1552, dum Angliæ sceptrum teneret Edvvardus sextus.

De Radulpho Radcliffo.

RADVLPHVS Radcliffus natione Anglus, patria Cestriensis. Vir in omni humaniore litteratura non mediocriter doctus, & puerorum educatione atque institutione mirè delectatus. Post euersa in Anglia Monasteria, ludum litterarium aperuit anno Domini 1538. Huccinizæ in agro Hartfordiensi, vbi paulò antè fuerat cœnobium Carmelitarum, docuitque ibi ad multos annos Latinam linguam. Et ad exercendos adolescentes suæ curæ commissos extruxit theatrum, scripsit, & populo concurrente atque spectante exhibuit ludos tum comicos, tum tragicos. Poterit forsan propter iniquitatem temporis aliquid suis scriptis admiscuisse, quod non adeò quadret per omnia Catholicæ fidei, quod tamen me latet. Hoc certè in eo laudo, quòd, cùm Grammaticus esset, noluerit altiùs sapere, quàm oportuit, sed intra Grammaticos terminos se modestè continuerit. Scripsit, vt ipse vocat, de ciuili regni Grammatici bello

1552. 992.

De nominis & verbi pugna, *Libros duos*. Dignissimus Imperator &c.
De puerorum institutione, *Librum vnum*.
Epistolarum ad tyrones, *Librum vnum*.
Orationes ex tempore, *Librum vnum*.
Epigrammatum, *Librum vnum*.
De triplici memoria, *Librum vnum*.
Congregationem pacis inter Anglia & Franciæ Reges, *Librum vnum*.
Locos communes, *Librum vnum*.
De afflictionibus Iobi, *Librum vnum*. Nil ex me boni oritur.
De fortitudine Iudithæ, *Librum vnum*. Tacitè secum & in sinu gaud.
De Susannæ liberatione, *Librum vnum*. Solymannus Turcarum Rex, hoc.

De luna defectione, *Librum vnũ.* Vel Comediã vnã. Si cuiquã à tenebr.
De Sodoma incendio tractatum. Quidnam est quod haud ita.
De damnatione Ioannis Hussi tractatum. Ex quo nouissimè aderam frat.
De Lazaro ac Diuite Comediam. Viris mulierum garritum obstrep.
De patientia Grisildis Comediam. Exemplar vt sim muliebris patien.
De Titi & Gisippi amicitia Comediam. Tenebrosa nocte hac, procel.
De Melibæo Chauceri Comediam. Peregrè profectò Melibæo, ann.
Et eiusmodi alia permulta. Claruit anno ex quo Verbum caro factum est 1552, dum in Anglia rerum potiretur Eduuardus sextus.

De Stephano Gardinero.

STEPHANVS Gardinerus obscuris in Anglia natus parentibus, in Comitatu Suffolcensi, & oppido Buriensi. Vir alti & elati animi, atque præstantis ingenij, stupendæ memoriæ, insignis doctrinæ, paris eloquentiæ, Græcarum denique litterarum peritus. Omnem humanioris litteraturæ ornatum, Philosophiam, Iurisprudentiam, & Theologiam Cantabrigiæ diligenter didicit. Qua litteraria supellectile nobiliter instructus, statim aspirauit ad magna, & per proceres regni, Aulæque Regiæ primores, apud quos se gratiosè insinuauit, viam sibi muniuit ad summos honores. De quibus suo loco. Dum esset Academiæ Cantabrigiensis Cancellarius, publicis edictis prohibuit illam nouam Græcæ linguæ pronunciationem seu prolationem, quæ per id tempus ab ineptis quibusdam nouatoribus introduci cœpit. Contra quorum nugas plures scripsit epistolas. Cùm autem Rex Henricus octauus eum ad secretiora consilia assumeret, vt Regis desiderio complaceret, scripsit contra eius matrimonium cum Catherina Hispana. Cuius facti eum posteà per reliquam vitam pœnituit. Quod autem ad rem litterariam attinet, scripsit multa partim Anglicè partim Latinè, omnia ingeniosè, eleganter, eruditè, maximè contra illius temporis hæreticos, vti Episcopum decuit

1555.
993.

Confutationes cauillationum in Eucharistiam, *Librum vnum.* Credimus Christum. Extat Louanij anno 1554.
Contra conuitia Martini Buceri, *Librum vnum.* Post diutinam expectationem illius. Ibidem eodem anno.
Quæstionum contra eiusdem pseudologiam, Librum vnum. Tertius iam annus agitur, Bucere. Ibidem eodem anno.
Exetasim testimoniorum eiusdem, *Librum vnum.* Næ tu Bucere luctator es.
Contra Georgium Ioyium, *Librum vnũ.* Introitus in tuam materiam aptissi.
Contra vulpem Turneri (*Turnerus enim epigrammate mordaci vulpem & lupum eum esse calumniabatur*,) *Librum vnum.*
Contra articulos Ioannis Hoperi, *Librum j.* Det tibi Deus candide lector.
Pro Missa, *Librum vnum.* Considera bone lector, quàm plenum.
Pro Eucharistia contra Capharnaitas, *Libros quinque.* Quoniã inter ceteras.

In carcere pro Eucharistia contra Harlaum pseudoepiscopum Herefordensem, Librum vnum. Louanij anno 1554.
Item in carcere pro Eucharistia contra Petrum Martyrem vel Cranmerum sub Marci Antonij Constantij nomine, *Librum vnum.*
Institutionem Christiani, *Librum vnum.*
Apologiam ad Cantuariensem, *Librum vnum.*
Ad Richardum Smithum, Librum vnum. Inter grauissimas occupationes.
De pronunciatione Graca, Librum j. Quod pro suo iure ageret Cancell.
Ad Ioannem Checum, Libros tres. Legi libellum quem ad me dedisti.
De vera & falsa obedientia, Librum j. Dum ipse præsenté Ecclesiæ statū. Sed est liber prohibitus.
Palinodiam dicti libri, *Librum vnum.* Et alia multa.
Obijt anno pacis Euangelicæ 1555, regnantibus in Anglia Maria & Philippo. Vide quem composuimus de Vvintoniensibus Episcopis Catalogum.

De Richardo Samsono.

RICHARDVS Samsonus vel Samson natione Anglus, vir pius, doctus, modestus, grauis, & Henrico Regi octauo mirè charus. Vndè factus est primum Regij sacelli Decanus, & non multo post tempore Lichefeldensis & Couentriensis Episcopus. Dicitur quædam expressè scripsisse contra primatum Romani Pontificis, vt Regi adularetur, qua ex causa à Ioanne Coclæo satis acriter reprehensus est, opus etiam præfatum inter scripta prohibita numeratur. Nunquàm Rege viuente, se ad meliorem frugem recepit, illo autem defuncto, confestim ad Ecclesiæ gremium reuersus est, & multa tulit pro Catholicæ fidei professione in qua vsque ad extremum spiritum perseuerauit. Scripsit autem præter illa quæ dixi, vtrum in Ecclesia Christi, an in synagoga Sathanæ existens, nescio. Nam eius opera nunquam vidi, 1555. 994.
In quosdam Dauidis psalmos, *Libros duos.*
In D. Paulum ad Romanos, *Librum vnum.*
In eundem ad Corinthios, *Libros duos.* Et alia quædam.
Diem suum obijt anno postquàm Verbum caro factum est 1555, regnante in Anglia Regina Maria cum Philippo. Vide eum quem fecimus de Lichefeldensibus Episcopis Catalogum.

De Nicolao Brigamo.

NICOLAVS Brigamus natione Anglus, vir multiplici eruditione nobiliter instructus. Poëta non vulgaris, orator disertus, iurisconsultus expertus, historicus insignis, & antiquitatum Anglicarum inuestigator non indiligens. In flore ætatis multa eruditè scripsit. Vergens ad senium postpositis omnibus alijs studijs, ad causas forenses se totum 1555. 995.

contulit. In quibus discutiendis maturum ingenium, in decidendis solidum iudicium, in expediendis promptam dexteritatem, & constantem semper ostendit prudentiam. Anno Domini 1555, ossa Gaufredi Chauceri in nouum tumulum marmoreum transtulit, & in capella S. Blasij Vvestmonasterij splendidiùs collocauit, compositis & insculptis pro epitaphio versibus, de quibus in Chaucero videre est. Ex ijs quæ scripsit hos saltem sequentes titulos inuenio, vt ille vocat

Rerum quotidianarum venationes, *Libros duodecim.*
Rerum memorabilium, *Librum vnum.*
Diuersorum poëmatum, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Claruit anno reparationis nostræ 1555, regnante apud Anglos Maria cum Philippo.

De Ioanne Setono.

1555. 996. IOANNES Setonus natione Anglus, in studijs Cantabrigiæ nutritus, & ibidem è societate Collegij S. Ioannis Euangelistæ, vbi etiam Philosophiam docuit. Vir sanè in omni cultiore doctrina cultissimus. De quo vnicum Lelandi nostri sufficiat testimonium. Huic, inquit, Musæ leporem debent Atticum, Rhetorica facundiam, Dialectica acumen, Philosophia prudentiam. Scripsit multa tum prosa, tum versu, penè omnia pietatem, fidem, charitatem, religionem redolentia. Erat Episcopo Vvintoniensi Gardinero virtutum nomine charus. Dolendum pleraque eius scripta hominum siue iniuria, siue incuria perijsse. Dum Philosophiam docuit, in gratiam suorum auditorum, ad faciliorem Aristotelis intelligentiam scripsit & præfato Episcopo Vvintoniensi dedicauit

Dialecticam breuē, Librum vnum. Reuerendissimā tuam Dominationem.
Panegyricum carmen redeunte fide. Multa timor tremulus, sed plura.
In coronatione Reginæ Mariæ carmen. Comica res olim cum spectaretur.
De sancta Eucharistia carmen. Israël fugiens Memphim transit. Et alia.

Claruit anno gratiæ 1555, regnum fœliciter initiante Maria cum Philippo.

De Paulo Bushio.

1555. 997. PAVLVS Bushius natione Anglus, & quorumdam religiosorum, quos Bonos homines vocant, aliquando Prior. Vir prudens & grauis, eruditus etiam, tum in sacra Theologia, tum in re medica tum versu tum oratione soluta. Quibus titulis ab Edvvardo Rege sexto euectus est ad Episcopatum Bristoliensem, partim vt fidem & religionem antiquam & auitam relinqueret, & illam nouiter excogitatam amplecteretur, partim etiam quia vix tum habebant recentiores illi sectarij grauem quemquam & eruditum, qui dignitatem Episcopalem suscipere, & debitè tueri posset. Bushius tamen in fide & religione constans permansit, nec verbo, nec scripto hære-

sim professus. Victus tamen carnalibus desiderijs, contra castitatem, quam Deo vouerat, cum concubina cohabitauit, atque ita factis fidem negauit. Quapropter reuocata in Angliam per Reginam Mariam Catholica fide, sponte concubinam demisit, coactus Episcopatum amisit, & reliquam vitam in pœnitentia transegit. Eius autem doctrinæ sufficientes testes sunt libri, quos eruditè scripsit. Edidit enim pœnitens

Super psalmum Miserere mei Deus, *Librum vnum.*
De laudibus crucis, *Librum vnum.*
Dialogos inter Christum & Mariam, *Librum vnum.*
Carminum diuersorum, *Librum vnum.*
De medicamentis, *Librum vnum.* Et alia quædam.

Obijt anno post Christum natum 1558, sub Angliæ regibus Philippo & Maria. Sepultus iacet in Septentrionali chori latere, tumba mediocri cum hac inscriptione. *Hic iacet D. Paulus Bush primus huius Ecclesiæ Episcopus,* qui obijt 11, die Octobris anno Domini 1559, ætatis suæ 68, cuius animæ propitietur Deus. Vide illum quem conscripsimus de Bristoliensibus Episcopis Catalogum.

De Guilhelmo Perino.

GVILHELMVS Perinus ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus. Vir pietatis & doctrinæ titulis insignis, & magnus Catholicæ religionis zelator. Hæreticis eò exosior, quò Deo & bonis omnibus amabilior. Vndè ex veritatis hostibus quidam ineptulus elegantulus solebat eum pro Dominicano Dæmonicanum vocare, impiè abutens agnominationis figura ad blasphemiam. Cùm Rex Henricus octauus fidem Christi inducto schismate, quantum posset opprimeret, hic ex Anglia fugit, & in exteris regionibus ad annos circiter viginti Confessor vixit. Posteà redeunte sub Philippo & Maria fide Catholica, ipse etiam in patriam reuersus est, & pro restituenda Ecclesia cum alijs strenuè laborauit. Vidi in linguam Gallicam translatum librum eius elegantem quem Anglicè scripsit de exercitijs spiritualibus, & deuotis meditationibus ad perfectionem consequendam. Solebat ad populum frequentes habere conciones. Vndè & inter cetera monimenta litteraria, scripsit

1556. 998.

Sermonum maximè de Eucharistia, *Librum vnum.*
De frequentèr celebranda Missa, *Librum vnum.*
Exercitia spiritualia ad perfectionem consequendam, *Librum vnum.* Prima præparatio est. Et alia quædam eius generis. Claruit circa annum gratiæ 1556, dum in Anglia rerum potiretur Philippus & Maria.

De Leonardo Diggs.

LEONARDVS Diggs nobilis Anglus in Cantia natus, Mathematicus excellentissimus, Architectus peritissimus, & in areis, agris, altitudinibus, longitudinibus, latitudinibus mensurandis Geometer expertus. Denique præter frequenté praxim quam in ædificiorum for-

1556. 999.

ma disponenda & designanda penè quotidianam habuit ; super his etiam rebus probatissimos quosque legerat auctores. Tandem ne sibi tantum, & non alijs ista didicisse videretur, edidit hoc in genere quoddam opusculum quod nuncupauit

Tectonicum, Librum vnum.

Prognosticon generale, Librum vnum. Et eiusmodi alia non pauca. Vixit anno post gratiam mundo factam 1556, dum Angliæ regnum esset penes Philippum & Mariam.

De Ioanne Standicio.

1556. 1001. IOANNES Standicius Henrici Standicij Assaphensis Episcopi nepos opinor, sacræ Theologiæ Doctor Anglus, & Vvillotto teste ordinis S. Francisci Monachus. Vir doctrina, pietate, fide, & diuinæ gloriæ zelo conspicuus. Hic deprehensis intolerabilibus abusibus prouenientibus ex eo quod sacra Biblia in linguam vulgarem translata, passim in manibus muliercularum, & quorumlibet idiotarum haberentur, & ab ijs temerè explicarentur, à quibus planè non intelligerentur; curauit regnantibus Philippo & Maria, proponi in publicis regni comitijs (Parlamentum vulgò dicitur) ne talis & tanta irreuerentia diuino chirographo ampliùs fieri permitteretur, & ne sartorum, sutorum, vetularum ad domesticos suos sacræ Scripturæ explicationes ridiculæ, & cœlestibus mysterijs prorsus indignè tolerarentur. Super qua re scripsit

De non edendis in vulgari sacris Biblijs, Librum vnum. Quæstio mouenda summo regni Parlamento.

Ad Cardinalem Polum de vnitate Ecclesiæ Anglicè, Librum vnum. Extat Londini anno 1556.

Contra Barnes hæreticum, Librum vnum. Et alia plura. Diem suum obijsse dicitur anno Christi 1556, regnantibus in Anglia Maria & Philippo.

De Milone Hogeardo.

1556. 1002. MILO Hogeardus natione Anglus, vir pius, doctus & in fide catholica mirè zelosus, quo nomine suprà quam dici potest, fuit sui temporis hæreticis exosus. In quem etiam eorum plures, more suo, canina insigniter abusi sunt facundia. Nomine paululum mutato, alludentes ad Anglicum vocabulum, Hoggard, id est, porcarium vocabant, quidam maledictum dixit asinum, denique bonum virum, multis indignis, pro sua modestia, contumelijs afficiebant. Porrò inter alia scripsit Milo

Contra Protestantes Anglos, Librum vnum. Ærumnarum multiplicium reminiscens. De alijs operum titulis nihil legi.

Claruit anno post Christum natum 1556, sub Angliæ regibus Philippo & Maria.

De

De Ioanne Hayuodo.

IOANNES Hayuodus Londini in Anglia natus, Thomæ Moro multis annis familiarissimus. Vir pius, vtcumque doctus, valdè ingeniosus, Musices tam vocalis, quàm instrumentalis peritus, elegans in Poësi, & plus quàm credi potest, in familiari colloquio lepidus atque facetus. In salibus mirè acutus, in dicterijs nonnihil aliquando mordax. De quo inter alia memorabile illud traditur, quòd lethali morbo laborans, cùm sua peccata præterita multum deploraret, & bonus quidam Sacerdos, qui consolandi causa illi adfuit, illud solum responderet, & identidem repeteret, carnem esse fragilem. Retulit ille: næ tu Deum arguere videris, quod me non fecerit piscē. Liberos suos in timore Dei solicitè educauit, & in bonis litteris atque in fide Catholica optimè instituì fecit. Duos filios habuit Societatis Iesu presbyteros, ex quibus alterum nomine Gasparum Romæ primùm, deindè Neapoli familiariter noui. Porrò ipse Ioannes propter auitæ religionis professionem exilium & incommoda multa pertulit. Mecliniæ diù vixisse dicitur, & haud scio, an vnquam posteà in patriam reuersus. Non pauca tradidit posteris litteraria monimenta, non tam labore condita, quàm lepore condîta, & natiuo quodam quasi pipere, & ingenioso sale respersa. Quorum titulos hos sequentes saltem inuenio

1556.
1003.

Epigrammata prouerbialia, *Librum vnum.*
Trecentorum aliorum epigrammatum, *Libros duos.*
De quadruplici, *Librum vnum.*
De aura comediam.
De amore tragædiam.
De aranea & musca versu Anglico, *Librum vnum.* Extat Londini anno Domini 1576. Vidi in bibliotheca Benedictinorum Anglorum Delovvariæ in Lotharingia.
Rithmos alios Anglicos, *Librum vnum.* Et alia his similia non pauca.

Senex Londini vixisse dicitur anno Dominicæ incarnationis 1556, dum in Anglicani tegni solio sederet Philippus cum Maria.

De Iacobo Brochio.

IACOBVS Brochius vel Brocus natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & in eadem Academia Collegij Balliolensis aliquando socius, & tandem Præses. Vir multiplicis eruditionis titulo, & omnium virtutum nomine clarus. Concionator vehemens & simul facundus. Quo talento non sine magno fructu vsus est periclitante in Anglia Catholica fide. Hic Oxonij Regis Commissarium egit in causa Cranmeri, quando pro tribunali hæresis accusatus, examinatus, & conuictus, confestim ignibus traditus, & exustus est. Porrò Brochius post multas in Anglia turbas circa religionem, reflorescente tandem Ecclesiæ Catholicæ pace, factus est Episcopus Glocestrensis. Quod autem ad

1556.
1004.

rem litterariam attinet, frequentes ad regni proceres habuit conciones, illud semper potissimum connitens, ne ab auita & antiqua fide deficerent. Edidit igitur potissimùm super hac materia

Concionum solemnium, *Librum vnum.* Filia mea modò defuncta est.

Extat Londini anno 1554. Vidi in bibliotheca Benedictinorum Anglorum Delovvariæ. Alia eius scripta non vidi, nec titulos etiam inueni. Claruit anno post aduentum Messiæ 1556, sub regibus in Anglia Philippo & Maria. Vide Catalogum quem collegimus de Ebicestrensibus Episcopis.

De Ioanne Baretto.

1558.
1005.

IOANNES Barettus ordinis Carmelitani Monachus Anglus in Conuentu Linnensi Comitatus Norfolcensis, vbi honesta familia natus, & in pietatis ac bonarum litterarum exercitijs per totam adolescentiam educatus fuit. Transactis autem humanitatis studijs, Cantabrigiam ad altiores scientias capessendas missus, ita industrium se præstitit, vt successu temporis Doctoralem ibi gradum in Theologia susceperit. Difficillimis in Anglia Catholicæ Ecclesiæ temporibus, laborarunt multum homines peruersi vt hunc Doctorem peruerterent. Quorum aliqui gloriabantur id sese effecisse, vt in fide saltem nutaret, quam calumniam ille, vti par erat, molestè ferens, tum in publicis concionibus, tum etiam in libris scriptis eos mendacij non semel redarguit. Scripsit Latinè

Annotationes in D. Paulum, *Librum vnum.* Paulus autem binomius est.
In S. Ioannis Canonicam primam, *Librum vnum.* Qui in re Theologica.
Reformationes Ioannis Trissæ, *Librum vnum.* Radulphus Alemannus.
Orationes ad clerum, *Librum vnum.* Etsi fides totius Ecclesiæ.
Ad Vvatsonum hæreticum incarceratum epistolam. Etsi litteræ quas.
Homilias Anglicè, *Librum vnum.* Et alia non pauca.

Floruit adhuc senex anno redemptionis humanæ 1556, regnantibus in Anglia Philippo & Maria

De Ioanne Christophorsono.

1558.
1006.

IOANNES Christophorsonus natione Anglus, patria Lancastrensis, Cantabrigiæ bonis litteris operam dedit, in Collegio S. Ioannis Euangelistæ. Emenso autem studiorum suorum curriculo, Doctoratus Theologici dignitatem & insignia publicis Senatus Academici suffragijs suscepit. Et non multo post Collegij sanctissimæ Trinitatis electus est Præses. Deindè Norvvicum vocatus, factus est ibidem Ecclesiæ Cathedralis Decanus. Sed grassante in Anglia potissimùm sub Edvvardo Rege sexto, hæresi Lutherana, compulsus est Christophorsonus fuga sibi consulere. Relicto igitur Decanatu & patria partes transmarinas exul petijt. Quo tempore Maria princeps valdè Catholica pium hunc & eruditum virum sic fugientem sua liberalitate prosecuta est, suppedi-

tatis ad victum & studia necessarijs. Cùm autem eadem Maria successu temporis succedentibus fœliciùs rebus, ad regale solium sublimata esset, hominem cum honore domum reuocauit, eique Cicestriensem Episcopatum non multo post tempore contulit. Nec iniuria certè. Nam præter merita in Reginam, optimè iam meritus erat de Ecclesia Catholica. Erat sanè vir multæ pietatis & doctrinæ, & linguarum, imprimis Græcæ, peritissimus. In exilio degens panem etiam lacrymarum otiosus non comedit. Nam partim dum foris vitam egit, partim etiam iam domum reuersus, quædam tum Anglicè, tum Latinè scripsit, & è Græco in Latinum varios auctores, maximè de historijs Ecclesiasticis tractantes, transtulit, tam syncerè, vt nemo fidelius, tam fœliciter, vt nemo meliùs. Vertit igitur imprimis Philonem Iudæum

De mundi fabricatione, *Librum vnum.*
De decem præceptis, *Librum vnum.*
De principe diligendo, *Librum vnum.*
De officio iudicis, *Librum vnum.*

Item Eusebium Cæsariensem, *Libros decem.* Quod opus Edvvardus Godsaluus Anglus Antuerpiæ typis mandari fecit.

His adde Eusebium Pamphili. Socratem. Theodoretum Hermium. Sozomenum. Euagrium. Et alios Ecclesiasticos Scriptores, qui ab eo translati, extant Coloniæ anno 1570.

Scripsit alia quædam, quorum titulos hactenus non inuenio. Debitum tandem naturæ soluit, paulò ante obitum Reginæ Mariæ, anno reparatæ salutis humanæ 1558, regnantibus adhuc in Anglia Philippo & Maria. Vide illum quem composuimus de Cicestriensibus Episcopis Catalogum.

De Ioanne Caio.

IOANNES Caius Medicinæ Doctor Anglus, patria Norfolcensis, & in ipsa ciuitate Norvvico, quæ illius Comitatus est primaria, natus. Vir fœlicis ingenij, magnæ doctrinæ, in lingua Græca & re medica versatissimus. Postquam Cantabrigiæ studijs vtilem operam nauasset, & quædam etiam adhuc iunior scripsisset, Italiam studiorum causa petijt, & Patauiæ celeberrimum illum Medicum Ioannem Baptistam Montanum Veronensem legentem audiuit. Accedente igitur ad elegans ingenium magna cultura, multa industria, tam insignis euasit Medicus, vt cum præcipuis illius ætatis de primatu contendere iure posset. Pleraque, quæ iuuenis scripsit, interciderunt in Anglia, dum auctor ageret in Italia. Quorum tamen aliquam mentionem facit in sua Ephimera. Quæ in arte medica post se scripta reliquit, eminentis scientiæ copiosam faciunt fidem. Multas scrutatus bibliothecas, opuscula varia veterum auctorum situ obducta, & penè deleta inuenit, correxit, emendauit, & ad communem studiosorum vsum castigatissimè in lucem emisit. Vnicum illud in eo vehementer sanè dolendum, quòd qui

1558.
1007.

aliorum corpora tam peritè sanare profitebatur, suam animam neglexisse feratur, dum ipse non sanus in fide, pro occasionibus in omnem partem fluctuabat dubius, imò se flectebat inconstans, & non solum nutabat, verum etiam pro principum arbitrio religionem sæpè mutabat. Itaque scripta eius nonnulla sunt prohibita. Sed forsan hoc omne, quicquid fuit vitij, potius hominis leuitati quàm peruersitati tribuendum est. Quicquid sit, constat eum erga medicos & rem medicam optimè fuisse affectum, & de vtroque benè meritum. Hic anno Domini 1557, ad D. Paulum Londini monimentum & epitaphium Thomæ Linacro Regio & egregio medico posuit, de quo suprà in Linacro. Clarum etiam est eum ex eruditissimis scriptis nomen nullis vnquam sæculis interiturum obtinuisse. Scripsit maximè ad Guilhelmum Buttum, qui fuit Regi Henrico octauo à cura valetudinis

De medendi methodo, Libros duos. Hactenùs mihi certum deliberatumque. Basileæ 1544.

De Ephimera Britannica (sudorem vocant) *ad Anglos, Librum vnum.*
De eadem ad exteros, Librum vnum.
De thermis Bathoniensibus, Librum vnum.
Annotationum in Galenum, Libros septem. Animus erat vt quæ obiter.
De Galeni libris non extantibus, Librum vnum.
Galeni Anatomica & de tuenda sanitate Græcè multis locis emendauit.
Galeni de musculorum motu libros duos vetustate penè consumptos ab interitu vindicauit. Et annotationibus illustrauit.
Primus, primum Galeni librum Græcum de Placitis Hippocratis & Platonis inuenit, & Latinum fecit.
Galeni librum Græcum de comate partem libri septimi de vsu partium.
Hippocratis librum Græcum de pharmacis primus inuenit, correxit, edidit & in Latinum vertit.
Initium libelli Græci Galeni quem de substitutis medicamentis inscripsit, reliquo libro prius à se in ordinem redacto, primus restituit.
Galeni libellum Græcum de ptisana, priùs mutilum integritati restituit, & Latinum fecit.
Galeni libros de ordine librorum suorum à mendis purgauit, quæ deerant, reposuit, omnia congessit, in Latinum vertit, & annotatiunculas eis adiecit.
Eiusdem libros de septimestri partu, & de breuibus in Hippocrate, item de ossibus Græcos castigauit, & Latinos fecit.
Cornelium Celsum valdè corruptum emendauit, additis argumentis, annotationibus, librarum etiam & ponderum rationibus.
Omnia puto Galeni opera è Græco in Latinum transtulit.
De differentijs febrium, Librum vnum.
De dignoscendis locis affectis, Librum vnum.
De ratione victus Hippocratis, Librum vnum.
Dogmata denotationum, Librum vnum.
De antiquitate Cantabrigiensis Academiæ, Libros plures. Aliorum operum

titulos non inuenio. Vixit anno reparatæ salutis 1558, regnantibus in Anglia Philippo & Maria.

De Henrico Staffordo.

HENRICVS Staffordus Edvvardi illustrissimi Ducis Bucchinghamiæ filius. Vir fœlicis ingenij, & in melioribus quibusque disciplinis insigniter eruditus. Litteris præsertim illis quæ animum humanitate excolunt, apprimè instructus, multa stylo Latino satis polito scripsisse dicitur, tùm versu, tum oratione soluta: quorum tamen hactenùs nihil reperi. Illud vnum mihi constat, eum è Latino in Anglicum sermonem eleganter vertisse Edvvardi Foxij Præsulis Herefordensis opus

1558.
1008.

De differentia potestatis Ecclesiasticæ & sæcularis, *Librum vnum.*

Obijt anno post natiuitatem Christi 1558, regnantibus apud Anglos Philippo & Maria.

De Petro Moruingo.

PETRVS Moruingus natione Anglus, patria Lincolniensis, Oxoniensis Academiæ alumnus, Magdalenensis Collegij socius, artium liberalium & Philosophiæ donatus Magisterio. Vir omni Latini sermonis elegantia bellè instructus, & qui scripta quædam tum versu, tum prosa tersè, nitidéque composuisse perhibetur, quorum tamen nullum titulum inuenio. In confesso saltem est, illius esse opus, translationem è Latina in Anglicam linguam

1558.
1009.

Josephi de bello Iudaïco, Libros septem. Claruit anno generis humani redempti 1558, dum sceptrum Anglicani regni tenerent coniuges Philippus & Maria.

De Reginaldo Polo.

REGINALDVS Polus ex illustrissimis Clarentiæ Ducibus in Anglia natus, à regali sanguine originem traxit. Patrem habuit Richardum Regis Henrici septimi consobrinum, matrem Margaritam Comitissam Sarisburiensem Edvvardi quarti Regis Angliæ ex fratre Georgio Clarentiæ Duce neptem. Vir pietate, doctrina, omnique virtutis genere æquè ac sanguine clarus. Vitæ puritate integerrimus, moribus grauis & modestus, in victu temperans, omnibus affabilis, ingenij per excessum erga omnes mitissimi, sacrarum & profanarum litterarum scientia nobiliter instructus, diuinæ gloriæ zelo feruidus, & qui pro Catholicæ religionis defensione ac propagatione multa fecit & tulit. Iuuenis Oxonij studuit in Collegio corporis Christi, alij volunt, in Collegio S. Mariæ Magdalenæ. Forsan partim in hoc, partim in illo. Propter benignum & docile ingenium omnibus mirè charus. Eum ipse Rex in delicijs habuit, non modò propter sanguinis propinquitatem, verum etiam propter virtutes & eruditionem, quibus

1558.
1010.

ſtirpem regiam multum ornauit. Regis itaque beneficio & munificentia inſtructus, exteras regiones petijt, vt in tranſmarinis Academijs vnà cum varijs ſcientijs, diuerſas linguas, & cultiores vbique mores addiſcere poſſet. Patauij, quæ ciuitas eſt ditionis Venetorum, Eloquentiæ ſimul & Philoſophiæ ſtrenuam operam dedit, & in vtraque facultate tam vberes fecit progreſſus, vt dubium eſſet, vtrum acutior videretur Philoſophus, an Orator facundior. Omnibus igitur mouebat maiorem virtutis & eruditionis, quàm generis & nobilitatis admirationem. Hinc factum eſt, vt ſummam amicitiam contraxerit cum doctiſſimis quibuſque viris, qui tunc temporis per Italiam florebant. In quibus multi fuerunt nobilitate ſimul & eruditione conſpicui. Petrus Bembus, Aloyſius Priolus, Gaſpar Contarenus Patricij Veneti. Petrus Caraffa ex familia Ducum Noceræ, tunc Archiepiſcopus Theatinus. Qui omnes, excepto Priolo, Cardinales, vti & Polus, creati ſunt, partim à Clemente Papa ſeptimo, partim à Paulo tertio, vt ſcribit Paulus Manutius in præfatione libri de Concilio, & alij. Præter hos, etiam alios habuit honoratos amicos, Coſmum Gherium Epiſcopum Fanenſem, & Iacobum Sadoletum Cardinalem & Epiſcopum Carpentoratenſem in Prouincia. His adde Doctores Marcum Antonium Paſſerum, Triphonem Gabrielium, Lampridium Cremonenſem, Lazarum Bonamicum Baſſianum. Qui licet in re oratoria & philoſophica flores haberentur Italiæ; in vtraque tamen facultate Polo primas partes concedebant, vt ex eorum epiſtolis & Pauli Manutij teſtimonio conſtat. Manutius enim in præfatione modò citata poſtquam Polum ab innocentia morum, à doctrina, & ab omnibus tum animi, tum induſtriæ, tum ingenij monimentis mirè prædicaſſet; hæc verba ſubiungit: *Illud certè conſtat, qui vel meliora, vel ornatiora ſcriberet, hac hominum memoria extitiſſe neminem.* Sed licet hi omnes tacerent, ipſa Poli ſcripta omni eloquentia, omnique dicendi vbertate referta locupletiſſimi teſtes, tum fœcundi ingenij, tum facundæ linguæ eſſe poſſunt. Multa enim elegantiſſimè ſcripſit, & omnia ſanè Eccleſiæ Catholicæ perutilia. Compoſuit in eo conclaui Cardinalium, in quo ipſe electus fuit ad ſummum Pontificatum, teſte Paulo Manutio

De officio ſummi Pontificis, *Librum vnum.*

De eiuſdem poteſtate, *Librum vnum.* Extat Louanij anno 1569.

Ad Henricum octauum Angliæ Regem, *Librum vnum.*

Vnitatis Eccleſiaſticæ defenſionem ad eundem, *Libros quatuor.* Quid ad te hoc tempore ſcribam. Extat Romæ 1555. Ingolſtadij 1587.

Ad Angliæ Regem Edvvardum ſextum de eadem materia, *Librum vnum.*

Exhortationem in Concilio Tridentino, *Librum vnum.*

De eodem Concilio ad Cardinales ibi legatos, *Librum vnum.* Cùm negotij ipſius grauitas. Venetijs apud Paulum Manutium Delingæ 1562.

De Baptiſmo Conſtantini Magni, *Librum vnum.* An nos tam aſſeueranter. Extat ibidem anno 1556.

De reformatione Angliæ, *Librum vnum*. Reginaldus miseratione diuina. Extat ibidem.

Consilium de reformanda Ecclesia, *Librum vnum*.

Epistolarum ad Sadoletum & alios, *Librum vnum*. Partim extant in volumine epistolarum clarorum virorum.

De iustificatione Anglicè, *Libros duos*. Louanij anno 1569, & 1578. Vidi in Bibliotheca Benedictinorum Anglorum Delavvariæ in Lotharingia. Transtulit in linguam Anglicam sessionem sextam Concilij Tridentini. Et alia plura partim scripsit partim transtulit. Obijt anno Domini Seruatoris 1558, die decimo septimo Nouembris, quindecim circiter horis postquam expirasset Regina Maria. Vide nostrum de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum. Eius vita, nescio quo auctore, scripta extat Venetijs anno Domini 1562.

De Radulpho Baino.

RADVLPHVS Bainus vel Baines, natione Anglus, patria Eboracensis, Cantabrigiæ bonis litteris operam dedit, fuitque ibi de societate Collegij S. Ioannis Euangelistæ. Vir Latinæ, Græcæ, & Hebraïcæ linguarum peritus, Theologus etiam non contemnendus, & in sacris eloquijs benè versatus, non solum litteralem & historicum sensum prosecutus, sed etiam sublimiorem sacri contextus intellectum arcana mysteria inuoluentem fœliciter planè scrutatus, industria mirabili patefecit. Ferunt tamen pleraque eius scripta à ministris Geneuensibus varijs in locis multum esse deprauata. Post emensum in patria studiorum curriculum, transfretauit in Galliam, tum vt linguam Gallicam addisceret, tum etiam vt Academiam Parisiensem studiorum causa inuiseret. Vbi cùm specimen insignis ingenij, multiplicisque doctrinæ dedisset, constitutus est ibidem Hebraïcæ linguæ Regius Professor. Quo tempore scripsit ad Henricum illius nominis secundum Francorum Regem, teste Sixto Senensi libro quarto Bibliothecæ sanctæ, commentarios doctissimos

1559.
1011.

In Prouerbia Salomonis, *Libros tres*. Præclarum magnis principibus. Parisijs anno 1555. tẽpore Mariæ Reginæ reuocatus, Episcopus Lichfeldensis creatus est, quo in munere admodũ præclare se gessit. Alia eius opera ne suis quidem titulis mihi hactenùs innotuerunt. Claruit anno post aduentum Messiæ 1559, sub Angliæ Regina Elizabetha. Obijt clarus Domini Confessor.

De Cutberto Tonstallo.

CVTBERTVS Tonstallus splendidis apud Anglos ortus natalibus, ab ipsa ineunte adolescentia semper in bonarum litterarum studijs educatus, fœlix ingenium optimis artibus excoluit. Condiscipulum adolescens habuit Thomam Morum, inter quos radicata in morum similitudine, imò in virtute fundata creuit amicitia, quæ in ætate virili facta est summa. Post iacta prima liberalium artium fundamenta, Oxonium missus est, vbi Mathematicis scientijs, Philosophiæ &

1560.
1012.

vtrique Iuri tam strenuam nauauit operam, vt in ijs omnibus summam consecutus fuerit perfectionem. Et Iurisprudentiam quidem adeò accuratè caluit, vt Doctor in eadem facultate creatus, eam aliquando magna cum laude publicè docuerit. Percrebrescente tandem hominis fama, vocatus est ad Aulam, vt regijs scrinijs præficeretur. In quo munere tam dexterè, prudenter, & fideliter se gessit, vt conceptam de se bonam opinionem apud Regem & proceres non modò conseruauerit, sed etiam auxerit. Vnde Rex eius opera in grauissimis reipublicæ negotijs, & in honoratissimis ad maximos Europæ Monarchas legationibus non semel vsus, etiam tum cùm esset Archiepiscopi Cantuariensis Cancellarius. De quo Erasmus in epistola quadam ad Petrum Ægidium sic scribit: *Adsunt Brugis duo totius Angliæ doctissimi, Cutbertus Tonstallus Archiepiscopi Cantuariensis Cancellarius, & Thomas Morus.* Tantum igitur suarum virtutum & doctrinæ meritis apud Regem gratia valuit, vt primùm ad Episcopatum Londinensem, deinde ad Dunelmensem euectus fuerit. Sed de his suo loco. Erat vir mitis & mansuetus, castus & temperans, prudens & industrius. Vnicam in tota vita sibi inussit maculam, quòd videlicet ad Henrico Rege seductus & inductus fuerit, vt matrimonium Regis cum Catherina Hispana dissolui posse & debere asseruerit, idque libro scripto probare conatus fuerit. Cuius facti ita eum posteà pœnituit, vt in contrariam planè sententiam descenderit, & damnato, quem priùs scripserat, libro, Reginæ partes constanter tenuerit, fueritque in illa causa vnus ex Reginæ aduocatis. Sed ad hominis eruditionem veniamus, de qua Thomas Morus in epistola quadam ad Erasmum sic loquitur: *Tonstallo, vt nemo est omnibus bonis litteris instructior, nemo vita moribusque seuerior: ita nemo est vsquàm in conuictu iucundior.* Arithmeticæ peritissimus erat, perlegit omnes quos inuenire poterat libros illam artem tractantes, & quasi omnium flores decerpens, & in vnum quodammodò cultissimum hortum conferens, exquisitissimum & exactissimum opus composuit, cui titulum fecit

De arte supputandi, *Libros quatuor.* Iam ante aliquot annos in more. Extat Londini anno 1522. Argentorati anno 1554.

Summa fide, iudicio, diligentia castigatissimè in lucem emitti fecit

Commentarios in Apocalypsim. Quos alij D. Ambrosio, alij Berengando tribuunt, qui sunt Oxonij M S. in Collegio Corporis Christi.

In versione noui Testamenti per Guilhelmum Tindallum, plus quam bis mille corruptelas notauit.

Scripsit de laude matrimonij, *Librum vnum.* Vetustus omnium gentium.

De veritate Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, *Librum vnum.* Extat Parisijs anno 1554.

Compendium vel synopsin Ethicam, *Librum vnum.*

Elegantium sermonum, *Librum vnum.*

Epistolarum ad Budeum & alios, *Librum vnum.* Et alia multa. Superato tandem octogesimo quarto ætatis suæ anno, sanctissimè diem suum obijt

obijt in carcere & Christi fide Confessor anno incarnationis Dominicæ 1559. regnante in Anglia Elizabetha Regina. Vide eum quem composuimus de Dunelmensibus Episcopis Catalogum.

De Richardo Smithæo.

RICHARDVS Smithæus vel Smithus natione Anglus patria Vvigorniensis, sacræ Theologiæ Doctor & Regius Professor primùm Oxonij in Anglia, deinde Louanij in Brabantia. Vir vitæ integritate, & singulari doctrina conspicuus. Subtilis ingenij, tenacis memoriæ, ad scholasticas concertationes mirè acutus, per omnia denique Doctor perfectus & absolutus, si non obstitisset laterum debilitas, & vocis exilitas. Hæreses & hæreticos acerrimè insectabatur, & aduersus primarios quosque sui temporis sectarios pereruditè scripsit. Petrum Martyrem apostatam Monachum, & hæresis Zvvinglicanæ sectatorem, à Rege Edvvardo sexto Oxonij in cathedram Theologicam intrusum, in publicis disputationibus hæresis conuicit, & cathedram suam victor repetijt, sed Rege obstante non impetrauit. Itaque tunc solum vertit, Belgium petijt, Louanij, vt dixi, sacras litteras docuit. Sed Edvvardo mortuo, & sublimata ad regni solium, cum Philippo Hispano Maria Regina Catholica, domum reuocatus, & honoribus restitutus, factus est Reginæ à sacris. Sed post quinquennium circiter mortua Regina, & iterum mutato rerum statu, denuò exulauit, & Belgium repetijt. Vbi à Philippo Rege Catholico factus est Decanus ad D. Petrum Duaci. Ibi etiam per idem tempus erecta Academia, positus est primus sacrarum litterarum Professor. Omnem igitur, vti consueuerat, laborem, industriam, doctrinam eò direxit, vt hæreses confutaret & extirparet, fidem Catholicam propugnaret & propagaret. Vnde partim Latinè, partim Anglicè scripsit contra plerosque nominatissimos sui temporis hæreticos, à quibus mille, puto, calumnijs impetitus est. Scripsit autem

1563.
1011.

De Baptismo paruulorum, Librum vnum. Refutaturo, lector, crassam & exitiosam. Extat Louanij anno 1562.

De consilijs Euangelicis & operibus supererogationis, Librum vnum. Philippus Melanchthon. Extat ibidem eodem anno.

Defensorium sacrificij Missæ, Librum vnum. Defendit hic libellus. Ibidem.

Contra libertatem ieiunij, Librum vnum.

Assertionem sacramenti altaris, Libros quinque, Fidelis & Christ. lector.

De veritatibus non scriptis seu de sacris traditionibus, Librum vnum. In hoc libro, Christiane lector.

In Apocalypsim, Librum vnum. Quem se vidisse, mihi coram asseruit Richardus Stanihurstius. Opus opinor perijsse.

Diatriua de hominis iustificatione, Librum vnum. Cùm mos inoleuerit vir optime. Extat Louanij anno Domini 1550.

De votis Monasticis contra Petrum Martyrem, Librum vnum. Vir-

ginitas, inquit, aut continentia. Parisijs anno 1550.

De cælibatu Episcoporum & sacerdotum contra eundem, *Librum vnum.* Procliue fuerit.

De Ecclesia, *Librum vnum.*

Enarrationem succinctam de sacrificio Missæ, *Librum vnum.* Habes hic candide lector, Beda nostras. Extat Louanij 1562.

Confutationem eorum quæ Philippus Melancthon obijcit contra Missæ sacrificium, *Librum vnum.* Cum insignissima. Louanij 1562.

Contra Thomam Cranmerum hæreticum Anglum, *Librum vnum.*

Contra varias hæreses, *Libros duos.*

Confutationem locorum communium Philippi Melancthonis & Lutheri, *Librum vnum.* Extat Duaci 1563.

De Primatu Romani Pontificis, *Librum vnum.*

De sacerdotio Christi externo, & de sacris Ecclesiæ Catholicæ altaribus, *Libros duos.* Cum iam disseruerimus. Louanij 1562.

De libero hominis arbitrio, *Librum vnum.* Extat 1563.

Confutationem hæreticorum qui scripserunt contra Canonem Missæ & Purgatorium, *Librum vnum.*

De merito mortis Christi contra Caluinum, *Librum vnum.* Quo clarè videas. Extat Louanij anno 1562.

Retractationem suorum errorum, *Librum vnum.*

Et alia etiam scripsit opuscula atque tractatus plurimos. Atque hæc pleraque vidi Cliuis in Bibliotheca Canonicorum in Ecclesiæ porticu meridionali. Item Delovvariæ in Lotharingia in Bibliotheca Benedictinorum Anglorum. Porrò Smithæus noster exul obijt pro fide Duaci in Belgio, & ibidem in Ecclesia S. Petri sepulturam accepit septimo Idus Iulij anno salutis reparatæ 1563, regnante in Anglia Elizabetha.

Eius epitaphium in appensa tabella in præfata Ecclesia & sacello virginis matris descriptum ad me misit Richardus Vitus legum Doctor Anglus. Quod sic habet:

Richardus Smithæus Anglus Theologiæ Doctor, regij sacrarum litterarum Professoris munere Oxonij in Anglia multis iam annis summa cum laude functus, dum fidei tandem Catholicæ causa, patria iterum exulat, ab optimo veréque Catholico principe Philippo Hispaniarum Rege Præpositura Collegij D. Petri Duacensis ornatur, publicéque ibi institutæ scholæ propensissimis optimorum ciuium studijs primus sacrarum litterarum publicus Prælector creatur. Quo in munere cùm annum iam paulò minùs fœlicissimè versatus esset, præclaráque ingenij monimenta contra grassantes sui temporis hæreses, publicis mandata litteris reliquisset, septimo Idus Iulias anno à partu Virgineo 1563, ætatis verò suæ sexagesimo tertio, magno omnium ordinum mœrore, fato concessit, publicoque elatus funere, hoc Virginis matris sacello sepultus est. Cuius animæ vt Deus Opt. Max. pro sua clementia misericors esse velit, pias, candide lector, ad communem Dominum preces fundito, fœlixque age.

De Thoma Martino.

THOMAS Martinus natione Anglus, patria Bercheriensis. Vir pius & litteratus, Catholicæque religionis strenuus assertor, quique in Christi causa nihili fecit atrocissima hæreticorum mendacia. multas enim fœdissimas, quibus ab illis proscindebatur, calumnias animosè contẽpsit, in eo exultans, quòd pro nomine Iesu dignus habitus sit, cum Apostolis contumeliam pati. Probè enim nouit, & tacita conscientia gauisus est, ab improbis vituperari, quoniam hoc verè laudari est; sicuti ab iisdem laudari, est verè vituperari. Implacabilem autem quorundam iram in se concitauit, dum scripsit 1563. 1012.

Contra sacerdotum coniugia, *Librum vnum.* Quanto plus reuerentiæ. Aliorum operum titulos non inueni. Claruit circa annum Domini 1563, sub Angliæ Regina Elizabetha.

De Ioanne Vito.

IOANNES Vitus natione Anglus, patria Southamptoniensis, non longè à Vvintonia in lucem editus, ad studia bonarum litterarum in celebri schola Vvicamica suburbij Vvintoniensis ab adolescentia educatus, ibi postquam more loci politiorem litteraturam accuratè perdidicisset, ad Oxoniensem Academiam ad Philosophica & Theologica studia promotus est. A quo tempore paulatim virtute duce, comite doctrina, in republica emergere cœpit. Nam post aliquot annos ex Academia vocatus, electus est eiusdem scholæ Vvintoniensis supremus moderator (ad quod munus florente in Anglia Catholica fide, non nisi lectissimi viri, propter iuuentutem exactè instituendam, assumebantur) deinde Collegij Custos (Guardianum illi vocant) qui est quasi Decanus, posteà Lincolniensis, & demum Vvintoniensis Episcopus constitutus est. De quo Christophorus Ionsonus medicinæ Doctor, & me puero ibidem Ludimagister, sic scribit: 1563. 1013.

Me puero Custos, ludi paulo ante Magister
Vitus, & hac demum Præsul in vrbe fuit.

Erat sanè vir pietate & doctrina conspicuus. Acutus Poëta, Orator eloquens, Theologus solidus, Concionator neruosus. Ad crucem D. Pauli Londini concionem funebrem habuit in exequijs Reginæ Mariæ super eo versu Ecclesiastes capite nono, *Melior est canis viuus leone mortuo.* In qua concione solem occidẽtem tam impensè coluit, vt orientem neglexisse videretur, tantum enim laudauit Mariam mortuam, vt in perpetuum viuentis Elizabethæ gratia exciderit. Scripta huius præclari viri, ipso auctore in vinculis moriente, penè omnia simul perierunt. Saltem nihil eorum, quod sciam, extat, præter quædam carmina. Scripsit præsertim de Eucharistia carmine elegiaco, collectis doctorum virorum testimonijs de veritate corporis & sanguinis Christi in Sacramento Altaris, contra Petrum Martyrem hæreticum Florentium

Diacosiomartyrion, *Librum vnum.* Azimus ergo dies aderat, quum. Extat Londini anno 1553.

Epigrammatum & aliorum Poëmatum, *Librum vnum.* Nubat vt Hispano Regina. Vidi aliquando Oxonij M S. exemplar.

Aliorum operum titulos non inuenio. Londini Confessor obijt in vinculis circa annum gratiæ 1560, cum iam ad Anglicani regni clauum sederet Elizabetha. Vide quem scripsi de Vuintoniensibus Episcopis Catalogum.

De Guilhelmo Rastallo.

1565. 1014.

GVILHELMVS Rastallus Londini in Anglia natus, Thomæ Mori ex Elizabetha sorore nepos. Vir pius, grauis, modestus, & eruditus, & imprimis religionis Catholicæ zelosus cultor. Post imbibitas altè disciplinas politiores, ad studium iuris se contulit, in quo tantos fecit progressus, vt inter sui temporis iurisconsultos euaserit cum primis consultissimus. Præsertim autem in Angliæ legibus municipalibus erat versatissimus. Vnde factus est ciuilium & criminalium causarum alter ex duobus per Angliam supremis iudicibus. Sub Eduuardo sexto Rege propter fidem exul, vxorem suam Louanij sepeliuit. Sed regnante cum Philippo Maria, domum cum fide Catholica reuersus est. Defuncta autem Maria, denuò sub Elizabetha sponte solum vertit & Louanij mortuus est. His mutationibus & varijs incommodis non obstantibus, rem litterariam nunquàm neglexit. Nam imprimis magna diligentia, multo labore omnia Thomæ Mori auunculi sui opera Anglicè conscripta quæsiuit, coaceruauit, & ad vtilitatem posteritatis in vnum volumen congesta in lucem emitti curauit. Prætereà scripsit ipse

Vitam Thomæ Mori, *Librum vnum.*

Collectionem statutorum ab initio chartæ magnæ vsque ad annum Domini 1557. *Anglicè*, *Librum vnum.* Extat anno 1559. opus vidi in Bibliotheca Benedictinorum Anglorum Delovvariæ in Lotharingia.

Commentarios in iura & statuta Anglicana, *Librum vnum.*

Legum Anglicarum vocabula, *Librum vnum.* Sicut mundus vniuersus.

Indices in Antonium Fizherbertum, *Librum vnum.*

Prouocationem ex Iuelli concionibus, *Librum vnum.* Antuerpiæ.

Confutationem concionum eiusdem Anglicò, *Librum vnum.* Antuerpiæ 1564. Vidi librum in Bibliotheca Benedictinorum Anglorum in eorum Monasterio in Lotharingia.

Admonitionem ex Concilijs & Patribus de cauendis falsis Prophetis & de declinando in ijs Iuello, *Libros tres.* Anglicè Antuerpiæ 1566.

Replicam contra Responsum falsò dictum Defensionem veritatis Anglicè, *Librum vnum.* Antuerpiæ 1566.

Louanij tandem diem suum obijt die vicesimo septimo mensis Augusti anno Domini 1565, & in eodem cum vxore sepulchro mortuus fit

vnus puluis, cum qua viuus fuit vna caro. Regnauit tunc in Anglia Elizabetha.

Multa ex his desumpsi ex ipsius vxoris epitaphio, quod Ioannes Fennus mihi in scriptis communicauit. Quod hîc subijcere operæprecium iudicaui.

Omnia sic per me magis ære perennia fient.

Facta est autem horum coniugum sepultura Louanij in Ecclesia S. Petri ad dexteram Altaris B. Mariæ Virginis, vbi extra cancellos in ære incisa sunt, quæ sequuntur.

Hîc sita est Vvenefrida coniux Guilhelmi Rastalli, ac Ioannis Clementis filia: quæ Angliam patrium solum diuturna hæresum lue infestatam relinquens, Louanium cum marito ac parentibus commigrauit. Vbi transactis annis tribus cum dimidio Deo spiritum reddidit decimo septimo die Iulij anno 1553. Vixit annos viginti sex cum dimidio, quorum nouem in coniugio egit, Latinæ linguæ non imperita, Græcam verò eximiè callens, sed moribus & vitæ sanctimonia nemini postponenda. Cui (pie lector) Deum quæso deprecare propitium. Posteà Guilhelmus maritus, Ecclesiæ iam pace restituta in Angliam rediens, cum non ita multis post annis Catholicæ fidei status illic denuò perturbaretur, amplissimo, quem inter Regij consessus iudices obtinebat, honore repudiato, clam in Brabantiam remigrauit, ibique postea annis plus minus tribus exactis, non sine multorum ob merita sua mœrore, febri extinctus, nunc cum charissima coniuge, à qua ne mortuum quidem illum secubare Deus voluit, hac humo quiescit. Cuius animæ, lector, benè precare. Vixit annos quinquaginta septem. Mortuus est 1565. Augustini 27.

De Thoma Heskino.

THOMAS Heskinus sacræ Theologiæ Doctor Anglus, Cathedralis Ecclesiæ Sarisburiensis Canonicus & Thesaurarius. Vir bonarum litterarum amantissimus, omnis virtutis & pietatis strenuus cultor, & Catholicæ religionis magnanimus propugnator. Hic cùm iam in Anglia præualeret iniquitas, & expulsa fide Catholica dominaretur hæresis, Ecclesiastico beneficio, bonisque alijs exutus & spoliatus, in exilium profectus est. Maluit enim pauper extra natale solum, quam domi diues extra matris Ecclesiæ gremium viuere. In exilio porrò agens, suam salutem ita curauit, vt publicam Ecclesiæ Catholicæ causam nequaquàm negligeret. Habeo à nostro Guilhelmo Giffordio Doctorem hunc factum fuisse ordinis S. Dominici religiosum, & earum ordinis illius sanctimonialium, quæ ex Anglia fugerant, patrem spiritualem cum ijs Antuerpia Montem ad Scaldim Sequamã, vulgò Bergen Vp Soon profectum, illic forsam diem suũ obijsse. Sed quicquid de hoc sit, cum in Anglia proceres laici Comitijs habitis quædam decernerent in materia articulorũ fidei, & quid credi & credere vellent, non quid deberent, præ-

1566.
1015.

scriberent: hic Doctor indignatus veterem relictam, nouam inuentam fidei regulam, opposuit Regis & procerum Parlamento, Parlamentum vt ipse vocat, Christi & sanctorum, & assisas & sessiones faciens, primo duodecim Doctorum sententijs condemnauit aduersarios. Et cùm illi quodammodò appellarent à prima sentētia; denuò quasi nouis sessionibus habitis, ex alijs duodecim antiquis patribus eos secundò condemnauit, vt omni semota tergiuersatione, omni sublata appellatione, si verum fateri vellent, sese victos fateri cogerentur. Nam si in ore duorum aut trium testium stet omne iudicium, quanto magis in ore viginti quatuor Doctorum & Ecclesiæ Patrum? Scripsit igitur Anglicè contra nouatorum istorum Parlamentum ex antiquorum Conciliorum & Doctorum sententia, de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia doctissimum & ingens opus, cui titulum fecit

Christi & Sanctorum Parlamentum de Eucharistia, Librum vnum. Antuerpiæ anno Domini 1566. An alia scripserit me latet.

Claruit anno Verbi incarnati 1566, regnante apud Anglos Elizabetha.

De Laurentio Vausio.

1570. 1016.

LAVRENTIVS Vausius Sacerdos Anglus, sacræ Theologiæ baccalaureus Oxoniensis. Vir integritate vitæ, & eruditione plus quàm vulgari notus. Regnantibus in Anglia Philippo & Maria, fuit Collegij Manchestrensis in Comitatu Lancastrensi Rector, & Iacobi Brochij Glocestrensis Episcopi sacellanus. Excedente autem è vita Maria, & è regno Philippo, & expulsa sub Elizabethæ regno fide Catholica, sponte profectus est in exilium. Et primùm Hiberniam peragrans, incidit in latrones, qui illum dispoliauerunt, & occisis plerisque ex socijs, viuum demiserunt. Indè cursum vertit in Belgium, & Louanij factus est Monachus ordinis S. Dionysij. Porrò quod ad hominis doctrinam attinet, rogatus, vt ipse fatetur, scripsit idiomate Anglico

Catechismum, *Librum vnum.*
De ceremonijs Ecclesiæ, *Librum vnum.*
Breuem formam confessionis, *Librum vnum.* Extant omnia anno 1599.

Tandem in Angliam reuersus, captus, & in vincula propter fidem Catholicam coniectus, dierum plenus, & veneranda canitie reuerendus Confessor sanctissimè obijt in Domino circa annum humanę salutis reparatæ 1570, sub duro Reginæ Elizabethæ imperio.

De Guilhelmo Zoono.

1572. 1017.

GVILHELMVS Zoonus natione Anglus, in Academia Cantabrigiensi Iuris vtriusque Doctor & Professor regius. Deficiente ad hæresim Anglia, ne periculo se exponeret aliquid committendi Catholicæ religionis professioni minus consentaneum, officium & locum reliquit, solum vertit, & in exilio vsque ad mortem vixit. Erat vir multiplici rerum scientia, morum grauitate, & vitæ integritate conspicuus,

quique suo tempore, liberalium artium, & omnis politioris litteraturæ peritissimus meritò reputabatur. Quantum coniectura consequi possum, ex Anglia fugiens in Belgium, Louanij ius ciuile publicè docuit. Erat autem Geographus insignis, in quo genere multa laudabilia prçstitit *adiutus*, vt eius verbis loquar, *opera, labore, studio, industria suauißimorum & politißimorum virorum, familiarium Abrahami Ortelij, & Arnoldi Milij.* Vide eius præfationem in nouos orbis terrarum incolas. Coloniæ Agrippinæ diù vixit, multa scripsit, vbi, vt ipse loquitur, in pingui Gallina (intersigne est) Arnoldi Milij theatrum diligenter peruoluit. Tandem in Italiam profectus, & à summo Pontifice factus in quadam ciuitate vnus ex ijs iudicibus, quos vulgò Potestates vocant, nunquàm indè redijt. Litteraria monimenta satis copiosa post se reliquit, ex quibus tamen inuenio pauca hæc sequentia

Annotationes in Pomponium Melam. Pomponium Melam tanquam. Coloniæ anno Domini 1575. Habeo. Legi.

In nouos orbis terrarum incolas, *Librum vnum.* Caput hoc nouorum inc. Extat ibidem. Habeo. Legi.

Epistolarum, *Libros plures.*

Alia eius opera non vidi. In Italia diem suum obijt circa annum Domini 1572, dum in Anglia rerum potiretur Elizabetha.

De Ioanne Clemente.

IOANNES Clemens in Anglia natus, Thomæ Moro adhuc penè puer famulari cœpit, cuius beneficio successu temporis mediantibus virtutum meritis ad maiora paulatim euectus est. Primùm enim Mori liberis præceptor domesticus adhibitus est, deindè Margaritam illam, quam inter filias suas, tanquàm filiam educari fecerat Morus, vxorem duxit, tandem rei medicæ studijs se totum addixit, & medicinæ Doctor euasit celeberrimus. Græcas litteras accuratè calluit, & Oxonij diù tanquàm regius Professor, publicè docuit. In eadem etiam lingua vxor parum inferior marito fuit, eumque in multis auctoribus vertendis non mediocriter iuuit. Fuit insuper Clemens Poëta non inelegans, orator non vulgaris, bonus historicus, &, quod caput omnium est, pietatis & catholicæ Religionis amantissimus. Sub Rege Edvvardo sexto fidei causa solum vertit, & vsque ad Regis mortem in exilio vixit. Sed ad regni solium sublimata Maria Regina, domum iterum redijt. Maria verò defuncta, & surrogata Elizabetha, in exilium denuò profectus est, vsque ad vitæ suæ finem. Doctrinæ monimenta hæc saltem pauca sequentia, ex multis inuenimus. Vertit è Græco in Latinum secundum ordinem calendarij

1572. 1018.

Homilias Nicephori Calixti de sanctis Græcorum, *Librum vnum.*

Epistolas Gregorij Nazianzeni, *Librum vnum.*

Epistolam Cœlestini Papæ primi ad Cyrillum Episcopum Alexandrinum.

Scripsit ipse epigrammatum & aliorum carminum, *Librum vnum.* Ex quibus

saltē hoc vnum epitaphium vxoris suæ hîc subnectere minimè pigebit:

Clementis coniux hoc Margarita sepulcro
Dormit, qua nulli charior vlla fuit.
Hæc mihi plus quàm quadraginta & quatuor annos
Iuncta fuit, raræ norma pudicitiæ.
Gnatos & gnatas docuit Græcè atque Latinè,
Sed magis instituit iussa tenere Dei.
Ex his pars nupsit Christo, pars altera mundo,
Vtraque sed viuit dispare sorte Deo.
Posthabuit Christi fidei patriamque domumque,
Ausa peregrino credere membra solo.
Margarita vale mihi dilectißima coniux,
Moribus eximijs & pietate pari.
Vos rursum pater & fili, nataque valete,
Et pro me aßiduas fundite, quæso preces.

In exilio Confessor obijt Mecliniæ primo die Iulij, anno post aduentum Messiæ 1572, & sepultus est in Ecclesia S. Romboldi prope tabernaculū, iacentque in eodem tumulo coniuges, illa autem ante maritum integro ferè biennio diem suum obierat sexto videlicet die Iulij anno Domini 1570, regnante in Anglia Elizabetha.

De Thoma Hardingo.

1572.
1019.

THOMAS Hardingus natione Anglus, patria Deuoniensis, adolescens humanioribus litteris, & Græcæ linguæ dedit operam in Collegio Vvintoniæ. Deindè missus Oxonium emensis fœliciter Philosophicis & Theologicis studijs, Theologici Doctoratus insignia suscepit, & Hebraïcam linguam regius Professor publicè prælegit. Posteà vocatus ex Academia, factus est Ecclesiæ Salisberiensis Canonicus & Thesaurarius. Sed quoniā nullibi copiosiùs vitam eius inuenio descriptam, quàm in mortis insignibus, hoc est, in eius epitaphio, illud hîc ad verbum ponam, sicut ad me scriptum transmisit Ioannes Fennus.

Deo Opt. Max.

Habes, lector, epitaphiū Thomæ Hardingi Angli Deuoniensis, qui honesto loco natus, & in Collegijs Guilhelmi de Vviccam educatus, sacræ Theologiæ Doctor, ac linguæ Hebraïcæ regius Professor innotuit. Fuit ille quidem abundans ingenio, disertus, acutus, & insignis diuini verbi buccinator. Locatus autem in gradu sacerdotij, dignitates habuit benè cultas & illustres. At postquàm Anglia, proh dolor! auersa esse cœpit ab vnitate Catholica, quia palàm confitebatur fidem Catholicam fortunis omnibus exturbatus est. Videns ergo rem omnem implicatam controuersijs, factasque sibi insidias, defugit Angliam, migrauit in Brabantiam: iamque Louanij securus, ad Ecclesiæ causas se adiunxit, religionis negotium tractauit, oppugnatæ religionis propugnator acerrimus. Multos ille libros aduersus ætatis nostræ hæreticos conscripsit. Quorum adiumento nutanti Ecclesiæ salutarem manum porrexisse, & suis

ſuis multum profuiſſe certum eſt. Cùm ergo religionis nomine decennale perduraſſet exilium, agens iam annum ætatis ſuæ ſexageſimum, confectus ſtudijs, fractuſque ægritudine, Louanij mortuus eſt, & hîc è regione ſepultus, anno Domini 1572, menſis Septembris die decimo ſexto, Cornelio & Cypriano martyribus dicato. At tu, pie lector, pro pietate tua fac pro defuncto fratre, quod pro te faciat tua poſteritas. Hactenus Epitaphium. Porrò vt præfatus Fennus mihi ſcripſit, hæc ſepultura Louanij viſitur in Eccleſia S. Gertrudis. Et hoc epitaphium æneæ tabulæ inciſum eſt, vbi etiam inſculpta eſt imago eius dextera Eccleſiam inclinatam ſuffulcientis. Pleraque ſua ſcripta edidit idiomate Anglicano prouocatus ab Anglo Anglicè ſcribente. Quæ tamen omnia poſteà Latina fecit Guilhelmus Reginaldus. Sed inopia pecuniæ puto nihil eorum in lucem prodijt. O indiuiduam exilij noſtri comitem indigentiam, quæ, quo minus appareat quid pro Chriſti Eccleſia fecimus & paſſi ſumus, impedit! Scripſit autem Hardingus contra quemdam hæreticum Anglum Ioballum, qui ſe Iuellum vocari voluit. Hic enim eò temeritatis proſilijt, vt auſus fuerit pro concione prouocare ad ſexcentos primos poſt Chriſtũ natum annos, audacter aſſerere præſumens toto illo temporis ſpacio ſcripta Patrum, Conciliorum decreta, & omnia primatiuæ Eccleſiæ monimenta, ſua eſſe, ſuæ ſectæ fauere. Quo, haud ſcio an quicquam à veritate magis alienum fingi poſſit aut cogitari. Sed eiuſmodi figmenta ſatis valent ad imperitam multitudinem ſeducendam, quod ille vafer & verſipellis intendit. Scripſit igitur Hardingus

Reſponſionem ad Iuelli prouocationem. Extat Antuerpiæ & Louanij 1564.

Confutationem apologiæ Eccleſiæ Anglicanæ ad Elizabethã Reginam, Libros ſex. Antuerpiæ 1565.

Reſponſionem ad replicam Iuelli. Ibidem anno 1566.

Reſponſionem ad ſecundam eius replicam. Louanij anno 1567.

Pro Romani Pontificis primatu contra eundem, Librum vnum.

Detectionem errorum, & mendaciorum Iuelli in defenſione apologiæ Anglicanæ, Libros quinque. Louanij anno 1568. Vidi in bibliotheca Benedictinorum Anglorum Delovvariæ in Lotharingia. Talia multa adhuc ſcripta reliquit, quorum ne titulos quidem ego hactenùs inuenire potui. Diem ſuum ſanctiſſimè obijt Louanij Confeſſor hic & Doctor egregius, vt dictum eſt, anno Chriſti 1572, ſub Elizabetha Regina.

De Thoma Nelo.

THOMAS Nelus Sacerdos Anglus, & in Academia Oxonienſi ſacræ Theologiæ Baccalaureus. Hic adoleſcens Vvintoniæ ſtuduit in illa celebri ſchola Vviccamica Diuæ Virgini matri ſacra. Poſtquam autem illic imbibiſſet illas litteras quæ mores perpoliunt, & animum ad humanitatem excolunt, ad aliud Vviccamicum in Oxonienſi Academia Collegium etiam D. Virgini ſacratum de more ad altiora ſtudia capeſſenda miſſus eſt. Vbi etiam non ſegniter ſe geſſit, primùm

1576.
1020.

cum Philosophica contemplatione Græcas, deindè cum Theologica Hebræas litteras coniungens, euasitque vtriusque linguæ peritissimus. Adeò vt in præfata Academia fieret Hebraïcarum litterarum publicus Professor. Erat vir in fide Catholica semper educatus, & in ea solidè fundatus. Vndè in omnibus quæ suo tempore contigerunt in Anglia circa religionem mutationibus immutabilis semper perstitit, & nihil vnquam à sua vocatione alienum, nihil viro pio graui, & docto indignum commisit, licet alioquin esset naturæ mirum in modum timidæ. Inchoante regnum & simùl renouante hæresim Regina Elizabetha fiebant frequentes in Oxoniensi Academia visitationes, & grauiter vexabantur quotquot fidem Catholicam constanter profitebantur. Victus igitur Nelus importunis his molestijs, consulens tum saluti, tum tranquillitati suæ, Collegium suum reliquit; publico muneri renunciauit, & ex aduerso Aulæ Ceruinæ domum construi sibi fecit (ædes Neli meo tempore vocabant) vt, qui in publico pacem consequi non poterat, in priuato Deo & sibi viueret, & sine timore, de manu inimicorũ suorum liberatus seruiret Domino in sanctitate & iustitia. Porrò hæ persecutiones in causa fuerunt tum vt pauciora scriberet, quàm alioquin scripsisset; tum etiam vt ex ijs quæ scripsit, pauciora conseruata ad nostram notitiam peruenerint. Et hæc pleraque suppeditauit mihi amicus meus D. Henricus Ortonus nobilis Anglus, qui hominem aliquandò Oxonij cognouit. Hic ille ipse est quia à Reuerẽdissimo D. D. Episcopo Londonensi Bonnero missus esse dicitur in initio regni Elizabethæ ad Episcopum Landauensem, nè nouellis quibusdam ministris (qui Episcopi fieri cuperent, nec tamen Catholici esse vellent) manus citò imponeret. Adfuitque quando ex illis vnus quidam non consecratus ipse, alios noua forma consecrare præsumpserit Londini in vico dicto Cheapside, ad caput manuli. A pluribus accepi quòd multos libros ipse scripserit, multos ex alijs in alias linguas transtulerit. Sed omnes tituli me latent, nec vlterius aliquid expiscari hactenùs possum, nisi quòd transtulerit, & Reginaldo Polo Cardinali dedicauerit

Rabbinos quosdam ex Hebræo in Latinum, *Libros plures.*

Claruit Oxonij circa annum ex quo Verbum caro factum est 1576, dum in Anglicani regni solio sederet aduersaria Catholicæ religionis Elizabetha Regina.

De Ioanne Giouano.

1579. 1020. IOANNES Giouanus, Anglicè Yong, natione Anglus, patria Eboracensis, Academiæ Cantabrigiensis alumnus in Collegio sanctissimæ Trinitatis in studijs educatus, successu temporis sacræ Theologiæ Doctor creatus. Posteà Pembrochiensis Aulæ Præses, & tandem Academiæ factus est Rector seu vicecancellarius. Ad hæc omnia munia pietas & doctrina hominem euexerunt. Dum autem esset Academiæ Rector sedulò in hæreticam prauitatẽ inquisiuit, & pio zelo, multaque

scientia docuit, ac neruosè demonstrauit, numquam licere Catholicis hæreticorum adire conuenticula, dum aliquem actum hæresis siuè in precationibus, siuè in concionibus, aut similibus exercent. Qua sua doctrina hæreticorum animos in se vehementer concitauit, qui propterea fœdis mendacijs eius famam conspurcarunt, & vulgò persuadere conati sunt eum fuisse Lutheranum, spe honorum se finxisse Catholicum. Argumento erat, quòd, vt ipsi dictitabant, Cranmerum de Eucharistia ex Anglico in Latinum sermonem transtulerat. Sed quicquid de his sit, sanè Latinè scripsit

De schismate, *Librum vnum*. Priusquam hunc quem de schismate. Extat Louanij anno 1573. Vidi in bibliotheca Benedictinorũ Anglorum Delo.

Transtulit Redmannum de gratia, *Librum vnum*.

De alijs eius scriptis nihil habeo comperti. In Anglia tandem Confessor obijt in vinculis, circa annum à partu Virginis 1579, regnante in Anglia Elizabetha.

De Ioanne Harrisio.

IOANNES Harrisius natione Anglus, primus & præcipuus Thomæ Mori secretarius. Vir miræ grauitatis, animi cordati, solidi iudicij, spectatæ fidelitatis, integerrimæ probitatis, incredibilis industriæ, non vulgaris eruditionis. Tanto erga fidem Catholicam ferebatur affectu, vt eius causa patriam & bona omnia reliquerit, & cum vxore, liberis, & & familia regiones exteras petierit. Erat in voluendis antiquis Doctoribus valdè versatus, ex quibus operosè multa collegit, in vnum volumen congessit, & ad fructum posterorum in lucem emisit. Ex hoc opere Iacobus Pamelius, in Tertullianum & Cyprianum scribens, fatetur se multum accepisse adiumenti. Scripsit igitur — 1579. 1021.

Collectaneorum ex sanctis patribus, *Librum vnum*.

Ex alijs eius operibus nihil inuenio. Namurci Confessor obijt in exilio vndecimo die Nouembris, & in cemiterio S. Ioannis Euangelistæ iuxta generum suum Ioannem Foulerum sepultus est, vt ex litteris filiæ Aliciæ Fouleræ habeo, anno Domini 1579, regnante in Anglia Elizabetha.

De Ioanne Foulero.

IOANNES Foulerus natione Anglus, patria Bristoliensis, arte Typographus. Vir vitæ integerrimæ, & multiplicis doctrinæ, Græcè Latinæque linguæ insigniter peritus, acutus Poëta, Rhetor facundus, Theologus etiam non vulgaris. Vt in gremio Catholicæ Ecclesiæ se conseruare tutò posset, ingruentibus in Anglia persecutionibus fugit in Belgium, & partim Antuerpiæ, partim Louanij typographiam exercens, intereà studia in quibus educatus fuerat, non neglexit. S. Thomæ Aquinatis summam Theologicam, diligenter peruoluit, eamque totam eadem seruata methodo, in compendium redegit, cui operi titulum indidit — 1579. 1022.

Communium locorum Theologicorum, *Librum vnum.*
Scripsit Latinè additiones ad chronica Genebrardi, *Librum vnum.*
Epigrammatum & diuersorum carminum, *Librum vnum.*

Ex quibus hîc vnum eius hexasticon in effigiem
Thomæ Mori compositum ascribam.

Vt saltem ex isto cognoscas vngue leonem.

Effigiem quamcunque tui sic fingimus, at non
Tam facile est mores fingere, More, tuos.
Quàm vellem pictor mihi tam perfectus adesset,
Pingere qui verè posset vtrumque simul!
Tùm quoque qui vitam totam, mortemque referret,
Ille magis docto doctus Apelle foret.

Scripsit Anglicè ad Ducissam Feriæ confeßionis formam, *Librum vnum.*
Translulit è Latino in Anglicum epistolam Osorij ad Angliæ Reginam.

De alijs eius litterarijs monimentis nihil mihi constat. Confessor in exilio diem suum obijt Namurci decimo tertio die Februarij, & in cemiterio S. Ioannis Euangelistæ iuxta socerum suum Ioannem Harrisium sepultus iacet, vt ex Aliciæ coniugis litteris accepi. Annus autem obitus eius fuit nati Seruatoris 1579, dum Anglicani regni sceptrum teneret Elizabetha.

De Alano Copo.

1580.
1023.

ALANVS Copus sacræ Theologiæ Doctor Anglus, Romæ ad S. Petrum Canonicus. Vir pietate, doctrina, & Catholicæ religionis professione insignis, cuius rei causa longum pertulit exilium. Cum multis pijs & eruditis sui temporis viris magna illi intercessit necessitudo. Sed præ cœteris cum Nicolao Harpesfeldo intimam coluit amicitiam, quam nec alterius vincula in Anglia, nec alterius exilium in Italia, nec vlla aduersantis fortunæ varietas diminuere potuit. Imò ipsa locorum intercapedo, & diuersæ rerum difficultates, hoc inter eos amoris vinculum examinarunt, probarunt, & fortiùs confirmarunt, arctiùs constrinxerunt. Harpesfeldus enim in Anglia carceribus conclusus, dialogos quosdam doctissimos scripsit, & ad suum Copum agentem in exilio misit, vt suo non auctoris nomine, opus in lucem emitteret. Fecit Copus iniunctum munus fideliter vt decuit syncerum amicum, prudenter vt decuit virum cordatum. Nam volumen quidem edidit sub suo nomine, ne amico in vinculis constituto periculum capitis crearet: in calce tamen operis maiusculis quibusdam characteribus auctoris nomen obscurè indicat, ne opus alienum sibi arrogare videretur, de quo infrà clariùs in Nicolao Harpesfeldo dicetur. Porrò Alanus noster in Euangeliorum sacrorum quotidiana lectione & meditatione versatus, collegit concordantias Euangelicas, quibus res Domini nostri Iesu Christi, eo ordine quo gestæ fuerunt, ex quatuor Euangelijs narrauit, cui operi titulum fecit

Syntaxim historiæ Euangelicæ, *Librum vnum*. Extat Louanij anno 1572. Duaci 1603.

Carminum diuersorum, *Librum vnum*. De alijs eius scriptis nihil habeo comperti. Romæ in exilio Confessor obijt, & in schola vel hospitali Anglorum sepultus est circa annum Domini 1580, dum in Anglia rerum potiretur Elizabetha Regina.

De Georgio Bulloco.

GEORGIVS Bullocus natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, & in eadem Academia Collegij S. Ioannis Euangelistæ Præses, & Regius Professor. Vir magnæ pietatis, multiplicis doctrinæ. Ne fidem Catholicam deserere, vel propter eius confessionem carceres & vincula ferre cogeretur: primùm in Gallia Celtica, deinde in Belgica exulauit, & multa incommoda pertulit. Semel ab hæreticis pyratis captus, & omnibus spoliatus. In Belgium tandem veniens Antuerpiæ sua studia, vt potuit, secutus, in Monasterio S. Michaëlis per annos multos domicilium habuit, & ibidem vsque ad mortem Theologiam docuit. Quo tempore laboriosè, & accuratiùs, quàm ante eum quisquam, collegit, & ingenti volumine in folio edidit, atque Gregorio Papæ decimo tertio dedicauit

1580.
1024.

Oeconomiam methodicam concordantiarum sacræ Scripturæ, *Librum vnum*. Extat Antuerpiæ anno 1572. de alijs eius scriptis hactenùs nihil inueni. Tandem in præfato Monasterio mortuus & sepultus dicitur circa annum salutis reparatæ 1580, sub Angliæ Regina Elizabetha.

De Nicolao Sandero.

NICOLAVS Sanderus Guilhelmo & Elizabetha parentibus in Anglia natus in Comitatu Surreiensi, Diœcesis Vvintoniensis. Fuit is auunculus meus, matris meæ frater germanus. Eum parentes ab infantia Deo beatæque Mariæ semper Virgini cum duabus sororibus consecrarunt, & in studijs pietatis ac bonarum litterarum solicitè nutriri fecerunt. Adolescens in Collegio Vviccamico Vvintoniensis suburbij D. Virgini sacro litteris humanioribus operam dedit, indè ad Oxoniense Collegium etiam Vviccamicum & eidem Virgini dicatum ad maiora studia promotus, magnos vtrobique pro ratione ætatis & professionis in litteris & pietate fecit progressus. Euasitque tandem in virum fidei, pietatis, & eruditionis laudibus insignem. Erat autem prompti & expediti ingenij, magni iudicij, multi laboris, incredibilis industriæ, ad summam in vtroque, præsertim iure, & sacra Theologia scientiam peruenit. Adeo vt adhuc iuuenis in vniuersitate Oxoniensi Regius Professor ius Canonicum publicè magna cum laude docuerit, Sed exulante paulò pòst fide Catholica, ipse etiam in exilium voluntarium profectus est, & Romam arcem mundi, religionisque domicilium primum contendit. Ibi Presbyter & sacræ Theologiæ Doctor creatus,

1580.
1025.

inde cum Cardinali Hosio ad Concilium Tridentinum se contulit, vbi disputando & declamando magnum ingenij doctrinæque suæ specimen edidit, & multum apud selectissimos Europæ totius Doctores, qui illi synodo interfuerunt, laudem consecutus est. Posteà cum eodem Cardinali Hosio vastum Poloniæ regnum, Prussiam, Lituaniam, & alias longinquas regiones peragrauit. Quo finito itinere Louanium se contulit, & ibi Regius Professor sacram Theologiam docuit, & inter alia opera, volumen illud egregium de visibili Monarchia scripsit. Itaque propter magna in Ecclesiam Catholicam merita, Romam à Pio Papa quinto vocatus est, non sine spe perueniendi ad summos honores, nisi dicti Pontificis intempestiua mors breuì post fuisset subsecuta. Nihilominùs optimos habuit in curia Romana fautores & patronos Cardinalem Commendonum, & Philippum Segam tunc Episcopum Placentinum, tandem etiam Cardinalem. Illum, legatum Apostolicæ sedis agentem in Imperialibus Comitijs Augustæ Vindelicorum vocatus inuisit, hunc in Hispaniam legatione fungentem comitatus est. Nec obstiterunt hæc omnia itinera, nec varia etiam exilij incommoda, quo minùs multa præclara eruditionis & ingenij sui monimenta posteritati reliquerit. Omnem autem laborem, industriam omnem, in eo posuit, vt sectariorum errores confutaret, hæreticos confunderet, veritatem Catholicam explicaret, propugnaret, defenderet, & honorem matris Ecclesiæ per omnia tutum, saluum, illæsum conseruaret. Tandem à Gregorio Papa decimo tertio Roma in Hispaniam, & inde in Hiberniam Nuncius Apostolicus destinatus, ibi diem clausit extremum. De hac Sanderi in Hiberniam missione dolenter conquesti sunt quidam Doctores & primarij viri nostrates, his verbis, *Ad quid summus Pontifex Sanderum nostrum mittit in Hiberniam? pluris facimus nos nostrum Sanderum, quàm totam Hiberniam.* Hoc se non semel à pluribus audiuisse, mihi sanctè affirmauit pius & grauis sacerdos Guilhelmus Sladius, quo cum Ingolstadij in Bauaria familiariter aliquandò vixi. Sed nunc ad Sanderi lucubrationes veniamus. Scripsit pauca quædam Anglicè, pleraque Latinè.

De typica & honoraria sacrarum Imaginum adoratione, *Libros duos.* Extant Louanij anno 1569.

De explicatione sacrificij Missæ & partium eius, *Libros tres.* Ibidem.

In caput sextum Euangelij S. Joannis, *tractatum.* Antuerpiæ anno 1570. Vidi aliquando Romæ in Bibliotheca Collegij Anglorum.

De visibili Monarchia Ecclesiæ, *Libros octo.* Cùm duæ sint res. Louanij 1571. Antuerpiæ 1581. Vvirceburgi 1592.

De claue Dauid & regno Antichristi, *Libros sex.* Ecclesia in scrip.

De iustificatione contra colloquium Altemburgense, *Libros sex.* Vetus est querela. Treuiris 1585. Coloniæ 1594. Habeo in mea Bibliotheca.

Pro defensione excommunicationis à Pio quinto latæ in Angliæ Reginã, *Librũ j.*

Contra Hesutium apostatam Iesuitam, *Libros tres.*

De Ecclesia Christi, *Libros duos.*

De schismate Anglicano, *Libros tres*. Britannos ad fidem Christi. Romæ 1586. Ingolstadij 1588. Habeo. Legi. Extat etiam Italicè.

De martyrio quorundam sub Elizabetha Regina, *Librum vnum*.

Orationum partim Louanij, partim in Concilio Tridentino & alibi habitarum. *Librum vnum*.

De vita & moribus Thomæ Cranmeri hæretici, *Librum vnum*.

Responsionem serui fidelis subdito infideli, *Librum vnum*.

De modo & necessitate audiendi Missam, *Librum vnum*.

Sedem Apostolicam, *Librum vnum*. Venetijs 1603.

De Missæ ceremonijs, *Librum vnum*.

Contra Nouellum Caluinistam Anglum pro reali præsentia corporis Christi in Eucharistia, *Libros tres*.

De cœna Domini seu de Sacramento Eucharistiæ Anglicè, *Libros septem*. Louanij 1566. Vidi in Bibliotheca Benedictinorũ Anglorũ Delovvariæ.

Chronicon eorum quæ se præsente gesta sunt in Hibernia, *Librum vnum*.

Epistolarum ex Hibernia ad Gregorium Papam decimum tertium. Et hos duos libros se vidisse affirmauit mihi Richardus Stanihurstius Hibern.

De Petra Ecclesiæ, *Librum vnum*. Louanij 1567.

De libero arbitrio, *Librum vnum*.

De vsura Anglicè, *Librum vnum*. Quem aliquando vidi in Anglia. In Hibernia tandem, vt dictum est, sanctissimè diem suum obijt circa annum salutis humanæ 1580, regnante in Anglia Elizabetha.

De Mauritio Chamnæo.

1581.
1026.

MAVRITIVS Chamnæus (Chancæum perperàm cognominat Theodorus Petreius in sua Bibliotheca Carthusiana) sacri Carthusiensis ordinis Monachus Anglus, & professus domus Annunciationis beatissimæ Virginis matris Mariæ iuxta vrbem Londinensem. Vir, inquit Petreius, eximiè pius, & syncerè doctus, necnon secundùm ordinis sui regulam, cælestium rerum contemplationi totus addictus. Qua tempestate Henricus Rex octauus schisma & hæresim in Angliam introducere cœpit, & Romani Pontificis omnem auctoritatem in suo regno penitùs abrogans, seipsum Ecclesiæ caput constituit; hic cum reliquis Monasterij sui fratribus fidem Catholicam liberè professus, cum à regijs commissarijs super hac re interrogaretur, hanc nouam, & eatenùs inauditam Regis Ecclesiasticam potestatem agnoscere recusauit. Cui tamen, socijs martyrio coronatis, martyrium defuit, non is martyrio. Quod ipse in præfatione libri, quem de ijs scripsit, dolenter conqueritur, & se tanquam inter reprobos positum deplorat, quòd dignus non fuerit habitus, cum ijs pro Christo pati mortem, quibuscum nihilominùs eandem professus fuerat fidem. In cuius confessione posteà nonnihil ex humana fragilitate vacillasse dicitur, in quibusdam, plus quàm par erat, edictis regijs consentiens, vt conuentum & domum Londinensem conseruare posset, in quo tamen nihil profecit.

Vnde & illum eo magis facti pœnituit. Tandem ne quid in eum grauiùs constitueretur, fuga saluti consuluisse fertur, & in exteris nationibus, maximè in Belgio, vbi suis aliquando Prior fuit, reliquam vitam sanctè peregisse. Quod ad hominis doctrinam attinet, scripsit potissimùm ad Ioannem maioris Carthusiæ Priorem, & totius ordinis Magistrum Generalem historicè de vitis multorum qui per illa tempora martyrium passi sunt, optima fide, tanquam oculatus testis

De octodecim Carthusianorum martyrio, *Librum vnum*. Postquam omnipotenti Deo placuit. Coloniæ 1607.

De martyrio Ioannis Roffensis & Thomæ Mori, *Librum vnum*. Reuerendus pater Dominus Ioannes.

De martyrio Reginaldi Brigittani, *Librum vnum*. Anno Domini 1535. die.

Epistolam dedicatoriam præfixit operi Petri Sutoris de vita Carthusiana. Extat Louanij 1572. secundùm præfatum Petreium obiit anno gratiæ 1581, sub Angliæ Regina Elizabetha.

De Edmundo Campiano.

1581. 1027.

EDMVNDVS Campianus Londini in Anglia natus, & in primis bonarum litterarum rudimentis ibidem institutus, ad Academiam Oxoniensem missus, in Collegio S. Ioannis Baptistæ diu studuit vnà cum Gregorio Martino, quo cum tantam contraxit amicitiam, vt eam ab adolescentia inchoatam, in virtute fundatam, longa consuetudine corroboratam, ne ipsa quidem mors dissoluere potuisse videretur. Philosophicas disciplinas accuratè didicit, in liberalibus artibus Magisterium suscepit, & iuxta consuetudinem Academiæ munia quædam publica laudabiliter obiuit. Tandem persuasionibus hæreticorum deceptus in ministerio Caluinistico se Diaconum ordinari passus est. Sed quò magis in studijs profecit, & iudicij maturitate creuit; eò faciliùs in materia religionis & fidei deceptum deprehendit, & non modò suspectam, vti priùs, sed omninò exosam habuit sectam Caluinianam. Itaque relicta Academia traiecit in Hiberniam. Vbi autem intellexit Duaci seminarium Anglorum inchoatum, illuc continuò festinauit, studia Theologica incepit, exiguo spacio multùm profecit, & post varias tum publicè, tum priuatim in illa palæstra concertationes, suscepit Baccalaureatus gradum. Nec multo post Romam profectus, anno Domini 1573. in Societatem Iesu receptus, missus est primò Brumam, deinde Viennam Austriæ, tandem Pragam Bohemiæ, vbi sacris initiatus, Philosophiam docendo, Latinè concionando, scribendo, & ad annos octo varios labores subeundo, magnam apud omnes famam consecutus est. Erat enim optimis naturæ dotibus præditus, & omnibus melioribus disciplinis nobiliter excultus. Integerrimæ vitæ, temperans, modestus, humilis, mitis & mansuetus, orator disertissimus, concionator exquisitissimus.

Aliquot ante annis multi sacerdotes Angli instinctu Spiritus sancti ducti

ducti magnam in se susceperant prouinciam, nempè vt patriam ab hæresi liberarent, vel saltem quos possent, ad fidem Christi conuerterent. Strenuam iam nauauerant operam ad octoginta sacerdotes è collegijs transmarinis missos, præter nonnullos ex antiquis sacerdotibus qui è schismate tum per Dei gratiam emerserant: successus fœlix, fructus vberrimus. Tam constantes iam aliqui fuerant in hoc sancto proposito, vt persecutiones, opprobria, carceres, vincula, torturas, & ignominiosam adeò mortem fortiter pertulerint. Videntes autem sacerdotes nostri multam esse messem, operarios verò paucos; instanter rogarunt patres Societatis Iesu vt sese cooperatores adiungerent, & ex suis, si non summo mane, at saltem hora tertia, sexta, vel nona in hanc vineam Domini laboratum mitterent. Hunc in finem ab ordinis Generali præposito vocatus est Praga Romam Campianus, & inde anno Domini 1580, in Anglicanam messem destinatus. Paruit ille promptissimè, & munus iniunctum tanta animi alacritate, zelo, pietate, religione, fide, charitate, industria, labore obiuit, quantum res ipsa, fructus, & effectus posteà declarauit. Breuiter post magnos labores, & animas multas à potestate tenebrarum, hoc est, ab hæresis captiuitate liberatas, ipse ex insidiis proditoriè captus, vinculis mancipatus, exquisitissimis cruciatibus tortus, ad extremum pro Christi fide glorioso martyrio coronatus est. Hoc martyrium scripsit tum Gallicè tum Latinè Guilhelmus Estius Batauus Duaci sacræ Theologiæ Doctor & Professor. Habetur etiam in concertatione Ecclesiæ Anglicanæ. Et breuiter apud Petrum Ribadineirum in centuria martyrum Societatis Iesu. Sed hæc extra nostrum propositum. Nunc videamus quid in iis, quæ ad doctrinam & ingenium spectant, præstiterit. Erat Poëta non vulgaris, in declamando & concionando coniunctam habuit cum eloquentia singularem gratiam, Philosophus acutus, Græcæ linguæ non imperitus, in historiis benè versatus, Theologus non contemnendus, omni denique melioris doctrinæ genere excultus. Multa scripsit opuscula, quæ partim eo viuo, partim mortuo, operâ Roberti Turneri in lucem emissa sunt. Iuuenis Anglicè habuit orationem funebrem in exequiis solemnibus illustrissimæ Dudlææ coniugis Comitis Leicestrensis. Latinè perorauit in exequiis Thomæ Viti Equitis.

Scripsit tragœdiam Nectar & Ambrosiam. Quam carmine laudat Gregorius Martinus, quæ acta fuit coram Imperatore.

Chronologiam vniuersalem, *Librum vnum.* De cuius laude scribit idem Martinus etiam carmine.

Historiam Hyberniæ. De qua in epistola quadam sic loquitur. Historiam Hybernicam suspicor periisse. Iustum volumen & absolutum. Inquisitores hæretici rapuerunt.

Decem rationes ad Academicos Anglos, *Librum vnum.* Quandoquidem viri ornatissimi. Extat Coloniæ 1594. Has rationes Ioannes Duræus Scotus scripto libro contra VVhitaxerum propugnat.

Post martyrium eius edidit Turnerus illius orationes, *Librum vnum.* Ingolstadij anno 1602.

Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Quasdam eius M S. habeo in mea Bibliotheca.

De imitatione Rhetorica, *Librum vnum.*

Orationem funebrem in exequijs Mariæ Cardonæ de Requesiua. Quantum intersit. M S. in mea Bibliotheca. Londini martyrio coronatus est tertio Kalendas Decembris, anno Christi 1581, sub Angliæ Regina Elizabetha.

De Radulpho Schirvvino.

1581. 1028. RADVLPHVS Schirvvinus sacerdos Anglus, alumnus Oxoniensis Academiæ in Collegio Exoniensi, vbi liberalium artium & Philosophiæ Magister creatus, in illo actu solemni primum locum obtinuit. Erat enim Philosophus acutus & linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraïcæ non vulgariter peritus. Sed tandem amore Catholicæ religionis, Collegio, Academia, patria relictis, Duacum ad Anglorum Collegium se recepit, & Theologicis studijs ad aliquot annos inuigilauit. Demum die vicesimo tertio Martij anno Domini 1577, sacerdos consecratus est: eodémque anno mense Augusto cum Edvvardo Rishtono Romam missus perrexit. Vbi cursum Theologicum iam benè inchoatum prosecutus est vsque ad annum Domini 1580. Quo tempore reditum in patriam ad animas iuuandas affectans, Româ se Rhemos contulit, & inde paulò pòst in Angliam ad fidem Catholicam prædicandam profectus est. Vbi post labores breues quidem, sed valdè vtiles susceptos, captus, arctissimæ custodiæ in Turri Londinensi traditus, compedibus & vinculis onustus, & equuleo sæpè tortus, annum integrum in talibus ærumnis egit; aduenientibus interim frequenter & cum eo disputantibus Caluinianis Ministris selectissimis, quorum discursus & argumenta friuola vir ille solidè doctus, bis terve reiecit in congressu publico & firmis rationibus conuicit: adeo vt maiorem illi disputandi laudem quàm doctissimo & eloquentissimo Campiano, Collegæ suo, aduersarij eorum tribuerunt. Sed ad nostrum institutum veniamus, & scriptorum eius, quæ manus inimicorum euaserunt Catalogum texamus. Scripsit autem partim Anglicè partim Latinè

Collationem primam quæ habita est cum Campiano in Turri Londinensi, *Librũ j.*

Disputationes habitas in castro Vvisbicensi à Fulco Ministro contra Catholicos, *Librum vnum.* Vtrumque opus Anglicè M S. se in sua Bibliotheca habere mihi affirmauit Richardus Stanihurstius.

Epistolarum ad diuersos, *Librum vnum.* Ex quibus aliquæ extant in Concertatione Ecclesiæ Anglicanæ. Scripsit etiam alia plura, quæ per iniquitatem temporum perierunt. Londini tãdem ob fidei constantiam suspensus & in quatuor partes dilaniatus est tertio Kalendas Decembris, anno gratiæ 1581. sub graui Reginæ Elizabethæ persecutione.

De Richardo Bristolio.

RICHARDVS Bristolius seu Bristoüs, mediocri loco in Anglia natus, patria Vvigorniensis. A teneris annis futurarum virtutum spem magnam dedit, quam in matura ætate nequaquã fefellit. Postquam domi apud suos prima percepisset bonarum litterarum tyrocinia, missus est Oxonium, adolescens alumnus Exoniensis Collegij, paulatim in inceptis progressus, contendit ad altiora. Ibi ad indagandam tum in humanis, tum etiam in diuinis scientijs veritatem, omnes ingenij neruos gnauiter intendit. Multo labore & industria prophanæ Philosophiæ consecutus est perfectionem, gratia & Spiritus sancti lumine illustratus cælestis veritatis viam inuenit, hæresis deuium cursum deprehendit. Statuit igitur apud se periculos è subducere, æternæ suæ saluti consulere, è tenebris ad lucem, è synagoga Sathanæ ad Ecclesiam Christi confugere. Vltrò igitur patriam reliquit, spontaneus exul in Belgium traiecit, Louanium petijt, & ibi pedem & sedem figere constituit. Alanus circa idem tempus executioni mandare incepit, quod aliquot ante annos deliberato consilio facere proposuerat. Nempe vt iuuenes Anglos Catholicæ fidei causa patria pulsos, & incertis sedibus hinc inde vagantes, in vnum aliquem locum congregaret, & ad studia pietatis ac bonarum litterarum sub collegiata disciplina nutriri curaret. Explorauerat iam multorum ingenia, & plures tum iuuenes, tum maturos viros ad hoc vitæ genus aptos inuenerat. De Bristolio cum primis idem habebat iudicium. Itaque ascitis cum eo quibusdam alijs Duaci Collegium inchoauit. Inter hos emicuit & alijs præluxit Bristolius, & solida doctrina, & morum grauitate, & apud omnes auctoritate. Ex ijs primus sacerdotium suscepit. Nec multo post tempore Alanus illum studiorum præfectum constituit, erudiendis alijs præceptorem fecit, & asciuit sibi in Collegij regimine præcipuum adiutorem. Duaco tandem Rhemos discedens, eundem suo loco surrogatum reliquit in Academia Duacensi sacræ Theologiæ publicum Professorem. Sed cùm Rhemis esset subsistendum, & Alanus ibi opera Bristolij carere non posset, post aliquot menses illuc eum ad se vocauit, eique pristinam seminarij curam denuò commisit. Inter hæc Bristolius partim Louanij, partim Duaci gradus Theologicos, & ipsam Doctoralem lauream iam susceperat. Erat vir insigniter eruditus. Humili quidem stylo, sed solidis fundamentis omnia sua scripsit. In ijs quæ ad Deum sunt, pius & deuotus. In ijs quæ ad proximum, modestus, mitis, mansuetus. Rhemis in Campania Galliæ semel hominem vidi, & salutaui, eiusque fruitus sum suauissimo colloquio circa annum Domini 1580, mense Augusto. Magna præstitit Ecclesiæ Dei, præstitissetque maiora, nisi obstitisset aduersa valetudo. Pleraque scripsit Anglicè. Rationes tamen motiuas Anglicè editas, vel ipse, vel alius aliquis postea nonnihil auctas fecit Latinas. Quod opus illo moriente imperfe-

1582.
1029.

ctum relictum ferunt, & amicorum operâ post annos tandem multos in lucem prodijsse. Multum ei fuit negotij cum Caluinistis Anglis, præsertim cum quodam futili Fulco & nugatore ministro. Scripsit autem contra importunos Caluini sectatores Anglicè de rationibus ad fidem Catholicam amplexandam mouentibus variarum quæstionum, seu, vt is vocat,

Motiuorum, Libros duos. Antuerpiæ 1599. Extant Latinè Atrebati anno 1608.

Expostulationum ad omnes hæreticos, Librum vnum.

Annotationes in nouum Testamentum Rhemis Anglicè versum quæ nunquam in lucem prodierunt, Librum vnum.

Apologiam Alani & sui ipsius contra Fulcum, Librum vnum.

Carminum diuersorum Latinè, Librum vnum. Et alia opuscula. Tandem ad valetudinem recuperandam in natale solum occultè reuersus, prope Londinum non multo post tempore Confessor in pace quieuit circa annum Euangelicæ gratiæ 1582, Ecclesiam Christi in Anglia persequente Regina Elizabetha.

De Nicolao Harpesfeldo.

1582. 1030. NICOLAVS Harpesfeldus natione Anglus, Iuris vtriusque Doctor Oxoniensis. Adolescens in celebri schola Vuiccamica litteras humaniores didicit. Deinde ad Oxoniense Collegium etiam Vuiccamicum missus, decurso Philosophiæ studio, operam dedit iurisprudentiæ, susceptisque supremis in ea facultate insignibus, successu temporis vocatus Cantuariam factus est ibi Archidiaconus. Erat vir grauis & prudens, moribus candidissimis, integerrimæ vitæ, multiplicis doctrinæ, & Catholicæ fidei Confessor constantissimus. Primùm sub Edvvardo sexto Rege conscientiæ causa, in exilium voluntarium profectus est anno Domini 1550. Deinde regnantibus Maria & Philippo, & reflorescente vera religione, domum reuersus est. Sed mutato denuò rerum statu sub Elizabetha anno salutis 1559, eo quòd primatum eius Ecclesiasticum agnoscere nollet, cum alijs multis in carcerem coniectus est, vbi ad scribendum animum appulit. Erat enim Poëta ingeniosissimus, orator disertus, historiarum peritissimus, linguarum scientissimus, in vtroque iure optimè, in Theologia non vulgariter versatus, solidè fundatus, omnium denique optimarum scientiarum panoplia vbertim instructus. In carcere igitur cōstitutus, scripsit egregium opus sex doctissimis dialogis comprehensum, cōtra Magdeburgenses, & Pseudomartyrologium Ioannis Foxij Angli. Quod opus quia sub nomine proprio in lucem emittere non est ausus, intimo amico suo Alano Copo, in exilio tum agenti, edendum commisit, suppresso auctoris nomine, ne captiuo capitis periculum crearet. Edidit igitur Alanus hoc opus suo nomine. Tamen ne veritas posteritatem lateret, & amicus amicum debita sua laude fraudaret; in calce volu-

minis, id est, finito sexto dialogo, maiusculas quasdam litteras imprimi curauit, earumque explicationem amico vni forsan & alteri communicauit, in hunc modum qui sequitur

Maiusculæ litteræ.

A. H. L. N. H. E. V. E. A. C.

Explicatio characterum.

Auctor Huius Libri Nicolaus Harpesfeldus. Edidit verò Eum Alanus Copus.

Igitur Alanus Copus erat qui librum sex dialogorum suo nomine edidit, sed Harpesfeldus erat qui composuit. Scripsit igitur

Sex dialogorum, *Librum vnum.*

Historiam Angliæ, Librum j. Opus egregium nunquam tamen excusum. M S. habentur Romæ in Collegio Anglorum.

Historiam hæresis Vvicleffianæ, *Librum vnum.* M S. ibidem.

Epigrammatum & aliorum carminum, Librum vnum. Ex quibus varia vidi. Quorum vnum sic incipit:

Flumina ab Oceano primùm decurrere vasto,
Inque illum rursus cuncta redire ferunt.

Obijt tandem Londini Confessor in carcere post vicesimum captiuitatis annum, qui fuit partus virginei plus minùs 1583, sub duro Catholicis Elizabethæ regno.

De Gregorio Martino.

GREGORIVS Martinus natione Anglus, patria Southsaxia, oppido Macfelda in lucem editus, vir pius & eruditus. Adolescens Oxonij studuit cum Edmundo Campiano, fuitque de Societate Collegij S. Ioannis. Ex quo Collegio Dux Norfolcensis eum elegit filio suo primogenito præceptorem, eique solemniter filium educandum tradidit. Quo tempore orator Oxoniensis qui coram Duce declamauit, inter cœtera his vsus est verbis: *habes illustrißime Dux, Hebræum nostrum, Græcum nostrum, oratorem nostrum, poëtam nostrum, decus & gloriam nostram. Tu noster es, nos tui sumus.* Cùm autem Ducis filius iam vir maturus esset, & Martinus abeundi licentiam peteret, amplissimis honorarijs donatus discessit. Et inter alia discipulus Magistro suo dedit pulchrum nouum Testamentum Græcè cum inscriptione manu propria, vt illud in sui memoriam vsque in vitæ finem seruaret, vti seruauit. Liber ille nunc habetur Deiovvariæ in bibliotheca Benedictinorum Anglorum.

1582. 1031.

Porrò Martinus paulò pòst, vt animæ suæ saluti securiùs prospiceret, & studia seriò prosequeretur, transfretauit in Belgium, & Duaci Theologica studia inchoauit, vbi anno Domini 1575, Licentiatum suscepit. Deindè in Italiam profectus, Romæ Apostolorum limina inuisit. Tandem Rhemis in Anglorum Collegio sedem fixit, & Theologiam publicus Professor docuit. Vbi eum vidi & salutaui circa annum Domini 1580. Erat linguarum peritissimus, & in sacrarum scripturarum lectione

optimè versatus. In litteris humanioribus siuè poësim spectes, siuè solutam orationem, erat exquisitissimus. Multa pereruditè scripsit, scripsissetque plura, nisi aduersa plerumque valetudo conatus eius pios impediuisset, & immatura mors eum è medio sustulisset. Hæc saltem sequentia monimenta litteraria nobis reliquit. Ex Latino in Anglicum multa vertit fidelissimus interpres

Sacra Biblia. Extant Rhemis anno 1582.

Transtulit etiam Chrysostomum contra Gentiles de vita S. Babilæ, Librum vnum. Vidi M S. in bibliotheca Arthuri Pitsij.

Ex Italico in Anglicum vertit de consolatione agonizantium, Librum vnum.

Tragœdiam Cyri Regis Persarum, quæ habetur Oxonij in Collegio S. Ioannis Baptistæ.

Scripsit Anglicè de excommunicatione Theodosij Imperatoris, Librum vnum. Vidi M S. in bibliotheca Arthuri Pitsij.

De peregrinatione & reliquijs Anglicè, Librum vnum. Vidi M S. ibidem. Et extat anno 1583.

Romam sanctam, Librum vnum. M S. in bibliotheca Delovvarensi.

De schismate, Librum vnum.

De amore animæ cum quæstionibus ad Protestantes, Librum vnum. Extat Rotomagi in Normannia.

Dictionarium quatuor linguarum Hebraïcæ, Græcæ, Latinæ, Anglicæ, & vocabulorum & phrasium secundum cuiusque linguæ proprietatem, quod insigne opus ad medium tantum Alphabetum perduxit.

Compendium historiarum, Librum vnum.

Orationes de ieiunio, de imaginum vsu & cultu & alias, Duaci, Librum vnum. Siuè me officij ratio. M S. in mea bibliotheca.

Epistolarum ad diuersos, Librum vnum. Nulla alia ex re. M S. ibidem.

Diuersorum carminum partim Græcè partim Latinè, Librum vnum. M S. ibid.

Carmen in librum Duræi contra Vvhitakerum. Tendebat pater Edmundus. M S. in bibliotheca Arthuri Pitsij.

Detectionem corruptelarum sacræ Scripturæ Anglicè, Librum vnum. Sicut semper fuit hæreticorum consuetudo. Rhemis anno 1582.

Tandem Rhemis in Campania Galliæ sanctissimè diem suum obijt, & ibidem in Ecclesia Parochiali S. Stephani sepulturam accepit die vicesimo octauo Octobris, qui SS. Apostolis Simoni & Iudæ sacer habetur, anno gratiæ 1582, regnante apud Anglos Elizabetha.

Eius epitaphium ex vrbe Rhemorum vsque in Germaniam misit ad me vir præstantissimus Guilhelmus Giffordius tunc Academiæ Rhemensis Rector, quod hìc ascribere operæprecium iudicaui.

Epitaphium D. Gregorij Martini Angli sacræ Theologiæ Licentiati, qui obijt 28, Octobris anno 1582, qui erat correctionis.

Quem tulit vmbrosis tenerum Southsaxia syluis,
Gallica qua spectat regna Britannus ager;
Oxoniumque suas iuueni cui tradidit artes,

(Nam fuit Oxonio spesque decusque suo)
Quique Duacenas studio diuina petendi
Quærit, & hinc sedes Roma beata, tuas:
Quemque reuertentem, & morum probitate, pudore,
Doctrina ornatum, religione, fide:
Suscipit afflictæ Rhemis pietatis asylum,
Anglorum Rhemis clara patrocinio:
Post coaceruatos noctesque diesque labores,
Dum sibi, dum patriæ consulit vsque suæ:
Hic animam Christo Martinus, & ossa sepulchro,
Cum pariter Judæ & festa Simonis erant,
Reddit. Vbi denos quater est producta per annos
Vita, suus lapsis & redit ordo sacris.

De Thoma Vvatsono.

THOMAS Vvatsonus natione Anglus, Academiæ Cantabrigiensis alumnus. Vir pius, eruditus, & zelo diuinæ gloriæ vel ab ipsa iuuentute mirè feruens. Vndè inuadente Angliam hæresi, numquam à persecutione liber fuit. Nam imprimis sub Rege Edvvardo sexto multa incommoda pro fide Catholica constanter perpessus est. Sed Rege mortuo & Maria Regina Catholica succedente, nonnihil respirauit, & ad Episcopatum Lincolniensem euectus est. Sed Maria post paucos annos defuncta, & surrogata in regali throno Elizabetha, hæresis iterùm dominabatur, & Vvatsonus, quia supremam Reginæ auctoritatem in rebus Ecclesiasticis agnoscere noluit, anno Domini 1559 in carcerem Londini coniectus est, vbi detentus erat vsque ad annum Domini 1582, quo anno translatus est ad castrum Vvisbicense quod situm est in Eliensibus paludibus, vbi non multo post tempore vitam hanc cum meliore commutauit. Erat Orator facundus, bonus Poëta, solidus Theologus, & Concionator celebris. Quæ scripsit pleraque temporum iniquitate perierunt. Posteritas tamen accepit insigne concionum opus in gratiam pastorum qui concionari non poterant, quas maximè composuit de Sacramentis & Sacramentorum administratione, & perfaciles de industria fecit, vt pastores populo legere, vel si vellent, quasi suas concionari, & populus sine vlla difficultate intelligere possent. Scripsit igitur volumen illud quo dixi

1583.
1032.

Concionum, *Librum vnum.* M S. habet Stanihurstius.
Tragœdiam Latinam, *Librum vnum.*
Diuersorum carminum, *Librum vnum.* Magnum est exactè nouisse elementa. Aliorum operum ne titulos quidem hactenus inuenio. In præfato castro è vinculis corporis simùl & carceris euolauit Confessor Christi circa annum reparatæ salutis 1583, Elizabetha Regina rigidè in Catholicos Anglos agente. Vide quem edidimus de Lincolniensibus Episcopis Catalogum.

De Albano Langdallo.

1584. 1033. ALBANVS Langdallus, natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, & ibidem è societate Collegij S. Ioannis Euangelistæ, & tandem Archidiaconus Cicestrensis. Vir cui pietas, eruditio, & diuinæ gloriæ zelus magnum nomen dedit. Frequentes habuit cum hæreticis conflictus, & in Academia Cantabrigiensi doctissimè aliquandò disputauit de Eucharistiæ Sacramento. Super qua re posteà scripsit contra errores Nicolai Ridlæi, qui tum occupauerat Episcopatum Roffensem

Catholicam confutationem, *Libros tres.* Extat Parisijs anno 1556.
Carminum diuersorum, *Librum vnum.*

De alijs operum titulis nihil legi. Claruit anno partus virginei 1584, regnante in Anglia Elizabetha Regina.

De Stephano Gourmeleno.

1584. 1034. STEPHANVS Gourmelenus natione Anglus, patria Cornubiensis, Medicinæ Doctor Parisiensis. Hic perlectis varijs martyrologijs, collegit res gestas S. Albani Britanniæ protomartyris, & de eo Latinè multa scripsit, quæ Latina non vidi, sed ex ijs quædam legi Gallicè apud Renatum Benedictum in suo de vitis sanctorum opere. Nam è Latino in Gallicum sermonem illa transtulit Clemens Marchant. Saltem operum titulos hos sequentes inueni

Vitam & Martyrium S. Albani, *Librum vnum.*
Historiarum Britannicarum, *Libros plures.*
Memorias Britannicas, *Librum vnum.*
De chirurgia, *Libros sex.* Extant Parisijs anno salutis nostræ 1566.

Claruisse dicitur circa annum Verbi incarnati 1584, regnante in Anglia Elizabetha.

De Georgio Ethrigio.

1584. 1035. GEORGIVS Ethrigius natione Anglus, Medicinæ Baccalaureus Oxoniensis, & linguæ Græcæ ibidem Professor regius. Mutato religionis in Anglia statu, numquam adduci potuit, vt altiorem gradum in Academia caperet, quia præstare iuramentum, quod toto corde execrabatur, noluit. Vndè, vt scribit Sanderus in Monarchia, propter fidem officio priuatus, & in carcerem coniectus fuit. Studuerat aliquandò in Collegio Corporis Christi, vbi litteras humaniores, Græcam etiam & Hebræam linguam accuratissimè didicerat. Vir profectò planè admirabilis, &, vt ita dicam, Hyppiæ similis. Quippe cui nec vlla defuit virtus, nec laudata scientia. Aliquam encomiorum eius portiunculam ex Gregorio Martino hîc ascribere operæpræcium iudicaui. Sic enim in opere quodam M S. quod apud me habeo, loquitur. *Adhuc in viuis est, interdum etiam in vinculis eximius orthodoxæ fidei Confessor Ethrigius, cuius in omni*

omni etiam carmine Græco (nam de soluta oratione quid attinet dicere) facilitatem tantam, tam expeditam concinnitatem ex nonnullis eius scriptis esse perspexi, vt mihi Nasonem planè Græcum homo Anglus repræsentaret, nisi quod Homeri stylo & heroïca maiestate delectabatur magis. Certè quicquid tentabat dicere, versus erat. Hæc ille obiter. Egregium sanè testimonium, & syncerum optimi viri encomium, sed Ethrigij meritis longè inferius. Giffordius noster locupletiùs me instruxit. Is enim Oxonij, & in domo Ethrigij cum alijs primariæ nobilitatis iuuenibus aliquandò educatus erat. Ex illo igitur habeo Ethrigium nihil non fecisse, nihil non passum esse pro Christi fide. Erat noblium iuuenum Catholicorum verbis, exemplis, factis, dux ad omnem virtutem, pauperum scholarium commune refugium. Eius domus sacerdotum ordinarium hospitium, & vt vno verbo dicam, omnia sua liberalissimè profundebat in Catholicos, vt ijs in omni necessitate subueniret. Vbi fidem suam profiteri opus erat, liberrimè profitebatur, fuitque inter primos qui in Anglia pro Christo pati cœperunt, & plurimis optimo profuit exemplo. Eo magis hæreticis exosus, quo minùs illorum minis terrebatur. Bonorum dispendium cum gaudio tulit, officio priuari, honoribus prohiberi pro Christo honorificum ducebat. Varietas etiam carcerum hominem persecutionis patientissimum quodammodò oblectabat, effeceratque iam longa consuetudo, vt in vinculis sibi liber videretur. Nam intra triginta annorum plus minùs spacium omnes penè tum Oxonij, tum Londini carceres sibi fecerat habitacula familiaria. Nec his omnibus malis videbatur homo mitissimus vel leuiter moueri. Vnum hîc quod mihi honorificum duco, silens omittere nolo, quod insignem hunc Christi Confessorem semel Oxonij salutaui anno 1580. Sed ad hominis doctrinam veniamus. Erat peritus Mathematicus, Musicus tum vocalis, tum instrumentalis cum primis in Anglia conferendus, testudine tamen & lyra præ cœteris delectabatur. Poëta elegantissimus. Versus enim Anglicos, Latinos, Græcos, Hebræos accuratissimè componere, & ad tactus lyricos concinnare peritissimè solebat. Vndè scripsit harmonicéque composuit

In Musica, *Libros plures.*
Diuersorum carminum, *Libros plures.*
Psalmos Dauidicos in quoddam breue genus carminis Hebraïci vertit, & ad lyram accommodauit.
Iustinum martyrem vertit è Græco in Latinum. Scripsit etiam alia plurima, quæ temporum iniquitate, & hominum nequitia perierunt. Vixit puto vsque ad annum post aduentum Messiæ 1584, dum Ecclesia Catholica in Anglia sub graui reginæ Elizabethæ imperio afflicta ingemisceret.

De Ioanne Fecnamo.

IOANNES Fecnamus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, & tandem Abbas Vvestmonasteriensis creatus, eo tempore quo in Anglia regnarunt Philippus & Maria Reges Catholici. Vir cui Deus lar- 1585. 1034.

gas benedictiones, natura egregias contulerat dotes. Erat in eo pietas in Deum insignis, in proximos mira charitas, in maiores singularis obseruantia, in æquales, & etiam inferiores mitis quædam affabilitas, in omnes dulcis humanitas. Multiplex doctrina, redundans in concionibus facundia, incredibilis religionis Catholicæ zelus. Cùm iam obscuris indicijs cerneret omnia vergere ad ruinam, & fidem auitam omnino periclitari, hostibus Ecclesiæ strenuè se opposuit, & habitis frequentibus concionibus, nonnunquam etiam publicis disputationibus, libris denique scriptis Ecclesiam Dei & Catholicam fidem, quantùm potuit, propugnauit. Cùm denique regnante Elizabetha in Comitijs (Parlamentum vulgò appellant) ageretur de fide Catholica extirpanda, & hæresi plantanda: intrepidus publicè prodijt, & apud solemnem illum principum, procerum & populi cœtum Anglica lingua elegantissimam & valdè neruosam habuit orationem de veteri patrum religione retinenda, de noua non excogitanda, nec introducenda. Cùm autem res iam planè collapsa esset, & præualuisset iniquitas, ille confestim carceribus mancipatus est, primùm Londini in Castro Equitis Martij, deindè in castro Vvisbicensi, in vniuersum continuis plus minùs viginti sex annis. Quo toto tempore à Catholicis dogmatibus propugnandis, & ab alijs charitatis operibus exercendis, quoad fieri potuit, nunquàm cessauit. Inter cœtera quæ præstitit charitatis officia, Ioanni Storæo legum Doctori propter fidem Catholicam capitis condemnato, per totam noctem adfuit, & ad mortem in crastinum pro Christo fortiter perferendam animauit. Sed ad ea quæ sunt eruditionis veniamus. Multas quidem easque pereruditas exarauit lucubrationes, quæ pleræque propter temporum iniquitatem, & auctoris incarcerationem etiam vsque ad mortem, vnà cum eo interciderunt. Seruarunt tamen boni viri quædam eius opuscula vel operum reliquias. Imprimis sermonem quemdam cuius thema quasi spiritu Prophetico sumptum fuit ex Ecclesiaste capite quarto, *laudaui magis mortuos quàm viuentes*. Cui titulum fecit

Sermonem funebrem in exequijs Reginæ Mariæ.

Orationem habitam in Comitijs Anglicè.

Contra iuramentum supremæ auctoritatis regiæ in Ecclesiasticis, Librum vnum. Contra quod opus scripsit Hornus pseudo-Episcopus Vvintoniensis. Eumque refutauit Thomas Stapletonus.

De Eucharistia contra Hopperum, Librum vnum. Scripsit etiam.

Commentarios in psalmos Dauidis Latinè, Librum vnum. Quod opus Londini in manibus auctoris se vidisse mihi sanctè affirmauit Richardus Stanhurstius. Sed & illud perijt, & eiusmodi alia.

In vinculis Confessor obijt anno Christi 1585, sub duro in Anglia Elizabethæ regno.

De Edvvardo Rishtono.

EDVVARDVS Rishtonus natione Anglus, patria Lancastrensis professione Sacerdos. Vir pius & eruditus. Postquam in Anglia litteris humanioribus, Mathematicis scientijs, rebus etiam Philosophicis, & historijs Oxoniæ non inutilem dedisset operam; religionis causa solum vertit, & in Duacensi Anglorum Collegio factus est liberalium artium & Philosophiæ Magister. Deindè Romam profectus anno Domini 1577. ibi in Anglorũ etiam Collegio quadriennium circiter Theologiæ studuit. Vbi Sacerdos ordinatus, circa annum Domini 1580, ad hæreticos conuertendos missus est in Angliam. Sed paulò pòst comprehensus, & in vincula coniectus, ad triennium plus minus detentus est. Quo etiam tempore non paucos doctrina & exemplo ab hæresi reuocauit, Ecclesiæ Catholicæ, reconciliauit, Christo lucrifecit. Tandem ad exilium perpetuum damnatus, deportatus est in Galliam. Indè in Lotharingiam ad Academiam Pontamussanam studiorum repetendorum, & graduum suscipendorum causa profectus, & ibidem peste infectus, contracta iam contagione serò fugiens, & secum lethale malum gestans obijt in itinere. His persecutionibus & immatura morte non obstantibus, aliqua saltem litteraria monimenta posteris reliquit. Nam Sandero iam vita functo, supplementi loco duobus eius libris tertium adiecit, & intitulauit

1585.
1035.

De schismate Anglicano, *Librum vnum.*

Synopsim rerum Ecclesiasticarum vsque ad annum Christi 1577.

Professionem suæ fidei palam fecit, & viginti quatuor rationibus scripto confirmauit. De alijs nihil habeo certi.

Mortuus est iuxta S. Manhou & ibidem à Ioanne Barnes Sacerdote Anglo & coëxule sepultus est, circa annum Domini 1585, dum Elizabetha Regina Catholicos Anglos indesinenter persequeretur.

De Thoma Burcherio.

THOMAS Burcherius ordinis S. Francisci de obseruantia Monachus Anglus, Parisijs sacræ Theologiæ Doctor Sorbonensis, mihi aliquandò Romæ cognitus, & semel atque iterùm salutatus in suorum Monasterio quod Aram cœli vocant, fuit posteà Pœnitentiarius ad Ecclesiam S. Ioannis, quam Lateranensem appellant, vbi eum obijsse ferunt. Fuit vir pietatis & eruditionis nominibus commendabilis, quique de suo ordine benè, de patria nostra non malè, de Ecclesia Christi optimè meritus est. Multa, pro tempore quo vixit in exilio pro fide Catholica, scripsit, pauca tamen ex ijs inuenio. Illud saltem constat eum composuisse quasi quandam Ecclesiasticam historiam de quibusdam fratribus ordinis sui, qui ab anno Domini 1536, vsque ad annum 1582, partim in Anglia & Hibernia sub Angliæ Rege Henrico octauo, & eius filia Regina Elizabetha, partim in Belgio, maximè sub principe Auriaco

1586.
1036.

Martyrium pro fide passi sunt. Titulum operi, nisi fallor, præfixit

De quibusdam Martyribus ordinis S. Francisci, Librum vnum. Extat Ingolstadij anno 1583. Parisijs 1586.

Aliorum scriptorum eius titulos non inueni. Romæ diem suum obijt circa annum partus virginei 1586, ingemiscente in Anglia Catholica Ecclesia sub Elizabetha Regina.

De Ioanne Gibbono.

1589. 1037. IOANNES Gibbonus natione Anglus, patria Somersetensis Diœcesis Vvintoniensis. Vir mitis & mansuetus, vitæ integerrimæ, magnæ doctrinæ, multæ charitatis & zeli. Quibus virtutibus cùm iam bonum nomen apud omnes esset consecutus, Gregorius Papa decimus tertius ei contulit Canonicatum in Ecclesia Bonnensi apud Vbios. Sed is parui faciens mundi tum honores, tum diuitias, voluntariam paupertatem amplexus, anno salutis 1578, vt salutem suam securiùs operaretur, Societatem Iesu Treuiris ingressus est, vbi successu temporis factus est sacræ Theologiæ Doctor & Professor, & tandem Collegij Rector. Hæreticorum calumnias, maximè contra Ecclesiam & summum Pontificem ferre non poterat. Vndè cum quidam Georgius Schon Professor Heidelbergensis disputationem edidisset, in qua Romanum Pontificem Antichristum esse calumniatus est, Ioannes Gibbonus egregiè futilem hominem confutauit. Scripsit igitur, vt in Catalogo scriptorum Societatis Iesu, auctor est Petrus Ribadineira

Confutationem disputationis Georgij Schon, Librum vnum.

Disputationem de sanctis, Librum vnum.

De accipienda Eucharistia sub vna tantum specie, Librum vnum. Extat Treuiris anno 1584.

Magna ex parte composuit concertationem Ecclesiæ Anglicanæ, Libros tres.

Tandem in Himmelrodensi Monasterio, quò animi causa, infirmior se contulerat, è viuis excessit die tertio Decembris anno gratiæ 1589, persequente in Anglia Ecclesiam Elizabetha.

De Guilhelmo Allotto.

1590. 1038. GVILHELMVS Allottus in Anglia natus, & in Academia Cantabrigiensi educatus, illic in iuuentutis flore, ingenij acumine & eloquentiæ gratia plurimùm floruit. Vbi postquam humaniores litteras & Philosophiam vbertim imbibisset; religionis Catholicæ causa solum vertit, in Belgium perrexit, & ad Academiam Louaniensem se contulit. Illic cùm aliquot annis Theologiæ studuisset, animarum lucrandarum zelo incensus, & presbyter interim ordinatus, reuersus in patriam, captus ab hæreticis, & carceribus mancipatus est. Deindè in exilium eiectus redijt in Belgiū. Sequebātur illum cōmendatitiæ litteræ Serenissimæ Mariæ Reginę Scotiæ. Factumque est vt hac ratione apud S. Quintinum seu Quintinianum Canonicatu donatus fuerit. Sed incidens in

hydropisim, ad Aquas Spadanas, vt remediũ quæreret, profectus, ibidẽ in pace vitam terminauit. Sed nos quid intereà cõtulerit ad thesaurum litterarium, videamus. Sanè diligens fuit scripturarum sacrarum scrutator. Et quòd diuinos illos libros attentè perlegerit, ex eo manifestum est, quòd scripserit opus concionatoribus perutile, & Papæ Gregorio decimo tertio nuncupauit

Thesaurum Bibliorum, *Librum vnum.* Præcellens atque præclarum. Lugduni anno 1580, 1585. & Antuerpiæ 1581.

Indicem epistolarum & Euangeliorum Dominicalium, *Librum vnum.* Epistola primæ Dominicæ Aduentus. Extat ibidem. Nihil aliud quod scripsit inuenio. Mortuus & sepultus est apud Aquas Spadanas circa annum Dominicæ incarnationis 1590, regnante in Anglia Elizabetha.

De Laurentio Arthuro.

LAVRENTIVS Arthurus seu Fauntæus, natione Anglus, iuuenis è patria fugiens persecutiones illi propter fidem Catholicam intentatas, in Germania studijs bonarum litterarum inuigilans, Societatem Iesu ingressus est. Et postquam in illis regionibus disciplinas humaniores, & Philosophiam didicisset, Romam profectus, ibi Theologiam audiuit, confectoque studiorum curriculo, missus est in Poloniam, vbi pietatis & eruditionis nomine honestam existimationem consecutus, reliquam vitam exegit. Indices autem ingenij doctrinæque posteris reliquit, vt testis est Ribadineira, maximè contra hæreticos

1591.
1039.

De Christi in terris Ecclesia, *Librum vnum.*

Contra Antonium Sadeelum Caluinistam, *Libros tres.*

De controuersijs inter Ecclesiasticos & sæculares in Polonia, *Tractatum.*

Apologiam thesium de inuocatione Sanctorum contra Danielem Tussanum, *Librum vnum.*

Apologiam thesium oppugnationis Cœnæ Lutheranæ & Caluinianæ contra eundem, *Librum vnum.*

Orationem de causis & remedijs hæresum habitam in prouinciali synodo Petricouiensi.

Theses:
- *De Christi Ecclesia.*
- *De D. Petri & Romani Pontificis successoris eius in Ecclesia Christi principatu.*
- *De Sanctorum inuocatione & veneratione.*
- *De Cœna Lutheranorum & Caluinistarum oppugnatione & Catholicæ Eucharistiæ defensione.* Quæ vel omnia vel pleraque extant Posnaniæ in Polonia anno 1589, & 1590.

Tandem postquam annis plus minus viginti quinque in Societate Iesu vixisset, Viluæ diem clausit extremum anno Christi 1591, Ecclesia Dei in Anglia sub Elizabetha Regina dura quæque tolerante.

De Guilhelmo Reginaldo.

1594. 1040.

GVILHELMVS Reginaldus natione Anglus, patria Deuoniensis, Diœcesis Exoniensis, ex oppido Pinhon ortus. In pueritia à patruo suo Hieronymo Reginaldo sacræ Theologiæ Doctore viro optimo in timore Dei educatus, adolescens Vvintoniam ad celebrem illam Viccami scholam studiorum causa missus, ibidem super coæuos in humanioribus litteris proficiens, ad Vniuersitatem Oxoniensem, & eiusdem Vviccamicæ fundationis Collegium de more euectus est, vbi magno labore & continuis studijs in omni ferè doctrinæ genere clarus emicuit. Sed simul pro pessima illius temporis conditione hæresim hausit, in qua aliquot annis permansit, quousque peruolutis hæreticorum nostrorum libris, fœda illorum mendacia deprehendit. Floruit per illa tempora, quasi inter pecora Melibæus, quidam Iobellus pseudoepiscopus Sarisburiensis, qui multa aduersus Hardingum impiè mendaciterque conscripserat. Ex cuius scriptis cùm animaduerteret Reginaldus illorũ hominum nouam doctrinam non nisi dolis, fallacijs, & figmentis niti, cœpit ab ijs abhorrere, eorúmque consortio constituit valedicere, quod & non multo post tempore fecit. Nam in Italiam profectus, in ipsa vrbe Roma facta generali omnium peccatorum suorum confessione, hæresim abiurauit, & in Ecclesiæ Catholicæ gremium receptus est. Eratque animo tam constante, zelo tam feruente, vt sacri Palatij Inquisitores præsagirent etiam tum cùm neophytus esset, eum futurum suo tempore magnum hæreticorum malleum. Hinc (quod alias rarò vel nunquam fieri solet) illi confestim licentiam concesserunt liberè legendi quosuis hæreticorum & quoruncumque aliorum libros prohibitos. Nec illi indultæ facultati terminum vllum præfixerunt. Ille paulò pòst persolutis Deo votis vrbi valedixit, & peragratis multis tum Italiæ tum Galliæ ciuitatibus, tandem ad Remorum nobilem Metropolim peruenit. Vbi ab Alano tum Anglorum Collegij Præside paternè exceptus, breui post tempore sacræ Scripturæ & Hebraïcarum litterarum Professor constituitur. Illic itaque continuis aliquorum annorum laboribus, & suauissimo inter suos conuictu, sui magnam opinionem apud omnes concitauit, omniumque animos sibi conciliauit. Alanus de illo non semel palàm testatus est, se in tot annorum exilio, nullum vnquam cognouisse, qui ex elatioris animi hæretico, factus sit submissioris animi, in summo scientiæ gradu Catholicus. Dum autem studendo, docendo, & contra hæreticos scribendo, nimijs se forsan exhausit laboribus, fracta vena, vomitu sanguinis ferè factus est exanguis. Recuperatis tamen paulò pòst vtcumque viribus, voto se obstrinxit, & sanctè Deo promisit, quòd si vita concederetur, omnibus alijs studijs relictis, soli hæreticorum confutationi totis viribus deinceps incumberet, vti vsque ad vitæ finem fideliter constanterque fecit. Erat enim vir pius & multiplicis eruditio-

nis laudibus florentissimus. Poëta, Rhetor, Musicus, Historicus, Mathematicus, Philosophus, & Theologus insignis, Græcæ denique & Hebraïcæ linguæ peritissimus. Hæc porrò omnia sua præclara talenta, secundum votum quod emiserat, pro occasione semper contra hæreticos exercuit. Scripsit enim ad Regem Scotiæ pereruditè contra Ioannem Brutium ministrum quendam Scoticum. Item contra Guilhelmum Vvhittakerum in Academia Cantabrigiensi Regium Professorem. Ad instantiam Principum Galliæ scripsit de iusta reipublicæ auctoritate in principes hæreticos. De quo Cardinalis Sega Placentinus Episcopus, & Papæ Clementis octaui apud Galliæ principes legatus Remis in honoratissimorum virorum conuentu pronunciauit, in illo libro strictim contineri, quicquid sparsim apud omnes alios scriptores in negotio quod tunc apud Gallos agebatur, inueniri posset. Limatissimum etiam opus scripsit Latinè contra nostri temporis hæreticos sub titulo Caluinoturcismi, quod tamen, morte præuentus, non absoluit. Absoluit autem non multo post obitum illius tempore amicus eius Guilhelmus Giffordius, qui & totum opus typis mandari curauit, & Alberto Archiduci Austriæ dedicauit. Ego saltem in eo glorior, quòd semel in vita mea hunc hominem vidi & salutaui Rotomagi in Normannia anno Domini 1588. Cæterum omnia quæ de illo scripsi, vel saltem pro maiore parte pro veteri nostra amicitia suppeditauit mihi præfatus Giffordius, cui Deus benè faxit. Sed nunc breuiter more nostro singulorum scriptorum eius Catalogum subiungamus. Scripsit Latinè, vt iam dixi, sed sub Guilhelmi Rossæi nomine

De iusta Christianæ reipublicæ in Reges impios & hæreticos auctoritate, *Librum vnum*. Extat Parisijs & alibi.

Caluinoturcismum per modum dialogi, *Libros quatuor*. Magna tua amicitia. Extat Antuerpiæ anno 1597. Item Coloniæ & alibi.

Paraphrasim in nouum Testamentum, *Librum vnum*. Nondum. Prodijt, sed habetur MS. Delovvariæ in Bibliotheca Benedictinorũ Anglorũ.

Prouocationem ad Protestantes, *Librum vnum*. Parisijs anno 1583.

De Sacramento Eucharistiæ contra Brucium, *Librum vnum*. Antuerpiæ 1593.

Contra Vvhittakerum Anglicè pro defensione translationis noui Testamenti Remis editi, *Librum vnum*. Parisijs 1583. Vidi Delovvariæ.

Transtulit ex Anglico in Latinum omnia Thomæ Hardingi opera præfixo Proœmio. Quæ non habentur nisi MS.

Transtulit item ex Anglico in Latinum & multum auxit, opus contra iustitiam Britannicam, *Librum vnum*.

Antuerpiæ tandem mortuus est munitus Ecclesiæ sacramentis, præsente suo Giffordio, & Christi passionem legente, & ibidem in choro Ecclesiæ Biguinarum iuxta maius altare ad cornu epistolæ sepultus quiescit. Vicesimo autem & quarto die Augusti obijt anno ætatis suæ quinquagesimo, Verbi incarnati 1594. Epitaphium lapidi insculptum sic habet: *Honorabili Domino D. Guilhelmo Reginaldo, aliàs Rossæo, pio exuli*

Anglo, viro doctiſsimo, & huius Eccleſiæ miniſtro. Obijt 24. Auguſti 1594. Et infra: *In te Domine ſperaui.* Regnauit tunc in Anglia Elizabetha.

De Guilhelmo Alano.

1594.
1041.

GVILHELMVS Alanus natione Anglus, patria Lancaſtrenſis, nobilibus ortus parentibus, virtute & eruditione familiam ſuam non mediocriter decorauit. In ſtudijs bonarum litterarum iuuenis Oxonienſem Academiam habuit altricem. In illa ætate magnam oſtendit indolem, & earum, quæ poſteà ſecutæ ſunt, virtutum euidentia ſigna demonſtrauit. Maturior factus, in eadem Academia cuidam gymnaſio, Aulam S. Mariæ vulgò nuncupant, tanquam rector præfuit. Sed mutatis in Anglia rebus, & ſuppreſſa per hæreticos Catholica fide, in exilium profectus eſt Alanus, & Duaci in Belgio Theologica ſtudia proſecutus, ſupremã in ea facultate lauream adeptus eſt, & ibidem Regium Profeſſorem egit. Poſteà ad Canonicatum Cathedralis Eccleſiæ Cameracenſis, deinde Remenſis in Campania Galliæ aſſumptus eſt. Vir, qui, ſi corpus ſpectes, mediocrem hominum ſtaturam nonnihil exceſſit. Vultu decorus, inceſſu compoſitus, in omni congreſſu affabilis; ſi verò dotes animi conſideres, erat pius, eruditus, prudens, grauis, & auctoritate plurimùm pollens, humilis, modeſtus, patiens, mitis, pacificus, omni denique virtutum genere ornatus & excultus. Hic omnium primus Anglos ſuos Catholicæ religionis cauſa ſub Elizabetha Regina exules, & per vniuerſam penè Europam hinc inde diſperſos, ſimul congregauit, & Duaci primùm, deinde Remis, ad collegiatam diſciplinam perduxit, & copioſam iuuentutem ſub optimis gentis noſtræ Doctoribus & præceptoribus ad pietatem & bonarum litterarum ſtudia nutriri & erudiri curauit. In eo Collegio communiter ſolebant eſſe ſacræ Theologiæ Doctores & Licentiati octo vel decem viri graues & maturi, ex quibus alij ſacras ſcripturas explicabant, alij Theologiam ſcholaſticam, alij ius Canonicum, alij controuerſias fidei publicitùs omnibus aduenientibus prælegebant. Alij contra hæreticos ſcribebant, alij noſtrorum Martyrum certamina & mortes, Confeſſorum vincula vel exilia litteris conſignabant, gentíſque noſtræ quaſi quandam Eccleſiaſticam hiſtoriam diligenter conſeruabant, & prout ferebat occaſio, vel cauſæ publicæ videbatur expedire, ſuas lucubrationes in lucem emittebant. Alij denique curam rei familiaris agebant, & cuique pro ratione ſtatus & dignitatis cuiuſque, omnia ad victum & veſtitum neceſſaria ſolicitè prouidebant. Sub his & alijs Magiſtris fuerunt Theologi non pauci, Philoſophi multi, & qui litteris humanioribus operam dabant, longè plures. Qui omnes per ſuas claſſes diſtributi Profeſſores, vel ex ipſis Doctoribus, vel à Doctoribus aſſignatos habuerunt, Alano omnium Præſide omnia moderante, qui mira grauitate, ſummaque conſtantia & auctoritate toti Collegio, imò per Collegium omnibus penè gentis noſtræ Catholicis præfuit, omnéſque in ma-

xima charitate, pace, & concordia prudentissimè rexit, & potenter in officio continuit. Quippe qui non solum suas passiones moderari, verum etiam exorbitantes aliorum motus in gyrum rationis flectere, & quorumcumque vel iuueniles insolentias aut cedendo lenire, aut ferendo paulatim vincere, aut comprimendo, si opus esset, frangere probè nouerat. Huius regiminis exacta norma viros non paucos ætate maturos, doctrina præstantes, & magni apud nostrates nominis, ad hanc collegiatam disciplinam attraxit, quorum vel solum exemplum plures inferioris conditionis homines Christo lucrifecit. Sed quia tantum virum, tam diù mihi cognitum, & de me tam benè meritum, nec satis laudare valeo, nec extra meum propositum in eius præconia licentiùs hìc excurrere debeo, reliqua silentio prætereo. Neque enim vitæ illius ex professo narrationem instituo, sed dum doctrinam eius exponere cupio, coniunctas in eo cum litteris virtutes obiter saltem tangere necesse habeo. Tandem multiplicium meritorum intuitu à Sixto Papa quinto Remis Romam vocatus est, & anno Domini 1587, die septimo Augusti S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli S. Martini creatus, sublimem illam dignitatem, vt aliàs semper suam, perhonorificè ad dies vitæ tuebatur. Sed nunc ad præclara illa ingenij doctrinæque monimenta, quæ post se, partim Anglicè, partim Latinè conscripta reliquit, veniamus. Nam præter quotidianas ad multos annos in scholis lectiones, & frequentes in Collegio suo conciones, fœliciter in lucem emisit

De Sacramentis in genere, De Sacramento Eucharistia, & de Missæ sacrificio, Libros tres. Ad Gregorium Papam decimum tertium.
Diu multumque Gregori Pontifex. Extat Antuerpiæ anno 1576.

De Indulgentijs Anglicè, *Librum vnum.* Louanij anno 1567. Vidi in Bibliotheca Delovvariæ.

Defensionem & declarationem Purgatorij Anglicè, *Librum vnum.* Antuerpiæ 1565. Vidi ibidem.

De Oratione pro animabus Defunctorum Anglicè, *Librum vnum.* Antuerpiæ eodem anno. Vidi ibidem.

De auctoritate Sacerdotali ad remittenda peccata Anglicè, *Librum vnum.* Louanij 1567. Vidi ibidem.

De inuocatione Sanctorum & reliquijs, *Librum vnum.*

Admonitionem ad Catholicos Anglos, *Librum vnum.*

Apologiam seminariorum contra edictum Elizabethæ Reginæ, *Librum vnum.* Quamuis quod ad crimina nobis. Extat 1581, 1583.

Epistolam Anglicè de legitima deditione Douentræ facta per Guilhelmum Standlæum, Vidi ibidem.

Iustitiæ Anglicanæ confutationem, *Librum vnum.*

Scripsit etiam alia plura opuscula. Romæ tandem diem suum obijt die decimo sexto Octobris, & ibidem in Ecclesia scholæ Anglorum sepultus est, anno post aduentum Messiæ 1594, regnante in Anglia

Elizabetha. Huius præstantissimi viri obitum, quotquot fidei causa persecutionem patimur, adhuc lugemus, & tanquam orphani perijsse nobis communem parentem magis ac magis in dies experimur.

De Daniele Halsvvortho.

1595. 1042. DANIEL Halsvvorthus Sacerdos Anglus, vtriusque iuris & sacræ Theologiæ Doctor in Italia creatus. Vir Græcæ Latinęque linguæ peritissimus, Hebraicæ etiam non ignarus, & in omni tum profana, tum sacra scientia insigniter eruditus. Elegans Poëta, orator facundus, Philosophus acutus, Mathematicus expertus, Iurisconsultus consultissimus, & optimus Theologus. Mihi fuit ad aliquot annos familiariter notus. Nam in Anglorum Collegio simul viximus, & sub ijsdem præceptoribus eundem cursum & Philosophicum & Theologicū simul inchoauimus, simul finiuimus. Ille deindè Roma discedens ad aliquot annos in Aula Ducis Subaudiæ vixit, posteà fuit cum Cardinali Borromæo Archiepiscopo Mediolanensi partim Mediolani partim Romæ, qui hominis opera potissimùm in ijs quę ad Theologiam & ius Canonicum spectant vsus est. Quo tempore in vtroque genere multa composuit, plura collegit. Scripsit etiam varia partim versu, partim oratione soluta de rebus diuersis, & in varijs scientijs, quorum ferè nihil in lucem emisit, inopia, quæ communis exilij nostri comes est, conatus retardante. Tamen Antonius Posseuinus in quodam libello, cui titulus est, Tractatio de Poësi & Pictura, capite nono, scribit eum ex Latinis in Græcos versus fœliciter & doctè transtulisse, & typis mandasse Virgilij Bucolica, laudatque non vulgariter opus, quod me vidisse vellem. Titulum præfixisse dicitur

Bucolica Virgiliana Græcè, Librum vnum.

Cætera eius scripta, quæ audio non fuisse pauca, quantum scio, perierunt. Saltem ego ne titulos quidem eorum inuenio. Exul obijt Romæ vir dignus feliciore vita, & meliore morte, circa annum humanæ reconciliationis 1595, dum in Anglicani regni solio sederet Elizabetha.

De Roberto Southvvello.

1595. 1043. ROBERTVS Southvvellus natione Anglus, patria Suffolcensis. Ex Anglia fidei Catholicæ causa fugiens, Societatem Iesu ingressus est, & in eo instituto vsque ad vitæ finem perseuerauit. Romæ mihi familiariter notus erat. In Philosophia atq; etiam in Theologia non pœnitendos fecerat progressus. Elegantiam maternæ linguæ tum prosa, tum versu satis auidè sectabatur. Et in patriam missus illud talentum suum & in concionibus & in libris scriptis exercuisse non illaudabiliter dicitur. Librorum titulos ex Ribadineira & alijs hos sequentes deprompsi

Solatium Sacerdotum in vinculis, Librum vnum.

Supplicationem ad Elizabetham Reginam Anglicè, *Librum vnum.*
Regulas bonæ vitæ cum Epistola ad Patrem, *Librum vnum.*
Querimoniam S. Petri versu Anglico, *Librum vnum.*
Lacrymas Magdalenæ prosa Anglica, *Librum vnum.*
Triumphum mortis prosa Anglica ad Sacfeldiorum familiam, *Librum vnum.*
Poëmata spiritualia Anglicè de mysterijs Incarnationis Dominicæ & alijs, *Librum vnum.* Pleraque extant Londini. Tandem captus, in vincula coniectus, & Londini martyrio coronatus est die tertio Martij anno mundi redempti 1595, dum Ecclesia Christi in Anglia sub graui Reginæ Elizabethæ regno pressa ingemisceret.

De Thoma Hido.

THOMAS Hidus natione Anglus Canonicus Vvintoniensis, & ibidem supremus aliquando scholæ Vviccamicæ Magister, eodem tempore quo Ioannes Marshallus eiusdem scholæ Magister inferior fuit. Vtrumque puto in eadem schola ab adolescentia educatum, & vt moris est, posteà Oxonium ad maiora studia missum. Quicquid sit, vterque ex ea schola simul religionis Catholicæ causa discessit, & omnibus relictis in partes transmarinas fugit, & partim Louanij, partim Duaci vixit. Fuit Hidus vir integerrimæ vitæ, magnæ etiam grauitatis & seueritatis, diligens virtutum cultor, acerrimus vitiorum osor, & omnium sectarum & hæresum capitalis hostis. Quos autem in Theologia gradus susceperit, ignoro, & quid litterarij monimenti posteris reliquerit, non inuenio præter quandam consolationem quam scripsit ad Catholicos potissimum Anglos quam vocauit

1597. 1044.

Epistolam consolatoriam vel de consolatione, *Librum vnum.*
Duaci mortuus est in ædibus Aliciæ foeleræ, vt ipsa mihi per litteras significauit, nono die Maij anno gratiæ 1597, & in Ecclesia S. Iacobi sepultus est in capella beatæ Mariæ Virginis ad cornu Euangelij Regnante in Anglia Elizabetha.

De Ioanne Marshallo.

IOANNES Marshallus seu Martialis natione Anglus patria Dorcestrensis, adolescens Vvintoniæ in schola Vviccamica ad pietatem & bonas litteras nutritus, transactis humanitatis studijs, ad Oxoniensem Academiam, & Vviccamicum etiam ibidem Collegium, vt moris est, promotus fuit. Vbi aliquot annis cum laude & laurea transactis (erat enim liberalium artium Magister, & vtriusque iuris Baccalaureus) ob virtutem & morum seueram grauitatem Vvintoniam reuocatus, in præfata schola, in qua politiores litteras didicerat, easdem docere incepit, secundum seu inferiorem præceptorem agens. Sed vbi ad regnum Angliæ peruenit Elizabetha Regina, & hæresim introduxit; illo docendi munere patriaque adeò charissima

1597 1045

propter fidem Catholicam relictis, in Belgium cum supra nominato Thoma Hido eiusdem scholæ supremo moderatore fugit, & Louanij diu studuit. Tandem procurante Ludouico Audoëno tunc Archidiacono Cameracensi, posteà in Italia Episcopo Cassano, adeptus est in Flandria Canonicatum Insulensem. A cuius tamen possessione diù fuit impeditus, quia in tumultibus illis Belgicis contra Ioannem Austriacum Regis Hispaniarum Pro-regem iurare recusauit. Successu tamen temporis rebus nonnihil in melius mutatis pacificam dictæ præbendæ consecutus est possessionem, & ibidem per annos octodecim, vsque ad grauem senectutem resedit, donec Guilhelmo Giffordio sacræ Theologiæ Doctori Decanatúm ibidem consequenti Canonicatum liberè resignaret, vt liberiùs soli Deo, vitæque futuræ meditationi vacare posset. Erat vir verè pius & rerum cælestium meditationi impensè deditus, quique iuxta Apostolum crucis mortificationem in corpore suo circunferens, erat semper inimicus inimicis crucis Christi. Vndè & contra Iacobum Calfildum Caluinitam Anglum in hac materia tam neruosè scripsit, eiusque blasphemias tam doctè confutauit, vt ei silentium æternum imposuerit. In cuius victoriæ trophæum moriens testamento reliquit insignem annulum aureum cum inserta gemma, ad ornandam Dominicæ crucis particulam, quæ in Ecclesia Insulensi magna veneratione asseruatur. Quod eius donum secundùm testatoris vltimam voluntatem Guilhelmus Giffordius applicari curauit. Porrò scripsit Martialis noster materna lingua contra Calfildum hæreticum Anglum

Pro defensione venerationis sanctæ Crucis, *Librum vnum.*
Apologiam contra responsionem eiusdem Calfildi, *Librum vnum.*

Extat Louanij anno 1566.

De tonsura Clericorum tractatum imperfectum, qui nunquam prodijt.

Tandem Insulis in Flandria inter vlnas Giffordij sui animam efflauit tertio die Aprilis, & ibidem in Ecclesia Collegiata sepulturam honorificam accepit anno Dominicæ Incarnationis 1597, regnante in Anglia nostra misera Elizabetha.

De Thoma Stapletono.

1598.
1046.

THOMAS Stapletonus nobili in Anglia familia natus, locũ ortus sui habuit Hemfeldam oppidum Comitatus Southsaxiæ, fuitq; eodem anno & mense in lucem editus, quibus Thomas Morus fuit martyrio coronatus. Vir sanè cui multis nominibus vel mortuo sum astrictissimus. Nam cùm anno Domini 1580 Catholicæ religionis causa ex Anglia transfretarem in Belgium, Duacum missus, ad eum directus, ibidem ab illo perhumaniter hospitio susceptus, & optimis consilijs imbutus fui. Cùm enim fluctuaret mihi iuuenilis animus Musasnè prosequerer, an Marti nomen darem, is me in studio-

rum proposito confirmauit, & mihi secundum Deum tunc auctor fuit, *ne fera pacificæ præferrem castra Mineruæ.* Iam quod ad hominis dotes attinet, erat acris ingenij, solidi iudicij, summæ eruditionis, incredibilis industriæ, laboris, zeli: concionator facundus simul & vehemens, in fidei controuersijs valdè versatus, sacras etiam Scripturas quasi ad vnguem calluit. Denique in omni melioris doctrinæ genere tantam consecutus est perfectionem, vt inter eruditissimos ætatis suæ viros non immeritò esset numerandus. Sed quoniam in eius epitaphio ad D. Petrum Louanij pleraque de eo notatu digniora ponuntur, operæprecium iudicaui illud hîc ad verbum adnectere, quod Ioanne Fenno submittente, sic habere accepi:

Hîc è regione sepultus est eximius Dominus ac Magister noster Thomas Stapletonus, qui Cicestriæ in Anglia nobili loco natus, & litterarum studijs à parentibus addictus, cùm in Collegijs Vviccamicis (primùm Vvintoniæ, deindè Oxonij) eum in artium liberalium disciplina cursum fecisset, vt magnam sui expectationem apud suos excitasset: ab ipso suo vrbis Episcopo accitus, Ecclesiæ Cathedralis Canonicus instituitur. Sed paulò pòst, profanis hominibus omnes totius Angliæ Ecclesias per summum nephas inuadentibus, eo quod ille in impias eorum leges iurare constanter renuebat, loco cedere, & sibi fuga (vt poterat) consulere coactus, in has regiones concedens, Duaci primùm constitit, vbi catechisten ad tempus egit, donec tandem ad supremam Magisterij dignitatem, & cathedram euectus, sacras Scripturas publicè summa cum laude interpretatus est. Indè Louanium à sua maiestate Catholica euocatus, in hac Academia sacræ Theologiæ Professor Regius, in hac D. Petri Ecclesia Canonicus, in Collegio Hilberbecensi Decanus extitit. Demùm post quadraginta duos annos in exilio transactos (quos ferè prælectioni aut scriptioni omnes impendit) cessit è vita, relictis laborum suorum monimentis, partim Anglicè ad suos, partim Latinè in commune totius reipublicæ bonum descriptis, quæ quanta fuerit eius industria, quanta animi pietas, quam accensum veritatis Catholicæ propugnandæ studium, omnibus ea lecturis testatum facient. Hactenùs epitaphium. Sed ad huius Doctoris scripta iam veniamus. Quo tempore Ioannes Fecnamus Abbas Vvestmonasteriensis scripsit suum librum contra supremam auctoritatem regiam in negotijs Ecclesiasticis, responsum emisit contra eum quidem hæreticus nomine Hornus, scientia idiota, moribus rusticus, vultu totoque corpore tam deformis, vt alterum quodammodò dixeris Æsopum, qui omnium vxoratorum primus inuasit Episcopatum Vvintoniensem: contra responsionem hanc cuiuscumque illa fuerit, scripsit Stapletonus

Contra flatum, quem vocat Anglicè Counterblast, Libros iiij. Louanij anno 1567. Vidi in bibliotheca Benedictinorum Anglorum Delovvariæ.

Ad replicam Ioballi contra sacrificium Missæ Anglicè, Librum vnum. Louanij eodem anno. Vidi ibidem.

Contra mendacia eiusdem Ioballi, Librum vnum. Antuerpiæ 1566. Vidi ibid.

Fortalitium fidei Anglicè, Librum vnum. Antuerpiæ 1565. Vidi ibidem.

Translulit è Latino in Anglicum historiam Anglorum Bedæ, Libros quinque,

Extat eodem loco & anno. Vidi in dicta bibliotheca Delovvariæ.

Transtulit Fridericum Staphilum de dissidijs hæreticorum volumen magnum. Antuerpiæ 1565.

Scripsit etiam contra Guilhelmum Vvhittakerum de sacrarum scripturarum approbatione, Libros tres. Antuerpiæ 1592.

Speculum prauitatis hæreticæ per sex orationes quodlibeticas, Librum vnum. Duaci 1580.

Orationem Academicam an politici horum temporum, Christiani sint habendi. 1602.

Manuale peccatorum, seu de septem capitalibus peccatis orationes catechisticas duodecim, Librum vnum. Quod Ægyptius quidam Sacerdos. Antuerpiæ 1598. Habeo in mea bibliotheca.

Orationes dogmaticas & funebres sex, Librum vnum. ibidem anno 1577.

Antidota Euangelica contra horum temporum hæreses in quatuor Euangelistas, Librum vnum. Scitum & perelegans. Antuerpiæ 1595.

Antidota Apostolica, hoc est, in acta Apostolorum ad Clementem Papam octauum, Librum vnum. Nisi ea esset diuinæ sapientiæ. Ibidem eodem anno.

Antidota Apostolica in epistolam ad Romanos, Librum vnum. Ibidem eod.

Antidota in duas epistolas ad Corinthios, Librum vnum. Quem nunc in Apostolicis scripturis. Ibidem anno 1598, & 1600.

De principijs fidei doctrinalibus, Libros duodecim. Parisijs 1579, 1582.

De iustificatione, Libros duodecim. Parisijs 1582.

Promptuarium Catholicum concionum, super omnia Euangelia totius anni. Coloniæ anno 1592, & 1602. Habeo in mea bibliotheca.

Promptuarium morale super Euangelia Dominicalia totius anni, in partem hyemalem & æstiualem distributum. Antuerpiæ anno 1591. Venetijs 1594. Habeo in mea bibliotheca.

De tribus Thomis, Librum vnum. Cùm tres istos Thomas. Extat Duaci anno 1588. Habeo in mea bibliotheca.

Relectiones principiorum fidei doctrinalium scholasticè explicatas contra Vvhittakerum. Antuerpiæ 1592.

De magnitudine Ecclesiæ Romanæ ad Clementem Papam octauum. Librum vnum. Qui tanquam proles posthuma post auctoris mortem prodijt Antuerpiæ 1599. Habeo.

Scripsit etiam multa alia tum versu tum oratione soluta. Louanij tandem in Brabantia sanctissimè diem suum obijt die duodecimo Octobris anno gratiæ 1598, regnante in Anglia Elizabetha.

De Roberto Turnero.

1599. 1404

ROBERTUS Turnerus natione Anglus, patria Deuoniensis Diœcesis Exoniensis, oppido, Barnstaplio. Parentibus & patria religionis Catholicæ causa relictis, primùm in Galliam, deindè in Italiam profectus, Romæ in Collegio Germanico liberalibus artibus operam dedit, & successu temporis Sacerdos factus, & studia Theologica diligen-

ter prosecutus, in illa suprema scientia Doctoralem gradum accepit. Edmundi Campiani discipulum se aliquandò fuisse profitetur, cuius etiam quædam scripta, auctore iam mortuo, in lucem emitti curauit. Vir in litteris politioribus & Philosophia plus quā vulgariter doctus, & in familiari congressu satis superque facetus. In Bauaria & vicina Norica ad annos multos vixit. In Eigstatensi ciuitate Collegio studiosorum præfuit, vbi magno fuit in precio apud Martinum illius loci tunc temporis Episcopum. Deindè Ingolstadij Collegio, quod vulgò Georgianum vocant, Regens præficiebatur, & in scholis publicis Rhetoricam, necnon Ethicam profitebatur, & Vniuersitatis tandem Rector creatus est. Deindè Duci Bauariæ Guilhelmo factus est à consilijs, cuius opera bonus princeps vsus est in honoratissimis ad varios Germaniæ principes legationibus. Hoc solo infœlix, quòd sua fœlicitate moderatè non sit vsus. Quo factum est, vt amisso principis fauore, Bauariam reliquerit, in Galliam denuò migrauerit, & ad vnum atque alterum annum Parisijs vixerit. In Bauariam posteà, sed non in solitam gratiam redijt, ibi tunc mihi familiariter notus fuit, quo etiam tempore Canonicatum Vvratislauiensem adeptus est. Placuit tamen illi vehementer habitatio Ingolstadiana, vbi Archiducem Ferdinandum frequenter inuisit hospes non ingratus. Tandem cum Archidux absolutis suis studijs in Histriam ad sua reuerteretur, Turnerum secum pro Latino secretario duxit, & per reliquum vitæ retinuit. Monimenta litteraria posteris saltem ista reliquit

Commentarios in quædam sacræ Scripturæ loca, *Librum vnum.*
Vitam Edmundi Campiani, *Librum vnum.*
Vitam & Martyrium Mariæ Reginæ Scotiæ, *Librum vnum.*
Epistolarum ad diuersos centurias aliquot.
Orationum quatuordecim, *Librum vnum.*
Funebrem orationem in principem Estensem. Antuerpiæ anno 1598.
Orationem & epistolam de vita & morte Martini Episcopi Eichstatensis. Ingolstadij anno 1550.
Aliorum opusculorum, *Librum vnum.* Ingolstadij 1602.

Obijt Grattiæ in Histria die vicesimo octauo Nouembris anno Christi 1599, regnante apud Anglos Elizabetha.

De Ioanne Sandersono.

IOANNES Sandersonus natione Anglus, patria Lancastrensis, Academiæ Cantabrigiensis alumnus, in Collegio sanctissimæ Trinitatis educatus. Sub Elizabetha Regina religionis causa solum vertit, & Romam profectus, ibidem ad tempus vnus erat ex presbyteris qui præfuerunt hospitali Anglorum. Indè per Galliam rediens factus est sacræ Theologiæ Doctor, posteà Canonicus Cameracensis. Sed propter ciuilia bella fugere coactus, Duacum se recepit, vbi circa annum Domini 1581, mihi familiariter cognitus est. Vir bonus & plus quàm vulgariter

1600.
1048.

doctus, licet pauca, quod sciam, scripserit, multa tamen tentasse dicitur, quæ morte præuentus, non absoluit. Emisit saltem in lucem ad publicum studiosorum bonum

Dialecticæ præcepta, Libros iiij. Non necesse habeo. Antuerpiæ anno 1589.
Tabulas vel schema catechisticum de tota Theologia morali, *Librum vnum.*
De omnibus sacræ Scripturæ locis inter nos & hæreticos nunc controuersis opus imperfectum reliquit.

De alijs eius operibus nihil mihi constat. Cameraci diem obijt extremum circa annum Incarnationis Dominicæ 1600, regnante in Anglia Elizabetha.

ÆTAS DECIMASEPTIMA.

De Ioanne Casæo.

1600. 1049. IOANNES Casæus Anglus Medicinæ Doctor in Oxoniensi Academia. Vir in ijs quæ mundi sunt mirè simplex & innocens. Ceterum acutissimus planè Philosophus, & Orator non inelegans. Oxonij primùm quidem in Collegio S. Ioannis Socius. Deindè vxorem duxit, familiam aluit, nobiles adolescẽtes in sua mensa conuictores habuit, permultos, quos disciplinis maximè Philosophicis instruxit maximamque partem ætatis in erudienda iuuentute posuit quamquã & rei medicæ horas successiuas tradens, insignis euasit medicus, & laurea doctorali donatus est. Erat quidẽ semper animo Catholicus, & multis vt Catholici fierent, persuasit. Sed vt timidissimus nunquàm nisi à Deo tactus, & morbo lethali vocatus, venit ipse ad fidem, & Catholicæ religionis professionem, venit tamen tandem opera & auxilio docti & pij Sacerdotis A. T. Atque ita in Domino fœliciter obijt. Dum vixit omnia penè Aristotelis opera doctissimis commentarijs laboriosè illustrauit. Elaboratè enim scripsit

Super vniuersum Aristotelis organum, *Librum vnum.*
Super Ethica, *Librum vnum.* & A. B. C.
Darium Moralis Philosophiæ, *Librum vnum.*
Æconomica, *Librum vnum.*
Encomium Musices, *Librum vnum.*
Vindiciæ contra tyrannos, *Librum vnum.*
Super Physica, vel de lapide Philosophico, *Librum vnum.*
Super Politica seu sphæram ciuitatis, opus prohibitum, donec emendetur. Et alia plura.

Oxonij fœliciter diem suum obijt circa annum Domini 1600, sæuiente contra Catholicos in Anglia, sub Elizabetha Regina persecutione.

De Gregorio Sayero.

1602. 1050. GREGORIVS (ante ingressum religionis Robertus) Sayerus, natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus, Congregationis Casinensis

Casinensis, aliàs S. Iustinæ de Padua, & ipsius Casinensis Monasterij professus. Hic in Anglia iuuenis erat alumnus Academiæ Cantabrigiensis, vbi Philosophica inchoauit studia. Sed eo cursu propter amorem Catholicæ religionis relicto, transfretauit in Galliam, & in Anglorum Rhemensi Collegio studia interrupta repetijt. Inde Romam ad Theologiam audiendam missus est, & in Anglorum Collegio mihi diù familiariterque notus, studiorum socius, & amicus optimus fuit, circa annum Domini 1585, & quod excurrit. Tandem ad Montem Casinum factus Monachus, successu temporis inter suos Professor sacram Theologiam docuit. Anno autem Domini 1595, mense Septembrij, Venetijs denuò veterem amicum vidi & salutaui in Monasterio S. Georgij. Erat sanè vir integritate vitæ, morum suauitate, & singulari modestia, Deo & bonis omnibus amabilis, & qui solidi ingenij, constantis iudicij, fœlicissimæque memoriæ beneficio ad insignem eruditionem peruenit, vt eius opera satis testantur. Nam de Theologia præsertim morali multa doctè scripta reliquit, plura relicturus, nisi mors immatura eum è medio sustulisset. Habemus saltem ex eius eruditis lucubrationibus ad Clementem Papam octauum

De Sacramentis in communi, Libros sex. Sacris monimentis proditum. Venetijs anno 1599, & 1600.

Ad Dauidem Abbatem S. Nicolai de littore Venetiarum *Flores decisionum seu casuum conscientiæ ex doctrina consiliorum Nauarri collectos, Libros quinque.* Quamuis varia sint Doctoris. Venetijs anno Domini 1601.

Epitomen consiliorum Nauarri, Librum vnum.

Clauem regiam sacerdotum. Venetijs in folio.

Summam Sacramenti pœnitentiæ ex Nauarro, Librum vnum. Cùm tanta sit humanæ naturæ fragilitas. Venetijs anno 1601.

De Theologia morali seu de censuris Ecclesiasticis, pœnis, & impedimentis Canonicis, Libros septem. Ad clerum Anglicanum. Celebre est illud & prudentum. Venetijs anno 1601. Habeo. Legi. Et hæc ferè tomo primo comprehenduntur.

Tomus secundus duodecim continet libros. Quod opus vel non prodijt omninò, vel posthumum est.

Alios etiam duos tomos Theologiæ moralis meditabatur vir optimus. Sed adhuc nescio an in lucem sint prodituri, iam auctore sublato.

Venetijs tandem in præfato ordinis sui Monasterio sanctissimè diem suum obijt, & ibidem sepultus est penultimo die Octobris anno Domini 1602, dum Anglis Catholicis grauius persecutionis onus sub Elizabetha Regina incumberet.

De Guilhelmo Harisio.

GVILHELMVS Harisius in Anglia natus, & in bonis litteris educatus fuit, posteà Oxonij in Collegio Lincolniensi Philosophiæ & 1602. 1051.

liberalibus artibus operam dedit donec Magisterij gradum sit adeptus. Deinde amore Religionis Catholicæ incensus Oxonio & amicis omnibus valedicens, ad Collegium Anglorum Duaci paulò antè constitutum remis & velis contendit, vbi annos multos in sacra Theologia vtiliter collocauit. Tandem sacerdos creatus in Angliam redijt ad animas Deo lucrandas, in quo sanctissimo negotio complurimos annos inter nobilissimos sese sanctè exercuit magno multorũ commodo. Interim vt oportunitas ferebat, antiquissimis patriæ historijs peruoluẽdis multum insudabat: vnde ad aliorum vtilitatem & sui nominis memoriam opus magnum composuit, cui titulum dedit

Theatrum, seu Speculum verißimæ & antiquißimæ Ecclesiæ magnæ Britanniæ, quæ ab Apostolicis viris fundata, & ab alijs sanctißimis Doctoribus à generatione in generationem propagata, in nostram vsque ætatem perpetuò durauit, Libri decem. Obijt sub infœlici Reginæ Elizabethæ regno, Anno Domini 1602.

De Richardo Hallo.

1604. 1052. RICHARDVS Hallus natione Anglus. Hic postquàm in Academia Cantabrigiensi studuisset in Collegio Christi, vt hæreticorum persecutionem fugeret, suæque saluti consuleret, se recepit in Belgium. Inde Romam profectus successu temporis ibi creatus est sacræ Theologiæ Doctor. Reuersus autem in Belgium ab Arnoldo Gandensi Abbate Martionensi ad S. Rictrudem circa annum Domini 1570 vocatus, Monachis ibidem sacram Theologiam prælegit. Vbi quietem nactus, typis mandari curauit librum Ioannis Ciouani de schismate, & præfixa epistola dedicatoria benè prolixa opus dedicauit præfato Abbati. Deinde Cameraci ad S. Gaugericũ factus est Canonicus. Sed ingruente bellica tempestate Duacum se recipere coactus est. Vbi circa annum Domini 1580, eũ vidi, noui, sæpè disputantẽ, legẽtem, & modò Anglicè, modò Gallicè concionantem audiui. Erat sanè vir cui pietas in Deum, charitas in proximum, benignitas in omnes, multiplex etiam eruditio magnam apud omnes conciliauit beneuolentiam. Tandem multo post tempore iam senior factus est Canonicus & Officialis Cathedralis Ecclesiæ S. Audomari, vbi vsque ad vitæ finem permansit. Ingenij porrò doctrinæque suæ monimenta non spernenda posteris reliquit

Pro defensione Regiæ & Episcopalis dignitatum, Librum vnum.

De quinque partita conscientia, Libros tres. Cùm conscientia aliquid. Extat Duaci anno 1598.

Contra proprietatem Monachorum, Librum vnum.

Orationum multarum, Librum vnum.

Prolixam epistolam dedicatoriam in Giouanum de schismate. Incidit in Manus meas. Louanij anno 1573. Vidi in Bibliotheca Delovvarensi Benedictinorum Anglorum.

Vitam Ioannis Fisheri Roffensis Episcopi Anglicè, *Librum vnum.*
Vidi M S. ibidem.
Carmina diuersa, *Librum vnum.*
Tandem ad S. Audomarum vitam finiuit, & ibidem sepultus iacet ante sacellum S. Andreæ à latere sinistro chori cui sub imagine Christi crucem portantis hoc epitaphium positum est. *Hic iacet reuerendus D. Magister Richardus Hallus sacræ Theologiæ Doctor, huius Ecclesiæ Canonicus & quondam Officialis. Qui obijt vicesimo sexto Februarij anno Domini* 1604. regnauit tum in Anglia Iacobus primus. Hoc epitaphium à S. Audomaro vsque in Lotharingiam ad me misit Gualterus Sadlerus, aliàs Don Robertus ordinis S. Benedicti sacerdos Anglus & Anglicanæ Congregationis Monachus.

De Humfredo Elio.

HVMFREDVS Elius natione Anglus, patria Herefordensis, iuuenis Oxonij fuit è Societate Collegij S. Ioannis. Sed inde Catholicæ religionis causa fugit in Belgium, & Duaci vtrique iuri studuit, susceptoque ibidem Licentiatu iuris instituta docuit semel atque iterum. Deinde cum Guilhelmo Alano (cui erat charissimus) Romam profectus, & Doctor factus, in Galliam redijt, Rhemis substitit; vbi libris Alani & aliorum imprimendis curam adhibuit. Tandem inchoantibus in Gallia ciuilibus tumultibus, in Lotharingiam vocatus circa annum Domini 1588, in Academia Pontamussana instituta iuris ciuilis docere incepit publicus & Ducalis Professor. Erat pius sacerdos, & tum nostratium, tum etiam aliorum omnium pater pauperum. Pro solatio afflictæ patriæ nostræ longiore vita dignus. Hominem intimè noui, & ad viginti ferè annos familiarissimè vsus eo sum, quo toto tempore ius professus est. Vir verè pacificus, quippe qui & cum omnibus pacem haberi studuit, & inter omnes concordiam conseruare nitebatur. Cùm in clero Anglicano magna orta esset controuersia circa receptionem noui magistratus Archipresbyteralis, & hinc inde multa scriberentur, quæ maiorem discordiam minabantur; ad componendum totum negotium insignem librum scripsit Anglicè, rationibus ex vtroque iure petitis, quibus ad pacem & concordiam vtramque partem induxit. Titulum operi præfixit

1604.
1053.

Notas ad Apologiam presbyterorum Anglorum & Archipresbyteri, *Librum vnum.* Extat Parisijs.
Obijt tandem Pontamussi anno Domini 1604, & in Ecclesia Clarissarum sepultus iacet. Regnare tum cœperat in Anglia Iacobus primus. Epitaphium eius hîc ascribere libet.

D. O. M.

Viri clarissimi Humfridi Elij in hac alma Academia Pontamussana Professoris Iuridici Epitaphium.

Hic lapis non est super lapide viator, sed supra virum sacerdotio clarum, vita Angelum, Anglum natione Humfridum Ely. Qui per viginti annos (vtinam & per plures licuisset) in hac Academia tum ius Pontificium, tum Cæsareum explicauit. Inopia tamen fermè laborabat, alios inopia subleuans. Domus eius Anglorum & omnium aliarum gentium atque religiosorum, quos pietas sibi pares fecerat, erat receptaculum. Deus tandem omnium remunerator vehementi affectum lateris dolore, à solo ad cælum euocauit. Anno à partu Virgineo 1604, ætatis suæ 65. Idibus Martij.

Ingrata patria ne ossa quidem mea habes.

Distichon.

Albion hæreseos velatur nocte, viator
Desine mirari, sol suus hìc latitat.

De Roberto Personio.

1610. 1054. ROBERTVS Personius, natione Anglus, patria Somersetensis, Societatis Iesu Presbyter. Vir, vt scribit Nicolaus Fizherbertus in vita Cardinalis Alani, *Vt religionis nomine commendatus, sic prudens prouidénsque ad suorum normam habitus.* Hic in Academia Oxoniensi fuit è Societate Balliolensis Collegij, vbi in Philosophicis studijs iuueniles egit annos. Posteà conuersus ad fidem Catholicam, in transmarinas partes se recepit, Societati Iesu se adiunxit, & absoluto de more studiorum cursu, susceptóque sacerdotio, anno Domini 1580, cum Edmundo Campiano eiusdem Societatis presbytero missus est in Angliam ad animas conuertendas, & è Societate Iesu primi fuerunt, qui cooperatores esse cœperunt nostræ gentis sacerdotibus in hoc munere planè Apostolico. In hanc igitur messem missus, & benè inchoatos videns aliorum labores, imò laborum fructus habens perspectos; non otiosum spectatorem, sed strenuum se præbuit operarium. Nam salutari doctrina, bonæque vitæ exemplo multos ab erroribus ad veritatem, à vitijs ad virtutem perduxit, non sine quotidiano vitæ discrimine. Semper enim quæsitus ad necem, nunquàm in manus inimicorum incidit. Post biennium à suis superioribus ex Anglia Romam vocatus, successu temporis circa annum videlicet Domini 1587, factus est Anglicani Collegij Rector: sed ad ea quæ scripsit, veniamus. Nam aliquot laudabilia doctrinæ & ingenij monimenta partim materna, partim Romana lingua in publicum emisit, sed pleraque suppresso nomine, vt scribit Ribadineira in Catalogo Scriptorum Societatis Iesu,

Responsum ad edictum Reginæ Angliæ vel Philopater, *Librum vnum.*
De sacris alienis non adeundis, *Librum vnum.*
Directorium ad Christianam fidem, seu resolutionem Anglicè, *Librum vnum.*

Extant anno 1585. Nouam Anglicanæ reipublicæ reformationem cuius ipse meminit.

De tribus Angliæ conuersionibus Anglicè, *Libros tres.* Extant anno 1604.

Martyrologium Catholicum contra Foxium, *Librum vnum.*
Censuram Catholicam contra Charcum & Hanmerum, *Librum vnum.*
Defensionem Censuræ Anglicè, *Librum vnum.* Extat anno 1582.
Contra Edvvardum Cocum de antiquis legibus Ecclesiasticis Angliæ, Lib. vnii. Extat anno 1606.
De successione regni Angliæ, *Librum vnum.* Extat anno 1594.
Modestam admonitionem contra Franciscum Hastingum, *Librum vnum.*
De mitigatione erga Catholicos in Anglia Anglicè, *Libros tres.* Extant anno 1607.

De alijs eius scriptis nihil habeo explorati. Romæ diem suum obijt mense Aprili anno Domini 1610, regnante apud Anglos Iacobo primo.

De Ioanne Fenno.

IOANNES Fennus Sacerdos Anglus, patria Somersetensis, Diœcesis Vvellensis, seu Bathonensis, ex oppido Monte Acuto. Domi pueriles annos inter suos exegit in timore Dei educatus. Deindè Musicam & rudimenta Grammatices in Ecclesia Vvellensi didicit. Adolescens Vvintoniam ad famosam illam scholam Vviccamicam missus, in litteris humanioribus, & lingua Græca tantos progressus fecit, vt indè ad Vviccamicum in Oxonio Collegium de more promoueretur, vbi post absoluta Philosophiæ studia, Iurisprudentiæ dedit operam. Sed successu temporis schismate regnum Angliæ inuadente, reliquit Academiam, se contulit in Suffolciam, & apud S. Edmundi Burgum scholam aperuit, iuuenes instituit, quos litteras simul & pietatem ad annos quatuor solicitè docuit. Sed venientibus ad illas partes duobus Scotis à fide Catholica apostatis, & persecutionem contra bonos omnes excitantibus, indè fugere compulsus est. Patriam igitur reliquit, partes transmarinas petijt, Belgium inuisit, in Italiam posteà perrexit, atque illic annos quatuor transegit, tum in Belgium denuò redijt, ibi sedem fixit, & partim Louanij, partim in vicinis ciuitatibus in vniuersum quinquaginta circiter annos exilij compleuit. Hominem Louanij vidi circa annum Domini 1607. Multa partim scripsit, partim ex alijs in alias linguas transtulit. In illo opere cui titulus est Concertatio Ecclesiæ Anglicanæ scripsit

1611.
1055.

Multorum Angliæ martyrum vitas, *Librum vnum.*
Transtulit ex Latino in Anglicum catechismum Concilij Tridentini ad parochos, *Librum vnum.*
Osorium contra Haddonum, *Librum vnum.*
Ex Anglico in Latinum transtulit omnia quæ Anglicè scripsit Ioannes Fisherus Episcopus Roffensis, *Libros plures.* Qui extant Coloniæ Agrippinæ & Herbipoli.
Ex Italico in Anglicum transtulit Loartem de quindecim mysterijs Rosarij, *Librum vnum.*

Vitam Sanctæ Catherinæ Senensis, *Librum vnum.*
Caccia Guerra de tribulatione, *Librum vnum.*

Collegit ex diuersis antiquis libris Anglicis spirituales tractatus ad Sanctimoniales ordinis sanctæ Brigittæ & alias libros plures. Et alia plura partim scripsit, partim transtulit, partim collegit. Louanij viuit adhuc hoc anno Domini 1611, regnante in Anglia Iacobo primo.

De Rogero Cadvvalladero.

1610. 1656.

ROGERVS Cadvvalladerus natione Anglus, patria Herefordensis, honestis natus parentibus & in bonis litteris enutritus à pueritia magnos fecit progressus. Grecè imprimis perdoctus, cùm magno teneretur religionis Catholicæ studio, patriam & spem hereditatis paternæ (quæ non erat exigua) relinquens Rhemos in Gallia se contulit, vbi Philosophiæ secreta rimatus est, similiter & Vallisoletæ in Hispania Theologiæ abdita penetrauit. Creatus Sacerdos, & in Anglicanam Messem missus, operarium se prębuit diligentissimum dies noctésque agrum Domini colendo in sudore vultus sui. Nam pauperes multos pedes visitauit, hos consolando, & Sacramentis confirmando, illos ad fidei Catholicæ amorem reducendo. Hic singularis eius diuini honoris & animarum zelus, vt magnum illi apud Deum meritum conciliauit, sic non minorem apud pseudo-ministros inuidiam concitauit, vnde in excubijs agentes lupi illi pastorem bonum suum gregem visitantem ceperunt, vinculis onerarunt, & tandem ad patibulum, eo quod Sacerdos erat Romanus perduxerunt. Inter assiduos labores non omisit quædam etiam scribere

Historiam Theodoreti ex Græco in Anglicum sermonem traduxit, *Librum vnũ.*

Et alia quædam. Lemmonasterij in comitatu Herefordensi martyrij coronam adeptus est, anno Domini 1610, sub Iacobo Rege.

De Richardo Vito.

1611. 1657.

RICHARDVS Vitus natione Anglus, Diœcesis Vvintoniensis, patria Southamptoniensis ex oppido Basingstoco. Adolescens Vvintoniæ litteris humanioribus, vir factus Oxonij studijs altioribus operam dedit, vtrobique in Collegijs Vviccamicis, hoc est, à Guilhelmo Vviccamo Episcopo Vvintoniensi fundatis. Euersa postmodum in Anglia religione Catholica, exijt patria, & primùm Louanij in Belgio, deindè Patauij in Italia Iurisprudentiæ studijs tam strenuam nauauit operam, vt tandem in vtroque iure summam lauream sit consecutus. Ex Italia demùm reuersus, Duaci ad triginta & amplius annos ius vtrumque tanquam Regius Professor publicè docuit. Vbi mihi circa annum Domini 1580 cognitus, & non semel salutatus est. Tandem post secundas nuptias, ex dispensatione summi Pontificis Clementis octaui sacerdos factus est. Scripsit expositionem cuiusdam antiqui Epitaphij ænigmatici quod in agro Bononiensi habetur, cuius initium est

Ælia Lælia Criſpis, &c. *Librum vnum.* Non ſum neſcius. Extat Patauij anno 1568. Habeo. Legi.

Ad leges decemuirorum in duodecim tabulis, *Librum vnum.*

Hiſtoriarum Britannicarum & Anglicarum, *Libros vndecim.*

Orationum quinque cum notis, *Librum vnum.* Quod ego ſemper optaui. Extat Atrebati anno Domini 1596.

Orationum ſeptem ad Bernardinum Paulinum Papæ Clementis octaui Datarium, Librum vnum. In hiſtorijs Britanniæ. Habeo in mea Bibliotheca.

De Reliquijs & Veneratione Sanctorum, *Librum vnum.* Priuſquam accedo. Extat Duaci anno 1609. Habeo. Legi.

Breuem explicationem martyrij Sanctæ Vrſulæ, & vndecim millium Virginum, Librum vnum. Conſtantino adminiſtrante bellum. Extat Duaci anno 1610. Habeo. Legi. De alijs eius ſcriptis nihil habeo comperti. Duaci viuit adhuc & ſcribit hoc anno Dominicæ Incarnationis 1611, ſub regno Iacobi primi Catholicis in Anglia graui.

De Ioanne Colingtono.

IOANNES Colingtonus natione Anglus patria Somerſetenſis ex honeſtis parentibus natus, & in bonis litteris educatus, Oxonij Philoſophiæ & alijs eminentioribus ſcientijs operam nauauit diligentem. Collegij, vt exiſtimo, Lincolnienſis ſocius. At diuino Religionis Catholicæ amore captus, parentes patriã & omnia relinquens, Duacum inter primos euolauit, vt ſacræ Theologiæ nomen daret. Poſt aliquot annos creatus eſt Sacerdos, & in Anglicanam meſſem miſſus, & concionibus & ſingulari vitæ exemplo multos in fide Catholica confirmauit, nonnullos ab hęreſis barathro reuocauit. Cum patre Campiano vnà captus, & in turrim Londinenſem compactus ad tribunal etiã vnà vocatus fuit, accuſatus proditionis patriæ, & quòd cum multis alijs in necem reginæ Romæ aut Rhemis, anno Domini 1580 conſpirauerit. Reſpondit ſe numquam Romæ aut Rhemis fuiſſe, & longo ante tempore in Anglia. Quod cùm nobilis quidam fortè præſens publicè teſtaretur, licet cum alijs æquè innocentibus fuerit condemnatus, non tamen vt illi martyrio conſummatus, poſt quatuor annos è turri Londinenſi de miſſus eſt in exilium, ſed amor animas lucrandi illum citò in Angliam cõpulit, vbi poſteà ad triginta ferè annos vtiliſſimè & pijſſimè in vinea Domini laborauit, duorum Archipreſbyterorum aſſiſtens, imò ipſe tempore inter illos medio, vicem gerens Archipresbyteri, nec interim quædam litteris conſignare omiſit Anglicè, idque pereleganter

1611.
1058.

Supplicationem ad Regem Magnæ Britanniæ pro toleratione religionis Catholicæ, Librum vnum.

Defenſionem iuſtam Sacerdotum calumnijs oppreſſorum, *Librum vnum.*

Epiſtolam pereruditam ad ſanctiſſ. D. Papam Paulum quintum, Librum vnum.

Viuit adhuc in vinculis clarus Domini Confeſſor anno Domini 1611, ſub regno Iacobi primi.

De Henrico Hollando.

1611. 1059. HENRICVS Hollandus natione Anglus, patria Vvigorniensis, ingenio ad politiores litteras capescendas factus, Oxonii liberalibus artibus egregiam operam dedit, socius Collegij S. Ioannis, magisterij gradum suscepit. Eius in Poësi elegantiam, in libera oratione eloquentiam admirabantur multi, vnde ad magnos honores facilis illi patebat aditus, sed Dei honorem & animæ suæ salutem reliquis omnibus anteponens, patriam deseruit, Duacum appulit, vbi inter melioris notæ magistros, in diuinis litteris tantos breuî fecit progressus, vt sacræ Theologiæ Baccalaureus sit declaratus, & creatus Sacerdos. Rhemos posteà cum Collegio transmigrauit, vbi in concionibus præcelluit, & traductioni sacrorum Bibliorum astitit. Indè in messem missus Anglicanam, exhortando, concionando, sanctæ vitæ exemplo copiosam fecit magnorum piscium capturam. Tandem exoratus propter eminens multorum periculum Angliæ suæ valedixit, Duacum repetijt, vbi in sacra Theologia licentiatus factus, ad Monasterium Martionense vo catus est vt diuinas litteras interpretaretur, quas per multos iam annos docuit, docetque adhuc senex. Scripsit etiam admodum dilucidè & politè

De sacrificio Missæ, *Librum vnum*. Extat Duaci 1609.

Carminum diuersorum, Ex quibus aliqua impressa legi, *Librum vnum*.

Viuit adhuc multa alia scribens in præfato Monasterio hoc anno Christi, 1611, sub Iacobi Regis Imperio.

De Thoma Vvorthingtono.

1612. 1060. THOMAS Vvorthingtonus natione Anglus, patria Lancastrensis, ex nobili familia oriundus; iuuenis studuit Duaci in Anglorum Collegio, donec sacræ Theologię Baccalaureus creatus fuerit. Sacerdos ordinatus, & in Angliam missus strenuam lucrandis animis nauauit operam, donec cum præda opima præsertim nepotum parans reditum, interceptus est, & in Turrim Londinensem conjectus. Indè in exilium missus anno Domini 1588. Augustæ Treuirorum S. Theologiæ Doctor euasit, nec multò post Rhemis in Anglorum Collegio Theologiam positiuam docuit, & successu temporis Præses Collegij eiusdem Duaci commorantis constitutus, *vetus Testamentum in Anglicanam linguam translatum typis mandari curauit*, Duaci anno Domini 1609 & ad illud *Annotationes quasdam perutiles adiunxit*. Edidit etiam insignis viri D. Doctoris

Bristoi Motiua Latinè 1606, *Librum vnum*.

De mysterijs Rosarij, *Librum vnum*.

Catalogum Martyrum in Anglia ab anno 1570, vsque ad annum 1612. cui præmittitur narratio de origine Seminariorum Anglorum, *Librum vnum*. An alia scripserit, nescio. Viuit adhuc Duaci hoc anno 1612, regnante in Anglia Iacobo primo.

De Guilhelmo Giffordio.

1611.
1061.

GVILHELMVS Giffordius ex illuſtriſſima & antiquiſſima familia Comitum Giffordiorũ in Normannia paternum genus, maternũ ex nobiliſſimis Thocmortonijs duxit. Puer à matre piiſſima (defuncto in flore iuuentutis ſuæ patre) ad Vniuerſitatem Oxonienſem miſſus, ibidem in ſtudijs bonarum litterarum quatuor integros annos exegit, poſteà cum ſuo pœdagogo Louanium, vt liberiùs fidem Catholicam, quam ab incunabulis imbiberat, profiteri poſſet, profectus eſt. Ibique lauream Doctoralem in artibus conſecutus, quatuor annos in Theologicis ſtudijs maxima ex parte ſub P. Bellarmino inſumpſit, & factus eſt ſacræ Theologiæ Baccalaureus. Ingruentibus autem ciuilibus bellis, & Vniuerſitate Louanienſi penè deſolata, Pariſios petijt, ne benè inceptum in Theologia curſum interrumpere cogeretur. Nec longo poſt tempore Guilhelmus Alanus Rhemenſis Anglorum Collegij tum Præſes eum ad ſe vocauit, & Romam ad Anglorum Collegium miſit. Vbi finiuit Theologica ſtudia, & ab eodem Alano Rhemos reuocatus Theologiam publicus Profeſſor docuit per annos vndecim continuos. Intereà in Academia Pontamuſſana in Lotharingia ſacræ Theologiæ Doctor creatus eſt. Illũ in magno precio habuerunt Illuſtriſſimus Henricus Guiſiæ Dux, & frater eius Ludouicus Cardinalis & Archiepiſcopus Rhemenſis. A quibus pro penſione honoraria ducentos aureos annuatim accepit, quam diù vixerunt. Poſtquam autem è medio ſublati ſunt, & bellis ciuilibus ardere cœperat Gallia, Giffordius Romam profectus eſt, & Illuſtriſſimo Cardinali Alano Theologus factus eſt, & ope eiuſdem Cardinalis à Papa Clemente octauo Decanatum inſignis Eccleſiæ D. Petri Inſulenſis obtinuit, & ad annos decem cum honore poſſedit. Quo toto tempore in omnes præſertim exules Anglos mirè liberalis fuit, ædeſque ſuas omnibus bonis viris hoſpitales exhibuit. Indè relicto Decanatu in Gallias ad Rhemenſem vniuerſitatem remeare debuit. Vbi Rector Academiæ electus, cum laude & honore Magiſtratum illum geſſit. Tandem poſt annum ætatis ſuæ quinquageſimum mundo & mundanis honoribus valedixit, & apud Delavvariam in Lotharingia S. Benedicti habitum induit, & ſeipſum ſuaque omnia ſub illa regula diuinis obſequijs mancipauit, mutatoque, vt moris eſt, nomine, frater Gabriël de S. Maria iam vocatur. Coram multis principibus frequenter habuit orationes Latinas. Inſulis in inauguratione Alberti & Iſabellæ. Rhemis in Gallia coram Cardinalibus Borbonio, Vandomio, Guiſio, Vaudemontano, & coram Ducibus Guiſio, d'Aumalio, & alijs. Itaque inter itinera laborioſa, & frequentes tum loci, tum conditionis mutationes, aliaſque non leues moleſtias, numquàm labores litterarios intermiſit. Scripſit autem

Orationum, *Librum vnum.* Ex quibus aliquæ extant Duaci.
Caluinoturciſmum quem auctor imperfectum reliquit, abſoluit.

Scripsit etiam Latinè librum quemdam ad instantiam Ducis Guisij.
Vertit ex Gallico sermone in Anglicum Frontonem contra Plessæum de Mornay. Librum vnum. Plures libros præ manibus habet. Viuit enim & scribit hoc anno Domini 1611, regnante apud Anglos Iacobo primo.

De Ioanne Musheo.

1612. 1062. IOANNES Musheus natione Anglus, patria Eboracensis, primùm in Collegio Anglorum Duaci studuit, deinde Romæ Philosophiæ cursum absoluit, & in Theologia scholastica magnos fecit progressus: posteà creatus Sacerdos in messem Anglicanam missus est. Vbi animarum maximum lucrum fecit, & in carceribus & extra, fidem Catholicam ad viginti ferè annos viriliter propugnauit. Hinc à clero Anglicano Romam cum alijs missus est ad controuersias quasdam componendas: quo in munere præclarè admodum se gessit. Rediens in Angliam ad quatuordecim postea annos Reuerendissimi Domini Archipresbyteri Assistens magna cum vtilitate cursum suum ibidem consummauit. Interim multa scripsit

Declarationem motuum, &c. ad Clementem octauum, Librum vnum.
Epistolam ad illustrem Dominum D. Moram, Librum vnum.
Vitam & Martyrium D. Margaretæ Clithoreæ, Librum vnum.
Lectiones Panagorali Turini habitas, traduxit in linguam Anglicanam. Multa preterea in commentarios iecisse dicitur ea præsertim quæ contra Catholicos acta fuerunt in parte boreali: adhuc anno Domini 1612. In Anglia viuit regnante Iacobo primo.

De Guilhelmo Bishopo.

1612. 1062. GVILHELMVS Bishopus in agro Vvaruvicensi ex nobili familia oriundus, Oxonij artibus liberalibus operam dedit. Iuuenis amore religionis Catholicæ incensus, parentes & ampli patrimonij spem relinquens, ad Collegium Anglorum, quod tum Rhemis in Campania agebat, se conferens, sacræ Theologiæ nomen dedit. Anno vertente Romam inde missus & in Philosophia & in Theologia maiores fecit progressus. Sacerdos ibidem consecratus, in Angliam ad animas conuertendas demittitur: sed in portu captus, Cantuariam deductus est ad Vvalsinghamum magnum Secretarium; quo iubente vt durè tractaretur, quia intrepidè ei responderat, in portæ aquilonalis speluncam coniectus fuit: sed inde breuì Londinum translatus in Marescalcia detentus est modò arctiùs modò laxiùs. Vbi cum alijs Sacerdotibus publicè causam Catholicam bis contra sciolos quosdam Ministros ad magnam Catholicorum consolationem propugnauit, & nonnullos Protestantes ad fidem reduxit: è quibus octo postea Sacerdotes non incelebres facti sunt. Post tres annos in carcere exactos in exilium eiectus, Parisijs Theologiam reuisit, & hospitio in celebrem Sorbonæ domum susceptus, cursu consummato in Angliam reuersus est, ac nouem annos in

illa messe studiosè laborauit: donec à clero Anglicano Romam circa quædam eorum negotia ablegatus fuerit: quibus expeditis in patriam tertiò redijt, & ad octo annos pari, si non maiori contentione & fructu, eundem agrum excoluit à Reuerendissimo D. Archipresbytero in suorum Assistentium album electus. Tandem dum ex eiusdem & aliorum desiderio ad publicum cleri commodum, Parisios reuisere sese parat, Londini captus est, & in carcere iam agit Confessor Domini. Quod ad nostrum institutum propriè spectat, scripsit Anglicè:

Contra Catholicum Reformatum per Perkinsium, *Libros duos.*
Refutationem Apologiæ eiusdem Perkinsij per Robertum Abbotum, Librum j.
Impugnationem replicæ Abboti, *Librum vnum.*
Defensionem Regij honoris, & tituli ad regnum Anglicanum, Librum vnum.

De alijs eius scriptis mihi non constat. Viuit adhuc vinctus Domini hoc anno salutis 1612, regnante apud Anglos Iacobo primo.

De Matthæo Kelisono.

MATTHÆVS Kelizonus natione Anglus, patria Northamptoniensis. Hic ex Anglia Catholicæ religionis causa fugit in Galliam ad Anglorum Rhemense Collegium. Indè Romam missus. Vbi notitiã cum illo habui, studia tum Philosophica, tum Theologica in Anglorum Collegio absoluit. Quibus finitis, & Sacerdotio suscepto, in Galliam denuò redijt, & partim Rhemis, (vbi Doctor creatus est,) partim Duaci in Anglorum Collegijs Theologiam Scholasticam per multos annos docuit. Tandem Rhemos iterum reuersus ipsius Academiæ Theologicam cathedram ascendit Professor Regius, nec multo post tempore Rector Vniuersitatis electus est. Scripsit Anglicè ad Regem Angliæ Iacobum primum 1611. 1063.

De noua Anglorum religione, Libros octo. Extant Duaci anno 1605. Habeo & ex parte legi.

Responsionem ad replicam Sutclefi, Libros octo. Extant Rhemis anno 1608. Habeo in mea bibliotheca.

Composuit etiam orationem quam coram Rege Galliæ Henrico quarto habuit.

Alia scribens viuit adhuc Rhemis hoc anno 1611, regnante in Anglia Iacobo primo.

De Richardo Smithæo.

RICHARDVS Smithæus Iunior Lincolniensis sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Hic Romæ absoluto studiorum curriculo, Vallesoleti in Hispania Doctoralem gradum accepit, & ibidem Philosophiæ cursum docuit, in quo solas veteres sententias antiquorum Philosophorum nostræ gentis solidè & magno cum applausu defendit. Posteà missus in Angliam, in animarum conuersione strenuè laborauit. Indè Romam missus in curia Romana res Anglicani cleri tractauit, & in Angliam denuò reuersus est. Quædam Anglicè, quædam etiam Lati- 1611. 1064.

nè scripsisse dicitur. Anglicè

Responsionem ad Belli apostatæ prouocationem, *Librum vnum*. Extat Duaci anno 1606.

Bilancem prudentialem, *Librum vnum*.

Latinè scripsit vitam & mortem illustris Dominicæ de Monte Acuto, *Librum j.* Alia per Dei gratiam scripturus viuit adhuc hoc anno Domini 1611, in hac dura Catholicorum in Anglia conditione sub Iacobo huius nominis Rege primo.

De Edvvardo Vvestono.

1611. 1065. EDVVARDVS Vvestonus vrbem Londinensem in Anglia natalitiam habuit, in qua teneriorem ætatem exegit. Deindè Oxonium ad liberales artes capessendas, circa annum ætatis decimum quartum missus, quinquennium plus minùs illic in melioribus disciplinis posuit. Quo transacto tempore ingruit contra Catholicam religionem grauis persecutionis tempestas. Is itaque vt fidē auitam, quam vsque ad id tempus sanctè coluerat, integram conseruaret, exilium eligens voluntarium, in Galliam ad Anglorum Rhemensem Collegium se contulit, & post paucos menses indè Romam perrexit, atque ibidem in seminarium Anglorum receptus est, vbi eum cognoui. Ibi partim in Philosophicis, partim in Theologicis disciplinis sex & eo amplius annos posuit. Emensisque studiorum spacijs, antequàm Italiam relinqueret, in ciuitate & Academia Montis Realis Theologici Doctoratus laurea donatus est. Rhemos in Galliam rediens, & paulò pòst indè Duacum in Belgio profectus, in Anglorum ibidem seminario ferè ad decennium sacram Theologiam professus est. Deindè in Angliam ad verbum Dei prædicandum, & animas conuertendas se contulit, vbi forsitan adhuc agit. Scripsit intereà Latinè

De triplici hominis officio, *Libros tres*. Quoniam omnis qui in humana. An alia scripserit, me latet. Viuit hoc anno Domini 1611, sub difficili Iacobi primi in Anglia regno.

De Thoma Vvrighto.

1611. 1066. THOMAS Vvrightus natione Anglus in ipsa ciuitate Eboracensi natus. Ob fidem Catholicam Angliam egressus est anno ætatis suæ decimo sexto. Romæ Philosophiæ in Anglorum Collegio dedit operam, & ibi mihi cognitus est. Mediolani Theologiæ cursum absoluit, & ibidem linguam Hebræam publicè professus est, iam Sacerdos consecratus. Posteà Louanij scholasticam Theologiam docuit, ac demùm in Anglorum Collegio Vallesoleti in Hispania cōtrouersias fidei contra hæreticos Anglos alumnis exposuit. Tandem in Angliam profectus pro fidei Catholicæ professione per annos octo carceres sustinuit. Ex quibus tres integros annos in arctissima custodia peregit. Inter hæc scripsit circa sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Anglicè

De poßibilitate & conuenientia realis præsentiæ Christi in Eucharistiæ Sacramento, *Librum vnum*.

De dispositione ad Eucharistiam recipiendam, *Librum vnum*.

De paßionibus animæ, *Librum vnum*.

De articulis religionis Protestantium, *Librum vnum*.

Hæc partim in carcere, partim postquam in exilium sub initium regni Iacobi primi eiectus est, scripsit. Dum hæc scriberem, intellexi eum alios libros nondum in lucem emissos in promptu habere. Videlicet

Academiam Protestantium, seu anatomiam symbolicæ Cœnæ Joannis Caluini, *Librum vnum*.

Dauidis Threnos, seu de damnis peccati, *Librum vnum*.

De beatitudine, *Libros sex*.

Antuerpiæ nunc agit vbi Anglis, Scotis, & Hibernis concionatur hoc anno Domini 1611, gementibus Anglis Catholicis sub duro Regis Iacobi primi Imperio.

De Iosepho Cresvvello.

IOSEPHVS Cresvvellus, ante ingressum religionis Arthurus, natione Anglus, Londini natus. Hunc Romæ in Anglorum Collegio familiariter cognoui. Nam eodem tempore sub iisdem præceptoribus Philosophiam audiuimus. Quo cursu finito, in Societatem Iesu admissus mansit aliquandiù Romæ, posteà missus in Hispaniam, ibidem adhuc agit. Scripsit quædam Latinè, quædam Anglicè, & pleraque contra hæreticos Anglos

1611.
1067.

Contra edictum Elizabethæ aduersus Catholicos sub nomine Joannis Pernij, *Librum vnum*.

Martyrium Henrici Vvalpoli, *Librum vnum*.

De vita beata Latinè, *Librum vnum*.

Et quædam alia, vt ferunt, suppresso nomine. Viuit adhuc in Hispania hoc anno Domini 1611, regnante apud Anglos Iacobo primo.

De Thoma Fizherberto.

THOMAS Fizherbertus sacerdos Anglus nobili familia ortus. Hũc ferè à triginta annis Romæ cognoui pro Catholica fide exulem. In Hispaniam profectus, ibi ad aliquot annos vixit. Deinde cum Duce Feriæ redijt in Italiam & cum eo Mediolani mansit, vbi denuò cum eo veterem renouaui notitiam. Et quidem hoc toto tempore in sæculari statu vixit. Tandem Romam iterum profectus, ordinatus est sacerdos. Scripsit Anglicè

1611.
1068.

De politia & religione, *Libros duos*. Extat anno 1606.

Apologiam Catholicæ causæ, *Librum vnum*. Extat anno 1602. Vtrumque opus vidi in Bibliotheca Anglorum Benedictinorum Delovvariæ in Lotharingia. Adhuc alia scribens viuit Romæ hoc anno Domini-

cæ Incarnationis 1611, sub Iacobi primi regno in Anglia Catholicis duro.

De Nicolao Fizherberto.

1611. 1069. NICOLAVS Fizherbertus Thomæ præcedentis cognatus, & eadem familia nobili ortus. De qua suprà in Antonio Fizherberto, ad annum 1530. Hic adolescens in Oxoniensi Academia bonis litteris sedulam operam nauauit, & non pœnitendos progressus fecit. Posteà, vt Catholicam fidem liberè profiteri posset, patriam, parentes, & patrimonium propter Christum reliquit, & exul (quod mihi constat) saltem iam ab annis triginta in exteris regionibus vixit. Bononiæ in Italia Iurisprudentiæ studuit aliquando, cumque ibi primùm vidi, circa annum Domini 1580. Sed non multo post tempore Romam profectus, sedem ibi fixit, vbi eum ad aliquot annos familiariter noui. Ab anno 1587, viuere cœpit in Aula Illustrissimi Cardinalis Alani, quem mirè coluit, cuius etiam vitam eleganter Latinè scripsit. Illic eum familiariter cognoui. Est in homine pietas, vrbanitas, & præter vtriusque iuris scientiam, multa laus in humaniore litteratura, vt eum Catalogo nostro nequaquàm indignum iudicem. Romæ quædam sua in lucem emisit, quædam aliena transtulit. Et quidem ex Italica in Latinam linguam vertit

Casæ Galatæi de bonis moribus, *Librum vnum.* Comparatum à natura est. Extat Romæ anno Domini 1595.

Scripsit de Oxoniensi Academia, *Librum vnum.* Quàm vellem equidem. Extat Romæ anno 1602. Habeo, & perlegi.

De antiquitate & continuatione Catholicæ Religionis in Anglia ad Papam Paulum quintum, *Librum vnũ.* Non equidem casu. Romæ 1608. Habeo. Legi.

Epitomen vitæ Cardinalis Alani, *Librum vnum.* Agebatur annus à partu. Extat ibidem eodem anno. Habeo. Legi. Eiusdem vitam fusiùs etiam scripsit. Casu submersus est in itinere anno 1612, dum regnat in Anglia Iacobus primus.

De Philippo Vvodvvardo.

1611. 1070. PHILIPPVS Vvodvvardus Presbyter Anglus, mihi Romæ in Anglorum Collegio valdè familiaris. Nam sub ijsdem præceptoribus easdem lectiones tum in Philosophia, tum in Theologia ad quinquennium circiter simul audiuimus. Finitis studijs in Angliam ad lucrum animarum missus, multum laborauit, magnum fructum fecit. Multa præsertim Anglicè scripsisse dicitur, quorum titulos hactenùs non inueni, præter

Contra Bellum apostatam sacerdotem, *Librum vnum.*

E Latino vertit in Anglicum Dialogos S. Gregorij Papæ. Et alia plura partim vertit, partim scripsit, scribitque adhuc. Obijt Lugduni anno gratiæ 1610, sub Angliæ Rege Iacobo primo.

De Richardo Broughtono.

RICHARDVS Broughtonus natione Anglus, vir tam in humanioribus litteris quàm in Philosophia & sacra Theologia egregiè doctus, linguarum etiam Græcæ & Hebraïcæ peritissimus, Rhemis sacerdos creatus, & in Anglicanam messem missus, Spartam sibi nactam concionando, exhortando, monendo multos annos exornauit, vberrimósque animarum fructus in Christi horreum comportauit. Vnde tandem propter eminentem eruditionem, prudentiam & multorum annorum experientiam in R. D. Archipresbyteri Assistentem allectus est. Non desijt interim omnes penè peruolitare Authores, libris semper quasi affixus, hosque sui laboris indices scriptos posteris reliquit — 1612. 1071.

Epistolam Apologeticam, *Librum vnum.*

Moderatam responsionem, ad calumniosissimum libellum, quod vir Catholicè Romanus, non poterit esse bonus subditus, *Librum vnum.*

Continuationes Apologiæ Catholicæ ex Authoribus Protestanticis, Libros duos.

Adhuc viuit anno Christi 1612, sub Iacobo Rege, multa alia scripturus.

De Edmundo Holingo.

EEMVNDVS Holingus natione Anglus, patria Eboracensis, medicinæ Doctor & Professor in Academia Ingolstadiana in Bauaria. Mihi penè iam à triginta annis, partim Romæ in Anglorum Collegio, partim Ingolstadij familiariter notus. Vir in re Poëtica & Oratoria, Philosophica etiam & Medica plus quàm vulgariter eruditus, vt scripta eius testantur. Quamuis præter solemnes theses de medicinæ varijs partibus, & Poëmata diuersa, quibus certè sua laus nequaquàm deest, pauca in lucem emiserit. Composuit tamen opus quoddam de chilosi, hoc est, de prima ciborum, quæ in ventriculo fit, concoctione, veterem, vt profitetur, medicorum scholam secutus, & antiquorum sententias propugnans. Scripsit etiam rationes quibus studiosi valetudinem suam tueantur & conseruent, vt vitam quàm diutissimè producant, sed titulos singulorum operum eius ponamus. Scripsit — 1612. 1072.

De chilosi, *Librum vnum.* Ingolstadij anno 1592.

De salubri studiosorum victu, *Librum vnum.* Aëris hauriendi. Ibidem anno 1602.

Theses de Medicina plures. Extant Ingolstadij.

Poëmata varia, *Librum vnum.*

Orationes & epistolas, *Librum vnum.* Obijt Ingolstadij die 26. Martij anno gratiæ 1612, regnante apud Anglos Iacobo primo.

De Edvvardo Mahuuo.

EDVVARDVS Mahuus in Anglia è nobilibus ortus parentibus (qui plurima etiam ob constantem fidei Catholicæ professionem passi sunt) puer Rhemos missus est vnà cum fratre Henrico (qui po- — 1612. 1073.

steà sacerdos sanctissimus & insignis Christi Confessor euasit.) Ibidem septem annos in litteris humanioribus studiosè collocauit, & inter alios me magistrum habuit. Romæ posteà quinque annos in liberalibus artibus & sacra Theologia fœliciter posuit. Factus tandem Sacerdos in Angliam ad vineam Domini excolendam remissus est. Vti posteaquam duodecim annos magna diligentia nec minore fructu desudasset, habitum S. Benedicti à Reuerendo Patre D. Seberto, vnico Monasterij S. Petri ad Vvestmonasterium relicto Monacho suscepit. Nec tamen nisi post sex annos Angliam suam reliquit, quod etiam fecit tum vt Monastica disciplina in loco oportuniore sese exerceret, tum vt negotia quædam suæ Congregationis perageret. Monasterio Benedictinorum Anglorum in Lotharingia iam magna præest pietate, & iuniores in eadem disciplina singulari quadam benignitate erudire & exercere dicitur. Permulta interim præclarè scripsit.

Manuale ad vsum Sarum, notis illustrauit & edidit, *Librum vnum.*

Tractatum de fundamentis veteris Ecclesiæ in lucem emisit, *Librum vnum.*

Alteram partem de definitione & notis Ecclesiæ prælo paratam habet. Item Responsum ad ea quæ Fildus in eodem reprehendit.

Paradisum precum ex deuotis Autheribus collectum, *Librum vnum.*

Et alia multa. Viuit adhuc anno Domini 1612, sub Rege Iacobo.

De Radulpho Bucklando.

1612. 1074. RADVLPHVS Bucklandus nobili loco in Anglia natus, Oxonij liberalibus artibus, Londini Iuri municipali studuit adolescens: sed religionis Catholicæ amore inflammatus, parentes & amplam hæreditatem (erat enim patris hæres) contemnens, ad Collegium Anglorum Rhemis aufugit: quo in loco & Romæ tam Philosophiæ quàm Theologiæ annos circiter septem egregiam operam nauauit. Deinde Sacerdos creatus in messem Anglicanam destinatur. In quo sanctissimo opere ad viginti plus minus annos magna in Deum pietate & singulari animarum zelo diligentissimè laborauit. Quod ad litteraria monimenta attinet,

Psalmos quosdam composuit deuotione plenissimos, quos animæ inflammatæ scintillas nominauit.

Victoris de persecutione Vandalica historiam in linguam Anglicanā traduxit.

Transtulisse etiam dicitur Anglicè omnes Surij Tomos de vitis Sanctorum, & prælo obtulisse.

Obijt anno Domini 1611. regnante apud Anglos Iacobo primo.

De Meipso.

IOANNES Pitsius, vulgò Pits, natione Anglus, patria Southamptoniensis, Diœcesis Vvintoniensis, parentibus Henrico & Elizabetha natus. Ad gloriam Dei, ad vtilitatem Ecclesiæ Catholicæ, ad honorem

patriæ,

patriæ, ad posteritatis commodum, meique nominis memoriam, scribebam

De legibus Theologicum Tractatum. Extat Treuiris anno 1592.

De beatitudine Theologicum Tractatum. Extat Ingolstadij anno 1595.

De peregrinatione, Libros septem. Solebant antiqui Romani. Dusseldorpij anno 1604.

De Academijs, & illustribus Scriptoribus Angliæ volumen hoc.

Alia quidem non pauca præ manibus habeo, tum oratione soluta, tum ligata. Præsertim de Episcopis, de Apostolicis viris, & de Regibus gentis nostræ. De quorũ omnium editione propter incertitudinẽ vitæ, nihil mihi certi. Nam si prius in lucem non prodierint, quàm ego ex hac luce migrauero, mecum quodammodò morientur, & sepelientur.

Viuo prospera per Dei gratiam fruens valetudine hoc anno salutis humanæ 1614, regnante in Anglia Iacobo primo.

De Ioanne Pitsio.

QVANDOQVIDEM ipsemet D. Pitsius plurimùm desudauit, vt res aliorum præclarè gestas posteritati commendaret, de se verò (quæ eius erat modestia) parùm admodum dixit, hanc illi reddamus gratiam, vt eodem modo de illo, sicut & ille de alijs, narrationem instituamus. Ioãnes Pitsius natione Anglus, patriâ Southamptoniẽsis, diœcesis Vvintoniensis, honestis parentibus Henrico & Elizabetha (quæ clarissimi D. D. Sanderi soror germana fuit) oriundus. Domi, quæ teneræ ætati conueniunt, didicit: vndecim annos natus ad Collegiũ Vviccamicum Vvintoniæ missus, ibi septem annis totum humanioris litteraturæ curriculum absoluens, cùm esset bonæ spei adolescẽs, Oxonium ad Philosophiam & liberales artes perdiscẽdas destinatur. Vbi biennio nondũ emẽso, tædere eum cœpit hæreseos vnde Collegio, Patriæ ac Parentibus valedicens, per Duacum rectà proficiscitur Rhemos, vbi tum Collegium Anglorum hærebat. Ibi ad annum vnum mansit. Inde Romam missus est, vbi ad septennium ferè, partim Philosophiæ, partim Theologiæ in Collegio Anglicano sedulã nauauit operam, & sacerdos creatus est. Inde Rhemos reuersus, ad biennium Rhetoricam & Græcas litteras docuit. Ingruentibus verò in Gallia bellicis tumultibus, in Lotharingiam se subduxit, Mussiponti gradum magisterij in artibus quod anteà neglexerat, suscepit, & statim thesibus propositis sacræ Theologiæ Baccalaureus creatus est. Inde in superiorem Germaniã proficiscẽs, Augustæ Treuirorum annum cum dimidio commorãs, post tres Theologicos cõgressus licentiatus creatur. Deinde postquam meliores Germaniæ ciuitates inuiserat, Ingolstadij in Bauaria ad tres annos sedebat, vbi per solennes disputationes Doctoralem dignitatem consequutus est. Quando iam tam Italiam quàm Germaniam perlustrasset, vtramque linguam perfectè callens in Lotharingiam reuersus est. Vbi ab Illustrissimo Cardinali Lotharingiæ Carolo propter eminentem tam scientiam

quàm pietatem canonicatu Virdunensi donatus fuit. Sed inde post duos annos à Serenissima Principe Antonia, filia Ducis Lotharingiæ, (quæ Duci Cliuiæ nupsit) euocatus, illi à secretis Confessionum per duodecim annos extitit. Cui vt commodiùs inseruiret, linguam Gallicam accuratiùs didicit; adeò vt Gallicè concionari solebat. Otium hoc nactus, otiosus esse noluit; sed historijs gentis suæ peruoluendis maximam temporis sui partem dedidit: omnia quæ vel ad Ecclesiasticam Hierarchiam, vel ad reipub. politiam pertinere videbantur, diligenter obseruans & in Aduersaria conijciens. Vnde quatuor magna volumina collegit, Regum vnum, alterum Episcoporum, tertium virorum Apostolicorum, quartum illustrium Virorum. Ducissâ post duodecim annos mortuâ, tertiùm in Lotharingiam rediens à Reuerendissimo Domino Episcopo Tullensi, qui eius aliquando discipulus fuerat, ad Decanatum Liuerduni promotus est. Vbi per cognatum suum admodum venerabilem virum D. Arthurum Pitsium certior factus, quosdam Doctores Anglos Parisijs conuocatos vt fidem Catholicam scriptis contra hæreticos Anglos defenderent, statuit illuc proficisci, vt vnà cum illis studia cõiungeret, scripta conferret. Sed crebris præpeditus difficultatibus, rogauit vt absens in eorum numerum ascisceretur: quod illi perlibenter concessum est. Quapropter librum hunc multò lubentiùs perlegerunt, & vbi opus erat, quod non crebrò accidit, correxerunt, & prælo tandem dederunt, eis opem ferente supradicto Domino Arthuro Pitsio. Circa annum Domini 1616. Liuerduni in bona pace è viuis excessit, vt cum illis quorum præclarè facta in terris conscripsit, in cælo gloriam consequeretur æternam.

Secundæ Partis, seu Catalogi illustrium Angliæ Scriptorum, Finis.



INCIPIT IOANNIS PITSII

ſacræ Theologiæ Doctoris Relationum de rebus Anglicis, tomi primi Pars tertia, continens Appendicem illuſtrium Scriptorum trecentorum octoginta circiter, ordine Alphabetico per Centurias.

PROOEMIVM AD LECTOREM.



DNECTO hîc, beneuole Lector, Appendicem quorũdam Scriptorum Nationis noſtræ, de quibus pleriſque hactenùs tam parcam inuenio mentionem, & tam pauca, tamque incerta reperio, vt eos adhuc efficere non valeam dignos qui inter illuſtres Scriptores in Catalogo noſtro locum obtineant. Nam vel tempus quo plerique illorum vixerunt, vel opera quæ ſcripſerunt, vel alia quæ in re litteraria præſtiterunt, aut penitus ignoro, aut non ſatis habeo compeṡta. Et ideò non admitto eos tanquam lapides integros ad ædificationem noſtri altaris holocauſtorum, ſed repono in loco apto, quoaduſque veniat Propheta, & reſpondeat de ijs: hoc eſt, donec vel librorum lectione, vel amicorum admonitione certior fiam, quomodo & quo loco vitam egerint, & maximè quo tempore quiſque vixerit, & quid ſcripſerit. Et quoniam qua tempeſtate plerique eorum floruerunt, in obſcuro eſt; in ijs omnibus recenſendis, Alphabeti, & non annorum rationem & ordinem ſequar.

A.

De Adamo Anglico.

ADAMVS Anglicus natione & cognomine, ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor Pariſienſis. Vir ingenij magni, paris doctrinæ. A Petro Vincentino Dominicano numeratur inter eos Doctores, qui cum Dominicanorum ſchola mordicus tenent beatam Mariam ſemper Virginem fuiſſe in originali peccato conceptam. Vnde eum ordinis S. Dominici fuiſſe non dubito. Porrò vt magnum nomen quod eximia doctrina viuus acquiſiuerat, etiam mortuus poſteris commendaret, ad publicum rei litterariæ commodum, in lucem emiſit

1.

Commentarios in Magiſtrum Sententiarum, Libros quatuor.

Quæstiones ordinarias, *Librum vnum.* Et id genus alia, quæ me latent, vti & tempus quo vixit......

De Adamo Bucfeldo.

2. ADAMVS Bucfeldus natione Anglus, insignis Peripateticus, & Aristotelis rimator subtilissimus. Lelando teste scripsit

Commentarios in Metaphysicam Aristotelis, *Libros duodecim.* MS. Oxonij in Collegio Balliolensi. Aliud nihil de illo scio......

De Adamo Burlæo.

3. ADAMVS Burlæus, dictus Magister Adamus Philosophus Anglus, scripsit

Quæstiones Logicales, *Librum vnum.* MS. Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij & Gunnelli. Alia me latent......

De Adamo Miluero.

1461. 4. ADAMVS Miluerus nobilibus in Anglia parentibus natus. Vir bonarum litterarum amantissimus, vt Ioannes Lelandus, & in suo Chronico chronicorum Hortmãnus Scedellus Historiographus testantur. Et quidem multa scripsisse putatur, quæ infœliciter cum ipso perierunt. Nam cùm apud Regem esset secreti sigilli custos, de imperio dimicantibus hostiliter Henrico sexto & Edvvardo quarto, Miluerus victore Edvvardo, & victo Henrico, capite plexus est, circa annum Domini 1461, inchoante regnum Edvvardo quarto.

De Adamo Pontuaio.

5. ADAMVS Pontuaius, qui à quibusdam Paruus cognominatur, natione Anglus. Vir multiplicis eruditionis. Diligens Alexandri Neccami in quibusdam suis scriptis imitator, quæ in Bibliothecis Londinensibus asseruata fuisse dicuntur, vsque ad Catholicæ religionis in Anglia depressionem. Scripsit autem

Super dictionibus Bibliorum, *Librum vnum.*

Tractatum Logices, *Librum vnum.* Et quædam alia, quæ me latent......

De sancto Ailvvino.

1094. 6. SANCTVS Ailvvinus Eremita Anglus, cuius vita dicitur haberi MS. Oxonij in Bibliotheca Collegij S. Mariæ Magdalenæ, forsan auctore Petro Blesensi. Scripsit librum quendam ad Herebertum Episcopum, puto illum, qui circa annum Domini 1090, transtulit Episcopalem sedem Tetfordia Norvvicum. Liber MS. haberi dicitur Cantabrigiæ in Collegio sancti Petri. De hoc auctore, operibus, & alijs eius gestis nihil aliud hactenùs inuenio. Videtur claruisse circa annum Domini 1094, regnante in Anglia Guilhelmo Rufo.

De Aione.

AIo ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Croilandensi, iurisperitus insignis, valdè etiam pius & prudens, vt pote qui in bonarum litterarum studijs, & Monastica disciplina ferè totam exegerit ætatem, hic mandante Abbate Turketulo, & materiam suppeditantibus antiquioribus Monachis, maximè Turgaro & Suetmanno, posteritati egregiam sui Monasterij tradidit historiam, annorum circiter ducentorum & sexaginta, à prima scilicet fundatione per Ethelbaldum Merciorum Regem, non multum post annum Domini 700, vsque ad annũ plus minus 970, quo Edgarus regnauit. Et quia Reges Merciorum & Vvestsaxonum fuerunt illius Monasterij præcipui fundatores, multa tractat de illis regibus & eorum regnis. Scripsit igitur Ingulpho teste 974. 7.

De rebus memorandis Monasterij Croilandensis, *Librum vnum.*
De statutis Turketuli Abbatis, *Librum vnum*. Et eiusmodi alia.
Obijt anno Domini 974, regnante apud Anglos Edgaro.

De Alaceno.

ALACENVS vel Alhazenus, natione Anglus, auctor, teste Lelando, vetustus, & varijs scientijs instructus, Philosophus, Mathematicus, & potissimùm Astronomus non modò suo tempore celebris, sed etiam posteris propter scripta notissimus. Nam ad conseruandam illam quam acquisiuerat nominis celebritatem posteritati tradidit 8.

Perspectiuam, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.
De ascensu nubium, *Librum vnum*. Ostendere quid sit crepusculum.
M S. ibidem. Et id genus alia plura. Sed tempus, quo vixit, non inuenio.

De Alano Beaucliffo.

ALANVS Beaucliffus, seu Bellocliuus, vel de Becolles, natione Anglus, patria Suffolcensis. Hic Oxonij longo tempore bonis litteris operam dedit, vbi cùm iam magnam ex eruditione singulari laudem acquisiuisset, in Galliam ad Academiam Parisiensem se contulit, vt non solum domesticos Anglos, sed etiam externos Gallos eruditionis suæ testes faceret. Ibi post factum in publicis disputationibus, & alijs scholasticis exercitijs ingenij acuti, & solidæ doctrinæ suæ periculum, ad cathedram primùm Philosophicam, deindè Theologicam euectus, publicitùs multo tempore docuit, & tandem in explicandis sacris Scripturis Lutetiæ palmam omnibus præripuit. Vt non immeritò Matthæus Paris ad S. Albanum Monachus Anglus in historia sua ad annum Domini 1229, hunc inter præcipuos illius ætatis Theologos ponendum existimet. Cur igitur ego eum appendice nostra non dignabor? Dignarer certè Catalogo, si vel operum titulos apud aliquem probatum auctorem inuenirem. Sed licet credibile sit tantum Doctorem multa in lu- 1230. 9.

cem emisisse, omnia tamen in aliena terra perijsse videntur. Qui antiquitùs, maximè ante inuentam typographiam, communis casus erat eorum qui in exilio viuebant & moriebantur. Claruit anno post aduentum filij Dei in carne 1230, dum rerum in Anglia potiretur Henricus tertius.

De Albano Hillo.

10. ALBANVS Hillus natione Cambro-Britannus, professione medicus. Vir omni optimarum disciplinarum genere instructus. Hic, teste Bassiano Lando Placentino, scripsit in Galenum præsertim circa illa quæ anatomiam spectant.

De Albano Vate.

11. ALBANVS Vates ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in cœnobio S. Albani. Vir pius & doctus, spiritu etiam Prophetico imbutus, frequentes habuit rerum arcanarum per quietem visiones & mirabiles reuelationes. Vndè & quidam eum somniatorem vocant: obscurissima antiquorum scripta dilucidè explicauit, genuinum, vt videtur, eorum sensum consecutus. Scripsit autem partim versu, partim oratione soluta, vt ex Rogero Cestriensi collegi

Carmina vaticinalia, *Librum vnum.* Anglia transmittas Leopardo lilia.

Prophetiarum, *Librum vnum.* Alia forsan vetustas in obscuro posuit, vti & tempus quo floruit.

De Albino Abbate.

700. 12. ALBINVS ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, & tandem in cœnobio S. Augustini apud Cantuariam Abbas. Vir valdè venerabilis, pius, & eruditus. Penè ab adolescentia educatus sub disciplina Theodori Cantuariensis Archiepiscopi, ad insignem in omni melioris litteraturæ genere cognitionem peruenit, & tum Græcæ tum Latinæ linguæ peritissimus euasit. Historias videtur scripsisse. Nam fatetur Venerabilis Beda se hunc habuisse adiutorem in sua Ecclesiastica historia compilanda. Claruit circa annum Christi 700, regnante in Cantia Victredo.

De Aldermanno.

13. ALDERMANNVS, id est, Senatorius vir, Londinensis in Anglia ciuitatis alumnus, Poëta curialis, & quidem perelegans, maximè si sensum, & pondus respicias sententiarum. Non enim erat tam verborum venator curiosus, quàm solidus rerum ipsarum inuestigator. Hæc ex Syluestro Giraldo libro secundo Speculi Ecclesiæ capite vicesimo. Qui & addit eum inter alia edidisse

Diuersorum carminum, *Librum vnum.*

De alijs nihil certi habeo, nec etiam quo tempore floruerit inuenio.

De Aldrico Iurisperito.

ALDRICVS vtriusque iuris Doctor Anglus. Vir à multis ob insignem in iurisprudentia cognitionem mirificè commendatus. Hunc, inter alios Guilhelmus Fastergicus in suo de rerum originibus opere, licet quo tempore floruerit, & ex qua gente natus fuerit, ignoret, testatur super libris varijs iuris ciuilis eruditè scripsisse. Nam & Accursius Iuris Ciuilis magnus glossator huius scripta & opiniones non semel citat. Ego de illo hactenùs prorsus nihil aliud inuenio. 14.

De Aldruido Mago.

ALDRVIDVS Magus, huius nomen inter Scriptores Anglos se deprehendisse testatur Lelandus. Erat vir ingenij subtilis, & nimis curiosi. Suprà forsan quàm oportuit, arcana naturalis Philosophiæ penetralia scrutari adeò præsumpsit, vt Magiæ suspicionem incurrerit. Composuit inter ceteras ingenij temerarij nugas 15.

De quintis essentijs, Librum vnum. Quem diù seruatum fuisse ferunt Londini in bibliotheca Dominicanorum.

De Alexandro Theologo.

ALEXANDER Theologus Anglus, & quidem, vt ferunt, vetustissimus, scripsit 16.

Summam seu destructorium vitiorum. Extat Venetijs anno 1582.

De Alfrico Albano.

ALFRICVS Albanus, id est, ordinis S. Benedicti ad S. Albanum Abbas, natione Anglus. Hic ab adolescentia non solum in regulari disciplina iugum Domini suaue portauit, sed etiam bonas artes, omnesque virtutes tam auidè imbibit, vt & intellectum multiplici scientia pulchrè ornauerit contra ignorantiam, & voluntatem egregijs quibusque virtutibus insigniter instruxerit, contra omnem morum corruptelam. Hinc cum non immeritò Matthæus Paris, agens de gestis Abbatum S. Albani, summis in cœlum effert laudibus. Ex multis quæ pereruditè scripsit, nihil, quod sciam ad posteros venit, præter 17.

Liturgiam quam ad vsum suorum Monachorũ composuit, apprimè congruam.

De Andræa Horno.

ANDRÆAS Hornus historicus Anglus, Claudiocestrensis ciuitatis, vt videtur, alumnus. Vir in antiquitatibus indagandis mirè diligens. Quo in genere cùm multa legeret, curiosè admodum illa notauit, quæ de Claudiocestria scripta inuenit. Et postquàm multa accumulasset, ea ordine disposuit, & in historicam methodum non infœliciter redegit, & tandem in publicum emisit 18.

Chronicon Claudiocestriæ, Librum vnum. Atque hæc pleraque desumpsi ex

Buttonero in Anglicarum antiquitatum opere, qui nec alia eius scripta, nec tempus, quo vixit, commemorat.

De Anonymo Mertonensi.

19. ANONYMVS Anglus Collegij Mertonensis alumnus in Oxoniensi Academia. Vir omnium liberalium artium peritissimus, & calculator imprimis egregius. Multa scripsit contra Marianum Scotum, quæ Oxoniæ in bibliotheca præfati Collegij diù fuerunt asseruata, sine auctoris nomine. Solummodò in libri frontispicio scriptum ferunt *Anglus quidam contra Marianum Scotum.* Erat opus elaboratum, & historijs legendis, temporibusque supputandis admodum vtile. Continebat enim accuratam quandam correctionem supputationum à Seruatore nato, cui præfixus fuit hic, vel non dissimilis titulus

Calculationes de vniuersali cōputo, Librum vnum. De numero annorum ab Incarnatione. Alia eius scripta non inuenio. Et quo tempore floruerit, ipsum fortè tempus obscurum fecit.

De Anonymo altero.

20. ANONYMVS Historicus Anglus

Scripsit de bellis & alijs rebus gestis Regis Angliæ Richardi primi, Libr. j. Ægrotauit Henricus. MS. Oxonij in Collegio S. Mariæ Magdalenæ.

De Anonymo altero.

1450. 21. ANONYMVS alter Historicus Anglus, transtulit Titum Liuium ex Latino in Anglicum sermonem. Scripsit

Historiam Regis Henrici quinti, quam dedicauit Henrico sexto.

Claruit circa annum Domini 1450, regnante in Anglia Henrico sexto.

De Anonymo Monacho.

22. ANONYMVS ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Cantuariensi, scripsit

In Apocalypsim S. Ioannis, Librum j. Legimus Genesis cap. 23, vidit Iacob.

De Anonymo Monacho.

23. ANONYMVS alter ordinis S. Benedicti Monachus Anglus. Scripsit

In Apocalypsim S. Ioannis, Librum vnum. Spiritu magno vidit vltima.

De Anonymo Monacho.

24. ANONYMVS ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Dunelmensi. *Scripsit chronica.*

De Anonymo Sacerdote.

25. ANONYMVS Sacerdos sæcularis natione Anglus. Scripsit

In Apocalypsim S. Ioannis, Librum j. Nunquid ad præceptum eleuabitur.

De Anonymo Sacerdote.

ANONYMVS alter Sacerdos sæcularis natione Anglus. Scripsit *In Apocalypsim S. Ioannis, Libros octo.* Diuersos marnia discrimina. 26.

De Antonio Becco.

ANTONIVS Beccus Sacerdos Anglus. Vir pius & litteratus, magno & elato ingenio, in omnibus quidem magnificus, imò splendidus, sed in ædificijs cōstruendis supra modum sumptuosus. Virtutis & eruditionis intuitu euectus est ad Episcopatum Dunelmensem, & anno Domini 1305, electus Patriarcha Hierosolymitanus, & à Clemente Papa quinto confirmatus, plura teste Lelando, eruditè scripsit. Sed ego nè vnum quidem hactenùs operum eius inueni titulum. Obijt anno post Christum natum 1310, regnante in Anglia Edvvardo secundo. Vide quem scripsimus de Dunelmensibus Episcopis Catalogum. 1310. 27.

De Antonio Pacino.

ANTONIVS Pacinus scripsit ad Humfredum Claudiocestriæ Ducem 28.
De vita Marij, Librum vnum. M S. Oxonij in Collegio S. Mariæ Magdalenæ.

De Atroclio Abbate.

ATROCLIVS Abbas Britannus, Iltuti Morganensis aliquandò discipulus, ad quem Iltutus scripsit epistolam. Vir teste Vincentio, non vulgariter eruditus, & qui multa scripsit, ex quibus tamen nihil hactenùs inueni. 530. 29.
Claruit anno Domini 530, sub Rege Britonum Arthuro.

B.

De Balatino.

BALATINVS Anglus Anglico sermone, vt auctor est Edvvardus Hallus, scripsit 30.
Chronicorum, Librum vnum.

De Bartholomæo Brem.

BARTHOLOMÆVS Brem natione Anglus scripsit
Quæstiones Logicas, Librum vnum. M S. Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij & Gonnelli. 31.

De Bartholemæo Culeio.

BARTHOLOMÆVS Culeius vel Conuaius, ex antiquis Britannis in Cambria natus, originem traxit. Vir ingenij subtilis & acuti. Oxonij diù Philosophicis disciplinis strenuam operam dedit, in ijs po- 32.

tissimum desudans, quæ ad arcana & abstrusiora naturæ spectant. De quibus multa scripsisse pereruditè perhibetur, quæ pleraque vetustas, opinor, obliuione deleuit, sicuti & ipsum tempus quo auctor vixit. Ferunt tamen adhuc extare ex eius lucubrationibus

De generatione & corruptione, *Libros duos*. Sicut scribit Philosophus in principio.

De Bedvvino.

679. 33. BEDVVINVS Anglus & Anglorum Orientalium Episcopus vel primus Helmhamensis Præsul proprius, virtutis & eruditionis meritis ad hanc dignitatē euectus. Eccam sanctissimum presbyterum socium, & propter morum similitudinem amicissimum habuit. Ex Alberico Veero & Lelando colligi potest hunc Bedvvinū quædam scripsisse, quia multos tum præsens tum absens in fide & moribus insigniter instruxit, atque etiam vacillantes nouitios dulci eloquētia, & solidis argumentis in religione Christiana non semel confirmauit. Quoniātamen scriptorū tituli, quantum scio, perierunt, non ad Catalogum, sed ad Appendicem meam illum refero. Obijt anno à plenitudine temporis 679, regno Saxonum Occidentalium occidente, vel post Regem Coinvvalchium ad tyrannidem declinante. Vide illum quem composuimus de Orientalium Anglorum Episcopis Catalogum.

De Belueteto.

34. BELVETETVS Moudonius Anglus, scripsit

De ordine Garterij, *Librum j.* M S. in bibliotheca Lumleiana.

De Benedicto de Camfeldia.

1611. 35. BENEDICTVS Fich Camfeldus ordinis S. Francisci Capucinus Anglus in Conuentu Parisiensi, patria Estsaxiensis, concionator in lingua Gallica non contemnendus, quem aliquando Parisijs concionantem audiui. Scripsit

Tabulam quamdam de benè orando.

Regulam perfectionis seu breue totius vitæ spiritualis compēdium, *Librum vnum.* Extat Coloniæ anno 1610. Forsan plura & maiora scripturus obijt anno salutis 1611, regnante in Anglia Iacobo primo.

De Benedicto de S. Sancta Fide.

1410. 36. BENEDICTVS de S. Fide, sic dictus ab oppido natalitio fuit ordinis fratrum beatæ Mariæ semper Virginis de Monte Carmeli Monachus Anglus, in cœnobio Norvvicensi. Hic in patria fœliciter consūmato studiorum cursu, augendæ scientiæ causa, regiones exteras petijt, & tandem Romam vsque peruenit. Vbi eminens doctrina, singularis in Deum pietas, & in rebus gerendis mira dexteritas, eum magnis viris charum reddiderunt. Coluit imprimis Henricum Minutilum Archiepiscopum Neapolitanum, & tandem Cardinalem Tusculanum. Cu-

ius operâ etiam summo Pontifici Bonifacio nono, de meliore nota commendatus erat. Apud quem dum suum honorem egregiè tueretur, honorificis non semel, Pontifice mittente, legationibus functus est. Inter hæc autem erudita opuscula non pauca edidisse dicitur, quorum tamen nullum nominatim proferre possum. Neapoli tandem fatis concessit anno post Christum in carne natum 1410, dum in Anglia regnaret Henricus quartus. Hæc ferè omnia ex Lelando.

De Berenguiddo.

BERENGVIDDVS, vt puto Anglus. Scripsit *In Apocalypsim S. Ioannis, Librum vnum.* Apocalypsis Iesu Christi. Qui liber, licet mancus, habetur M S. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegij S. Benedicti & S. Petri. Et in priuata nobilis viri Gualteri Copi. 37.

De Bernardo Sapiente.

BERNARDVS cognomento Sapiens, natione, puto, Anglus. Hic Hierosolymam peregrinatus loca sancta sanctè inuisit, & tanquam testis oculatus 38.

De ipsa vrbe Hierusalem, & de multis adiacentibus locis scripsit, Librum vnum. Cuius initium est, anno 970, & habetur M S. Oxoniæ in Collegio Lincolniensi.

De Bernitio Lincolniensi.

BERNITIVS Lincolniensis, natione Anglus. Scripsit eruditam epistolam, quæ habetur M S. Oxoniæ in Collegio Lincolniensi. 39.

De Blaincotho Britanno.

BLAINCOTVS hunc ex nomine collegit Lelandus fuisse Cambro-Britannum. Erat primùm Oxoniensis Academiæ Philosophus celebris, deindè ibidem Theologus insignis, fructu litterario laboribus & vigilijs optimè semper respondente. Et certè quantum ego coniectura consequi possum, existimo eum non modò supremam in Theologia laureā obtinuisse, sed etiam è suprema cathedra sacras litteras docuisse. Argumento est, quòd pereruditè scripserit 40.

Super Magistrum Sententiarum, Libros quatuor. Hæc ferè Lelandus. Et aliud nihil. Ne tempus quidem, quo floruit.

De Bosone Cardinali.

BOSO natione Anglus, ad S. Albanum ordinis S. Benedicti Monachus, Adriani Papæ quarti nepos & scriba. Vir pius & eruditus, & qui inter præcipuos sui temporis Theologos à Scriptoribus meritò numeratur. Itaque à Papa patruo suo primùm anno Domini 1155, S. R. E. Cardinalis Diaconus tituli S S. Cosmæ & Damiani simulque Camerarius; deindè anno 1163, ab Alexandro Papa tertio presbyter Cardinalis 1181. 41.

tituli S. Pudentianæ, adiuncto etiam titulo Pastoris creatus est. Vnus erat ex viginti quatuor Cardinalibus qui Alexandrum Papam tertiũ in schismate elegerunt. Hæc ex Onuphrio Panuinio. Ex quo etiam colligi potest eum quædam edidisse scripta, & sub Lucio Papa tertio Romæ mortuũ & sepultum fuisse circa annum gratiæ 1181, regnante in Anglia Henrico secundo.

De Bricmoro Philosopho.

42. BRICMORVS natione Anglus, cognomento Sophista, Philosophus Oxoniensis, & quidem non contemnendus, quamuis non desint, qui scribant eum terminos Logicos nunquàm transcendisse. Lelandus tamen affirmare non dubitat, hominem fuisse in cognitione rerum naturalium exercitatissimum, & argutum in scholis disputatorem, Aristotelis diligentissimum scrutatorem. Qui vt traderet posteris ad sui nominis memoriam, quæ docuerat auditores, tum ad commodum, tum ad oblectamentum: in lucem emisit

Hyponnemata in Elenchos Aristotelis, *Libros duos.*
In eiusdem Topica, *Libros quatuor.*
In eius Priora, *Libros duos.*
In eius Posteriora, *Libros duos.* Et aliaquædam quæ non inuenio.....

C.

De Candido Presbytero.

790. 44. CANDIDVS Presbyter natione Anglus. Vir ad omnes virtutes, ad omnes bonas disciplinas capessendas à natura factus & formatus. In insula Lindisfarnensi strenuum operatorem in vtroque genere se præbuit, optimis vsus præceptoribus, imprimis patrono simùl & Magistro Higibaldo ibidem Episcopo. Magnum etiam ad bonarum litterarum studium adiumentum attulit ei insignis illic bibliotheca selectissimis quibusque libris referta. Sed ecce repentinam horum omnium mutationem, & penè irreparabile exterminium. Dani barbari in insulam irruunt, omnia flammis & ferro vastant, in ipsos libros tanquam in hostes sæuiunt (nam sunt quodammodò boni libri Barbarorum, vti & Barbari bonorum librorum hostes) bibliothecam incendunt, nullo redimendum precio thesaurum absumunt. Breuiter furibundus Mars placidam Mineruam, furiæ Musas indè exturbarunt. Candidus igitur cuius candor hanc barbarorum rabiem, & has latronum rapinas ferre non potuit, Higibaldo Episcopo, etiam tunc in aduersis, vt ante in prosperis rebus, patrono & fautore vsus, ne studiorum cursum sic interruptum, omninò abrumperet, in Galliam ad Alcuinum missus est, ad quem perueniens, studia strenuè prosecutus est. Ex votis omne negotium successit, Candidus in virum insigniter litteratum euasit, in Gallia magnum nomẽ obtinuit, & ad suos in Angliam rediens reportauit. De his Alcuinus in epistola ad Flauiũ Damætam sic scribit: *Damæta Saxoniam: Homerus Italiam, Candidus Britanniam recessit.* Ad huius etiam eruditi viri lau-

dem plurimùm facit, quod ipse aliquando Alcuinus quosdam commentarios illi & Nathanieli, aliàs Naistano Diacono dedicasse dicatur. Quòd aliqua scripserit etiam antequam ad Alcuinum in Galliam venerit, & postquàm in Britanniam ad suos redierit, & ex circumstãtijs verisimile est, & inter alios Lelandus satis insinuat, qui Danis Bibliothecæ Lindisfarnensis depopulatoribus malè vult, quasi illorum barbarie, simul cum alijs inæstimabilis valoris codicibus, perierint etiam huius Doctoris opera. Claruit anno postquam Verbum caro factum est 790, regnante apud Northumbranos Osredo.

De Cappa Presbytero.

CAPPA Presbyter Anglus, vir litteris & pietate clarus. De quo tamen pauca legi, nisi apud Ioannem Lelandum, qui citat Thomam Radburnum. His sanè testibus erat Doctor magni meriti, parisque æstimationis apud Ecclesiæ primatiuæ Anglosaxonum nouellos Christianos. Nam cùm S. Berinus Vvestsaxonum Episcopus illius gentis conuersionem aggrederetur, Cappa facilè primas obtinebat inter eos, quorum opera ad verbum Dei vbique prædicandum præfatus Berinus vsus est. Nam zelo animarum inflammatus, non solum totum continentem peragrauit, verum etiam vsque ad insulam Vectam penetrauit, & durissima incolarum corda & colla disciplina Christiana ita flexit & emolliuit, vt multos ibi lucrifecerit Christo. Tantamque apud eos beneuolentiam conciliauit, vt ei sedem Episcopalem illic erigere voluerint. Quod eò magis ad hominis laudem facit, quo semper Vectani fuerunt ex omnibus Anglis à fide Christi maximè alieni, & tandem omnium vltimi conuersi, minimos ex omnibus semper fidei bonorumque operum fructus protulerunt. Porrò præclarus hic diuini Verbi præco ad plebem frequentes habuit conciones, & multa edidisse dicitur, quorum tamen ne titulos quidem hactenus inueni. Claruit anno Domini 670, sub Rege Vvestsaxonum Coinvvalchio.

670.
45.

De Carolo Trugiano.

CAROLVS Trugianus nobilis Anglus, patria Cornubiensis, hæres magnarum possessionum futurus erat, nisi Catholicæ religionis causa patri penè omnia sua bona fuissent ablata. Hunc adolescentem Rhemis in Anglorum Collegio discipulum in litteris humanioribus habui. Qui posteà Romam se contulit, & in obsequio Cardinalis Alani vsque ad illius mortem egit: tandem in Belgio Regi Catholico militauit, vbi ob rem benè gestam, ijs honoribus auctum intelligo, quos disciplina militaris strenuis militibus decernere consueuit. Inter hæc in bonum dominum non ingratus famulus, & in optimum parentem pius filius scripsit

1611.
46.

Planctum de morte Cardinalis Alani.
De vita patris sui. Et quædam alia moliri dicitur, quæ illum forsitan

ſuo tempore meliore loco & maiore laude dignum efficient. Viuit hoc anno Domini 1611, regnante apud Anglos Iacobo primo.

De Ceolulpho Rege.

740. 47. CEOLVLPHVS Northumbriæ Rex. Vir non vulgariter doctus, & doctorum hominum ſingularis fautor, omniumque bonarum artium optimus patronus. Cui, vt inquit Guilhelmus Malmeſberienſis in hiſtoria Regum Anglorum, *Non deerat litterarum peritia, acri animo, & alacri ſtudio comparata.* Ad quod etiam probandum hoc vtitur argumento, quòd videlicet Venerabilis Beda in tanta copia litteratorum hominum, qua tunc redundabat Anglia, hunc præ cæteris omnibus elegerit, cui ſuam Anglicanæ gentis hiſtoriam dedicarit. Mihi plus quàm probabile eſt inſignem hunc Regem non tantum ſe ſua ſcientia oblectaſſe ad priuatam voluptatem, ſed etiam aliquid in lucem emiſiſſe ad publicum poſteritatis commodum. Et quidem vt hoc credam inducor, tum quia per totam vitam lectioni librorum ſe dedidit, tum quia ſtudiorum & pietatis cauſa, ſub vitæ finem, regno relicto, Monachum induit, & vltimos dies in regulari diſciplina conſumpſit. Obijt Lindiſfarnæ circa annum gratiæ 740, ibidem in Eccleſia ſepultus, Egberto in Northumbria regnante. Vide noſtrum de Northumbriæ Regibus Catalogum.

De Chriſtophoro Vrſvvicco.

1514. 48. CHRISTOPHORVS Vrſvviccus, quem alij Brambriggum, alij Brambridge cognominant, Iuris vtriuſque Doctor Anglus, & quidem ſuo tempore non incelebris. Vir cordatus, iuſtus, prudens, cuius multiplex eruditio cum varijs virtutibus coniuncta hominem de optima nota multis principibus, & alijs vbique magnis viris reddidit commendatiſſimum. Ioanni Mortono Archiepiſcopo Cantuarienſi familiariſſimus fuit, & cum eo ſub immiti Rege Richardo tertio, quandiù regnum Anglorum vſurpabat, graues perſecutiones, multa mala paſſus eſt. Sed cùm Henricus ſeptimus ad regnum perueniſſet, mitior, imò fœlicior illi fortuna eſſe cœpit. Nam imprimis Regi factus eſt ab eleemoſynis, eiuſque opera Rex vſus eſt in honoratiſſimis, ijſdemque frequentibus legationibus ad multos principes, & nonnullos præcipuos Europæ Monarchas. Ad Maximilianum Romanorum, Carolum octauum Gallorum Reges, ad Franciſcum Britanniæ, & Ludouicum Aureliæ Duces. Inter hæc etiam Rex ei contulit Archiepiſcopatum Eboracenſem. Hunc Alexander Papa ſextus ſuum in Anglia cõſtituit Quæſtorem. Tandem Rex eum Romam miſit ad Sedem Apoſtolicam Oratorem, &, vt auctor eſt Onuphrius, anno Domini 1511, menſe Martio Iulius Papa ſecundus cum octo alijs Rauennæ creauit eum Cardinalem Preſbyterum tituli S. Praxedis. Huic Richardus Pacæus ad D. Paulum Londini Decanus pleraque ſua ſcripta, tanquam

viro litteratissimo, & hominum litteratorum optimo patrono nuncupauit. Multa de Iurisprudentia, quædam de suis legationibus eleganter & eruditè scripsisse perhibetur. Sed hæc apud exteras nationes, vbi diù vixit, & tandem mortuus est, quid curantur? neglecta certè perierunt. Imò, vt scribit Onuphrius, quidam eius domesticus natione Italus, patria Mutinensis, siue is cubicularius, siue capellanus fuerit, eum veneno dato è medio sustulit. Et quid de eius scriptis sperandum, vbi ipse auctor sic perierit? Non dubito quin meruerit in nostro Catalogo locum honoratiorem occupare, si de eius scriptis nobis aliquid certi constaret. Sed quia nec de ijs, nec de eorum quidem titulis aliquid habemus comperti; hîc communem sortem eum subire coget ignorantia nostra, cui meritò meliorem locum daret scientia sua. Hunc porrò, quem dixi, finem habuisse traditur Romæ: pridiè Calendas Iulij (alijs pridie Idus Iulij) & in Anglorum hospitali, quorum Ecclesia Sanctissimæ Trinitati sacra est, sepulturam accepit, sub Leone Papa decimo, anno post salutem humano generi factam 1514, dum in Anglia rerum potiretur Henricus huius nominis octauus. Vide eum quem composuimus de Archiepiscopis Eboracensibus Catalogum.

De Clarotono.

CLAROTONVS natione Anglus. Vir ingenij ad perscrutandas antiquitates nonnihil curiosi, & qui in eo genere multa scripsisse dicitur. Post frequentatas Academias Anglicanas, studiorum etiam causa profectus est in Galliam, & vnà cum bonis litteris regionis linguam addidicit, & ita quidem accuratè, vt non ineleganter in Gallicos rithmos verterit *Historiam Britonum Galfredi Monimetensis.* Quod opus ferunt vnà cum alijs eius quibusdam scriptis in Londinensibus Bibliothecis aliquando fuisse seruatum. Tamen nec nominatim alia eius litteraria monimenta, nec ætatem, qua vixit, inuenio...... 49.

Continuator Ioannis Asserij vetestus auctor, &, puto, ipsius contemporaneus. Nam videtur ex certa scientia asserere Asserium obijsse anno Domini *909*. Scripsit ad Annales Asserij Paralipomenon.

D.

De Damporto.

DAMPORTVS ad normam S. Benedicti Monachus Anglus, in cœnobio Pontisfracti, vt ex coniectura probabili scribit Lelandus. Vir pietate & doctrina suo tempore non incelebris, & qui ex eruditis concionibus famam consecutus est non vulgarem. Quas conciones tandem in publicum emisit, & earum exemplar Bibliothecæ sui cœnobij reliquit. Operi autem titulum præfixit 50.

Homilias Damporti, librum vnum. Alia, si qua scripsit, & tempus quo vixit, mihi sunt incognita......

De Daniele Cereto.

51. DANIEL Ceretus natione Britannus, ex regione Ceretica, quam Cardiganshiere non semel vocat Syluester Giraldus. Vir omnis humanioris litteraturæ peritus, & Poëta suo sæculo satis elegans. Ex quo Ioannes Rauisius Textor multa collegit epitheta, quamuis eum, vocabuli vicinitate deceptus, Brixianum vocat. Nam Ceretus ipse se Britannum profitetur his verbis; *Et nos exigua contenti nocte Britanni.* Varia præsertim carmine scripsit, quorum nihil vidi, nec etiam operum titulos expressos inueni, nisi quòd passim testentur auctores varij, quòd in lucem emiserit saltem

Epigrammatum, *Librum vnum.*

Diuersorum carminum, *Libros plures.* Sed de quibus rebus, vel quo tempore egerit, non inuenio qui scribat . . . . . .

De Dauide Chirburio.

1420. 52. DAVID Chirburius Carmelita Anglus. Vir, vt Lelandi verbis vtar, in Theologiæ cognitione clarus. Titulo sanctitatis & eruditionis ad Episcopatum Dormorensem in Hibernia promotus. Operum quæ scripsit nomina non inuenio. Ludloæ tandem inter Carmelitas mortuus & sepultus est circa annum Verbi incarnati 1420, regnante in Anglia Henrico quinto.

De Donacameno Cambrio.

53. DONACAMENVS Cambrius ex veteri Britannorum sanguine prognatus, artium liberalium & Philosophiæ Magister. In Mathematicis scientijs, & potissimùm in Astrologia nonnullam sibi vindicauit peritiam. Composuitque quasdam contra Anglos prophetias, quod olim & alijs Vvallis nostris fuit valdè familiare. Quibuslibet enim hoc in genere somnijs & superstitionibus anilibus non difficulter fidem adhibebant. De quibus verè dici poterat illud, *Quod nimis miseri volunt, hoc facilè credunt.* Hic igitur ad posteros transfudit

Versus vaticinales, *Librum vnum.* Intrans cum sole canis, taurusque leone. De alijs quæ scripsit, aut de tempore, quo vixit, nihil . . . . . .

De Dounhamo Theologo.

54. DOVNHAMVS sacræ Theologiæ Doctor Anglus, ad hanc dignitatem euectus in Academia Cantabrigiensi, vbi putatur aliquando fuisse vicecancellarius. Vir ingenij magni, quique Philosophiam vtramque diuinam scilicet & humanam, non solum accuratè didicit, sed etiam è cathedra publicus Professor magistraliter & plausibiliter docuit. Fuit etiam ad populum concionator non inelegans, & in illo pio exercitio satis frequens. Multa scripsit, quæ in Bibliothecis Cantabrigiensibus solicitè diù conseruabantur, & etiamnum ex parte conseruantur.

seruantur. Titulos saltem sequentes operum eius inuenio

Sermonum, *Librum vnum.* Abijciamus opera tenebrarum.

Distinctiones Theologiæ secundum litteras Alphabeti, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio Caij & Gonelli. Qua porrò ætate claruerit hic auctor, planè nescio.

De Drifeldo.

55.

DRIFELDVS, id est, aridus campus, natione Anglus, patria Eboracensis. Vir suo sæculo non incelebris, omniumque tum profanarum, tum etiam sacrarum litterarum valdè peritus. Vnde & famam suam scriptis quibusdam æternitati consecrauit. Scripsit autem inter alia non infœliciter opus cui titulum fecit, & à quo suum cognomen accepit

Aridum campum, *Librum vnum.*

De disciplina Theologica, *Librum vnum.* Et hæc aliquando Londini multis familiaria fuisse dicuntur. De alijs, vti & de tempore quo vixit, nihil mihi planè constat.....

E.

De Eadberto Eleemosynario.

701. 56.

EADBERTVS cognominatus Eleemosynarius, verbis Bedæ loquar, libro quarto historiæ Anglicanæ capite vicesimo nono, *Vir scientia scripturarum diuinarum, simul & præceptorum cælestium obseruantia, ac maximè eleemosynarum operatione insignis.* Quem etiam virtutis & eruditionis merita ad Episcopatum Lindisfarnensem euexerunt. Sed scriptorum eius titulum nullum inuenio. Vide quem scripsimus de Lindisfarnensibus Episcopis Catalogum.

De sancta Eadburga.

730. 57.

SANCTA Eadburga cuiusdam reguli apud Anglos ex coniuge Gangitha, quæ Bugga cognominabatur, filia, quæ & ex prosapia Regum Cantiæ originem duxit. Hæc cum matre Gangitha scripsit ad S. Vvinfridum seu Bonifacium primum Archiepiscopum Maguntinum

De calamitatibus quas passæ sunt à Rege, Epistolam.

De Eambaldo Seniore.

796. 58.

EAMBALDVS Senior, natione Anglus, patria Northumbranus, in ipsa, vt videtur, vrbe Eboraco natus, vel saltem ibi ferè à teneris annis educatus in virtutis & bonarum litterarum studijs. Optimos patronos habuit primò Egbertum, deinde Albertum eiusdem vrbis Archiepiscopos. Præceptore vsus est Alcuino viro per id tempus insigniter docto. Horum ope & opera tantos tum in virtute, tum in bonis litteris fecit progressus, vt in vtroque genere planè insignis euaserit. Vnde & ipse tandem dignus habitus est, vt redimitus infula thronum ibidem

conscenderit Metropolitanum. In qua dignitate constitutus, prædecessores suos, Egbertum maximè in promouenda & amplificanda re litteraria diligenter imitatus est. Quod in quadam ad eum epistola non tacet Alcuinus, thesauros librorum quos coaceruauerat, supremæ dignitati, quam acquisiuerat, præferens. Suam Bibliothecam viro paris doctrinæ, & eiusdem nominis conseruandam in publicum studiosorum vsum reliquit. Hæc ex Alcuino & Lelando. Ex quibus verisimile est, cum tam studiorum amantem, & semper in libris voluendis versatum, aliquod ingenij præstantis & consummatæ doctrinæ monimentum in lucem emisisse, quamuis quodnam illud fuerit, me nescire fateor. Obijt anno salutis reparatæ 796, sub Northumbrorum Rege Egberto. Vide eum quem coaceruauimus de Archiepiscopis Eboracensibus Catalogum.

De Eata Monacho.

686. 59. EATA Monachus Anglus & in Anglia Monasterij Mailrosensis Abbas, tandem virtutis & eruditionis intuitu factus Episcopus Hagustaldensis. Varia scripsisse creditur. Sed eorum nihil hactenùs mihi vel de nomine innotuit. Vide inter Episcopos Hagustaldenses.

De Echbino Britanno.

160. 60. ECHBINVS Britannus natione, vir multiplici eruditione clarus, & Antonino teste, scriptor egregius. Sed quia vel ipsi librorum tituli non inueniuntur, eum meo Catalogo exclusum huc ad Appendicem refero. Claruit anno Dominicæ Incarnationis 160, sub Britonum Rege Malgocuno.

De Edilberto Rege.

726. 61. EDILBERTVS Cantiæ Rex decimus tertius, primogenitus Regis Victridi filius, vt ex Beda colligo libro quinto historiæ Anglicanæ capite vltimo. Vir litterarum scientia & morum probitate conspicuus, & qui sui similes in pietate & doctrina viros multo honore simul & amore prosequebatur. Perhibetur etiam ipse manum ad aratrum admouisse, & ingenij plus quàm vulgaris litteraria monimenta post se reliquisse. Operum tamen tituli me fugiunt, nisi quòd constat eum scripsisse, *Ad S. Bonifacium Apostolum Germaniæ & primum Archiepiscopum Maguntinum Epistolam vnam.* Domino beatissimo & Pontificali infula merito decorato Archiepiscopo Vvinfrido cognomento Bonifacio. Alia non inuenio. Obijsse creditur anno post Christum natum 726. Vide eum quem composuimus de Cantiæ Regibus Catalogum.

De Edmundo Bromfeldo.

1391. 62. EDMVNDVS Bromfeldus natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Bedericensis ad sanctum Edmundum in Suffolcia. Vir

tam eminenter doctus, vt in eo Monasterio vix doctiorem quemquam vnquam fuisse existimet Lelandus. Ex quodam Tinensis Monasterij chronico colligunt nõnulli, hominem absolutis in Anglia studijs, Romam profectum, ibi in publicis Academiæ palæstris eruditionis & ingenij periculum fecisse, ita placuisse, vt omnium publico consensu Professor electus, tanto tempore laudabiliter docuerit, vt à Doctorum senatu Comes Palatinus Academicus, & à Papa cum Consistorio Landauensis Episcopus fuerit creatus anno Domini 1389. Dubium non est, quin multa egregia scripta ediderit, & laudatissima præstantis ingenij, solidæque doctrinæ monimenta posteris reliquerit: tamen vehementer mirandum, & multò magis dolendum est, ne titulos quidem operum hactenùs inueniri potuisse. Apud suam sedem Landauensem mortuus & sepultus est anno post Christum natum 1391, dum in Anglia rerum potiretur Richardus secundus. Consule illum quem de Landauensibus Episcopis compilauimus Catalogum.

De Edmundo Stourtono.

EDMVNDVS Stourtonus vel Stuttonus, secundũ regulam S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Glasconiẽsi. Vir non solũ apud suos, sed etiam apud posteros pietate & eruditione memorabilis. Plures lucubrationes doctissimas cõposuit, & Monasterij sui Bibliothecæ moriens reliquit, quæ pleraque perierunt vnà cum Catholicæ religionis ex Anglia expulsione. Tamen aliquid adhuc eius operum, & aliqua librorum saltem inuenimus nomina, quæ dicuntur haberi in quibusdam Angliæ Bibliothecis 63.

De laude beatæ Mariæ Virginis, Librum vnum. M S. Oxonij in pub.
Super nominibus Mariæ & Joannis, Librum vnum.
Dialogum in Regulam S. Benedicti, Librum vnum. Alia eius opera, & tempus quo floruit, me fugiunt......

De Edvvardo Historico.

EDVVARDVS Historicus Anglus, scripsit ad historias Radulphi Nigri additionem, & eas vsque ad annum Domini 1202, deduxit. Quo etiam anno putatur obijsse...... 1202. 64.

De Edvvardo Kirketono.

EDVVARDVS Kirketonus vel Kirtonus, natione Anglus. Scripsit Breuiarium sermonum. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Petri.... 65.

De Edvvardo Seniore.

EDVVARDVS Senior cognominatus Alfredi Regis primogenitus filius, & regni post mortem patris hæres, & in studijs bonarum litterarum non indiligens imitator. Vt tamen loquitur Guilhelmus Malmesberiensis libro secundo de gestis Regum Anglorum capite quinto, 924. 66.

litterarum scientia multum inferior patre, sed regni potestate incomparabiliter gloriosior. Quicquid sit, colligit Lelandus virum valdè doctum fuisse, tum ex Asserio, tum ex eo quòd filium suum nothum Athelstanum bonis præceptoribus in Latina lingua tradiderit erudiendum. Teste etiam Lelando Ranulphus Higdenus Cestriensis, & Ioannes Rossus Vvarvvicensis tribuunt ei restaurationem Cantabrigiensis Academiæ, postquam passa rabiem Danicam iam penè corruisset. Ex his omnibus coniectura est eum aliquando litteraria monimenta in lucem emisisse, sed quænam illa fuerint nulla adhuc mihi certitudo. Diem suum obijt anno gratiæ 924, Vvintoniæ sepultus. Vide nostrum de Regibus Angliæ Catalogum.

De Edvvardo Vvottono.

67. EDVVARDVS Vvottonus, natione Anglus, Medicinæ Doctor Oxoniensis. Vir omnis Philosophiæ præsertim naturalis peritissimus. Hic postquàm Aristotelem, Plinium, & similes auctores historias animalium tractantes ad annos multos diligenter legisset, scripsit magnum & eruditum opus in decem libros distributum, de omni animalium genere, & de eorum differentijs. In primo libro recenset partes animalium, & quibus modis earum differentiæ constituantur, disputat generatim. In secundo speciatim ea ponit, ex quibus eorum differentiæ colliguntur. Tertius liber agit de differentijs eorum animalium quæ sanguinem habent. Quartus hominis differentias explicat. Quintus tractat differentias animalium quadrupedum quæ viuos fœtus pariunt. Sextus quadrupedum & serpentum, quæ oua ponunt. Septimus auium differentias. Octauus aquatilium quæ sanguinem habent, & piscium atque cetorum genera. Nonus animalium insectorum & exanguium. Decimus exanguium aquatilium, mollium, crustataceorum, & testaceorum, quæ vocantur zoophyta. Toti operi titulum præfixit, *De differentijs animalium*, *Libros decem*. Extant Parisijs anno 1552. Alia me latent eius opera, vti & tempus quo auctor clatuit......

De Egelrico.

992. 68. EGELRICVS dictus Iunior, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Croilandensi. Erat Abbatis Turketuli cognatus, & sub eo Monasterij procurator, vt verbis Ingulphi loquar, *Vir scholasticus & omnium litterarum scientia profundissima imbutus*. Turketulo Abbate & successore eius, Egelrico Seniore mortuis, hic electus est Abbas circa annum Domini 975, quamuis, vt scribit Ingulphus, *Vir magis libris & litteris sacris deditus, quàm in temporalium prouisione doctus*. Et infrà, *dedit iste Abbas Egelricus communi Bibliothecæ claustralium Monachorum magna volumina, diuersorum Doctorum originalia numero quadraginta: minora verò volumina de diuersis tractatibus & historijs, quæ numerum centenarium excedebant*. Scripta tamen huius hominis hactenùs nulla inuenio. Obijt

NonisMartij anno Domini 992,&in Capitulo iuxta alterum Egelricum sepultus est, regnante apud Anglos Edgaro.

De Elando Dialectico.

ELANDUS Dialecticus Anglus, alumnus Oxoniensis Academiæ. Vir qui in suis ita sibi cōplacuit argutijs, vt omne aliud studium Logicis contemplationibus postposuerit. Nec aliud, quod sciam, scripsit, præter 69.

Conclusiones Dialecticas, Librum vnum. Omnia quæ sunt in mundo. Hunc librum aliquandò Londini ferunt typis mandatum. Sed quando hic auctor vixerit, nescio.....

De Ercomberto Grammatico.

ERCOMBERTUS Grammaticus Anglus, ordinis S.Benedicti Monachus Glasconiensis. Vir magnæ auctoritatis, grauitatis, modestiæ, & ad institutionem iuuentutis aptissimus. Nam plurimos suæ curæ commissos, tum in bonis litteris, tum etiam in pijs moribus insigniter erudiuit. Vir sanè de omni politiore doctrina optimè meritus, licet perpauca eius scripta, eaque maxima ex parte Grammaticalia nunc inueniamus; 70.

De octo partibus orationis, *Librum vnum.*

Regulas Grammaticales, Librum vnum. Alia forsan perierunt. Et tempus, quo claruit, ipsum, vt arbitror, tempus obliterauit.....

De Ethelfleda.

ETHELFLEDA vel Elfleda Regis Alfredi ex Egelvvitha filia, cum alijs Regis liberis, in liberalibus disciplinis, & omnibus pietatis exercitijs ab ætate tenera diligenter instituta. Super qua re sic scribit Asserius Meneuensis: *Nec etiam illi sine liberali disciplina, inter cetera præsentis vitæ studia, quæ nobilibus conueniunt, otiose & incuriose permittuntur. Nam & Psalmos & Saxonicos libros, & maximè Saxonica carmina studiosi didicere, & frequentissimè libris vtuntur.* Quæ scribit Lelandus de virtute eius bellica, ad hunc locum non pertinent. Illud tamen non omittendum, quod scribit Guilhelmus Malmesberiensis libro secundo de gestis Regum Anglorum capite quinto, quod Ethelredo Merciorum Duci maritata, vnicam ei pepererit filiam, & à viri complexu deinceps penitus abstinuerit, Regis filià dictitans indignum esse, pro tantilla voluptate, tales ferre dolores, tantos edere gemitus sua persona prorsus indignos. Eam aliqua scripta post se reliquisse non est improbabile, sed quænam illa fuerint, me latet. 920. 71.

Claruit anno Verbi incarnati 910, & tandem Claudiocestriæ iuxta maritum sepulta est, regnante in Anglia fratre eius Edvvardo Seniore.

De Ethelstano Doctore.

920. 72. ETHELSTANVS natione Anglus, vnus ex Doctoribus quos apud se honorificè habebat Rex Alfredus Magnus, quorum consilium in omni re litteraria adhibebat, quorum censuris, vt scribit Malmesberiensis, omnia sua scripta humiliter subijciebat, vt potè qui modestè de suo, magnificè de alieno, tum ingenio, tũ iudicio sentiebat. Ethelstanus porrò fœlici ingenio, infœlici sæculo vtebatur, quo barbaries Danica quasi naturaliter scientijs inimica, litteraria monimenta, quantum potuit vbique absumpsit. In qua rabie non est dubium quin & huius Doctoris scripta, & multorum aliorum perierint.
Claruit anno post aduentum Messiæ 920, sub Eduuardo Rege Seniore.

De Ethelvvoldo Monacho.

980. 73. ETHELVVOLDVS natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Vvintoniensis Congregationis Giribennæ. Dicitur scripsisse quædam erudita opera, quorum nihil inuenio, præter vnum solum dubij tituli. Nam tradunt eum scripsisse
De suis visionibus; alij, de suis mißionibus, Librum vnum. Eodem ferè tempore floruit Ethelvvoldus Episcopus Vvintoniensis, qui fuit etiam ordinis S. Benedicti Monachus, sed Glasconiensis.
Claruit autem anno reparationis humanæ 980, regnitante vtcumque Ethelredo.

De Eustachio Normauillo.

1280. 74. EVSTACHIVS Normauillus natione Anglus, ordinis S. Francisci Oxoniensis, vt videtur, Doctor. Nam illic magnam ex eruditione acquisiuit laudem. Hunc teste Lelando, Thomas Ecclestonus Franciscanorum historicus affirmat fuisse, primò artium liberalium Magistrum, deindè iuris vtriusque Doctorem, & tandem Oxoniensis Academiæ Cancellarium. Inter suos autem prælector tum docere cœpit, quando Radulphus Coleburgus rude donatus, prælegere desijt. Ex dictis mihi persuadeo, eum nonnulla doctrinæ suæ monimenta scripto posteris reliquisse, quæ vel hominum incuria, vel temporum iniuria intercidisse videntur. Claruit anno salutiferi partus 1280, dum in Anglia summa rerum fuit penes Eduuardum Normannici sanguinis primùm.

F.

De Ficardo Cirencestrensi.

75. FICARDVS Cirencestrensis seu de Cirencestria historicus Anglus, scripsit *Speculum historiale......*

De Fortherio Durotrigo.

720. 76. FORTHERIVS Durotrigus inter Visisaxones in Anglia natus, & vt videtur, enutritus. Vir singulari doctrina, & virtutum meritis insi-

gnis. Quibus nominibus eum mirificè commendat Ioannes Lelandus secutus Venerabilem Bedam libro quinto historiæ Anglicanæ capite decimo nono. Nec immeritò. Nam suo tempore istis titulis reddidit se omnibus amabilem, & magnatibus non modò notum, verum etiam honorabilem. Vndè pietate duce, comite doctrina, fautrice fortuna, defuncto Aldhelmo (verbis Bedæ loquar) *Pontificatū pro eo suscepit Forthere: qui vsque hodie superest, vir & ipse in scripturis sanctis multum eruditus.* Beda igitur hominem doctum manifestè pronuntiat, successio post Aldhelmum in Episcopatu id ipsum etiam innuit. Et sanè benè doctum fuisse oportuit, qui duorum doctissimorum virorum, quos vnquam vsque ad illud tempus protulerat Anglia, alterius illustri testimonio, alterius in Episcopatu successione, pro viro multum erudito comprobatur. Sed hîc cum dolore dicendum

Quid non longa dies, quid non consumitis anni? Omnia quippe tam insignis Doctoris scripta vetustas obliterauit, vt ne de nominibus quidem librorum nobis constet.

Claruit autem anno postquàm Dei filius humana carne vestitus apparuit 720, sub Ina docto Vvestsaxonum Rege. Vide eum quem de Shirburnensis Episcopis scripsimus Catalogum.

De Foulo Monacho.

FOVLVS dictus Magister Foulus Monachus Anglus, & vltimus Prior S. Mariæ Oueris Londini. Vir benè doctus. Scripsit 77.

De Ponte Londinensi, Librum vnum. De alijs eius scriptis vel de tempore quo vixit non sum certus.....

De Friderico Cridioduno.

FRIDERICVS nobili apud Anglos ortus prosapia, patria Deuoniensis, ex oppido Cridono, vndè & Cridiodunus cognominatus est, S. Bonifacij Maguntinensis Archiepiscopi primi, & Germanorum Apostoli nepos, & in conuersione gentilium industrius cooperator. Guilhelmus Malmesberiensis, & Ioannes Lelandus testantur hominem fuisse eruditum, & elegantem, vt insinuant, verbi diuini præconem. Et Malmesberiensis quidem in opere suo de Pontificibus Anglorum, expressis verbis affirmat eum suo tempore multa ad Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem scripsisse. Sed nè vnius quidem operis titulum, vel is, vel quisquam alius, quod sciam ponit. 755. 78.

Claruit circa annum salutis reparatæ 755, regnante apud Vvestsaxones in Anglia Kenulpho. Vide nostrum de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

De Frisingfeldo.

FRISINGFELDVS natione Anglus, patria Suffolcensis, Grammaticus insignis, & in omni humaniore litteratura benè eruditus, 79.

Quoniam autem cum politioribus litteris mores etiam politos habuit, traditi fuerunt ei in disciplinam multorum nobilium filij, quos ille in liberalibus artibus, & in ijs omnibus, quibus animus ad humanitatem excolitur, egregiè instituit. Et quamuis Bostonus Buriensis hunc auctorem in suo Catalogo Scriptorum Ecclesiæ ponat; nullibi tamen inueni quid scripserit, nisi quæ vel ad elegãtiam linguæ Latinæ addiscendã spectant, vel ad formandos in humanitatis officijs hominum mores requiruntur. De quibus insignia præcepta tradidisse fertur, quorum tamen maxima ex parte vel ipsi tituli perijsse videntur. Adeò vt nec opera quæ scripsit, nec tempus quo vixit, modò inueniantur. Nam ex varijs eius lucubrationibus solum habemus

Practicam Grammatices, *Librum vnum.* Commoda prouenire pueris.
Verbarium, *Librum vnum.* Cùm sit necessarium ante omnia......

G

De Galfredo Aspaldo.

80. GALFREDVS Aspaldus Mathematicus & Philosophus Anglus in Oxoniensi Academia, vt testis est Lelandus. Vir ingenij fœlicis, & miræ dexteritatis in arcanis Philosophiæ scrutandis & explicandis. Scripsit opus elaboratum, quod Lelandus se vidisse testatur, cui titulum præfixit auctor

In Aristotelem de generatione, *Librum vnum.*

Quid aliud scripserit, vel quo tempore vixerit, nec Lelandus refert, nec ego hactenùs alibi reperi......

De Galfredo Babione.

81. GALFREDVS Babion natione Anglus, & in Anglia suo tempore celebris concionator. Vir in sacrarum scripturarum lectione & meditatione satis versatus, & qui sermonis elegantia non parum apud populum valuit. Scripsit ad nominis sui memoriam, vt habeo ex Lelãdo

Super potestate regia, *Librum vnum.* Dicit Apostolus Petrus, Non est.
Variorum sermonum, *Librum vnum.* Et alia, de quibus tamen mihi non constat, sicuti nec de tempore quo floruit......

De Galfredo Burtonensi.

1216. 82. GALFREDVS Burtonensis, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, & tandem Monasterij Burtonensis Abbas, quod Monasterium positum erat in ripa Trenti fluminis. Vixerat autem aliquandò in Andreseia insula amnica dicti fluuij quædam Hibernica fœmina sanctitatis admirabilis nomine Modvvenna, de cuius vita & rebus gestis, cùm à vicinis multa didicisset, doctissimus hic Abbas, ad officij sui rationem pertinere existimabat, veritatem singulorum inuestigare, & ea in obscuro esse non permittere, quæ communis populi sermo, tanquam vox Dei, tam constante fama, tam vnanimi consensu affirmauerat. In vnum igitur

igitur collegit, & scripto posteris reliquit, vt inter alios testis est Lelādus,
Vitam S. Moduennæ Virginis Hibernicæ, *Librum vnum.*
Claruit anno Dominicæ Incarnationis 1216, dum in Anglia rerum potiretur Ioannes.

De Galfredo de Fontibus.

83. GALFREDVS vel Godefridus de Frontibus ex ordine Minorum S. Francisci Monachus Anglus, à morum grauitate, vt Vvillot insinuat cognominatus Doctor venerandus. Vir auctoritate ad regendum, eruditione ad docendum multum pollens. Vocatur subindè Custos Parisiensis (Angli Guardianos appellant plerumque Custodes) ibidem etiam, nisi fallor docuit, tum publicè, tum priuatim. Et scripsit pererudítè ad omnis posteritatis vtilitatem libros multos varia doctrina refertos

In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Quodlibeta multa, *Libros plures.*
Expositionem regulæ Minorum, *Librum vnum.*
De infantia S. Edmundi, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in publica.
De tempore quo claruit nihil habeo comperti......

De Galfredo Eglino.

84. GALFREDVS Eglinus Mathematicus Anglus. Vir audacis, temerarij, præfidentis ingenij. Nam sublime, nescio quid, spirans & Astronomiam professus, ex siderum contemplatione, multa se supra vulgarem hominum captum scire finxit, & futura conijcere, imò prædicere præsumpsit. Denique vatem se vocari gestiens, & hoc titulo sibi applaudens, scripsit

Prophetiarum, Librum vnum. Asinus coronatus turbabit regnum. Et alia eiusmodi. De tempore quo vixit nihil mihi certi......

De Galfredo Kilmingtono.

85. GALFREDVS Kilmingtonus, natione Anglus. Vir supra vulgarem hominum morem, in omnibus tum Philosophicis, tum Theologicis disciplinis eruditus. Vtramque etenim scientiam Oxonij & accuratè didicisse, & magno cum applausu docuisse insinuat Lelandus. Cuius etiam testimonium est, eum in Collegio Mertonensi fuisse in studijs multo tempore educatum, denique inueniri in illius Collegij Catalogo, illum libros eruditos, & quidem non paucos edidisse, quorū tamen modò ne titulos quidē inuenimus, nec tempus quo vixit scimus.....

De Galfredo Marshallo.

86. GALFREDVS Marshallus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in illo splendidissimo apud Anglos Glasconiensi cœnobio. Vir magno ingenio, & ad litteras atque pietatem ab ipsa natura optimè for-

mato. Humaniores literas, omnesque artes liberales iuuenis exactè didicit. Omnem Aristotelis Philosophiam & Geometriam præ ceteris scientijs apprimè calluit. Non puto hominem ad magnam ætatem peruenisse, atque ideò nunquàm Theologicis studijs multum inuigilasse, quantum ex Scriptoribus colligere possum. Qui tamen testantur eum in alijs artibus laudabiliter versatum fuisse, & lucubrationum eius saltem hos sequentes titulos producunt

Repertorium Dialectices, *Librum vnum.*

Repertorium Geometriæ, *Librum vnum.* Alia nec illi afferunt, nec ego inuenio, sicut nec tempus quo hic auctor vixit......

De Galfredo Romeualle.

87. GALFREDVS Romeuallis instituti Cisterciensis Monachus Anglus. Vir pietate & eruditione multiplici suo sæculo multùm celebris. Postquàm humaniores litteras, & omnes ingenuas scientias perdidicisset, studiumque Philosophicum fœliciter absoluisset, maturescente cum annis ingenio, in sacræ Theologiæ palæstram, quasi sitiens, & scientiarum (quarum nulla est satietas) auidus descendit, tanto docendi discendique desiderio, vt sacras Scripturas, antiquos Ecclesiæ Patres, & scholasticos Doctores penè nunquàm cessaret, vt inquit ille,

Nocturna versare manu versare diurna.

Cùm igitur Theologicum etiam stadium percurrisset, nunquàm minus cursum finiuit, quàm cum finiuit. Semper enim & discere perrexit, & docere non neglexit, scilicet vel in scholis auditoribus dictando, vel in Ecclesia populo concionando. Quæ tamen scripsit perijsse videntur pleraque. Nihilominus in hominum manibus adhuc haberi ferunt

Doctarum concionum, *Librum vnum.* Si filius Dei es mitte te. Quod opus Londini typis aliquandò mandatum dicitur à Rainero Vvolfio. Porrò quo tempore floruerit hic auctor, non inuenio.....

De Georgio Coriato.

88. GEORGIVS Coriatus natione Anglus, Poëta Oxoniensis. Scripsit varia poëmata versu præsertim heroïco. Hunc cum quibusdam suis versibus citat Iacobus Middendorpius in opere suo de Academijs, in Academia Oxoniensi. Sed nec ille scribit, nec ego aliàs scio quo tempore vixit......

De Gerardo Puella.

1183. 89. GERARDVS Puella, à singulari verecundia seu prudicitia cognominatus, à Magisterio etiam seu Doctoratu dictus Magister Gerardus, natione Anglus & in Anglia Cestrensis vel Conuentrensis Episcopus, vt auctor est Robertus Abbas S. Michaëlis de Monte Nauali in continuatione Sigeberti Gemblacensis. Nam & in eo chronico ad annos 1180, 1183, non semel asserit eum fuisse virum magnæ religionis, ho-

nestatis, & litteraturæ. Multa eruditè scripsisse perhibetur. Sed titulos non inuenio. Claruit anno gratiæ 1183, regnante in Anglia Henrico secundo. Vide eum quem de Cestrensibus Episcopis compilauimus Catalogum.

De Gerimo Benedictino.

90.

GERIMVS ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Glasconiensi, vt ex eius scriptis, & illius cœnobij registris multi colligunt. Vir integritate vitæ & singulari doctrina conspicuus, denique in lectione sacrarum Scripturarum vtiliter versatus. Scripsit de rebus sacris opuscula varia, ex quibus extare ferunt

De lege diuina, Librum vnum. Alia videtur excidisse, sicuti & ipsum tempus quo floruit......

De Gilberto Dorcadio.

1160. 91.

GILBERTVS Dorcadius natione Anglus, ab ipsis annis teneris in Dei timore, & bonarum litterarum studijs enutritus, ita animum liberalibus disciplinis, & omnibus melioribus scientijs excoluit, vt ætate iudicioque maturescente in virum doctissimum, simùl & prudentissimum euaserit. Vndè sub Roberto Episcopo Lincolniensi factus est Archidiaconus Bucchinghamensis. In qua dignitate constitutus, adeò rerum praxim cum speculatione coniunxit, vt vir omnibus suis numeris absolutissimus tandem effectus fuerit. Et quidem quod ad rem litterariam attinet, ex contemporaneo & amico eius Henrico Huntingdonensi in libro de contemptu mundi colligi potest, eum multa tum versu, tum oratione soluta composuisse, quæ tamen omnia vsque ad ipsos librorum titulos perijsse videntur. Claruit anno post aduentum Christi in carne 1160, regnante in Anglia Henrico secundo.

De Gilberto Segrauio.

1316. 92.

GILBERTVS Segrauius natione Anglus, patria Leicestrensis, Philosophus Oxoniensis, & ibidem artium liberalium Magister. In Aristotelis Physicis, & rebus naturalibus scrutandis optimè versatus dicitur. Per quæstiones etiam multa Theologica scripsit, in quibus multiplicem scientiam, ingenij acumen, & iudicij maturitatem satis demonstrauit. Quæ eius opera tanquàm oracula quædam olim in Oxoniensibus bibliothecis custodiebantur. Hos adhuc sequentes titulos inuenimus maximè apud Lelandum in quarto de viris illustribus libro

Quæstiones Theologicas, Librum vnum.

Quodlibeta, Librum vnum. Et eiusmodi alia quàm plurima. Obijt circa annum Domini 1316. Vide nostrum de Londinensibus Episcopis Catalogum.

De Gilla Lincolniensi.

93. GILLA Lincolniensis Episcopus scripsit
De vsu Ecclesiæ, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Vide quem fecimus de Lincolniensibus Episcopis Catalogum..

De Godfrido Historico.

94. GODFRIDVS seu Godefrithus Historicus Anglus. Scripsit
Historiarum libros aliquot, ex quibus multa mirabilia collegit Baptista Fulgosus......

De Gregorio Bridlingtono.

95. GREGORIVS Bridlingtonus vel de Bridlingtona, natione Anglus, patria Northumbrensis, & ibidem ordinis S. Augustini Canonicus regularis, aliquandò inter suos chori Præcentor. Nihil penè de eo scriptum lego, nisi quòd multa scripserit. Vndè vt apparet, suorum incuriâ facta est ei iniuria. Nam de illo nullus esset sermo, nulla restaret memoria, nisi pro ipso opera eius loquerentur. Nam teste Bostono Buriensi in magno Scriptorum Catalogo, scripsit

Super Cantica Canticorum, *Librum vnum*. Quisquis hunc Salomonis librũ.
Super varios sacræ Scripturæ textus, *Libros plures*.
Lecturas publicas, *Librum vnum*.
Sermonum, *Librum vnum*.
De arte Musices, *Libros tres*. Debitum existimaui meam esse.

Alia eius opera me latent, vti & tempus quo claruit......

De Gregorio Britanno.

96. GREGORIVS Britannus ordinis Prædicatorum S. Dominici Monachus Anglus. Vir tam in humaniore, quàm etiam in sacra litteratura benè doctus, ingenio acutus, eloquio facundus, & qui in concionibus declamandis gratiam habuit non vulgarem. Partim ipse composuit, partim ex alijs probatis auctoribus collegit

Orationes, *Librum vnum*. Extant Venetijs anno 1516, & 1540.
Sermones funebres nuptiales, *& alios*, *Librum vnum*. Hæc pleraque Antonius Senensis in bibliotheca fratrum Prædicatorum, qui tamen temporis, quo claruit, nullam facit mentionem......

De Gregorio Noëllo.

97. GREGORIVS Noëllus Theologus Anglus. Vir ingenij subtilissimi. Scripsit *eruditos commentarios super primum librum Magistri Sententiarum*, ad quod opus adiecit supplementum Magister Ioannes Pointou. M S. Cantabrigiæ in Collegio sancti Petri......

De Griffino Cambrio.

98. GRIFFINVS Cambrius, Anglicum alij indigitant, sed Philippus Vvolfius Dominicanus libro tertio de vitis peritorum virorum, affirmat eum nobilibus in Cambria parentibus natum. Erat autem ordinis Prædicatorum S. Dominici sacræ Theologiæ Doctor, qui ad generis claritatem, & præstans ingenium, vrbanos mores, sermonis elegantiam, virtutis studium, & profundissimam, tum in Philosophia, tum etiam in Theologia, adiunxerat scientiam. Ad disputandum argutus, ad distinguendum subtilis, ad explicandum clarus & perspicuus. Multa eius scripta in Bibliothecis ordinis sui per Angliam diù asseruata fuisse ferunt. Sed in euersione Catholicæ religionis, probabile est pleraque eius opera perijsse. Adhuc tamen inueniri ferunt quasdam quasi reliquias de funere raptas, & ab interitu custoditas

Commentarios super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Quæstiones disputatas, *Librum vnum.* De alijs eius scriptis, sicuti nec de tempore quo floruit, nihil habeo explorati......

De Gualtero Abbate.

99. GVALTERVS Abbas scripsit *Annotationes Ecclesiarũ dotalium de bello*, cuius operis haberi dicitur exemplum M S. in Bibliotheca Lumleiana. De hoc autem auctore nihil prorsus aliud hactenùs inuenio......

De Gualtero Albanensi.

100. GVALTERVS Albanensis vel de sancto Albano ordinis S. Benedicti Monachus Anglus. Scripsit quædam Anglicarum rerum Chronica......

Appendicis illustrium Angliæ Scriptorum Centuriæ Primæ finis.

INCIPIT APPENDICIS ILLVSTRIVM ANGLIÆ SCRIPTORVM

Centuria Secunda.

De Gualtero Bakero.

1320.
1.

VALTERVS Bakerus de Suinborn, natione Anglus, ordinis S. Augustini Canonicus regularis in Oxoniensi cœnobio, quod Osney communiter vocant. *Hic historiam de vita & morte Regis Edvvardi secundi à Thoma de la More Gallicè scriptam, auctore rogante in linguam Latinam vertit.* Claruit circa annum Domini 1320, regnante in Anglia præfato Edvvardo secundo.

De Gualtero Bucdeno.

2. GVALTERVS Bucdenus natione Anglus, ordinis Prædicatorum S. Dominici sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, vt patet ex Bostono Buriensi in maiore scriptorum Ecclesiæ Catalogo, vbi & refert eum, peracto studiorum curriculo scripsisse

Quæstiones Theologicas, Librum vnum. De alijs eius scriptis, & de tempore quo claruit, nullam inuenio mentionem......

De Gualtero Catchepollo.

3. GVALTERVS Catchepollus Iurisperitus Anglus. Vir in Anglicarum legum lectione, explicatione, omnique praxi optimè versatus. Quo titulo ad honorata in republica peruenit officia, quæ & summa cum æquitate atque integritate administrauit. Vt autem similem iustitiæ normam posteris ad imitationem relinqueret, magno labore, quæ exercuerat, semper annotauit, & omnia tandem in vnum volumen collecta, in lucem emisit, cui operi titulum fecit

De constitutionibus Angliæ, Librum vnum. Quod opus adhuc patrum memoria Londini custoditum in regia Bibliotheca ferunt. Sed quando vixerit hic auctor non inuenio......

De Gualtero Ceptono.

4. GVALTERVS Ceptonus, Vvalterum vocat Vvillot in suis Athenis, ordinis S. Francisci sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Scripsit

Commentarios super Magistrum Sententiarum, Libros quatuor. Qua tempestate claruerit, non inuenio......

De Gualtero Duffeldio.

5. GVALTERVS Duffeldius, vel Magister Gualterus de Duffeld Doctor Anglus. Scripsit

Quæstiones de Logica, Librum vnum. M S. Cantabrigiæ in Collegio Caij & Gonelli. Tempus quo vixit hic auctor, & alia quæ fecerit aut scripserit me latent.

De Gualtero Duffeldo.

GVALTERVS Duffeldus vel de Dufeld, vehementer suspicor eundem esse quem Matthæus Paris ad annum 1243, vocat Magistrum Gualterum Sufeldum vel de Sufeld, quem ait fuisse virum eleganter litteratum, & refert eodem anno electum Episcopum Norvvicensem. *Virum*, inquit, *eleganter litteratum*, *moribus*, *fama*, *genere pollentem*. Vide nostrum de Episcopis Norvvicensibus Catalogum. Idem Paris ad annum 1247, testatur egregium fuisse concionatorem, & quasi inter omnes Episcopos tunc temporis præcipuum. 1243. 6.

De Gualtero Duridentis.

GVALTERVS Duridentis Theologus Anglus, & quidem vetustus, cuius nonnulla scripta aliquando in quadam Londinensi Bibliotheca diligenter custodita fuisse ferunt. Erat enim vir & suo tempore, & apud posteros propter multiplicem rerum scientiam non parùm celebris. Doctores Ecclesiæ veteres assiduo labore peruoluisse dicitur, quorum erudita opera suam quodammodò fecit doctrinam familiarem, & posterorum perpetuum fructum. Nam ex amœnissimis eorum pratis, & spaciosis campis, selectos quosque decerpens flores, imò delibans fructus vberiores, quasi in vnam messem & methodicam epitomen omnia coniecit, vt qui vasta multorum volumina percurrere, aut non possent, aut non vellent; saltem minore cum labore, maiore cum voluptate, pari cum vtilitate, huius vnius simul compendio collectis vterentur, imò fruerentur messibus. Sed operum eius modò nihil, quod sciam, hominum manibus teritur, præter 7.

Commentarios in Euangelium Lucæ, *Librum vnum*. Plures fuisse in Euang. Tempus, quo claruit, nescio......

De Gualtero Eluedeno.

GVALTERVS Eluedenus natione Anglus, Academiæ Cantabrigiensis alumnus. Nam in Collegio Caij & Gonelli aliquando studuit. Vir ingenij laudabilis. Studijs tum sacris, tum profanis diligenter inuigilauit. Sed tandem cœlestia corpora curiosiùs contemplatus, in illo sublimi Philosophiæ genere, quæ circa stellarum ortus, occasus, & alios motus, ac mutationes versatur, totus acquieuit, Adeóque Astronomus euasit peritissimus. Quod abundè testatur argutum his de rebus scriptum, quod edidit, & hoc titulo insigniuit, vt auctor est Lelandus 8.

Calendarium cum tribus cyclis decennalibus, *Librum vnum*. Alia eius scripta, & tempus, quo claruit, ignoro......

De Gualtero Mauclerico.

1248. 9. GVALTERVS Mauclericus vel Mauclearcus sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Vnus erat ex profundissimis Theologis qui suo tempore in Anglia floruerunt. Hunc ad Episcopatum Carleolensem euexit pietas & eruditio, pietatis etiam & eruditionis studium inflammatiùs effecit vt eodem Episcopatu se abdicaret, & sæculo pompisque sæcularibus penitus renunciaret. Nam circa annum Domini 1230, ad præfatum Episcopatum promotus, anno 1232, eumdem reliquit, & ordinem Prædicatorum S. Dominici in Oxoniensi conuentu ingressus est. Ex quo tempore se totum diuinis obsequijs, & sacrarum litterarum studijs, sub obedientia regulari, in profunda humilitate, & voluntaria paupertate consecrauit. Iam verò quid egregius iste Doctor scripserit, prorsus hactenùs non inuenio, nam vel ipsi operum tituli perijsse videtur, saltem mihi nequaquàm inueniuntur. Obijsse dicitur anno post salutem humano generi per Christum factam 1248. Vide illum quem composuimus de Episcopis Carleolensibus Catalogum.

De Gualtero Parchero.

10. GVALTERVS Parcherus sacerdos Anglus, patria Cornubiensis. Vir in quo pietas & doctrina certamen habuerunt, vtra superior emineret. Sed præualuit tandem vtilis ad omnia pietas, & in homine primas obtinuit, in secundis honestè consistente doctrina. Erat concionator insignis, & frequentes tum ad clerum, tum ad populum habuit sermones. In quibus magnam quidem eloquentiam, maiorem doctrinam, sed longè maximum virtutis zelum semper consueuit ostendere. Ad vitia reprehendẽda seuerus & vehemẽs insurrexit, ardentiores etiam ad virtutis studium addebat stimulos. Quæ ad cultum diuinum spectant, diligenter promouebat. Officium sacerdotum, & potissimùm Pastorum verbo strenuè docuit, exemplo in omni vita expressit. Ieiunijs, eleemosynis, vigilijs semper intentus, has esse sacerdotum diuitias, hos huius vocationis thesauros dictitans. In hoc etiam genere multa scripsit, quæ in Londinensibus Bibliothecis aliquando posita fuisse perhibentur, nunc verò, nec ibi, nec alibi forsan inueniuntur. Nam ex ruina religionis in Anglia ceciderunt plurimæ Bibliothecæ, & optimi quique præsertim antiquissimi perierunt libri, cum dispendio tum antiquitatis, tum rei litterariæ prorsus irrecuperabili. Porrò huius Doctoris operum saltem aliquorum tituli apud probatos auctores adhuc reperiuntur, qui asserunt eum, & quidem pereruditè scripsisse

Doctarum concionum, *Librum vnum.*
Dexteram partem oculi sacerdotis, *Librum vnum.*
Sinistram partem oculi sacerdotis, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia non pauca, quorum titulos hactenùs minimè reperi vti nec tempus quo auctor claruit. . . , . . .

De Gualtero Teringtono.

GVALTERVS Teringtonus natione Anglus, iuris vtriusque Doctor & Professor. Vir ingenio magno & industrio, ad res etiam arduas & difficiles explicandas prompto & expedito. Postquam enim iuueniles annos in humaniorum litterarum studijs & Philosophicis disciplinis optimè collocasset, medicorum etiam libros attigit, iurisprudentiam salutauit, Theologiam etiam tentauit, vt singulis in iuuentute degustatis, ætate maturiore quod magis arrideret, eligeret. Tandem ex omnibus nihil ei magis placuit, quàm iurisprudentiæ studium. Ad illud igitur se totum contulit, in illo reliquam omnem ætatem consumpsit, & ad senectutem vergens animum ad scribendum appulit. Scripsitque præsertim quæ ad ius Canonicum explicandum pertinent. Quorundam autem scriptorum eius exemplaria reposita fuisse ferunt in Bibliotheca Monasterij Ramesiensis. Vnde & nonnullorum coniectura est, sed satis infirmo fundamento nixa, eum fuisse ordinis S. Benedicti Monachum in illo cœnobio. Porrò titulos librorum eius hos quos subiungo reperi

11.

Casus quorundam decretalium, *Librum vnum.* Rex pacificus. Præuiso.
In quasdam constitutiones, *Librum vnum.* Cùm in multis olim ante ist.

Et alia id genus multa. Sed qua tempestate claruerit, hactenus inuenire non potui......

De Guiberto.

GVIBERTVS vel Vvibertus natione Anglus, patria Somersetensis, ordinis S. Benedicti Monachus, & suo tempore Theologus non incelebris, vt auctor est Ioannes Lelandus. Ipsam vrbem Bristolensem natalitiam habuit, vbi successu temporis, Monasterij, quod ad S. Augustinum vocabatur, electus Abbas, magna cum auctoritate, prudentia, sanctitate præfuit. Ad quas etiam virtutes accedente eruditione solida, animum egregiè excoluit. Nam posteà quàm Aristotelem diligenter peruoluisset, omnemque Philosophiam profanam, quantum opus erat, didicisset, ad sacrarum litterarum studium non minore cum feruore; & maiore cum fructu, animum conuertit. Huic etiam exercitationi tam seriæ, tam laboriosæ, quasi animi relaxandi causa ad oblectamentum, historiarum lectionem nonnumquam admiscuit. In quibus omnibus ita versatus est, vt Historicus, Philosophus, atque etiã Theologus valdè peritus euaserit. Pleraque eius scripta, sicut & tempus quo floruit, vel hominum iniuria, vel bellorum turbines, vel ipsum tempus edax rerum obliterauit. Ex Lelando colligo hominem magis doctum fuisse, quàm facundum, quod ætati, qua vixit, forsan est imputandum. Scriptis tamen posteritati reliquit

12.

Sermonum, *Librum vnum.*
Historiarum sui temporis, *Librum vnum.*

Aliud de eo nihil hactenùs inuenire potui......

De Guidone Folla.

13. GVIDO Folla vel Follæ sacræ Theologiæ Doctor Anglus, & tandem Episcopus Eliensis, scripsit

Contra hæreses & hæreticos, *Librum vnum.* MS. Oxonij in Bibliotheca publica. Et in Collegio S. Mariæ Magdalenæ.

De vitijs epistolarum cui titulus Ala Anglicana, *Librum vnum.* MS Oxonij in Collegio Nouo.

Tempus quo floruit, & alia quæ gessit, adhuc non inuenio. Vide nostrum de Episcopis Eliensibus Catalogum......

De Guidone Marchensi.

14. GVIDO Marchensis vel de Marchia ordinis S. Francisci de Obseruantia Monachus Anglus. Vir, vti videtur, magis pius quàm doctus, doctus tamen. Eius tempore quidam calumniatores contra ordinem S. Francisci impios rumores & mendacia sparserunt in vulgus, quibus famam illius sanctæ Sodalitatis lædere conati sunt. Quare bonus hic Guido suarum partium esse existimauit horum calumnias refutare. Scripsit itaque rithmicè ad summum Pontificem ordinis sui defensionem, in qua satis appositè obtrectantium mendacijs respondit. Dicitur opus aliquando seruatum Oxonij in Collegio Reginæ, cuius inscriptionem talem fuisse ferunt

Querelam mundi contra Religionem fratrum, *Librum vnum.* O Christi Vicari Monarcha terrarum. Alia eius opera, vti & tempus quo vixit, mihi sunt in obscuro......

De Guilhelmo Anglico.

15. GVILHELMVS Anglicus post imbibitas in triuialibus scholis litteras humaniores, Oxonium ad Philosophicas atque etiam Theologicas scientias perdiscendas profectus est, & in Orialensi Collegio tam fœlices in vtraque disciplina tam sacra, quàm profana progressus fecit; vt probabile sit eum supremam in Theologia lauream consecutum. Saltem illud constat, quòd ibi aliquando prælector alios docuerit. Vnde in illius Collegij Bibliotheca quædam eius opuscula diù conseruata fuisse ferunt. Et quidem inter cætera scripsit

Commentarios de anima, *Libros tres.*

De Incarnatione Verbi, *Librum vnum.* Prælibato tractatu de aui.

Alia scripsisse dicitur, sed ego de eo nihil aliud habeo......

De Guilhelmo Bathonensi.

16. GVILHELMVS Bathonensis inter Somersetenses in Anglia natus, inter fratres Mendicantes (nescio cuius ordinis) educatus. Postquàm illas didicisset litteras, quæ ad humanitatem animum exco-

lunt, alias liberales artes, omnemque Philosophiam imbibit, & his benè positis fundamentis, tandem ad sacram Theologiam animum appulit. Et vbi sacrarum scripturarum arcanam dulcedinem degustasset, in earum meditatione, & continua ferè lectione, reliquam exegit ætatem. Ne tamen sibi soli didicisse res diuinas videretur, frequentes ad populum conciones habuit, vnde & posteris reliquit opus elegans & elaboratum

Homiliarum, Librum vnum. Hæc pleraque ex nostro Lelando, qui mecum ignorat tempus quo hic auctor floruit......

De Guilhelmo Buttonio.

GVILHELMVS Buttonius natione Anglus, scripsit de Abbatia Canonicorum Regularium S. Augustini, quæ in Oxoniensi suburbio sita fuit, & titulum operi fecit 17.

De Abbatia Osney, Librum vnum. MS. in Bibliotheca priuata Gualteri Copi......

De Guilhelmo Califordo.

GVILHELMVS Califordus seu Talifordus Carmelita Anglus, Theologiæ Doctor Cantabrigiensis, & ibidem sacræ paginæ Professor, vt auctor est Trithemius, de quo etiam vide Petrum Lucium in sua Carmelitarum Bibliotheca. Vir integritate vitæ commendatissimus, subtilis etiam ingenij, spectatæ doctrinæ, & concionator eximius. Scripsit 18.

Sermones de tempore, *Librum vnum.*
Sermones de Sanctis, *Librum vnum.*
Varias sacrarum Scripturarum lecturas, *Librum vnum.* Et alia eiusmodi, quæ simul cum tempore quo floruit, me fugiunt......

De Guilhelmo Cellingo.

GVILHELMVS Cellingus prope Feuershamum oppidum in Anglia natus, ordinis S. Benedicti Monachus Cantuariensis ad S. Seruatorem. Vir ad pietatem & bonas litteras à natura formatus. Postquàm intra priuatos parietes politiorem doctrinã & artes liberales percepisset, aspirans ad maiora, ab Abbate & Capitulo suo licentiam petijt & accepit in Italiam studiorum causa proficiscendi. Adijt igitur Bononiam, vbi iuris vtriusque studijs seriò incubuit, & Angelo Politiano Doctore celeberrimo familiarissimè vsus est. Antiquitatum etiam curiosus admodum scrutator, veteres codices, tum Græcos, tum Latinos vbique per Italiam conquisiuit, & tanquam thesaurum exoptatissimum, secum, in Angliam rediens, Cantuariam detulit. Nec diu inter suos ibi resederat, cùm communi omnium suffragio Abbas eligeretur. In qua dignitate constitutus, cùm se præclarè gereret, fama virtutis & eruditionis eius percrebrescente, Rex eius consilio nonnumquàm in 1490. 19.

rebus arduis vsus est, eumque Romam aliquando legatum & oratorem misit, eratque vir in omnibus prosperè agens; nisi hoc vno fuisset infœlix, quòd morte præuentus scriptis suis vltimam limam adhibere nequaquàm potuerit, & quod non multo post eius mortem tempore, omnes prorsus illius lucubrationes, imperfectæ vt erant, incendio fortuito Monasterium intempesta nocte inuadente, grauissimo studiosorum detrimento miserè perierint. Vixit anno postquàm Verbum caro factum est 1490, & Cantuariæ tandem diem suum obijt, ibique sepulturam accepit, regnante apud Anglos Henrico septimo. Et hæc penè omnia mihi suppeditauit Lelandus.

De Guilhelmo Cheluestuno.

20. GVILHELMVS Cheluestunus seu Cheluectan, Philosophus insignis. Pleraque Aristotelis opera commentarijs illustrauit, vnde & scripsit

In Physicam, *Librum vnum.*
In parua Naturalia, *Librum vnum.*
In Metaphysicam, *Librum vnum.* Quæ omnia M S. habentur Cantabrigiæ in Collegio S. Petri. Sed quando vixerit nescio.....

De Guilhelmo Clerico.

1186. 21. GVILHELMVS Clericus natione Anglus, Ioannis Constabularij Cestriæ Capellanus, Astrologus insignis. *Scripsit multa de Planetarum coniunctionibus*, & particulatim ad annum Domini 1186, quo tempore floruisse dicitur, regnante in Anglia Henrico secundo.

De Guilhelmo Copingero.

22. GVILHELMVS Copingerus natione Anglus, Oxoniensis Academiæ Magister insignis. Putatur aliquando alumnus fuisse Collegij Balliolensis, & in eiusdem gymnasij Bibliotheca ferunt opera quædam illius ad annos benè multos asseruata; ex quibus colligitur hominem semper studia litterarum & virtutum ita coniunxisse, vt in vtrisque pares, & eos certè magnos fecerit progressus. Locupletes testes habemus eius lucubrationes doctas simul & pias

De virtutibus & vitijs, *Librum vnum.* Vani sunt omnes honores.
Sacramentale quoddam, *Librum vnum.* Et alia non pauca, quorum tamen tituli mihi sunt incogniti, vti & tempus quo vixit.....

De Guilhelmo Dalingo.

23. GVILHELMVS Dalingus, dictus Magister Guilhelmus, natione Anglus, subtilis Dialecticus, & in voluendis Aristotelis libris benè versatus, ex quibus multos commentarijs illustrauit, & inter alia scripsit

Quæstiones in Perihermenias, *Librum vnum.* MS. in Archiuis Collegij Caij & Gonelli Cantabrigiæ. De eo nihil prorsus aliud hactenùs inuenio......

De Guilhelmo Daltono.

GVILHELMVS Daltonus medicus Anglus,& quidem non incelebris. Erat enim acutus ingenio, solidus iudicio, magnæ doctrinæ, multæ lectionis, &, quod in hoc negotio caput est, in curandis morbis penè incurabilibus mirè fœlix; ex ijs tamen quæ scripsit nihil inuenio, præter 24.

Practicam medicinalem, *Librum vnum*. Contra sonitum aurium illatum. Quod opus aliquandò Londini impressum dicitur. Cetera, cum tempore quo claruit me latent......

De Guilhelmo Dando.

GVILHELMVS Dandus, quem Anglicum aliqui cognominant à natiuo solo, ordinis Seruorum Monachus. Vir pius simùl & eruditus: adeò vt si vitam respicias, vixerit & obierit non sine opinione sanctitatis: si autem ad doctrinam te conuertas, post se saltem in scriptis reliquit, vt habet Chronicon Seruorum, 25.

Sermones Quadragesimales, *Librum vnum*.

Sermones Dominicales per annum, *Librum vnum*. De alijs nihil explorati habeo, nè de tempore quidem quo vixit......

De Guilhelmo Dastino.

GVILHELMVS Dastinus Philosophus Anglus, multa scripsisse dicitur, sed ex librorum titulis inuenio tantum hactenùs 26.

Speculum Philosophiæ, *Librum vnum*. M S. Oxonij in bibliotheca publica. Tempus quo claruit me fugit......

De Guilhelmo de Dunelmo.

GVILHELMVS de Dunelmo natione Anglus professione Sacerdos, vir vt videtur ambitiosus & auarus, quod satis innuit Matthæus Paris, quem & eminentissimè litteratum fuisse testatur. Hic rediens à curia Romana Rotomagi diem suum obijt anno Domini 1249, regnante Henrico tertio. Erat hic rector nobilis Ecclesiæ de Vveremne. 1249. 27.

Floruit alius multo ante tempore eiusdem nominis & cognominis, videlicet regnante Henrico tertio, & fuit ad D. Paulum Londini Canonicus circa annum Domini 1250, vt auctor est Matthæus Paris, vir discretus & litteratus vt habet idem Paris.

De Guilhelmo Kilkenni.

GVILHELMVS dictus Magister Guilhelmus de Kilkenni natione Anglus. Vir magnarum virtutum, multæ eruditionis, & his nominibus ita Regi Henrico tertio charus, vt ei sigillum suum priuatum custodiendum commiserit. Et tandem ad Episcopatum 1250. 28.

Eliensem promouerit. Hunc Matthæus Paris virum modestum, fidelem, benè litteratum in iure Canonico, in ciuili peritum & circumspectum vocat. Tamen quid scripserit, nec is, nec quisquam alius, quantum adhuc inuenire potui, commemorat. Quod aliquid scripserit tam multifariàm doctus probabile est.
Claruit anno post aduentum Messiæ 1250, sub Angliæ Rege Henrico tertio. Vide nostrum de Episcopis Eliensibus Catalogum.

De Guilhelmo de Lichefeldia.

1447. 29. GVILHELMVS de Lichefeldia vel Lichefeldus sacræ Theologiæ Doctor Anglus, & in Ecclesia quadam omnium sanctorum Londini in platea Tamisis Pastor. Vir magnæ doctrinæ, exemplaris vitæ, à populo summè dilectus, in Theologia solidè doctus, linguarum peritus, & concionator facundissimus. Pleraque sua opera edidit Anglicè imprimis ingens volumen.
Sermonum ter mille octoginta trium, *Libros plures*.
Querelam Dei contra genus humanum versu, *Librum vnum*.
Responsum pœnitentis ad Deum, *Librum vnum*. Et similia plura.
Obijt Londini die vicesimo quarto Octobris anno Domini 1447, dum in Anglia rerum potiretur Henricus sextus.

De Guilhelmo Dunthorno.

30. GVILHELMVS Dunthornus Historiographus Anglus, quem in suis historijs subinde citat Ioannes Stoüs. Sed quos titulos scripta eius præseferunt, vel qua tempestate ipse auctor floruerit, hactenùs nullibi reperire potui......

De Guilhelmo Etono.

1227. 31. GVILHELMVS Etonus Sacerdos Anglus. Vir pietati & bonarum artium studijs mirè deditus. Postquam in patria progressus fecisset non contemnendos, vt maiorem consequeretur perfectionem, in Galliam se contulit, vbi exemplo Richardi Kinsthorp, ordinem S. Francisci non ante annos multos inchoatum intrauit, & cum quibusdam suis, in Angliam reuersus, primùm Londini concionari, deindè Oxonij tum concionari, tum etiam in scholis docere, teste Leiando, incepit. Nec mihi dubium est, quin in tam eminente doctrinæ gradu constitutus, aliquid ad posteritatis fructum & vtilitatem scriptum reliquerit, quamuis quid illud fuerit hactenùs non inuenio.
Claruit anno gratiæ 1227, regnante in Anglia Henrico tertio.

De Guilhelmo Gonello.

1520. 32. GVILHELMVS Gonellus natione Anglus, vir omnis humanioris litteraturæ peritissimus, in alijs etiam scientijs plus quàm mediocriter versatus. Fuit hic post Ioannem Clementem libe-

ris Thomæ Mori præceptor domesticus, & posteà Cantabrigiæ publicus Professor. Multa illi cum Erasmo Roterodamo intercessit necessitudo, & frequens per epistolas mutuas salutatio. De alijs eius scriptis nihil mihi certi constat.

Claruit anno Domini 1520, sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Guilhelmo Graio.

GVILHELMVS Graius ex illustri Codonorum familia natus in Anglia, studijs bonarum litterarum ab adolescentia, tum parentum voluntate, tum suopte ingenio consecratus. Imbibitis igitur largiter cultioribus disciplinis, Oxonium missus, in Collegio Balliolensi Philosophiam primùm, deinde Theologiam strenuè didicit, & in vtraque scientia non pœnitendos progressus fecit, adeò vt generis splendorem ornamentis variarum artium mirificè illustrauerit. Tandem etiam Italiam perficiendorum studiorum causa petijt. Et Ferrariæ Guarrinum Veronensem docentem audiuit, vbi ad accumulandam multiplicem rerum cognitionem linguas Græcam & Hebræam addidicit. Denique ætate maturescente, & fama percrebrescente, notus esse cœpit summo Pontifici Nicolao quinto, qui eum ad Eliensem in Anglia promouit Episcopatum, de qua re suo loco. Auctor est Lelandus hunc Graium multa scripsisse non infœliciter, quæ tamen omnia, quantum adhuc inuenire potui, perierunt, & quidem ita infœliciter, vt operum nec tituli superesse videantur nec scrupuli. Eligiæ mortuus & sepultus est anno gratiæ 1478, regnante in Anglia Edvvardo quarto. Vide eum quem compilauimus de Episcopis Eliensibus Catalogum.

1478. 33.

De Guilhelmo Haukio.

GVILHELMVS Haukius natione Anglus. Vir liberalibus artibus, & omni humaniore litteratura insigniter excultus, in Poësi summam, in Rhetorica plus quàm mediocrem obtinuit laudem. Et quantum hactenùs inuenire potui, multo plura versu, quàm oratione soluta composuit, omnemque suam poëticam facultatem ad res sacras accommodauit, & satis fœlici vena scripsit carmine

34.

Methodum in S. Matthæum, Librum j. Summa Dei virtus summa de sede.
Annotationes in eundem, Librum j. Hic Mariæ fuerat vir iustus nomine.
Methodum in S. Marcum, Librum j. Perstringens Marcus mira breuitate.
Annotationes in eundem, Librum vnum. Quisquis & ad summos euectus.
De sacrilegio, Librum vnum. Sanctum quod legi templum Et id genus alia non pauca. Sed qua tempestate claruerit nescio......

De Guilhelmo Heruio.

GVILHELMVS Heruius, natione Anglus, patria Suffolcensis ordinis S. Benedicti Monachus in cœnobio Buriensi, quod ad S. Edmundum dicitur, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Oxonien-

35.

ſis. Vir pietatis & omnis litteraturæ melioris ſtudioſiſſimus, ad ſummam peruenit ſcientiam, ſcripſitque doctiſſima opera non pauca, quæ tanquam inæſtimabilis theſaurus, in ſui cœnobij bibliotheca cuſtodiebantur, vſque ad monaſteriorum exterminiũ. Intereà tamen operibus pereuntibus, tituli ſaltem aliqui, vel hominũ memorijs inhæſerunt, vel in aliorum libris manſerunt, & vſque ad nos peruenerunt. Nam apud probatos auctores inuenimus illius eſſe

Quæſtiones ordinarias, *Librum vnum.*
Lecturas ſcholaſticas, *Librum vnum.*
Problemata diſputata, *Librum vnum.* Et eiuſmodi alia non pauca. Sed qua tẽpeſtate floruerit hic auctor, hactenùs nullibi reperire potui.

De Guilhelmo Huet.

36. GVILHELMVS Huet opinor Anglus, ordinis S. Franciſci Theologus, vt auctor eſt Henricus Vvillot in ſuis Franciſcanorum Athenis, ſcripſit quem vocat

Serpentem antiquum de ſeptem peccatis mortalibus, *Librum vnum.* De quo nihil prorſus aliud hactenùs reperi......

De Guilhelmo Lemeſtero.

37. GVILHELMVS Lemeſterus vel Lemſter, ordinis S. Franciſci Theologus Anglus, patria Herefordenſis, ſacræ Theologiæ Doctor Oxonienſis. Vir in omni tum ſacra, tum profana Philoſophia inſigniter eruditus. Multa in vtroque genere doctè ſcripſiſſe perhibetur, quæ olim Oxonienſibus & Londinenſibus fuerunt admodum familiaria. Quorum tamen poſteà vel ipſi tituli plerique interciderunt. Legi nihilominùs auorum ſaltem memoria, quædam eius extitiſſe opera Theologica. Nam concinnaſſe dicitur

Collationes in Magiſtrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Quæſtiones Theologiæ, *Librum vnum.* Et alia plura his ſimilia.
Hæc ſcripſit, noui, ſed non quo tempore noui.....

De Guilhelmo Maulio.

38. GVILHELMVS Maulius ſeu de Mauli, neſcio cuius ordinis Monachus Anglus, in Eſtſaxia natus. Vir pius & eruditus, & cum primis ſuis temporis concionatoribus, ſiuè doctrinæ ſoliditatem, ſiuè ſermonis elegantiam, ſiuè diuinæ gloriæ zelum, ſiuè virtutum amorem, ſiuè vitiorum odium reſpicias, meritò conferendus. Quibus etiam nominibus apud multos inſignes viros in ſummo precio fuiſſe perhibetur. Porrò Latinè ſcripſit

Sermones Quadrageſimales, *Librum vnum.* Abijciamus opera tenebrarum. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.
Nec de alijs eius ſcriptis, nec de tempore quo vixit, legi......

De

De Guilhelmo Montioio.

GVILHELMVS Montioius illustri prosapia in Anglia natus, bonarum litterarum & litteratorum hominum eximius cultor. Hunc in epistolis suis honoris causa frequenter nominat Erasmus Roterodamus, virum etiam doctum agnoscit, & aliquandò præceptoris vocabulo compellat. Denique in epistola quadam ad Petrum Ægidium de eo his verbis familiariter loquitur. *Præfectus vrbis Turnacensis Montioius meus.* Thomæ Moro erat coætaneus, & in adolescentia studiorum socius. Ex quibus omnibus colligi potest, hunc virum doctum fuisse, & aliqua scripta, maximè 1513. 39.

Familiares epistolas & similia edidisse. Nihil tamen eorum, quod sciam, inuenitur, præter dictas epistolas familiares.

Claruit anno Domini 1513, regnante in Anglia Henrico octauo.

De Guilhelmo Northfeldo.

GVILHELMVS Northfeldus natione Anglus, ad imitationem, opinor, Achardi antiqui Doctoris Angli scripsit *De differentia spiritus & animæ.* De alijs eius operibus nihil inuenio, de tempore etiam quo vixit, nihil mihi constat...... 40.

De Guilhelmo Noruello.

GVILHELMVS Noruellus Anglus scripsit

Quasdam historias de rebus Anglicis. Sed an aliud nescio. Nec quo tempore vixit, scio...... 41.

De Guilhelmo Paride.

GVILHELMVS Paris Sacerdos Anglus. Vir bonarum litterarum studijs non mediocriter delectatus. Qui postquam humanas scientias perdidicisset, in ijs non consistendum ratus, aspirauit ad subliminora, magnoque animo & pari successu, ad sacrarum litterarum studium appulit animum, ibi namque thesauros inæstimabiles reconditos nouerat. Multos igitur vtriusque Instrumēti libros eruditis commentarijs illustrasse dicitur, & has omnes lucubrationes suas bibliothecæ regiæ reliquisse. Tandem intuitu pietatis & doctrinæ ad Archidiaconatum euectus est. Sed omnium Scriptorum vel ipsi tituli perijsse videntur, nisi quod patrum memoria extitisse in regia bibliotheca dicant nonnulli 42.

Commentarios in psalterium, *Librum vnum.*

Alia me latent, vti & tempus quo claruit ipse auctor......

De Guilhelmo Read.

GVILHELMVS Read natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir doctus, omnisque melioris doctrinæ, doctorum- 43.

que hominum fautor singularis. Oxonij fuit Collegij Mertonensis alumnus, vbi collecto magno librorum numero, domum suam altricem, omnium donatione, tanquam ingenti litterario thesauro, magnificè ditauit, extructa etiam ad dictos libros reponendos bibliotheca. Iuuenis Mathematicis studijs maximè delectabatur, maturiorem ætatem omnem Theologicis impendit. Tandem duce virtute, adiutrice doctrina, comite fortuna, in Ecclesia cœpit eminere, factus videlicet Episcopus Cicestriensis. Plura eruditè scripsisse dicitur, sed ex eius lucubrationibus tantum inuenio

Tabulas Astronomicas, *Librum vnum.*
Canones tabularum, *Librum vnum.*

Hæc pleraque collegi ex Lelando. De alijs nihil habeo comperti, nec de tempore quo floruit hactenùs mihi constat. Vide eum quem de Cicestriensibus Episcopis exarauimus Catalogum.

De Guilhelmo Redingensi.

1190. 44. GVILHELMVS Redingensis ordinis S. Benedicti Monachus Anglus. Vir pius, & inter eruditos sui sæculi meritò numeratus, quibus nominibus Henrico Regi Anglorum huius nominis secundo charus extitit. Cuius opera postquàm Rex in legationibus honorificis ad Regem Gallorum frequenter vsus fuisset, eum in fidei, laboris, & industriæ præmium euexit ad Archiepiscopatum Burdegalensem. Dicitur hic Guilhelmus opuscula scripsisse, nec pauca, nec illa indocta. Sed vel ipsi tituli me latent. Matthæus Vvestmonasteriensis in floribus historiarum hominis laudes non tacet.
Claruit anno redemptionis humanæ 1190, & in vrbe sua Archiepiscopali tandem diem suum obijt, & sepulturam accepit, sub Angliæ Rege Richardo primo.

De Guilhelmo Seitono.

45. GVILHELMVS Seitonus, cognomento Eximius, natione Anglus, Medicinæ Doctor Oxoniensis. Hunc ferunt Hippocratem diligenter imitatum in morbis curandis, morborum causas, medicinarum qualitates, humorum dispositiones, varias hominum complexiones & temperamenta, diuersas corporum habitudines, & similia semper considerasse, & accuratè perpendisse. Tandem vt suæ doctrinæ participem faceret posteritatem, scripsit

De curatione chirurgica, *Librum vnum.*
Potio Anglicorum ad plagas diluendas. Et similia Londini aliquando excusa. Sed quando vixerit, nescio......

De Guilhelmo Shephardo.

46. GVILHELMVS Shephardus historiographus Anglus, scripsit quędā de rebus Anglicis. Sed nescio quæ, nec quādo vixerit, inuenio...

De Guilhelmo Sheprao.

GVILHELMVS Sheprǽus sacræ Theologiæ Doctor Anglus, Oxoniensis Academiæ aliquando alumnus. Vir in linguis Græca & Hebræa insigniter eruditus, & in omni humaniore litteratura multum elegans. Hic ex Anglia fidei Catholicæ causa fugiens, in Italiam se contulit, & ab Archiepiscopo Bononiensi Cardinali Paleotto humaniter susceptus in eius familia diù magno in honore vixit, vbi mihi visus est & salutatus anno Domini 1581, & iterùm anno 1588. Eum multa doctè scripsisse audiui. Sed nihil eorum hactenùs ad meam notitiam peruenit. Claruit in Italia anno 1588, regnante in Anglia Elizabetha. 1588. 47.

De Guilhelmo Sudberio.

GVILHELMVS Sudberius, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Vvestmonasteriensi. Scripsit Summam quandam sub hoc titulo 48.

De proprietatibus sanctorum, *Librum vnum*. Aliud de eo nihil reperi......

De Guilhelmo Vvarfordo.

GVILHELMVS Vvarfordus natione Anglus, in ipsa ciuitate Bristoliensi in lucem editus, vbi iactis primis studiorum fundamentis, spem dedit maioris profectus futuri. Ad altiora itaque aspirans Oxonium missus, in Collegium Sanctissimæ Trinitatis coaptatus est, vbi eum iuuenis noui. Post annos autem paucos ad fidem Catholicam conuersus, Romam ad Anglorum Collegium venit, vbi simùl Theologiæ studuimus. Tandem Sacerdos ordinatus, & in Angliam ad prædicandam Catholicam fidem missus talentum suum exercuit ad animarum conuersionem. Demùm (vt intellexi) Romam denuò reuersus, in Societatem Iesu admissus est, atque indè in Hispaniam ablegatus, Vallisoleti in Anglorum Collegio studiorum Præfectum egit vsque ad obitum. Scripsisse eum ferunt 1608. 49.

Catechismum Anglicè, *Librum vnum*.
Historias sanctorum transtulit ex Ribadinera & alijs, sed morte præuentus, nihil quod sciam, in lucem emisit.

Obijsse fertur Vallisoleti anno Domini plus minus 1608, regnante in Anglia Rege Iacobo.

De Guilhelmo Vvarhamo.

GVILHELMVS Vvarhamus, nobili & antiqua familia in Anglia natus patria Southamptoniensis. Humaniores litteras Vvintoniæ, Philosophicas scientias Oxoniæ, vtrasque in Collegijs olim ab Episcopo Vvintoniensi Guilhelmo Vviccamo ædificatis, & beatæ Mariæ semper Virgini dedicatis didicit. Quibus peractis studiorum curriculis, vtrique iuri operam dedit, & in ijs facultatibus Oxoniæ Doctoralem gradum accepit. Deindè Regi Henrico septimo commendatus, factus 1532. 50.

est Rotulorum Magister. Quo tempore ad Philippum Burgundiæ Ducem Regis nomine legationem obiuit, & paulò pòst reditum euectus est ad Episcopatum Londinensem, & post aliud biennium ad Archiepiscopatum Cantuariensem. Vir eruditus, facundus & facetus fuisse perhibetur. Erasmum etiam Roterodamum in delicijs habuit, ad quem misit suam effigiem ad viuum depictam: Erasmus etiam suam ad illum vicissim misit. Homo tamen semper occupatus publicis tum Ecclesiæ, tum regni negotijs, parum, quantum hactenùs inuenio, scripsit; Fœcundum tamen & facundum, facetum & lepidum eius ingenium ex ijs colligo, quæ ad præfatum suum Erasmum in epistola quadam scripsit. Erasmus se calculo laborare conquestus est. Cui inter cetera sic respondit Vvarhamus. *Quid sibi volunt saxa in corpusculo tuo? non enim construendo es magnificas domos, vel eiusmodi quippiam, vt opinor. Quocircà cum non sint è re tua calculi, cures te quam primùm onere superfluo liberare, desque pecuniam, vt auferantur lapides, secùs quàm ego qui quotidiè do pecuniam vt lapides adferantur ad mea ædificia.* Porrò quid scripserit, præter epistolas, non legi. Id saltem constat quòd ad diuersos exarauerit

Epistolarum, *Librum vnum.*

Plurimùm etiam inter alia laudatur quædam eius oratio, quam anno Domini 1512, die quarto Februarij habuit in publicis comitijs, seu Parlamento Angliæ super illis verbis: *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Ioannem Coletum doctissimum virum ad D. Paulum Londini Decanum mirè coluit. Obijt anno Domini 1232, sub Angliæ Rege Henrico octauo. Vide nostrum de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Guilhelmo Vviltono.

51. GVILHELMVS Vviltonus natione Anglus, alumnus Oxoniensis Academiæ, Collegij Balliolensis socius, & tandem, in qua facultate nescio, Doctor & Professor. Constat eum ingenio multum valuisse, & Philosophum expertum fuisse. Scripsit enim commentarios

Super Priora Aristotelis, *Libros duos.*

Quæstiones de anima, *Librum vnum.* M S. Oxonij in Collegio Balliolensi.

Super Ethica, *Libros decem.* De alijs eius scriptis, vti & de tempore, quo vixit, hactenùs nihil inueni......

De Guilhelmo Vvitteleseio.

1374. 52. GVILHELMVS Vvitteleseius natione Anglus, Simonis Islepi Cantuariensis Archiepiscopi nepos. A uunculi cura ab adolescentia in studijs bonarum litterarum, & exercitijs virtutum solicitè fuit educatus. Postquam autem in vtroque iure Doctoralem adeptus esset gradum, Romam ab auunculo missus est, vt illius curiæ praxim addisceret. Quod industriè fecit. Itaque reuocatus in Angliam iam ætate, moribus, litteratura maturus, magno apud omnes loco esse cœpit, & gradatim ad honores ascendens, successu temporis factus est Episcopus primùm

Roffensis, deinde Vvigorniensis, & tandem Archiepiscopus Cantuariensis. De quo suo loco plura. Interim quod ad doctrinam attinet, præter singularem in vtroque iure scientiam, Tulliana planè in concionibus fluebat eloquentia. Vndè & frequentes habuit, non modò ad populum Anglicè, sed etiam ad suum clerum Latinè sermones, quorum tamen titulos non inuenio. Illud saltem constat adhuc extare ab eo compositas

Synodales conciones Latinè, *Librum vnum.*

De alijs eius scriptis nihil habeo comperti. Obijt apud Lambetham anno Domini 1374, regnante in Anglia Edvvardo tertio. Vide quem conscripsi de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Guilhelmo Vvorcestrio.

GVILHELMVS Vvorcestrius vel de Vvorcester, natione Anglus. Vir eruditus, & vt apparet, antiquitatum non indiligens scrutator, scripsit 53.

Itinerarium de notabilibus Bristolij.

De Ciuitatibus, Monasterijs, Abbatijs, deque longitudine & latitudine eorum, & de rebus alijs memorabilibus. Quæ omnia MS. habentur Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Sed quo tempore hic auctor clauerit, non inuenio. . . . . .

H.

De Haymone Presbytero.

HAYMO Presbyter Anglus, patria Claudiocestrensis, & in eadem ciuitate sua supremus ludi moderator & rector. Vir ingenij non infœlicis, ab adolescentia laudabiliter in Academijs versatus, magnam reportauit gloriam. Nam in omnibus scientijs liberalibus expertissimus euasit, & varia opuscula conscripsit, vt testis est Syluester Gyraldus in speculo Ecclesiæ capite tricesimo quarto. Sed hoc vno infœlix fuit noster Haymo, quòd non solum eius opera, verum etiam operum tituli, quantum hactenùs inuenire potui, perierint. Clauit anno Domini 1160, regnante apud Anglos Henrico secundo. 1160. 54.

De Henrico Anslæo.

HENRICVS Anslæus sacerdos Anglus, sacræ Theologiæ licentiatus, & Canonicus Monachiensis. Hunc in Apparatu suo ponit Antonius Posseuinus. Nã scripsit *Theses de beata Maria Virgine.* Ingolstadij anno 1589. Viuit Monachij hoc anno Domini 1612, regnante in Anglia Iacobo. 1612. 55.

De Henrico Blaufordo.

HENRICVS Blaufordus historicus Anglus ordinis S. Benedicti Monachus ad S. Albanum. Edidit quædam chronica de rebus po- 56.

tissimùm Anglicis. Sed tempus quo vixit ignoro. Opus illud chronicorum ad S. Albanum suo tempore extitisse testatur Thomas Vualsinghamus ad annum Domini 1323.

De Henrico Brisinghamo.

1280. 57. HENRICVS Brisinghamus ordinis S. Francisci Doctor Anglus, Oxoniensis Academiæ alumnus. In iuuenilibus annis magnum ostendis ingenij acumen, accessit ætate maturiore soliditas iudicij, quibus dotibus postquam adiunxisset strenuam in bonis scientijs operam & diligentiam, nihil ferè reliquum fecit ad summam in omni melioris doctrinæ genere perfectionem. Tandem, vt ex Lelando colligi potest, Oxonij Theologiam ex prima cathedra publicè docuit, proximus post Thomam Dockingum eiusdem ordinis virum doctissimum, & fuit octauus eorum, qui ex familia S. Francisci cathedram illam obtinuisse dicuntur. Eum certè multa scripsisse probabile est, sed quænam illa fuerint nescio. Claruit anno reparationis humanæ 1280, dum in Anglia regnaret Edvvardus primus.

De Henrico Crixtedo.

58. HENRICVS Crixtedus instituti S. Benedicti Monachus Anglus. Vir apud suos non leuis auctoritatis, & plus quàm vulgaris eruditionis, vti ex Ioanne Frumentario in opere de viris illustribus colligo, qui tamen nihil ex eius lucubrationibus in medium affert præter commentarios quosdam

In regulam S. Benedicti, *Librum vnum.*

Qua porrò ætate floruerit, nec ipse scribit, nec ego inuenio ......

De Henrico de Bathonia.

1251. 59. HENRICVS de Bathonia natione Anglus. Vir strenuus & qui Martem simul cum Minerua in omni vita impensiùs coluit, nec minus insignis miles quàm eruditus Doctor euasit. Quem ideò Matthæus Paris militem litteratum, & legum terræ peritissimum vocat, additque fuisse Regis Henrici tertij Iusticiarium, & Consiliarium specialem. Sed postea propter auaritiam, publicæque iustitiæ corruptionem gratia Regis excidit, & capitis discrimen subijt. Creditur quædam scripsisse de municipalibus Angliæ legibus. Sed ego adhuc nullius operis titulum inueni. Claruit anno Domini 1251, dum in Anglia rerum potiretur Henricus tertius.

De Henrico de la Vile.

60. HENRICVS de la Vile natione Anglus, Oxoniensis Academiæ Philosophus eruditus, & ibidem publicus ad frequens auditorium Aristotelis interpres. Tandem postquam diù Professorem egisset, in lucem emisit commentarios

In Aristotelis libros de anima, *Libros tres.* Quæritur an de anima possit esse. Et eiusmodi quædam alia, quæ habentur Oxonij M S. in Collegio S. Mariæ Magdalenæ. Sed quo tempore vixerit hic auctor nescio.....

De Henrico Ioliffo.

HENRICVS Ioliffus natione Anglus, Decanus Bristoliensis. Vir pius & eruditus. Multa pro fide Catholica passus est. Vnde & honoratam de illo mentionem facit Sanderus libro septimo visibilis Monarchiæ. Scripsit 1578. 61.

Contra Ridlæum hæreticum, *Librum vnum.*

Claruit anno post aduentum Messiæ 1578, regnante Elizabetha apud Anglos.

De Henrico Leicestrensi.

HENRICVS Leicestrensis vel de Leicestria historicus Anglus, scripsit quædam de rebus Anglicis. Sed nihil aliud de illo scio...... 62.

De Henrico Maunsfeldio.

HENRICVS Maunsfeldius, siue is Anglus, siue Cambrobritannus fuerit, scripsit *Commentarios super Boëtium.* M S. Oxonij in Collegio Nouo. Alia quæ gessit aut scripsit, vti & tempus quo vixit, mihi sunt incognita...... 63.

De Henrico Oxoniensi.

HENRICVS Oxoniensis vel de Oxonio ordinis S. Frãcisci de Obseruantia Doctor Anglus. Vir tum in profanis, tum etiam in sacris disciplinis insigniter exercitatus, magnæ pietatis, paris etiam apud suos auctoritatis. Hæc in causa fuerunt, vt honoratam inter omnes tueretur existimationem, & alijs regendis ac instituendis præficeretur. Erat etiam diuini verbi præco non vulgaris. Et in his omnibus se virum bonum, doctum, & strenuum semper præbuit, maximè in concionibus, in quibus cum de honore Dei ageretur, ne principes quidem personas redarguere verebatur. Tandem ad perpetuam sui nominis memoriam, & posterorum vtilitatem, teste Henrico Vvillot, & alijs, scripsit 64.

Sermones Dominicales, *Librum vnum.*
Sermones Festiuales, *Librum vnum.* Ecce sponsus venit, exite obuiam.
Sermones Feriales, *Librum vnum.*

Quæ opera ferunt aliquando seruata fuisse Radingæ in cœnobio sancti Francisci, & quidem vsque ad exterminium Monasteriorum in Anglia sub Rege Henrico octauo. Sed de tempore quo floruit hic auctor, nihil scio......

De Hereberto Hoscamo.

1185. 65. HEREBERTVS Hoscamus (non ille Bossenhamus in Catalogo, quem Archiepiscopum Beneuentanum & Cardinalem fuisse dixi) natione Anglus, patria Mercius. Vir pius & eruditus. In Italiam profectus, factus est Archiepiscopus Cusentinus in Apulia. Hunc ferunt quædam ingenij sui litteraria monimenta posteris reliquisse, vel relinquere voluisse, & ea iam in lucem emisisse: sed vnà cum auctore perierunt omnia. Nam eo ipso anno quo præsulatum accepit, & suam Archiepiscopalem cathedram conscendit, ipse cum domo sua, imò verò cum tota ferè ciuitate dehiscente terra, absorptus est. Fuit ille annus à natiuitate Christi 1185, regnante in Anglia Henrico secundo. Atque hæc pleraque ex Nicolao Triueto.

De Hieronymo de sancto Marco.

66. HIERONYMVS de sancto Marco natione Anglus, ordinis sancti Francisci de Obseruantia Baccalaureus Oxoniensis. Scripsit de rebus logicis compendium quoddam, cui titulum præposuit, vt auctor est Vuillot in suis Franciscanorum Athenis,

Parua Logica, *Librum vnum.*

Sed quo tempore floruerit hic auctor, nec ille scribit, nec ego hactenùs reperire potui......

De Hildevvino.

67. HILDEVVINVS dictus Magister Hildevvinus sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Vir litterarum scientia, morumque probitate conspicuus, omnem tum naturalem, tum moralem accuratè calluit Philosophiam, Theologiam omnem. Maximè autem in sacrarum scripturarum lectione & meditatione versabatur, multumque suis apud populum concionibus Ecclesiæ profuit, dum homines sermonis vehementia deterreret à vitijs, & ad virtutes incenderet. Huius Doctoris opera quædam in sua Bibliotheca Norvvici aliquando habuisse dicitur vir quidam eruditus Robertus Talbottus. Ad nos nec peruenit notitia temporis quo floruit, nec operum quæ scriptis mãdauit præter

Sermonem, *Librum vnum.* Cæli enarrant gloriam Dei. M S. Cantabrigiæ in publica vniuersitatis Bibliotheca......

De Honorio Cambro.

560. 68. HONORIVS Camber, Trefriauci filius, S. Dauidis Archiepiscopi Meneuensis aliquando discipulus. Vir pius, eruditus, & rerum diuinarum contemplationi impensè deditus. In insula Occidentalis Cambriæ, quæ olim à Græca origine Limenus, postea Ramesega dicta est, vitam parcam & austeram egit. Est opinio multorum eum quædam eruditè elucubrasse, sed illa perijsse. Claruit anno salutis humanæ per Christum

Christum reparatæ 560, Malgocuno Britonibus imperante. Hæc ferè Lelandus.

De Hugone Campedeno.

69. HVGO Campedenus natione Anglus, vir multarum linguarum peritus, quas vt perdisceret, exteras regiones varias peragrauit, vnà cum artium liberalium, & Philosophiæ studijs, sermonem locorum semper addiscens. Vnde, quantum hactenùs inuenio, nihil ferè de suo in lucem emisit, sed tantum aliena in Anglicum vel Latinum sermonem vertit. Et inter cætera quidem è Gallica in Anglicam linguam transtulit

Historiam de Bocomaurorum & Getuliæ Rege, *Librum vnum.*

De quodam Sidraco, Librum vnum. Inuenire poterunt homines in veteribus. Et hæc aliquando Londini typis mandata dicuntur. Quid autem aliud scripserit, vel quando vixerit, nescio......

De Hugone de Petriburgo.

70. HVGO de Petriburgo vel Petriburgensis Historicus Anglus, &, vt videtur, Monachus. Scripsit quædam de rebus Anglicis. Sed quæ, vel quo tempore nescio......

De Hugone Matiscono.

71. HVGO Matisconus Poëta Anglus, tanquam alter Ennius, *Nunquam nisi potus ad arma, & fuit ingenio maximus, arte rudis.* Fuisset tamen proculdubiò in arte Poëtica multo magis elegans & politus, si ingenium suum studijs diligentiùs excoluisset. Nam ferunt eum adhuc iuuenem sua vena Poëtica quibusdam nobilibus Aulicis admirationem excitasse, & ab ijs honorum spe vel specie seductum Aulam Musis prætulisse, ingenium deinceps in versibus tantum exercuisse, parum ad sermonis elegantiam attendisse. Multa tamen præsertim carmine scripsisse dicitur, quæ & diu in quadam Bibliotheca Londinensi custodiebantur. Vnius tamen solius operis titulum hactenus inueni, scilicet

De gestis clarorum militum, Librum vnum. Solis spirat odor menti concorditer. Tempus quo vixit ignoro......

De Hugone Sotouagina.

72. HVGO Sotouagina sacerdos Anglus, Eboracensis Ecclesiæ Præcentor & Archidiaconus, & ibidem ad D. Petrum Præpositus. Vir Musarum amantissimus, & qui in omni politiore litteratura suo tempore mirè floruit. Plura non ineleganter scripsit, tum carmine, tum oratione soluta, propter quorum ornatum à Lelando in collectaneis, & à Nicolao Brigamo in suis venationibus multum celebratur. Titulos operum hos sequentes inuenio

De vera amicitia, Librum vnum. Philosophus quidã requisitus quid sit.

Distinctiones metrorum, *Librum vnum.* Surge piger quare dormis, mort.
Epistolas & epigrammata, *Librum vnum.* Et alia quorum vel tituli latent, vti & tempus quo hic auctor floruit......

De Hugone Suetho.

73. HVGO Suethus vel Suextus ordinis Prædicatorum S. Dominici Doctor Anglus, alumnus Oxoniensis Academiæ. Vir tum in sacris, tum in profanis litteris valdè eruditus. Post absolutum studiorum curriculum, in exercitijs Theologicis fixit pedem, & eò maximè referebat suos labores, vt artem concionandi accuratè disceret, & ad publicam vtilitatem frequentes sermones haberet. Nec spe sua frustrabatur. Nam suo merito apud omnes magnus concionator habitus est. Et Latinè tandem edidit

De arte concionandi, *Librum vnum.* Dilatandi modus est in sermonibus.
Sermones *es*, *Librum vnum.*

Quid aliud scripserit, aut quando vixerit, me latet......

De Humfredo Gilberto.

1500. 74. HVMFREDVS Gilbertus Anglus Equestris ordinis, vir Mathematicarum scientiarum peritissimus, nauigationis valdè expertus, cuius chartæ totius mundi, & aliæ particularium regionum dicuntur adhuc in magno precio haberi, & Londini in domo regia, quæ vulgò Alba Aula dicitur, seruari. Hic Henrici septimi Regis iussu & expensis varias nauigationes ad inuestigandas terras nouas suscepit. Scripsit

Itineraria multa, *Libros plures.*
De nauigatione ad terram Cataiam, *Librum vnum.* Et chartas exquisitas multas. Claruit anno Domini 1500, dum in Anglia rerum potiretur Henricus huius nominis septimus.

I.

De Ioanne Aldaro.

75. IOANNES Aldarus Historiographus Anglus. Vir in sacris & profanis litteris nobiliter eruditus. Peracto studiorum curriculo, cùm iam sui iuris esset, vt quod vellet scientiæ genus sequi posset, historiarum iucunditate illectus, chronicis voluendis se penitùs immersit. Multa legit, collegit, historica methodo disposuit, & ad publicam vtilitatem in lucem emisit. Ex quibus tamen nihil ad posterorum manus peruenit, præter vnicum opus, quod in regia Bibliotheca posuisse dicitur, cui titulum fecit

De Scotis & Hybernis, *Librum vnum.*

Nec aliquod aliud eius opus nominatum inueni, nec tempus, quo auctor floruit, adhuc reperi......

De Ioanne Alenſi.

IOANNES Alenſis vel de Ales natione Anglus, vir pius, eruditus, & maximè erga beatam Virginem Mariam deuotus. Nam Dauidis Pſalmos penè omnes ad illam applicans, & ad eius laudes referens, ſcripſit 76.

Pſalterium beatæ Mariæ Virginis, *Librum vnum.*

Quid aliud ſcripſerit, vel quando vixerit, neſcio ......

De Ioanne Andeuero.

IOANNES Andeuer vel Andeuerus, natione Anglus, patria Southamptonienſis, Sacerdos, & ſacræ Theologiæ Doctor Oxonienſis. Vir in ſacris & profanis litteris inſigniter eruditus, & in ſcripturis diuinis optimè verſatus. Poſtquàm enim emenſo laudabiliter omnium ſtudiorum curriculo, ſupremam lauream accepiſſet, ad ſcr[illegible]nda ſacrorum bibliorum arcana, & ad reconditos diuini Verbi ſenſus eruendos ſe totum conuertit. In quo labore ſanè perutiliter ſibi atque poſteris deſudaſſe dicitur, quod & ipſæ lucubrationes eius abundè teſtantur. Scripſit enim 77.

Poſtillas in ſacram Scripturam, *Librum vnum.*

Lecturam in Apocalypſim, *Librum vnum.* Oportet te iterum prophet.

Hæc pleraque deſumpſi ex Roberto Talboto. Sed de alijs quæ ſcripſit, vel de tempore quo vixit, nihil reperio ......

De Ioanne Anglico.

IOANNES Anglicus natione & cognomine, ordinis S. Franciſci Doctor Theologus, & Pariſijs ſacræ Theologiæ Profeſſor. Vir pius & eruditus. Teſte Henrico Vvillot, ſcripſit, quam vocat 78.

Summam Ioanninam ſuper Magiſtrum Sententiarum, *Libros quatuor.*

In Apocalypſim S. Ioannis, *Librum vnum.*

De perfectione Euangelica, *Librum vnum.*

Sermones varios, *Librum vnum.*

Manipulum florum, *Librum vnum.*

Qua porrò tempeſtate floruerit, nec ſcribit Vvillot, nec aliundè mihi conſtat......

De Ioanne Anglico.

IOANNES Anglicus ſacræ Theologiæ Doctor. Vir in beatam Mariam Virginem mirificè pius. Scripſit de quatuor eius feſtiuitatibus, ſcilicet de Natiuitate, Annunciatione, Purificatione, & Aſſumptione, cui operi titulum præfixit 79.

Roſarium beatæ Mariæ Virginis, *Librum vnum.*

An aliud quid in lucem emiſerit neſcio, & quo tempore claruerit, penitùs ignoro......

De Ioanne Anglico.

80\. IOANNES Anglicus, seu forsan Cambrobritannus. Vir in sanctos admodum pius, quod inde conijcio, quia scripsit

De vitis Sanctorum Vvallensium, *Librum vnum.* Qui M S. habetur in priuata Bibliotheca Gualteri Copi. Sed qua tempestate clauerit hic auctor, mihi non constat......

De Ioanne Aquapontano.

1588\. 81. IOANNES Bridgvvater Aquapõtanus cognominatus, natione Cambrobritannus, ministrum exuit protestanticum, beneficia opima deseruit, Rhemos se transtulit: vbi ad compositionem libri dicti, Concertatio Ecclesiæ Anglicanæ, multum conferebat: vnde & ille liber sub eius nomine emittitur, *Concertatio Ecclesiæ Anglicanæ.*

Claruit circa annum Christi 1588, regnante in Anglia Elizabetha.

De Ioanne Barnes.

1611\. 82. IOANNES Barnes ordinis S. Benedicti Monachus Anglus. Hic apud suos in Hispania studiorum cursu peracto, inde missus est in Lotharingiam, & in Delavvartensi Benedictinorum Anglorum Monasterio Theologiam docuit, vbi hominem familiariter cognoui. Quædam scripsisse dicitur, sed ipse, quæ est eius modestia, nec Catalogo nec Appendici huic inseri voluit, & ingenij sui fœtus occultat. Tamen ex confratribus & socijs eius expiscatus sum eum ex Hispanica lingua in Latinam transtulisse

Fratrem Ioannem de Castanisa de conflictu spirituali, *Librum vnum.*

Viuit & viget, studet & scribit, legit & docet hoc anno Domini 1612, regnante apud Anglos Iacobo primo.

De Ioanne Bassetto.

83\. IOANNES Bassettus Historicus Anglus, teste Edvvardo Hallo inter alia scripsit Anglicè

Chronicorum, *Librum vnum.*

Aliorum operum tituli, vti & tempus quo claruit hic auctor in obliuionem venerunt......

De Ioanne Baterleio.

84\. IOANNES Baterleius ordinis Prædicatorum S. Dominici Doctor Theologus natione Anglus. Postquam sacram Theologiam Professor diu docuisset, concionibus studuit, & insignis diuini verbi præco euasit, quippe qui non modò ad populum, sed etiam ad regni principes & proceres è suggestu frequenter solemnes habuit conciones. Duce igitur partim virtute & doctrina, partim etiam principum virorum fauore, ad Archiepiscopatum Tuamensem in Hybernia sublimatus est.

Hunc ferunt in vtraque litteratura, sacra scilicet & profana, varias edidisse lucubrationes. Sed in externa regione mortuo auctore, mortua quoque per incuriã sunt opera, vt ne scrupulus, quod sciam, inueniatur, nec tempus ipsum quo viguit cognoscatur. Quæ hîc affero decerpsi pleraque ex Vireto Dominicanorum Philippi Vvolfij......

De Ioanne Biletho.

IOANNES Bilethus Anglusnè sit an Gallus dubius sum. Coniecturæ sunt vtrinque. Cognomen Bileth seu Bilet Anglicum est, & eius opera passim in Anglicanis bibliothecis reperiuntur. Tamen quia ipsum cognomen à Gallico non est alienum, & ipse fuit sacræ Theologiæ Doctor atque etiam Professor Parisiensis, & quod in quibusdam Galliæ bibliothecis eius opera quædam inueniuntur, Gallum fuisse suspicor. Quoniam igitur coniecturæ me reddunt dubium, lectorem relinquo liberum. Fuit sanè vir eruditus. Quem, si mihi constaret esse Gallum expungerem ex mea Appendice; si Anglum insererem Catalogo. Scripsit *Rationale quoddam diuinorum seu de diuinis officijs, & de festiuitatibus omnis generis totius anni*, quod opus vidi M S. in Pergameno in Lotharingia in Prioratu S. Montis, prope S. Rosmarici Montem, vulgò Remeremont aux Dammes, in quo Prioratu bibliotheca quidem est parua, sed perpulchra, perantiqua, & optimis M M. S S. referta. In operis proœmio sic scribit: *Primùm dicamus de Ecclesiasticis institutionibus. Secundò de expositionibus diuersorum sermonum. Tertio de rationibus dierum.* Addito hoc disticho:

1328. 85.

Nobile vincendi genus est patientia. Vincit
Qui patitur. Si vis vincere, disce pati.

Sed nunc more nostro Catalogum operum subnectamus. Scripsit, vt auctor est Henricus de Gandauo in Catalogo.

Sermonum, *Librum vnum.*
Gemmam animæ, *Librum vnum.*
Summam seu Rationale de diuinis officijs, & festiuitatibus, vt dixi, *Librum j.*

In primatiua Ecclesia prohibitum erat nequis. M S. in præfata bibliotheca S. Montis. Item in bibliothecis Anglicanis. Oxonij in bibliotheca publica. Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij & Goneuilli. In priuatis bibliothecis Baronis de Lumleio, & Gualteri Copi. Denique extat Antuerpiæ anno 1570. Dilingæ 1572. Quid aliud scripserit non inuenio. Claruit anno postquam Verbum caro factum est 1328, sub Angliæ Rege Edvvardo tertio.

De Ioanne Boxallo.

IOANNES Boxallus sacræ Theologiæ Doctor Anglus, ex Academia Oxoniensi. Vir pius & prudens, ingenij florentis, eloquentiæ fluentis, constantis iudicij, solidæ doctrinæ. Hic in famosis illis Vvyccamicis scholis, ab adolescentia prima vsque ad annos iuueniles Vvintoniæ, à

1560. 86.

iuuentute vsque ad virilem & maturam ætatem Oxoniæ, in studijs bonarum litterarum, & exercitijs omnium virtutum optimè educatus, in insignem planè virum euasit. Subtilis in scholis suo tempore disputator, posteà facundus è suggestu concionator. Tandem exigentibus virtutū meritis, emergere cœpit, & in republica paulatim eminere. Nam imprimis ad regimen Collegij Vvintoniensis, vbi studuerat adolescens, vocatus, & constitutus, vti vocant, Custos, seu Guardianus, laudabiliter ad aliquot annos præfuit. Deindè Reginæ Mariæ factus est ab intimis consilijs, cuius etiam beneficio euectus est ad Decanatum Vvindeshorensem. Et quidem non immeritò. Nam vt cetera taceam, propter singularem & penè diuinam eloquendi vim inter omnes Angliæ concionatores electus est, vnus qui ex supremo totius Angliæ suggestu, qui est ad crucem D. Pauli Londini, Catholicam Religionem quasi postliminio reuersam sub Philippo & Maria primus solēniter annunciaret, in qua concione proiecto nudo pugione impetitus, ægrè lethalem ictum euasit. Varia non indoctè scripsisse dicitur, quæ cum ipso auctore in persecutionis incendijs interciderunt. Nam defuncta Maria pijssima Regina Religio sub Elizabetha denuò recidiuum passa, in hæresim mutata est, & in Catholicos rigidè, ne dicam crudeliter sæuitum est. Inter quos Boxallus ad carceres raptus, & in arce Londinensi conclusus, vnà cum libris, quos scripserat, fœliciter obijt, ne cum mundo & mundanis miserè floreret. De hoc Boxallo Christophorus Ionsonus Medicinæ Doctor, & me puero in schola Vvintoniensi supremus Magister ac moderator, hoc sequens distichon composuit

Qui dudùm hîc Custos, d'in custoditus in arce es,
Nec, Boxalle, tua hæc sola ruina fuit.

In vinculis Confessor obijt circa annum salutis reparatæ 1560, regnante apud Anglos Elizabetha.

De Ioanne Brierleio.

1612. 87. IOANNES Brierleius Sacerdos vt putatur Anglus, scripsit Anglicè quidem sed perdoctè *Apologiam pro Romana Ecclesia ex testimonijs Authorum Protestantium*, *Libros tres.* Extant anno 1608.1612, regnante Ferunt adhuc hunc auctorem viuere, & alia scribere hoc anno Domini in Anglia Iacobo primo.

De Ioanne Bromptono.

88. IOANNES Bromptonus ordinis Cisterciensis Monachus Anglus, qui virtutum & eruditionis meritis factus est Abbas Iornalensis, aliàs Iaruauxensis. Fama est hunc multa scripsisse, quorum tamen nihil quod sciam extat præter historiarum opus quod composuit, & suo Monasterio donauit cui titulum præfixit

Chronicorum, *Librum vnum.* Postquam contigit Britones. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Quando auctor claruerit, nescio......

De Ioanne Buttonio.

IOANNES Buttonius vel de Buttono Anglus, scripsit nescio quam Summam, quæ habetur M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Nihil aliud de eius scriptis, gestis, vel de tempore quo vixit, reperio.... 89.

De Ioanne Caxtono.

IOANNES Caxtonus vel de Caxton Anglus, ordinis S. Francisci Doctor vtriusque iuris, scripsit 90.

Summam confessionum, *Librum vnum*. M S. Oxonij in Collegio Orialensi. De eo nihil aliud noui.

De Ioanne Constablio.

IOANNES Constablius Anglus, Rhetor & Poëta non vulgaris. Paucas admodum eius lucubrationes inuenio. Inuenio tamen 91.

Querelam veritatis, *Librum vnum*. Destinauimus tibi hunc nostrum.

Epigrammatum & aliorum versuum, *Librum vnum*. Sed qua tempestate floruerit hic auctor non inuenio......

De Ioanne Currar.

IOANNES Currar Historiographus Anglus multa scripsit de rebus Anglicis, vbi inter cetera dicitur satis fusè agere 92.

De septuaginta & octo munitis castellis Comitatus Northumbriæ, *& de eorum possessoribus continua ferè serie.* Quid aliud scripserit, vel quandò vixerit hic auctor hactenùs nullibi scriptum legi......

De Ioanne Dastino.

IOANNES Dastinus natione Anglus, vir ingenij valdè acuti, sed nimis curiosi. Vbi ad Philosophica studia peruenisset, illo doctrinæ genere se tantum oblectabat, vt ad vlteriora nunquàm progressus in perscrutandis rerum naturalium arcanis omnem deinceps exegerit ætatem. Potissimùm autem Alchimisticæ arti se dedidit, & (quod multi facere consueuerunt) artificio suo se pauperem reddidit. Nam qui hoc studium profitentur, thesauris imaginarijs mentem pascentes, veros exhauriunt, & suos nonnunquàm, & alienos. Et tandiù montes promittunt aureos, donec vacuas effecerint crumenas. Qua de re quidam non inconcinnè cecinit: 93.

Ars suspecta probis, ars ipsa inuisaque multis,
Inuisos etiam cultores efficit artis.
Mendaces adeò multi manifesta videntur,
Qui seipsos aliosque simul frustrantur inertes.

Porrò scripsit hic auctor vtcumque multa, & pleraque illa de Alchimia, quæ penè omnia M M. S S. haberi dicuntur Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij & Gonniuili.

Rosarium artis Alchimiæ, *Librum vnum.*
Visionem suam super arte Alchimica, *Librum vnum.* Cùm natura ipsa effectus sit fort.
Diuersas super eadem arte visiones, *Librum vnum.*
Secreta secretorum, *Librum vnum.*
Speculum Philosophorum, *Librum vnum.*
Sapientem aurinum, *Librum vnum.* Et alia similia quæ nos fugiunt, sicuti & tempus quo auctor claruit......

De Ioanne de Altono.

94. IOANNES de Altono Iuris vtriusque Doctor Anglus, scripsisse dicitur ingens volumen in ius Canonicum seu Pontificiũ, cui titulus est
In decretales, *Libros plures.*
Quid aliud scripserit, aut gesserit, vel quo tempore vixerit, non inuenio.

De Ioanne Dedecio.

95. IOANNES Dedecius Philosophus Anglus, liberales enim artes, omnemque Philosophiam Aristotelicam in Oxoniensi Academia gnauiter didicit, & plerosque illius Principis Philosophorum libros commentarijs illustrauit. Quorum exemplaria, testatur Lelandus, ex quo partim hæc decerpsi, suo tempore in Oxoniensibus biliothecis seruata fuisse. Nullum tamen eius opus nominatim producit, præter
Quæstiones in Ethica Aristotelis, *Libros decem.*
De alijs eius scriptis, & de tempore quo claruit, nec Lelandus aliquid refert, nec apud alios hactenùs scriptum reperio......

De Ioanne de Marisco.

96. IOANNES de Marisco natione Anglus, vir ingenio cultissimo, vtpote qui litteras illas quibus ad humanitatem excolitur animus, accuratè & ipse didicit, & alios docuit. Nam in Monasterio S. Fidei patriæ Norfolcensis, diù iuuenes instituit, & ex ijs quæ in schola tradidit, multa posteà in publicum emisit, & in bibliotheca Norvvicensi ad vtilitatem posterorum reposuit. Ex quibus adhuc hominum manibus teri ferunt
Genera verborum & nominum, *Librum vnum.* Hæc nomina sunt generis.
De varijs metrorum mensuris, *Librum vnum.* Versus propriè dictus restr.
Alia non inuenio, nec tempus quo vixit, scio.

De Ioanne de Murijs.

97. IOANNES de Murijs Mathematicus Anglus. Vir ingenij quidem boni, sed nimis curiosi, ne dicam temerarij. Dum Philosophiæ studeret, cœpit ad scientias Mathematicas animum adijcere, & in ijs sublimiorem, quæ cœlestia contemplatur, elegit Astronomiam, in qua suum insolens exerceret ingenium, & ex causis cœlestibus casus humanos, &

effectus inferiores, non solum præteritos & præsentes, verum etiam futuros colligere & prædicere ausu temerario præsumeret. Rudem itaque plebeculam ita dementauit, vt simpliciores quique crederent eius prædictionibus, tanquam homini fidem adhibentes scientissimo, & qui ex stellarum inspectione, arcana Dei quodammodò penetraret. Scripsit autem hoc in genere temerarius hic cœlestiũ secretorum scrutator

Prophetiarum, *Librum vnum*. Infra annum certè mundi potentior.
Arithmeticam speculatiuam, *Libros duos*. M S. Oxonij in bibliot. publica.
Tractatum Musicum. M S. ibidem.
Artem componendi fistulas organorum. M S. ibidem.

Arithematica eius fuit aliquandò Maguntiæ typis excusa. Et hæc pleraque ex Roberto Recordo collegi. Sed nec ex illo, nec ex alijs hactenùs colligere potui, quo tempore vixerit......

De Ioanne Destigio.

IOANNES Destigius, aliqui Destigionem vocant, natione Anglus, vir magis pius quàm eruditus, eruditus tamen, & multum sacris Bibliorum libris vertendis seu voluendis deditus. Et quia forsan legerat Alexandri Neccami vocabularium Biblicum, & eiusdem inscriptionis librum Guilhelmi Bretoni, & opera similia: hos auctores imitatus, scripsit & ipse ad illustrandas sacrorum Bibliorum tum dictiones, tum sententias 98.

Super vocabulis sacrorum Bibliorum, *Librum vnum*. Quod opus aliquandò Londini ferunt impressum. An aliud scripserit, vel quo tempore vixerit, fateor me prorsus nescire......

De Ioanne Dribroco.

IOANNES Dribrocus Iurisconsultus Anglus, scripsit volumen magnum & eruditum 99.

Ad quinque libros decretalium. Opus dicitur adhuc M S. inueniri in quibusdam Germaniæ bibliothecis. Sed quid aliud scripserit aut gesserit, vel quandò vixerit ignoro......

De Ioanne de Toleto.

IOANNES dictus Magister Ioannes de Toleto, Cisterciensis ordinis Monachus Anglus. Vir litteratura eleganter eruditus, vt loquitur Matthæus Vvestmonasteriensis in floribus, & Matthæus Paris ad annum Domini 1244. Hunc propter magnam vitæ sanctitatem, singularem doctrinam, & eminentem in rebus gerendis prudentiam Innocentius Papa quartus in festo S. Trinitatis anno dicto cum nouem alijs socijs creauit S. R. E. Presbyterum Cardinalem tituli S. Laurentij in Lucina. Quem posteà Vrbanus quartus anno Domini 1261, Viterbij ex Presbytero Cardinalem Episcopum Portuensem & S. Rufinæ constituit. 1274. 100.

Scripta eius modò non comparent. Tandem missus ad Concilium generale Lugdunense sub Gregorio Papa decimo anno gratiæ 1274, in humanis esse desijt, regnante in Anglia Henrico tertio.

Appendicis illustrium Angliæ Scriptorum Centuriæ Secundæ finis.

INCIPIT APPENDICIS ILLVSTRIVM ANGLIÆ SCRIPTORVM

Centuria Tertia.

De Ioanne Eboracensi.

1\. IOANNES Eboracensis seu de Eboraco Anglus ordinis Carmelitani, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir in omni tum sacra, tum profana Philosophia insigniter eruditus. Post supremam in Theologia dignitatem acquisitam, sacrarum Scripturarum interpres, & publicus Professor, vtriusque Testamenti libros plures doctè suis auditoribus explanauit. Quos ingenij sui fructus, vt non solum præsentibus, sed etiam posteris communicaret, publicos fecit, & in lucem emisit. Multis post auctoris transitum annis seruabantur opera eius non pauca in bibliotheca Norvvicensi. Titulos adhuc eorum nonnullos apud auctores inuenio probatos præsertim hos sequentes

Lecturas in Genesim, *Librum j*. In principio creauit Deus cœlũ & terram.
Præconia sacræ Scripturæ, *Librum vnum*. Ego sum via, veritas, & vita.
Expositiones ordinarias, *Librum vnum*.

Nec reliqua eius scripta inuenio, nec qua tempestate vixit, scio......

De Ioanne Eitono.

2\. IOANNES Eitonus, natione Anglus, Oxoniensis Academiæ alumnus in lucem emisit

De vsura tractatum. M S. Oxonij in Collegio Mertonensi. Quid aliud scripserit, quid gesserit, vel quando vixerit, nescio......

De Ioanne Felminghamo.

3\. IOANNES Felminghamus Philosophus Anglus, & in Aristotelis operibus legendis & explicandis diligentissimè versatus. Scripsit

Quæstiones in Elenchos Aristotelis, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Collegio Caij & Goneuilli.

In alios Aristotelis libros, *Libros plures*. M S. ibidem. Alia eius scripta, gesta, & tempus quo vixit, me latent......

De Ioanne Fleto.

IOANNES Fletus ordinis S. Benedicti Monachus, & Presbyter Anglus in cœnobio Vvestmonasteriensi Suburbij Londinensis. Vir pietatis & eruditionis titulis clarus, & in historijs voluendis assiduus, in sacris etiam scripturis meditandis non indiligens, & pro zelo quem habuit animarum, diuini verbi præco non contemnendus. Nam hæc pleraque de eo scribit Nicolaus Brigamus in suis rerum memorabilium venationibus. Porrò Fletus noster ad nominis sui sempiternam memoriam, & posteritatis vtilitatem in lucem emisit de Vvestmonasteriensis tum Ecclesiæ tum cœnobij fundatione & progressu 4.

Chronicon, *Libros duos*.

Homiliarum, *Librum vnum*. De alijs eius scriptis aut gestis, de tempore etiam quo claruit, nihil......

De Ioanne Geesso.

IOANNES Geessus Carmelita Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir cui pietas & eruditio celebre nomen pepererunt. His enim titulis ad Episcopatus Lesmorensem & Vvaterfordensem in Hybernia promotus est. Et hic partim dum in Anglia, partim dum in Hybernia vixit, varia scripsisse scribitur. Sed morie͂tes in externis regionibus hanc plerumque habent infœlicitatem, vt & ipsi, & omnis eorum memoria ferè semper eodem obruantur tumulo. Quod in isto Doctore contigisse videtur. Cuius nec opus aliquod litterarium, nec ipsa temporis, quo vixit notitia, ad nos peruenit...... 5.

De Ioanne Herefordensi.

IOANNES Herefordensis natione Anglus. Scripsit 6.

Epistolarum, *Librum vnum*. Qui, licet mancus, M S. habetur Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

De hoc auctore nihil prorsus aliud inuenire potui......

De Ioanne Hintono.

IOANNES Hintonus cognominatus à quibusdam Sophista, natione Anglus, Philosophus mirè argutus, multùm in rebus obscurissimis explicandis temporis ac laboris posuit, ingenij subtilitate occultiora quæque mysteria penetrauit, & difficiles artis potissimùm Logicæ nodos ita dissoluit, vt rebus in illo genere perarduis facilitatem, & obscuris incredibilem attulerit lucem. Ex lucubrationibus autem quas edidit, pleræque perierunt, ita vt ad nos nihil peruenerit præter 7.

Fallaciarum formulas, *Librum vnum*. Suppositiua ad sensum dicta sunt. Quo tempore vixit, me fugit......

De Ioanne Huntingtono.

8. IOANNES Huntingtonus natione Anglus. Vir in omni politiore doctrina cultissimus. Sed eius scripta, quæ dicuntur esse multa, hactenùs nulla inuenio. Is est qui composuit epitaphium quod legitur ad sepulchrum Richardi Pacæi Decani quondam ad D. Paulum Londini. Cuius primus versus est iste;
Richardus iacet hîc venerabilis ille Decanus. Aliud nihil inueni.

De Ioanne Yongo.

1530. 9. IOANNES Yongus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Ramesiensi. Religionis & doctrinæ magnus cultor, Hebraïcæ linguæ valdè peritus. Hic dum sub Angliæ Rege Henrico octauo euerteretur suum Monasterium, vnà cum nobili bibliotheca, pio furto sacrilegis flammis surripuit magni precij libros Hebræos, eosque tanquàm thesauros quosdam diligenter conseruauit. Multa, teste Lelando, de Laurentio Holbecco, viro in Hebræa lingua benè versato referre solebat Yongus. Atque hæc inducũt, vt credam eum non otiosè fuisse doctum, sed aliqua saltem scripta posteris tradidisse, quamuis quænam illa fuerint, nesciam.
Claruit anno redemptionis humanæ 1530, qua tempestate tempestas hæresis in Anglia sæuire cœpit in religionem & religiosorum habitacula sub Angliæ Rege Henrico octauo.

De Ioanne Yorco.

10. IOANNES Yorcus vel Yorc Carmelita Anglus. Vir doctus & lectioni meditationique sacrarum Scripturarum impensè deditus. Scripsit
Lectiones in Genesim, *Librum vnum.*
Expositiones ordinarias, *Librum vnum.*
Præconia sacræ Scripturæ, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia plura.
Sed quo tempore auctor hic vixerit nescio......

De Ioanne Kempo.

1453. 11. IOANNES Kempus vel Chempius, natione Anglus. Vir suo sæculo pietatis & doctrinæ titulis celebris. Quibus comitibus ad summas in Ecclesia dignitates euectus est. Primùm enim creatus est Episcopus Roffensis, tum Cisterciensis, deinde Londinensis: posteà Archiepiscopus Eboracensis, & præsens in Concilio Florentino factus est S. R. E. Cardinalis, & tandem etiam Archiepiscopus Cantuariensis. Sed de his suo loco. Quædam eruditionis & ingenij litteraria monimenta post se reliquisse, ex Polydoro Virgilio, & Onuphrio Panuinio & alijs facilè colligitur, sed ego hactenùs illorum operum nè titulos quidem inuenio. Cantuariæ diem suum obijt, & sepulturam accepit anno Domini 1456, sub Angliæ Rege Henrico sexto. Vide eum quem conflauimus de Archiepiscopis Cantuariensibus Catalogum.

De Ioanne Langhamo.

IOANNES Langhamus ordinis S. Augustini Presbyter Anglus, patria Norfolcensis, ex ignobili pago Langham non procul à Nigria, natus & cognominatus. Hic postquam Norvvici in suo cœnobio litteras humaniores didicisset, Cantabrigiam missus, Philosophicis primùm, deinde Theologicis studijs se dedidit, & in vtrisque non pœnitendos fecit progressus. Scripsitque tandem opera quædam non indocta, quæ vsque ad infaustum Monachorum exterminium, conseruata fuisse dicuntur in Augustinianorum Bibliotheca Norvvici. Hos adhuc sequentes operum titulos apud Iosephum Pamphilum & alios inuenimus 12.

Institutiones Logicales, *Librum vnum.*
Disputationes scholasticas, *Librum vnum.*

De alijs eius scriptis, factis, aut tempore quo vixit, nihil......

De Ioanne Londinensi.

IOANNES Londinensis S. Francisci religiosus Anglus. Hic adolescens discendi studio suam vrbem natalem reliquit, & Oxonium tunc insignem Musarum arcem petijt. Vbi liberales artes & linguarum scientiam vbertim imbibit, inopia tamen rerum necessariarum duram intereà parcamque vitam egit. Innotuit tandem, nescio quo casu, Rogero Bacono eiusdem ordinis fratri iuuenis optimi fortunæ tenuitas, & ingenij simul fœlicitas, cuius frequenti congressu & colloquio multum ædificatus, cœpit regulam S. Francisci affectare. Quo patefacto consilio, Baconus eum in bono proposito corroborauit, & successu temporis in ordinem admitti curauit, eumque in scientijs Mathematicis accuratè instituit. Posteà cùm Baconus Parisios peteret, Ioannes iste præceptorem secutus, illuc etiam perrexit. Vbi tantus euasit Philosophus, vt pro eius ætate & tempore quo ibi studuerat, illa Academia parem non habuerit. Vnde Baconus cùm Romam ad Innocentium Papam quartum per hunc Ioannem libellos & instrumenta quædam Mathematica à se composita mitteret, scripsit in epistola ad dictum Pontificem inter cætera sic: *Non remansit vnus Parisijs, qui plus nouit in Philosophiæ radicibus. Quamuis & fructus nondum produxerit, propter iuuenilem ætatem.* Innocentius iuuenem apud se retinuit, propter acrimoniam ingenij, & linguarum atque Philosophiæ cognitionem, quam habuit valdè exactam. Ætate maturiore multas egregias lucubrationes edidisse fertur. Sed externorum apud externos scripta plerumque vilescunt, negliguntur, & facilè pereunt. Claruit anno reparatæ salutis 1280, dum in Anglicani regni solio sederet Edvvardus primus. 1280. 13.

De Ioanne Londinensi altero.

14. IOANNES Londinēsis seu de Londino alter à priore historicus Anglus, scripsit quædam *Chronica de rebus Anglicis*. Sed & operum tituli, & tempus quo auctor vixit, me latent......

De Ioanne Maiore.

1400. 15. IOANNES Maioris Theologus Anglus. Vir in sacrarum scripturarum lectione benè versatus, & Scholasticæ Theologiæ non ignarus. Scripsit *in quatuor Euangelia scholasticam Postillam*. Et id genus alia. Claruit anno gratiæ 1400, sub Angliæ Rege Henrico quarto.

De Ioanne Maluernæo.

1342. 16. IOANNES Maluernæus, Miluernæum alij vocant, natione Anglus, Oxonij studijs aliquando bonarum litterarum operam dedit, eratque ibi Orialensis alumnus Collegij. Posteà factus est ordinis S. Benedicti Monachus Vvigorniensis. Scripsit magnum quoddam opus visionum Anglicè, quod absoluisse perhibetur anno Domini 1342, cui operi titulum fecit

Pierce Plovvman, quod opus in aliquibus Angliæ Bibliothecis adhuc MS. reperiri ferunt. Scripsit prætereà

Ad continuationem Polychronici, chronicorum, Librum vnum. MS. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. De alijs eius scriptis aut gestis hactenus nihil inuenio. Claruit anno Domini præfato 1342, regnante apud Anglos Edvvardo tertio.

De Ioanne Marfeldo.

17. IOANNES Marfeldus Londini in Anglia natus, ibidem iuxta Ecclesiam S. Bartholomæi habitauit, & in eadem vrbe, saltem à iuuentute, vsque ad vitæ finem, omnem exegit ætatem. Vir multiplicis eruditionis, quem tamen præ cæteris scientijs arcanior Philosophia naturalis & medicina insigniter commendabant. Erat autem medicorum sui sæculi non infimus, & omnes penè meliores in illa arte auctores legerat. Sed præ reliquis diligenter imitatus est Gilbertum Leglæum Anglum, cui speculatione quidem inferior, praxi tamen superior extitit, & in curandis difficilioribus morbis fœlicior. Vt auctor est Lelandus, scripsit multa de re medica, sed interciderunt pleraque; solùm, quod sciam, habemus eius opus ad imitationem Gilberti exaratum, cui fecit hanc inscriptionem

Praxim medicinæ, Librum vnum. De alijs eius scriptis vel de tempore quo claruit, nihil habeo......

De Ioanne Mearo.

IOANNES Mearus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Norvvicensi, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir ingenij subtilis, & ad res difficiles distinguendas, discutiendas, explicandas multi acuminis. Ferunt enim eum suis confratribus Theologiam in varijs Monasterijs prælegisse, & frequentes ad populum sermones habuisse. Scripta denique non pauca, eademque erudita in lucem emisit, quæ Norvvicensis Bibliotheca diu posteris conseruauit. Ex ijs autem modò nihil habemus præter commentarios 18.

In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*.

Sacras conciones, *Librum vnum*. De alijs eius scriptis, vel de tempore quo claruit, nihil ausim affirmare......

De Ioanne Milone.

IOANNES Milo vel Milis Iuris vtriusque Doctor Anglus in Academia Oxoniensi. Hic iuuenis in Collegio quod Æneí Nasi vocatur, leges tum Cæsareas, tum Pontificias multa diligentia, mira fœlicitate didicit, & successu temporis de vtrisque eruditè scripsit. Libri eius in eiusdem Collegij Bibliotheca diu fuerunt asseruati. Ex ijs iam vix fragmenta comparent, nisi quòd alicubi inuenimus 19.

Repertoriũ iuris Canonici, *Librum vnum*. Absenti quæritur actio ex cont. Extat Basileæ apud Nicolaum Kesler anno 1488. Nihil aliud de illo scio......

De Ioanne Mortono.

IOANNES Mortonus natione Anglus, vir doctrina & pietate clarus, & his nominibus omnibus bonis charus, omnibus improbis exosus. Huius virtutes & doctrinam summè laudat Thomas Morus in vita Regis Richardi tertij. Erat iuris vtriusque Doctor, prudens, grauis, ad alios regendos maximæ auctoritatis, in vitijs castigandis paris seueritatis. De quibus suo loco. Tandem virtus & eruditio quamuis comitem habuerint inuidiam, tamen præmium pepererunt honorem. Nam primùm Episcopus Eliensis, deinde Archiepiscopus Cantuariensis, postea Cardinalis, & demùm summus Angliæ Cancellarius factus est. Persecutionem Regis Richardi tertij fugiens, dum adhuc esset Episcopus Eliensis, in Flandriam se contulit, vbi totum exilij sui tempus in studijs iuris diligenter posuit. Ex Polydoro Virgilio & Onuphrio colligo eum quædam scripsisse. Sed ne titulum quidem vnum inuenio. Cantuariæ mortuus & sepultus est anno Christi 1500, sub Angliæ Rege Henrico septimo. Vide nostrum de Archiepiscopis Cantuariensibus Catalogum. 1500. 20.

De Ioanne Mouen.

21. IOANNES Mouen natione Anglus, Episcopus Londinensis, scripsisse dicitur

Ad suos parochos, *Librum vnum*. Sed quid aliud scripserit aut gesserit, vel quo tempore vixerit, hactenùs non inuenio. Vide eum quem confecimus de Londinensibus Episcopis Catalogum......

De Ioanne Oxracco.

22. IOANNES Oxraccus sacerdos Anglus, Oxoniensis Academiæ celebris Philosophus. Aristotelis libros diligenter peruoluit, & cùm iam omnem eius disciplinam in scholis audiuisset, ipse etiam alios eandem docuit. Demùm in pleraque Aristotelis opera commentarios exarauit, quos ferunt in Benedictinorum Bibliotheca Ramesiensi diu seruatos. Ego titulum vnicum inuenio, videlicet

In Aristotelis posteriora, *Libros duos*. Quemadmodum fatetur Aristoteles. Quid aliud scripserit, aut quando vixerit, non habeo compertum......

De Ioanne Paris.

23. IOANNES Paris vel Parisius Historicus Anglus, scripsit

Historiam vniuersalem, seu *Memoriale historiarum*, *Librum vnum*. In exordio rerum. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti.

Flores historiarum, *Librum vnum*. M S. in Bibliotheca Gualteri Copi. Alia eius scripta, gesta, & tempus quo vixit, ignoro......

De Ioanne Pringtono.

24. IOANNES Pringtonus Historiographus Anglus, scripsit de rebus Anglicis chronica quædam & alia historica. Nescio an alia vel de alijs scripserit. Quo etiam tempore claruerit clarum mihi non est......

De Ioanne Robino.

25. IOANNES Robinus, vulgò Robins, Mathematicus Anglus. Vir ingenij non vulgaris, multi etiam laboris & industriæ. Sed nimiam sibi temerè arrogauit in Astronomia iudiciaria scientiam. Non modò cœlestium corporum superstitiosus contemplator, verum etiam diuinorum secretorum quodammodò curiosus inuestigator. Dum nimis sciolus videri voluit, cælum ipsum (vt inquit Horatius) stultitia petijt, non scientia. Nam dum interpretem se fecit cælestium prodigiorum; quid per ea diuina voluntas portenderet, prædicere præsumpsit. Vir alioquin in omni doctrina politiore, omnibusque disciplinis liberalibus optimè versatus. Quædam eius scripta patrum etiam memoria in quadam Regum Angliæ Bibliotheca visa fuisse perhibentur. Scripsit

De portentosis cometis, *Librum vnum*. Aliorum operum nec titulos inueni,

ueni, nec quo tempore auctor claruerit, noui......

De Ioanne Setono.

IOANNES Setonus Senior Philosophus Anglus, Oxoniensis Academiæ alumnus. Vir speculationibus subtilissimis mirè deditus, & scrutandis penitioribus atque abstrusioribus recessibus præsertim Metaphysicis vehementer delectatus. In talibus igitur indagandis penè omnem exegit ætatem, nunquam Aristotelem de manu deponens, nunquàm eius libros voluere & reuoluere desistens. Et tandem commentarios enucleatè elaboratos edidit 26.

In Aristotelis Metaphysicam, *Libros duodecim.*

Hæc ferè Lelandus libro quarto de viris illustribus. Sed & illum & me fugit, quid aliud scriptis mandauerit, vel qua tempestate vixerit Setonus......

De Ioanne Seuerlæo.

IOANNES Seuerlæus natione Anglus, Diœcesis Sarisburiensis Iuris vtriusque Doctor & Professor Oxoniensis. Vir in quo semen honoris virtus & eruditio suo tempore fructum produxit. Quædam ex ijs quæ è cathedra magistrali docuit, etiam ad posterorum vtilitatem, & sui nominis indelebilem memoriam publica fecit, quorum pars aliqua in Bibliotheca Norvvicensi diu posteà mansit, & adhuc apud scriptores saltem inuenimus hos titulos sequentes 27.

Lecturas ordinarias, *Libros plures.*

Lecturam extraordinariam, *Librum vnum.* Alia cum tempore quo vixit mihi sunt incognita......

De Ioanne Sheppeio.

IOANNES Sheppeius vel de Sheppeio Monachus Anglus in cœnobio Roffensi, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir cui pietas & eruditio primò magnam famam, deinde parem honorem dederunt. Concionator celebris, & in omnibus tum sacris tum profanis disciplinis benè versatus. Tandem intuitu meritorum ad Episcopatum Roffensem assumptus est. Quod ad rem attinet litterariam, partim Oxonij, partim Parisijs collegit 28.

Sermones Vasconicos de tempore & de Sanctis, *Libros duos.* M S. Oxonij in Collegio Vviccamico.

Sermonum volumen tertium. M S. Oxonij in Collegio Mertonensi. De alijs eius scriptis, & de tempore quo claruit hactenus me nihil scire contigit. Vide eum quem de Roffensibus Episcopis confecimus Catalogum......

De Ioanne ShirVVodo.

1470. 29. IOANNES ShirVVodus natione Anglus, vir omni bonarum litterarum genere instructissimus, linguæ tum Latinæ tum Græcæ peritissimus. Poëta, Rhetor, Philosophus, & Theologus insignis. Postquàm Anglicas Academias multo tempore magno cum fructu frequentasset: in Galliam se contulit, Parisijs studuit, vbi Rocco Carthusiano viro pio & erudito propter morum & doctrinæ similitudinem, vsus est familiarissimè. Deinde in Italiam perrexit, vbi Græcarum litterarum studium in Anglia inchoatum, in Gallia auctum, ad perfectum perduxit. Ibi etiam selectissimos auctores Græcos indagauit, inuenit, coëmit, & secùm in Angliam aduexit. Quem librorum thesaurum neglectum diù, ferunt Archilandiæ delituisse, donec longo post tempore Cutbertus Tonstallus doctissimus ille, & omnium postremus Episcopus Dunelmensis de codicibus illis repertis lætatus est, tanquam qui inuenit spolia multa. Existimat, & meritò, Lelandus ShirVVodum hunc multas eximias lucubrationes edidisse, quarum tamen ne titulos quidem nunc inuenimus. Ipse quidem refert se aliquando versus quosdam elegantes in cœnobio Fontanensi legisse, quorum hunc asserit fuisse fabricatorem. Constat eum tandem intuitu virtutis & eruditionis euectum fuisse ad Episcopatum Dunelmensem. Claruit anno partus Virginei 1470, regni gubernaculum in Anglia tenente EdVVardo quarto. Vide eum quem scripsimus de Episcopis Dunelmensibus Catalogum.

De Ioanne Somertono.

30. IOANNES Somertonus natione Anglus, ordinis Prædicatorum S. Dominici sacræ Theologiæ Baccalaureus formatus, in conuentu NorVVicensi. Vir cui religiosa pietas, & eruditio non vulgaris, tum apud clerum, tum apud populum nomen magnum acquisiuerant, ideò maximè quia partim Anglicè, partim etiam Latinè doctissimas, easque frequentes admodum conciones habere consueuerat, ex quibus aliquas in lucem emisit, quæ multorum apud Londinenses manibus diù terebantur. Scripsit igitur

Sermonum per annum, Librum vnum. Emitte agnum Domine Dominatorem. Nihil mihi de alijs scriptis, nec de tempore quo floruit constat......

De Ioanne Stuccheio.

31. IOANNES Stuccheius ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in cœnobio NorVVicensi, quod vocabatur ad S. Trinitatem, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir omnium virtutum, & variæ doctrinæ laudibus insignis. Plura egregia scripsit opera, quæ pleraque NorVVici patrum adhuc memoria visebantur in Ecclesiæ Cathedralis Bibliotheca. Nomina saltem nonnullorum hîc ponemus

In Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Commentarios in sacram Scripturam, *Librum vnum.*
Sermones per annum, *Librum vnum.* Et eiusmodi alia. Sed temporis quo vixit mentionem non reperi......

De Ioanne Tartaio.

IOANNES Tartaius Philosophus Anglus, alumnus Oxoniensis Academiæ, Collegij Balliolensis socius, liberalium artium & Philosophiæ Magister. Vir subtilis ingenij, & ad argutè disputandum paratissimi. Varia scripsit de rebus Logicis & Philosophicis, quæ in dicti Collegij Bibliotheca diù seruata fuerunt. Sequentes solum titulos inuenio 32.
Summulas Logicales, *Librum vnum.*
Quæstiones naturales, *Librum vnum.* Nec alia eius scripta, nec tempus quo floruit, reperi......

De Ioanne Tricloo.

IOANNES Tricloüs Historiographus Anglus, scripsit *quædam Chronica de rebus Anglicis.* Sed nec operum titulos, nec tempus quo vixit, noui...... 33.

De Ioanne Vatæo.

IOANNES Vatæus, natione Anglus, alumnus Academiæ Cantabrigiensis, vt auctor est Lelandus, inter Gundeuillanos (Goneuilli & Caij Collegium intelligit) nutritus. Vir humaniorum litterarum peritus, Philosophiæ non ignarus, & Mathematicus suo tempore præstantissimus, qua scientia suum nomen reliquit apud posteros immortale. Scripsit enim in hoc genere quoddam opus accurata industria elaboratum, & omnibus suis numeris egregiè cōsummatum, cui titulum fecit 34.
Tabulam in æquationes domorum, *Librum vnum.*
Horum studiorum, teste Lelando, socium habuit Gualterum Eluedenum. Sed qua tempestate floruerit vterque non dicit......

De Ioanne Vtono.

IOANNES Vtonus natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Cantuariensis. Scripsit *De obitibus & memorandis Ecclesiæ Cantuariensis*...... 35.

De Ioanne Vvallingfordo.

IOANNES Vvallingfordus Historicus Anglus. Scripsit *Inter alia Chronica breuia Regum Angliæ*, *Librum vnum.* M S. in Bibliotheca Baronis Lumleiani. De hoc auctore nihil penitùs aliud habeo...... 36.

De Ioanne Vviccamo.

37. IOANNES Vviccamus sacerdos Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, Collegij Mertonensis alumnus. Multos nobiliores Theologos diligenter legit, & quorumdam opera, præcisis superfluis, in compendia redegit, & quidem tam laboriosè, tam artificiosè, vt ipsa breuitas rebus lucem potiùs attulerit, quàm obscuritatem. Mertonensis Collegij Bibliotheca posteris diù multas huius auctoris lucubrationes seruauit, & imprimis illud compendium commentariorum, quos fusissimè scripsit super quatuor Euangelia Guilhelmus Nottinghamus, quam epitomen vocat

Abbreuiationes Nottinghami, *Libros quatuor*. Abel super illo dicto Christi quæritur. Opus MS. diù seruatum fuit Oxonij in Bibliotheca Collegij Mertonensis. Alij scriptorum tituli cum tempore quo vixit, ad meam notitiam minimè peruenerunt......

De Ioanne Vvinchelensi.

754. 38. IOANNES Vvinchelensis ordinis S. Benedicti Monachus Anglus. Vir multiplicis eruditionis, & concionator facundus, vnus erat ex ijs Anglis qui conuerterunt Germaniam. Propter singularem pietatem & doctrinam electus est primus Episcopus Salsburgensis in Bauaria. Multa scripsisse dicitur. Sed monimenta litterarum obliterauit barbaries. Obijt anno Domini 754, Offa Magno apud Mercios in Anglia regnante. Vide eum quem collegimus de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

De Ioanne Vvratingo.

39. IOANNES Vvratingus natione Anglus, Canonicus de Vvaltham. Vir doctus, & sacrarum Scripturarum diligens scrutator. Scripsit *Multa, sed pauca inueniuntur, Tabulam eius super glossam epistolarum D. Pauli.* MS. haberi dicitur Cantabrigiæ in Collegio Caij & Gonelli. Cæterum nihil de illo aliud adhuc reperi......

De Iocelino de Furnes.

40. IOCELINVS de Furnes, siue is Anglus fuerit natione, siue, quod verisimilius videtur, Cambrobritãnus, erat historicus, vt auctores sunt Ioannes Stoüs & Nicolaus Fizherbertus. Scripsit

De Britonum Episcopis, *Libros plures.* Alia eius, si qua scripsit opera, vti & tempus quo vixit, me latent......

De Isano Abbate.

530. 41. ISANVS natione Britannus, patria, vt videtur, Demeta, ex prouincia Glamorganensi; vbi fuit S. Iltuti discipulus, & post eum in cœnobio Glamorganensi Abbas. Vir eruditione & vitæ sanctitate clarus, & insi-

gnis, teste Vincentio, scriptor. Cuius omnia opera in funestis illis Britonum & Anglosaxonum bellis perijsse probabile est. Nam ne titulos quidem operum inuenio.
Claruit anno postquam peperit Virgo 530, sub magno Rege Britonum Arthuro.

De Iuliano.

IVLIANVS seu Iulius Iurisconsultus Britannus, vt auctor est Ioannes Lelandus, scripsit 42.

Ad tertium Decretalium, *Librum vnum.*
De probationibus post cessionem, *Librum vnum.*

Quid aliud scripserit, & quandò claruerit, mihi est in obscuro.

De Iuone Brauonio.

IVO vel Iuius Brauonius, hoc est, Lelando teste, Brauonis filius, putat etiam eum in transabrinis partibus natum, & in Monastica disciplina, studijsque bonarum litterarum, in cœnobio Lindisfarnensi sub Cutberto Magno præceptore educatum. De illius scriptis apud historicos nihil certi reperio. Argumento tamen est, eum non pauca scripsisse, tum quia fama doctrinæ eius celebris venit ad posteros, tum quia partim studendi, partim diuini verbi prædicandi causa profectus fuerit in Galliam Armoricam. Hîc itaque hominis nomen in Appendice pono; ad Catalogum referendum, vbi aliquid mihi certi de scriptis eius constabit. Claruit anno Domini 690, regulis in Anglorum Heptarchia dominantibus. 690. 43.

K

De Kenulpho.

KENVLPHVS ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, & tandem Abbas Petroburgensis. De quo ex Hugone Candido sic loquitur Lelandus: *Kenulphus Abbas, flos litteralis disciplinæ, & torrens eloquentiæ, tum decus ac norma diuinarum rerum ac sæcularium.* Quod testimonium satis arguit hominem fuisse apprimè doctum. Aliquid tamen eum scripsisse, non ausim affirmare, sed nec etiam negare. Quantum hactenùs indagare potui, ne scrupulus quidem Scriptorum eius ad posteros peruenit. Vixit anno à plenitudine temporis 1050, regnante in Anglia S. Edvvardo Rege & Confessore. 1050. 44.

L.

De Laurentio Vado.

LAVRENTIVS Vadus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in claustro Ecclesiæ Christi Cantuariæ. Vir pietatis & eruditionis titulis non incelebris. Vel ipse scripsit, vel saltem ex aliquo alio auctore transtulit 45.

Vitam & res gestas S. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Aliud de hoc auctore prorsus nihil habeo......

De Lentvvardino.

46. LENTVVARDINVS sacræ Theologiæ Doctor Anglus, qui etiam sacras Scripturas, tanquam publicus Professor suis auditoribus explicasse perhibetur. Vir suo sæculo multùm celebris, cuius laudes Ioannes Frumentarius in opere suo de granis typicis magnificè prædicat. In diuinorum librorum elucidationibus regiam viam incedens, sanctos Doctores & antiquos Ecclesiæ Patres diligenter secutus est, nè fortè, quod humanum est, nimis suo confisus ingenio, vel iudicio, in errorem aliquem laberetur. Varios igitur in diuersas sacrorũ Bibliorum partes, commentarios in lucem emisit, quorum tamen nunc, opinor, maxima pars in tenebris latet. Ferunt nihilominus adhuc extare

In epistolas D. Pauli, *Libros quatuordecim.*

Alios operum titulos, & tempus quo vixit auctor, ignoro......

M.

De Maglorio Cambrobritanno.

580. 47. MAGLORIVS natione Cambrobritannus, patria Demeta, Samsonis Archiepiscopi Meneuensis discipulus, consanguineus, & indiuiduus peregrinationum comes, ab ætate tenera bonis litteris imbutus, successu temporis in insignem euasit Doctorem. Tandem cum præceptore suo solum vertit, Armoricam petijt, & in ciuitate Dolensi cum eo vsque ad transitum eius permansit, cui etiam iam defuncto in Dolensi Archiepiscopatu successit. Longam duxit vitam, & libros multos exarauit. Sed eius lucubrationes cum auctore in exteris regionibus moriente, perijsse simùl videntur, vt ex scriptis ne scrupulus nec titulus, quod sciam, nunc inueniatur. Hæc ferè Ioannes Capgrauius. Porrò clariut Maglorius anno gratiæ 580, & ibi tandem mortuus & in Ecclesia sua Metropolitana sepultus fuit declinante, sub Rege Malgocuno, Britonum imperio.

De Marcerio Historico.

48. MARCERIVS vetustus Historicus Anglus. Vir supra vulgarem hominum morem eruditus, patrij honoris amator, antiquitatis diligens scrutator, & qui perlibenter illustrium virorum res præclarè gestas memoriæ commendabat, & scriptis, vt ad virtutis incitamentum posteris relinqueret. Hæc habeo pleraque ex Ioanne Bachondorpio in prologo quarti libri Sententiarum quæstione decima. Scripsit

Chronicorum opus, *Librum vnum.*

De alijs eius scriptis & tempore quo vixit apud Scriptores quantum adhuc inuenio, silentium, & apud me ignorantia......

De Martino Cliuio.

MARTINVS Cliuius vel de Cliuo ordinis S. Benedicti Monachus Anglus ad fanum Seruatoris Cantuariæ. Vir pietatis & eruditionis laudibus suo tempore celebris, vt apparet ex Nicolao Brigamo in suis rerum memorabilium venationibus. Non solum ad populum viuens habuit, sed etiam ad posteros moriens transmisit 49.

Homiliarum, *Librum vnum.* Nunc dicendum est primò de.

De alijs quæ scripsit, vel de tempore quo vixit, nihil certi possum affirmare......

De Michaële Smalfeldio.

MICHAEL Smalfeldius ordinis Cisterciensis Monachus Anglus, in Bellensi Southsaxiæ cœnobio. Vir cui pietas & eruditio famam magnam conciliauerant, quam, vt posteris etiam testatam faceret opus quoddam edidit argumentis tum pietatis tum doctrinæ non obscuris refertum, quod, vt testatur in collectaneis Lelandus in bibliotheca præfati Monasterij fuit asseruatum. Inscriptionem libri talem fecerat 50.

Christianæ doctrinæ Summam, *Librum vnum.*

Quid aliud scripserit, nescio. *Et mihi in obscuro est quo tempore vixerit auctor..*

De Milredo.

MILREDVS natione Anglus, bonarum artium cultor studiosissimus, in sacris Scripturis benè versatus, & apud populum diuini verbi præco insignis. Intuitu pietatis cum eruditione coniunctæ ad Episcopatum Vvigorniensem euectus est. De huius laudibus, teste Lelando, circunferuntur quidam antiqui versus. Sunt qui eum multa erudita in lucem emisisse tradunt, sed illa forsan obliterauit vetustas. Vvigorniæ diem suum obijt anno redemptionis humanæ 730, Cuthredo Vvestsaxonibus imperante. Vide eum quem de Vvigorniensibus Episcopis congessimus Catalogum. 730. 51.

De Miserorum Simplicissimo.

MISERORVM Simplicissimus (nam alio nomine se non prodidit) natione Anglus vel Cambrobritannus amplissimo discursu prosa Latina scripsit quoddam opus, quod Matthæus Paris in Gallicos, Ioannes Lidgatus in Anglicos versus transtulerunt. Operi titulum dedit 52.

Vitas & martyria SS. Albani & Amphibali, *Libros duos.* Sed quandò hic auctor claruerit, nescio......

N.

De Nicolao Anglico.

NICOLAVS Anglicus natione & cognomine, ordinis S. Francisci sacræ Theologiæ Doctor. Hic postquam in patria pietatis & do- 1260. 53.

ctrinæ optima posuisset fundamenta, miro discendi ardore Galliam etiam & Italiam peragrauit, vtrobique notæ melioris Academias frequentans, & cum doctioribus viris sæpè conferens. Romam tandem peruenit doctissimorum & sanctissimorum hominum domicilium, vbi fama eius percrebrescente, cœpit notus esse Pontifici summo, Innocentio quarto: qui perspecta viri doctrina, prudentia, grauitate, & alijs virtutibus penè singularibus, eum sibi fecit à moderamine conscientiæ, & in ijs quæ ad Deum sunt directorem. Cui muneri cùm ad aliquod tempus abundè satisfecisset, Pontifex ei contulit Episcopatum Assisiensem. Scripsisse quædam perhibetur, sed quænam illa fuerint non inuenio. Hæc ex Thoma Ecclestono & Ioanne Lelando.

Claruit anno gratiæ 1260, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Nicolao Astono.

54. NICOLAVS Astonus natione Anglus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Ab ipsa namque adolescentia in studijs bonarum litterarum educatus est Oxonij in Collegio Orialensi. Imbibitis autem humanioribus litteris, & Philosophicis disciplinis, pari animi ardore ad studia Theologica perrexit, à quibus, nè acquisito quidem supremo gradu, cessauit. Mihi coniectura non leuis est, eum sacram Theologiam publicè aliquandò professum. Quia constat eum varia Theologica scripsisse, & talia, quæ ad lectiones, & scholasticas concertationes spectant, quæ pleraque in præfati Collegij bibliotheca diù seruata fuerunt. Hos adhuc sequentes saltem inuenimus titulos

Quæstiones super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*.

Lecturas ordinarias, *Librum vnum*. Et alia quæ mihi modò non occurrunt, vti nec ætas qua floruit......

De Nicolao Bollar.

55. NICOLAVS Bollar Philosophus Anglus. Hic cùm à prima ætate ad bonas litteras nutritus fuisset, maturior factus, & benè iam positis primis fundamentis, Oxonium missus ad altiora aspirauit, & animo magno Philosophicam palæstram intrans, strenuam illis studijs operam nauauit, in quibus tandem nihil ei magis arrisit, quàm illa pars quæ de natura & rebus naturalibus agit. Ijs igitur speculationibus se quodammodò totum immersit, & super his in lucem emisit quoddam opus quod patrum adhuc memoria manibus Oxoniensium terebatur, cui titulum dedit

De experimentis naturalibus, *Librum vnum*.

Nescio num aliud scripserit, nec quandò vixerit......

De Nicolao Brechemdalo.

56. NICOLAVS Brechemdalus Grammaticus Anglus, & quidem suo tempore valdè celebris. Vir ad instituendos adolescẽtes in Latinæ linguæ

linguæ primis rudimentis à natura factus & formatus. In hoc itaque genere multum aliquandò laborauit, & ad aliorum etiam vtilitatem suos labores publicos fecit. Nam multa de partibus orationis distinguendis, & in constructione ordinandis laudabiliter scripsit. Quorum exemplaria quædam in Londinensibus bibliothecis diù conseruabantur. Adhuc etiam extare ferunt quasdam eius regulas versu compositas, videlicet

De verbis deponentibus, *Librum vnum*.

De verborum significationibus, *Librum vnum*. Nec alia eius opera, nec tempus quo ipse auctor claruit, hactenùs mihi innotuerunt......

De Nicolao Brunfeldo.

57.

NICOLAVS Brunfeldus Historiographus Anglus, scripsit *Quædam chronica maximè de rebus Anglicis*. An alia scripserit, & quo tempore vixerit, nescio......

De Nicolao de Flij.

1201. 58.

NICOLAVS dictus Magister Nicolaus de Flij Historicus Anglus, virtutis & eruditionis meritis ad Episcopatum Dunelmensem peruenit. Adhuc iuuenis scripsit historias, in quibus illud mirabile inter cetera narrat, quomodò Simon Thuruaius ex viro doctissimo, subitò factus sit ignarus, & omniũ quæ vnquàm didicerat, oblitus, vt quodammodò repuerascere visus sit, quod etiam apud alios auctores scriptum inuenio. Particularem tamen titulum alicuius operis huius Nicolai non reperi hactenùs.

Claruit anno Dominicæ Incarnationis 1201, regnante in Anglia Ioanne. Vide eum quem de Dunelmensibus Episcopis composuimus Catalogum.

P.

De Pandulpho.

59.

PANDVLPHVS Philosophus Anglus scripsit exactissimos quosdam libros de subterraneis meatibus, & de omnibus quæ intra terræ viscera sunt concauitatibus & cauernis. Sed operum tituli, sicut & tempus, quo vixit, me latent......

De Paulino Britanno.

530. 60.

PAVLINVS natione Britannus S. Iltuti discipulus. Vir quem virtus & eruditio suo sæculo reddidit commendatissimum, posteritati etiam non obscurum. Inter ceteras eius laudes illa non est vltima, quòd sub eius disciplina educatus S. Dauid Archiepiscopus Meneuensis clarus tum vitæ sanctitate, tum singulari doctrina enituerit, & non vulgare Britanniæ lumen euaserit. Ioannes à Bosco in libro quem collegit ex veteribus MM. SS. bibliothecæ Floriacensis scribit hunc Paulinum (Paulum tamen ibi vocat) adhuc puerum Hiltuto Doctori & Mona-

cho traditum, in cœnobio cum Gilda, Samsone, & alijs nobilibus iuuenibus in bonarum litterarum studijs educatum, & tandem in Armorica Britannia Oxismorum Episcopum factum fuisse. Sed huius Paulini scripta doctissima vel bellicus absumpsit furor, vel obliuione sepeliuit ipsa antiquitas, vel alia temporum deleuit iniquitas.
Claruit anno gratiæ 530, regnante apud Britannos Arthuro.

De Pembogullo.

61. PEMBOGVL seu Magister Pembogullus, natione Anglus, patria Deuoniensis, ciuitate Isca, quæ nunc dicitur Exonia, argutissimus Sophista Oxoniensis. Subtilibus in Philosophia disputationibus magnum nomen consecutus est, & tandem suo iure ad Magisterium in artibus liberalibus euectus est. Ad acuti ingenij testificationem, & in argumentum insignis peritiæ, maximè in Dialectica, posteritati reliquit ingeniosissima scripta, quorum tamen potior pars perijsse dicitur. Hæc pleraque ex Lelando. Porrò operum, quæ scripsit hic auctor, hos tantum sequentes titulos inuenio

Logica Vniuersalia, *Librum vnum.*
De diuisione entis in decem prædicamenta, *Librum vnum.*

Alia eius opera hactenùs me fugiunt, vti & tempus quo auctor ipse claruit......

De Petro Longatosta.

62. PETRVS Longatosta, Gallum fuisse suspicantur nonnulli, ego verò existimo natione Anglum. Fuit ordinis S. Augustini Canonicus regularis in cœnobio Bridlindgtonensi Eboracensis agri. Vir cui pietas & doctrina celebre nomen dederunt. Humaniores benè tenuit litteras, historijs legendis & scribendis non mediocriter delectatus. In Gallijs aliquandò studuit, & linguam Gallicam accuratè calluit. Ex Hereberto Boscamo Latinè scriptam transtulit in rithmos Gallicanos

Vitam S. Thomæ Cantuariensis, *Librum vnum.*

Scripsit Anglicè chronicon Angliæ, Librum vnum. M S. in bibliotheca Baronis Lumleiani. De hoc auctore nihil prorsus aliud inuenio......

De Petro Quesuello.

63. PETRVS Quesuellus Iurisconsultus & Theologus Anglus, ordinis S. Francisci religiosus, opinor, in cœnobio Norvvicensi. Plura eruditè scripsit; imprimis Directorium iuris in foro conscientiæ & iudiciali, quod opus in quatuor libros distinxit, ponens scilicet

De summa Trinitate & fide Catholica, & de septem Sacramentis, Librum vnum.
De ijsdem Sacramentis ministrandis & accipiendis, *Librum vnum.*
De criminibus quæ à Sacramentis impediunt, & de pœnis ijsdem iniungendis, Librum vnum.
De ijs quæ ad ius & iudicium spectant ordinatè dirigendis, *Librum vnum.*

Quæ omnia diù M M. SS. seruabantur in bibliotheca Norvvicensi.

Porrò quid aliud hic auctor scripserit vel quando vixerit, penitùs me latet......

De Philippo Aubino.

PHILIPPVS Aubinus vel Aubin Astronomus Anglus, imò vir in omnibus tum Mathematicis, tum Philosophicis scientijs insigniter eruditus. Oxonij namque magnam ætatis partem in his studijs consumpsit, & quidem laudabiliter. Tandem vt aliquod in hoc genere ingenij sui peritiæque specimen ederet, & posteris relinqueret, multa in re Astronomica pulchrè illustrauit, & demùm in lucem emisit 64.

Canones tabularum, *Librum vnum*. Et hæc pleraque ex Lelando.

Qui tamen ignorat quo tempore vixerit Aubin......

De Philippo Beuerlaio.

PHILIPPVS Beuerlaius Sacerdos, &, vt videtur, Monachus Anglus, Oxoniensis Academiæ Philosophus insignis. Vir ab ingenij subtilitate multum laudatus, & in Aristotelicis scriptis, & maximè in Logicis disciplinis benè exercitatus, sua industria rebus obscurissimis non parum lucis & claritatis attulit, perspicax ipse ad percipiendum, planus & dilucidus ad explicandum. Ex eius litterarijs monimentis in bibliotheca Glasconiensi custodiebantur aliquandò non pauca. Vndè & mihi coniectura est, eum ibi fuisse Monachum. Habuit autem illa bibliotheca inter cetera eius opera 65.

Quæstiones in Perihermenias, *Libros duos*.
Super sex principijs, *Librum vnum*.

De alijs nihil mihi constat, nec quo tempore vixerit, scio......

De Philippo Gualensi.

PHILIPPVS Gualensis, seu Vvalleis, ordinis S. Francisci Doctor Anglus. Vir pietatis & eruditionis nomine suo tempore non obscurus. Cùm autem eius doctrinæ fama ita percrebuisset, vt Angliæ finibus contineri non potuerit, Galliam etiam atque Italiam peruasit. Vnde Helias tunc totius ordinis Generalis Præses eum Lugdunum vocauit, qui adiuncto sibi socio Adamo Eboracensi, illuc perrexit. Vbi publicus factus Professor, primùm Philosophiam, deindè Theologiam ad annos multos solemniter docuit. Non desunt qui scribant hunc Philippum plures libros eruditos edidisse. Sed nemo quod sciam, alicuius operis titulum nominatim ponit. Vndè ego eum, quantumuis doctum, ad hanc meam Appendicem relêgo. 1250. 66.

Clatuit anno mundi per Christum redempti 1250, sub Regno Henrici tertij. Hæc pleraque Lelandus.

De Plemundo.

926. 67. PLEMVNDVS natione Anglus, patria Mercius. Vir omni bonarum litterarum genere instructissimus, qui tamen, quò plura legerat, vti mihi coniectura est, eò pauciora scripsit. Quippè qui penè omnes, qui ante eum scripserant, auctores peruoluisse dicitur, omnemque ætatem in lectione, vel certè perexiguam partem in scriptione consumpsit. Hominem sanè mea Doctorum Appendice excludere non ausim, quem fama prædicat dignum qui ipsis Catalogis includatur, & quem tantoperè in suis libris ab eruditione laudant alij, sicuti & in suis annalibus Asserius, & in suo de Cantuariensibus Archiepiscopis opere Geruasius Dorobernensis. Nam virtutis & eruditionis intuitu ad supremum in Anglia Primatum Ecclesiasticum ascendit. Denique Guilhelmus Malmesberiensis libro secundo de gestis regum Anglorum capite quarto hominis eruditionem hoc argumento commendat, quòd cùm Alfredus Angliæ Rex doctissimus semper apud se haberet viros omni meliore litteratura ornatissimos, quorum iudicio censuræque omnia sua scripta submitteret, inter eos doctores primùm ponit Plemundum: quamuis quid scriptorum in lucem emiserit, mihi penitùs est in obscuro. Obijt anno Domini 926, regnante apud Anglos Athelstano. Vide eum quem compilauimus de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Pubvvello Sophista.

68. PVBVVELLVS natione Anglus liberalium artium & Philosophiæ Magister Oxoniensis. Ab ingenio subtili, & fallacibus in disputando argutijs Sophista cognominatus. Multam in soluendis difficilibus Logicorum & Metaphysicorum nodis posuit operam, & in eo genere non pauca chartis commisit, atque posteritati tradidit. Sed eorum pars maior perijt. Feruntamen adhuc in Oxoniensibus bibliothecis reperiri

Quæstiones difficiles, *Librum vnum.* Sciendum quòd Aristoteles dicit.

Alia nunc vix inueniuntur, & ipsum tempus quo vixit, hactenùs mihi nequaquam innotuit......

R.

De Radulpho à Longo Campo.

69. RADVLPHVS à Longo Campo natione Anglus. Vir in omni politiore doctrina insigniter eruditus, & in Philosophicis studijs optimè versatus. Postquàm Anglicanas Academias diù frequentasset, Gallicanas etiam pari diligentia inuisit, semper præstantioribus adhibitis ad consilium litterarium Magistris & Professoribus. Tandem ad scribendum iam maturus animũ appulit, & multa tum prosa tum versu ad reipublicæ litterariæ commodum edidit, quorum tamen particularem apud auctores probatos mentionem non inuenio, nisi quòd Ioannes Abbas cognomento Frumentarius, in suis granis typicis testetur eum scripsisse

Commentarios in Anti-Claudianum, *Librum vnum*. De alijs nihil scio, neque etiam de tempore quo claruit......

De Radulpho Coleburgo.

RADVLPHVS Coleburgus Franciscanus Anglus. Oxonij primùm, deinde Parisijs mirè floruit. Et cùm Adamus Mariscus inter Franciscanos doctissimus Prælector & Professor, tanquam miles emeritæ militiæ, prouinciam interpretandi sacras Scripturas, quam diu sustinuerat, deponeret, Coleburgus loco eius surrogatus, se virum in eo genere strenuum præstitit, & prædecessoris emulus in suscepto munere magna cum laude versatus est. Hæc ferè Lelandus ex Thoma Ecclestono. Ex quibus apparet eum aliqua saltem doctrinæ suæ monimenta posteris reliquisse, sed quænam illa fuerint non inuenio. Claruit anno à salutifera natiuitate 1260, sub regno Henrici tertij. 1260. 70.

De Radulpho Londinensi.

RADVLPHVS Londinensis vel de Londonia Theologus Anglus. Scripsit eruditum opus *De lapsu & reparatione hominis* quod vocauit *Electuarium*, *Librum vnum*. M S. in Bibliotheca Baronis Lumleij. Quid aliud scripserit, aut quando vixerit, nescio...... 71.

De Radulpho Remingtono.

RADVLPHVS Remingtonus Historicus Anglus, scripsit *Annales*, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. De alijs eius scriptis, aut gestis, aut de tempore quo vixit nihil habeo comperti...... 72.

De Rainhamo Philosopho.

RAINHAMVS Philosophus Anglus, alumnus Oxoniensis Academiæ. Vir acuti ingenij, & ad Aristotelicas subtilitates discutiendas aptissimi. Disputator in scholis acerrimus, in distinguendo perspicax, in explicando facilis & clarus, in determinando solidus. Omnia penè Aristotelis opera per quæstiones & commentarios illustrauit, easque suas lucubrationes scriptis publicauit. Exemplaria Londini & Oxoniæ diù fuerunt multis Philosophiæ studiosis familiaria, quæ pleraque nunc perierunt, vel in obscuro latent. Adhuc tamen reperiri ferũt *Quæstiones in Physicam*, *Libros octo*. Quæstio est quid sit abstrahere. Sed alios operum titulos, & tempus quo floruit hic auctor, nequaquam hactenus inuenio...... 73.

De Reginaldo Cantuariensi.

REGINALDVS natione Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Cantuariensis in cœnobio S. Augustini. Vir bonarum artium studiosissimus, & linguæ Latinæ peritissimus. Imò in elegantia Romana 74.

mirè floruit. Selectioribus enim auctoribus perlustrandis omne tempus, quod poterat, impendit. Euasitque Rhetor & Poëta inter suos insignis. Græcæ etiam linguæ, vt videtur, non ignarus. Nam Malci cuiusdam Græci historias Græcas vertit in Poëmata Latina, & operi hanc præfixit notam

Super Malcum Bizantinum, *Librum vnum.* Prælia gesturus ludo pius. Horum omnium testem habeo Nicolaum Brighamum, qui tamen nec plura eius opera, nec tempus, quo floruit, ponit......

De Reginaldo de Piperno.

75\. REGINALDVS de Piperno natione Anglus, instituti Prædicatorum S. Dominici Philosophus, Theologus, & concionator insignis. Ad quam variam eruditionem accessit pietas non inferior, ita vt in omnium ore celebris versaretur. Pleraque eius opera apud Monachos S. Benedicti in Bibliotheca cœnobij Ramesiensis instar magni thesauri reposita custodiebantur. Quorum titulos adhuc hos inuenio

Postillam in S. Ioannem, *Librum j.* Vidi Dominũ sedentem super solium.
Sermonum, *Librum vnum.*
Lecturas, *Librum vnum.* Nec alios operum titulos, nec tempus quo in viuis extitit inuenio......

De Reuchido Cambrio.

640\. 76\. REVCHIDVS Cambrius in famoso illo Banchoreñsi cœnobio Monachus, primùm, deinde Doctor, & tandem (nescio cuius loci) Episcopus. Vir eruditus, eloquens, & suo tempore diuini Verbi prædicator cum primis non immeritò conferendus. Et his quidem nominibus apud suos in magno fuit precio. Nennius sub finem historiæ suæ de Britonum origine, testatur eum eruditè multa scripsisse. Quæ omnia in Anglosaxonum crudelibus bellis probabile est, vel flammis absumpta, vel vrbium ruinis obruta penitus perijsse. Sed deperditis operibus, pium est nomen auctoris æternitati, quantum licet, commendare, & dum dolemus dispendium librorum, scriptoris saltem memoriam iuuat conseruare. Floruit anno post aduentum Filij Dei in carne 640, Cadvvallone in Britannia regnante. Vide nostrum de Britonum Episcopis Catalogum.

De Richardo Barro.

77\. RICHARDVS Barrus Theologus Anglus, & in sacris Scripturis legendis & explicandis benè versatus. Scripsit

Super sacra Biblia, *Librum vnum.* M S. in Bibliotheca Lumleiana. Aliud nihil de illo scio......

De Richardo Cambrio.

RICHARDVS Cambrius Historicus Britannus, scripsit *quædam de rebus Anglicis*. Sed illa scripta, nec tempus quo vixit reperio...... 78.

De Richardo Cornubiensi.

RICHARDVS Cornubiensis, vel de Cornubia (Corinianum aliqui vocant) ordinis S. Francisci sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Oxonij multis annis studuit, &, vt videtur, ibidem tandem Theologiam publicus Professor docuit. Non erat hic Richardus Rufus, vt perperàm putauit Lelandus. Scripsit iste auctor, vt testis est Henricus Vvillottus in suis Franciscanorum Athenis, 79.

Commentarios super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor*. Secundùm Hugonem de S. Victore. De alijs eius scriptis, & de tempore quo vixit, altum apud omnes silentium......

De Richardo de Montibus.

RICHARDVS de Montibus, opinor, Anglus, Cancellarius Lincolniensis. Vir pius & eruditus, cui multi tribuunt hæc opera sequentia 80.

Summam qui benè præsunt, *Librum vnum*. MS. Oxonij in Collegio Vviccamico, quod Nouum vocant.

Tractatum, *Dies autem appropinquat*. MS. ibidem.

Expositionem Symboli seu fidei S. Athanasij, *Librum vnum*. MS. ibidem.

Sed quid aliud hic auctor gesserit aut scripserit, aut quo tempore claruerit, nihil hactenùs habeo comperti......

De Richardo Dominicano.

RICHARDVS Dominicanus, id est, ordinis Prædicatorum S. Dominici, natione Anglus. Vir vitæ sanctitate & eximia doctrina conspicuus, vt auctor est Antonius Senensis in sua fratrum Prædicatorum Bibliotheca, quod & ipsa eius opera loquuntur. Nam hos ingenij fœlicis partus in lucem emisit 81.

De virtutibus, *Librum vnum*.

De significationibus quorumdam vocabulorum veteris Testamenti, *Librum vnū*.

Et aliqua alia scripsit, quorum tituli me latent, vti & tempus quo in viuis extitit......

De Richardo Eltesleio.

RICHARDVS Eltesleius sacerdos Anglus, & in oppidulo rustico iuxta Cantabrigiam Pastor. Vir pius & bonarum litterarum cupidissimus. Academiæ propinquitate fretus, omne tempus quod à sua Pastorali cura vacuum habuit, primùm Philosophicis, deinde Theologicis studijs diligenter impendit, & in vtrisque non vulgares, teste Le- 82.

lando, fecit progressus. Habebat hic bonus pastor in Ecclesia sua reliquias Pandionæ virginis filiæ reguli Scotiæ, quæ patris fugiens tyrannidem, in Anglia diem suum obierat. Huius igitur vitam & virtutes, lectis diligenter historijs collegit, & in vnum volumen coniecit, & demùm sub hoc titulo edidit

Vitam Pandionæ virginis, *Librum vnum.*

Hæc ferè Lelandus in quarto de viris illustribus libro. Sed nec apud illum, nec apud quemquam alium hactenùs inuenio qua tempestate claruerit hic auctor......

De Richardo Fiziames.

1500. 83. RICHARDVS Fiziames natione Anglus, pater veteris prosapiæ, magnæ doctrinæ, summæque bonitatis. Sic enim de illo scribit Polydorus Virgilius libro vicesimo sexto Historiæ. Hic intuitu virtutis & eruditionis primùm Episcopus Cicestrensis, deinde circa annum Domini 1500, Londinensis factus est. Vehemens & zelosus concionator, & ex hac causa omnibus ijs qui vel in fide, vel in moribus claudicabant multùm inuisus. Eum quædam scripsisse mihi valdè probabile est. Sed quæ tandem illa fuerint adhuc ignoro. Claruit anno post Christum natum 1500, regnante apud Anglos Henrico octauo. Vide eum quem de Londinensibus Episcopis composuimus Catalogum.

De Richardo Gibbono.

1610. 84. RICHARDVS Gibbonus Societatis Iesu Presbyter Anglus. Dicitur scripsisse partim Anglicè, partim Latinè non pauca. De quo Petrus Ribadineira in Catalogo illustrium Scriptorum Societatis Iesu, inter alia, sic scribit, edidit Duaci *Decachordum Christianum M. Vigerij. Meditatur ingens opus materiarum omnis generis ac disciplinæ Alphabeti serie.* Hæc ille anno Domini 1608. Scripsit autem Latinè.

Additiones ad casus conscientiæ Toleti, *Librum vnum.*

Transtulit ex Hispanico in Anglicum sermonem meditationes Ludouici de Puente de vita & gestis Christi, *Libros duos.*

Existimo quòd adhuc viuat & alia scribat hoc anno Domini 1611, regnante in Anglia Iacobo primo.

De Richardo Grimcastrio.

85. RICHARDVS Grimcastrius Historicus Anglus, scripsit quædam de rebus Anglicis. Sed ea non reperi, nec tempus quo vixit, scio......

De Richardo Hopkinso.

1590. 86. RICHARDVS Hopkinsus nobilis Anglus, diù Parisijs vixit exul propter Catholicam fidem. Ibi eum circa annum Domini 1588, vidi & salutaui. Vir pietatis exercitijs, & bonarum litterarum studijs multum

multum deditus. *Transtulit in linguam nostram Anglicam pleraque Ludouici Granatensis opera spiritualia.* Extant Parisijs anno gratiæ 1582. Parisijs puto illum obijsse circa annum Domini 1590, dum in Anglia rerum potiretur Elizabetha.

De Richardo Kingsdorp.

RICHARDVS Kingsdorp seu Kinstrop Regiosyluanum vocat Lelandus, sacerdos Anglus. Vir qui pietatem vnà cum bonis litteris coluit. Et postquam apud suos in natali solo non mediocres fecisset progressus, ad altiora anhelans Galliam petijt, doctioribus & sanctioribus viris vbique se coniungens. Fuerat tum recenter inchoatus ordo religiosorum S. Francisci, & ex Italia per id tempus venit in Galliam Agnellus Pisanus eiusdem ordinis cultor religiosissimus, cui se confestim coniunxit hic Richardus, & perfectionis Euangelicæ studiosissimus, primus, teste Lelando, ex Cisalpinis regulam hanc amplexus est. Huius exemplum imitati non pauci in eundem ordinem sese receperunt, Richardus Deuoniensis, Guilhelmus Etonus, & alij. Qui anno Domini 1227, in Angliam venerunt, & Londini in monte frumentario locum habitandi acceperunt. Fuit autem Richardus noster diuini verbi præco non vulgaris. Et minimè dubito, quin multa piè & eruditè scripserit, quorum tamen nihil inuenitur, quod sciam; dignum saltem iudicaui, qui in Doctorum Appendice locum accipiat. Quòd si postmodum eius aliqua scripta reperero, referendum iudicauero ad Catalogum. Claruit anno Verbi incarnati 1227, regnante in Anglia Henrico tertio.

1227. 87.

De Richardo Melcheshamo.

RICHARDVS Melcheshamus ordinis Cistercienſis in cœnobio Bellensi Monachus Anglus. Vir pietatis & eruditionis laudibus insignis. Postquàm studiorum curriculum absoluisset, talentum quod ei natura dederat, & industria auxerat atque ornauerat, in terram non diffodit, vt ab vsu communi (quod de talentis auri faciunt auari) excluderet; sed partim alijs prælegendo, partim verbum Dei prædicando, partim etiam libros scribendo, omnibus ad omnium vtilitatem, quantum potuit, communicauit, vt in suis collectaneis scribit Lelandus. Ex ijs autem quæ scriptis consignauit, nihil ad nos peruenit præter magnum volumen

88.

Sermonum, Librum vnum. Quando etiam vixerit, ignoro......

De Richardo Mesino.

RICHARDVS Mesinus ordinis Carmelitani Theologus Anglus. Vir pietatis & eruditionis laudibus insignis. Horum intuitu factus est Episcopus Dormorensis in Hybernia, vti scribit Lelandus, qui & putat eum multa scripsisse, titulos tamen operum nec ille ponit, nec

89.

ego hactenùs inuenio. Eboraci tandem in Anglia inter suos Carmelitas mortuus & sepultus dicitur......

De Richardo Porlondo.

90. RICHARDVS Porlondus natione Anglus, patria Norfolcensis, ordinis S. Francisci in cœnobio Norvvicensi. Vir inter suos sanctitatis & eruditionis titulis clarus. Acutus ingenio, solidus iudicio, politus sermone. Vnde tandem ad Theologiæ Doctoratum euectus est, & inter suos in eadem suprema facultate constitutus est Professor, vbi feriatis diebus ad fratres lectiones, Festiuis & Dominicis ad populum conciones habere consueuerat. Plura scripsit, & ea non contemnenda, quæ pleraque diù fuerunt asseruata in Norvvicensi Benedictinorum Bibliotheca vsque ad Catholicæ religionis exterminium. Hæc ferè excerpsi ex Vvillotto in suis Franciscanorum Athenis, qui affirmat adhuc extare hæc sequentia eius opera

Sermonum, *Librum vnum.*

De Paßione Christi, *Librum vnum.* Christus passus est pro nobis. Aliorum tituli non inueniuntur, nec tempus quo vixit, scitur......

De Richardo Ringstedo.

91. RICHARDVS Ringstedus Theologus Anglus. Scripsit commentarios *Super Parabolas Salomonis*, *Librum vnum.* MS. Oxonij in publica Bibliotheca. Alia eius scripta, vti etiam tempus quo auctor vixit, me fugiunt......

De Richardo Ruys.

92. RICHARDVS Ruys ordinis S. Francisci Theologus Anglus. Vir alti & subtilis ingenij. Scripsit commentarios

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Alia eius scripta, & tempus quo vixit, ignoro......

De Richardo Sacrista.

93. SANCTVS Richardus cognomento Sacrista, ordinis, vt videtur, Cisterciensis Monachus Anglus. Vir integritate vitæ, & singulari doctrina clarus. Huius sacræ reliquiæ in Phrigia non procul à Grumninga in cœnobio Cisterciensium Monachorum, quod ad S. Bernardum dictum fuit, honorificè olim conditæ in magna veneratione habebantur. Hæc ferè Lelandus ex relatione Augustini Acgæi Phrisonis medici, qui & refert eum scripsisse

De harmonia, *Librum vnum.* Et alia quædam. Sed quando claruerit, ignoro......

De Richardo Southvvello.

94. RICHARDVS Southvvellus Historicus Anglus, scripsit *Quadam de rebus Anglicanis chronica.* Nihil aliud de illo habeo......

De Richardo Tetfordiensi.

RICHARDVS Tetfordiensis seu de Tetford Monachus Anglus, Theologus eruditus, & concionator insignis. Scripsit 95.

De modo prædicandi, Tractatum. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Quid aliud scripserit, aut quando vixerit, nescio......

De Richardo Vualpolo.

RICHARDVS Vualpolus Societatis Iesu Presbyter Anglus, egregius Theologus. Partim Romæ, partim Hispali, partim Vallisoleti in Anglorũ Collegijs ad multos annos Præfectũ egit studiorũ. Scripsit 1607. 96.

Responsum ad prouocationem O. E. Librum vnum. Et alia quædam. Obijt Vallisoleti in Anglorum Collegio circa annum Domini 1607, regnante in Anglia Iacobo primo.

De Richardo Vvichio.

RICHARDVS Vvichius natione Anglus. Hic aliquando à Vvicleffitis seductus fuit. Sed eum tantæ perfidiæ paulò pòst pœnituit. Scripsit *Confessionem & retractationem hæresis Vvicleffianæ, Librum vnum.* M S. in Bibliotheca Lumleiana. Claruit anno gratiæ 1390, sub Angliæ Rege Richardo secundo. 1390. 97.

De Richardo Vvinchelsæo.

RICHARDVS Vvinchelsæus à loco in Anglia natalitio sic cognominatus, ordinis Prædicatorum S. Dominici Theologus. Vt ex Lelando colligere est, disputator acerrimus, ad distinguendũ subtilis, ad argumenta soluenda prõptus. Scripsit opus valdè ingeniosum, cui titulum fecit *Quæstionum opinabilium seu problematum, Librum vnum.* De alijs eius libris, aut de tempore quo vixit nihil habeo explorati...... 98.

De Roberto Auesberiensi.

ROBERTVS Auesberiensis Historiographus Anglus, quem in suis Anglicanis chronicis subinde citat Ioannes Stoüs, ex quo colligo eum quædam scripsisse de rebus Anglicis. Sed operum titulos, non inuenio. Clarуisse dicitur circa annum Domini 1340. 1340. 99.

De Roberto Bridlingtono.

ROBERTVS Bridlingtonus ordinis Cisterciensis Monachus Anglus, præclarus Theologus, & diligens scripturarum sacrarum ruminator. Scripsit 100.

Super Apocalypsim S. Ioannis, Librum vnum. Beati Dionysij Corinthiorum Episcopi. Quid aliud scripserit, & quando vixerit adhuc non reperi......

Appendicis illustrium Angliæ Scriptorum Centuriæ Tertiæ finis.

INCIPIT APPENDICIS ILLVSTRIVM ANGLIÆ SCRIPTORVM

Centuria Quarta.

De Roberto Britanno.

1. ROBERTVS Britannus Cambrius puto natione, scripsit *Encomium agriculturæ*, *Librum vnum.* Extat anno 1539. Alia huius hominis & scripta, & gesta, & tempus quo vixit, hactenùs me latent.....

De Roberto Cestrensi.

2. ROBERTVS Cestrensis scripsit *Polycraticon temporum.* MS. Cantabrigiæ in Bibliotheca Collegij S. Benedicti. De hoc auctore nihil aliud habeo.....

De Roberto Cestrio.

1390. 3. ROBERTVS Cestrius, seu de Cestria, id est in illa, vt videtur, ciuitate natus. Vir ingenio præstanti, & ad bonas litteras capessendas valdè apto. Postquàm humaniorum litterarum stadium cucurrisset, Mathematicis speculationibus se dedidit, & in ijs deinceps reliquam omnem suam ætatem posuit. Et tandem, vt auctor est Ioannes Lelandus, in hac materia scripsit
De Astrolabio, *Librum vnum.* Et id genus alia non pauca, quorum tamen titulos non inuenio. Claruisse creditur circa annum Christi incarnati 1390, in Anglicani regni solio sedente Richardo secundo.

De Roberto Glaucestrensi.

4. ROBERTVS Glaucestrensis vel de Glaucestria Historicus Anglus à Ioanne Stoo in suis chronicis nonnumquam citatus. Scripsit quædam historica de rebus Anglicis. Sed eorum titulos hactenùs non reperi. Qua etiam tempestate auctor iste claruerit penitus ignoro.....

De Roberto de Arundel.

1246. 5. ROBERTVS dictus Magister Robertus de Arundel natione Anglus, patria Southsaxoniensis, ex pago Arundelio ortus, à quo cognomen sortitus est. Vir multiplici doctrina clarus, & linguarum potissimum Hebreæ peritissimus. Multa, inquit Matthæus Paris, de Hebræo in Latinum fideliter transtulit, anno Domini 1246, humanis rebus exemptus, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Roberto Barthonia.

ROBERTVS dictus Magister Robertus de Barthonia natione Anglus Londini ad D. Paulum Canonicus. Vir disertus & litteratus testimonio Matthæi Paris ad annum Domini 1250. Hic cum suo Decano & maiore capituli parte opposuit se Archiepiscopo Cantuariensi Bonifacio volenti visitationem Canonicorum Londinensium instituere. In ea controuersia cum suo Decano & altero confratre Guilhelmo de Lichefeldia, æquitate causæ, suæque doctrinæ sufficientia confisus, Romam profectus est, rem coram summo Pontifice acturus. Atque ità egit vt victor reuerteretur. Et quamuis Cantuariensis omnes resistentes excommunicasset; summus tamen Pontifex declarauit illam excommunicationem esse nullam. Mandauitque S. Albani & de Vvaltham Abbatibus, necnon S. Albani Archidiacono, vt hanc Papæ mentem omnibus annunciarent, excommunicationem illam nullam esse vel fuisse declararent. Existimant multi hunc virum eruditum quædam scripsisse, sed quænam illa fuerint hactenùs non inuenio. 1250. 6.

Claruit anno Christi 1250, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Roberto de S. Fide.

ROBERTVS de S. Fide ab oppido natalitio sic cognominatus, natione Anglus, ordinis Carmelitani in conuentu Norvvicensi. Post benè inchoata domi studia, periculum ingenij facturus, exteras Academias petijt, nec infœliciter res ei successit. Nam vbi singulari eruditione magnam sibi conciliasset famam, Romam se contulit, & apud Vrbanum Papam sextum se prudenter insinuauit. Cuiús virtutem, eruditionem, & in rebus agendis dexteritatem Pontifex habens exploratam, eum aliquandò in Angliam, aliquandò in Hispaniam de grauibus negotijs expediendis magna cum auctoritate misit legatum. Multa scripsit, vt ex Lelando colligere est. Sed quinam fuerint operum tituli, modò nobis est in obscuro. In Hispania tandem in viuis esse desijt circa annum ex quo Verbum caro factum est 1386, regnante in Anglia Richardo secundo. 1386. 7.

De Roberto Dominicano.

ROBERTVS Dominicanus, id est, ordinis Prædicatorum S. Dominici Doctor Anglus. Vir solidè doctus, & sacrarum litterarum scrutator diligentissimus, interpres fidissimus. In Theologia denique scholastica benè versatus, valdè peritus. In varios sacrorum bibliorum libros scripsit commentarios 8.

In Job,	*Librum vnum.*
In Danielem Prophetam,	*Librum vnum.*
In S. Matthæum,	*Librum vnum.*
In S. Lucam,	*Librum vnum.*

In S. Ioannem, Librum vnum. Et alia quædam, quæ seruari dicuntur Bononiæ in Italia in bibliotheca fratrum Prædicatorum. Sic enim scribit in sua bibliotheca Sixtus Senensis. Qua tempestate claruerit, nescio.

De Roberto Gentili.

9. ROBERTVS Gentilis ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in cœnobio Pontisfracti. Orator eloquens simùl & vehemens. Postquàm studia Theologica percurrisset, amore virtutum, odio vitiorum incensus ad populum conciones habere cœpit, in quibus nec propter elegantem eruditionem facundia, nec propter singularem pietatem defuit zelus. Fructus quem apud multos fecit, addidit animum, vt in suscepto munere constanter perseueraret, ipsa in opere pio perseuerantia hominem perfectiorem, & se semper meliorem effecit. Tandem pleraque sub incudem reuocata poliuit, & ad posterorum vtilitatem, vt auctor est Lelandus, in lucem emisit

Homiliarum opus, Librum vnum. Quod volumen refert Lelandus adhuc suo tempore custoditum in bibliotheca publica Monasterij Pontisfracti. Porrò quo tempore hic auctor vixerit, nec is, nec alius, quod sciam, quisquam commemorat.....

De Roberto Guinnus.

1590. 10. ROBERTVS Guinnus Sacerdos Anglobritannus, vir grauis admodum & insigniter doctus, qui vnus fuit ex primis qui ex Collegio Duacensi in Angliam missi sunt. Ei igitur exors quædam authoritas inter gentiles suos tributa fuit, & præclare admodum se in eo munere gessit ad multos annos maxima cum ædificatione, & vberrimo animarum fructu. Hic locum meruit inter illustres Angliæ Scriptores, quia præterquam quod inter melioris notæ viros cum laude vixerit, scripsit etiam nonnulla. Nam vertit ex Anglica in Britannicam linguam

Roberti Personij Directorium ad Christianam vitam. Et quædam alia tum vertit, tum scripsit Britannicè, vt habet tomo tertio sacri apparatus Antonius Posseuinus. Vixit Guinnus circa annum gratiæ 1590, dum in Anglos Catholicos grauiùs sæuiret sub Elizabetha Regina persecutionis tempestas.

De Roberto Herefordensi.

11. ROBERTVS Herefordensis historicus Anglus, scripsit

De annis Domini, vel excerpta de chronicis Mariæ in Scotia, Librum vnum. M S. in priuata bibliotheca Gualteri Copi. Alia huius auctoris scripta, gesta, & tempus, quo floruit me latent.....

De Roberto Iansonio.

12. ROBERTVS Iansonius & Henricus Iolifus Sacerdotes Angli scripserunt

Contra erroneos articulos Hopperi, Librum vnum. Extat Antuerpiæ 1564. De his nihil prorsus aliud habeo......

De Roberto de Poins.

ROBERTVS Poins nobilis Anglus. Scripsit Anglicè *Testimonia probantia realem Christi præsentiam in Sacramento Eucharistiæ, Librum vnum.* Extat Louanij 1566. Vidi opus in bibliotheca Benedictinorum Anglorum Delovvariæ in Lotharingia. Cœterùm quid aliud scripserit, vel quandò claruerit hic auctor, nescio...... 13.

De Roberto Priore.

ROBERTVS Prior S. Fridesvvidæ Monachus Anglus, scripsit *Tractatum de connubio Jacob.* M S. Oxoniæ in Collegio Balliolensi. Nec aliud omninò de illo inuenio...... 14.

De Roberto Ringstedo.

ROBERTVS Ringstedus natione Anglus. Scripsit *Glossam seu commentarios super Dauidis psalmos, Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio Caij & Gonelli. Aliud nihil. 15.

De Roberto Somercoto.

ROBERTVS dictus Magister Robertus Somercotus natione Anglus, vir variarum virtutum, & multiplicis eruditionis titulis insignis. Quorum intuitu factus est S.R.E. Cardinalis. Et quidem tanti nominis fuit vt putaretur futurus summus Pontifex, sed mortuo Papa Gregorio nono, mortuus est & ipse Robertus in conclaui dum ageretur de Pontifice eligendo, vt scribũt Matthæus tum Vvestmonasteriensis tum Paris ad annum Domini 1241, non sine veneni suspicione. Quòd hic Robertus eruditè multa scripserit, variæ sunt mihi coniecturæ, sed operum nè titulos quidem inuenio. Obijt Romæ, vt dictum est, anno Domini 1241, regnante apud Anglos Henrico tertio. 1241. 16.

De Roberto Tauernero

ROBERTVS Tauernerus, natione Anglus, vir multiplici doctrina affatim instructus, & qui multa posteritati scriptis prodidisse dicitur. Sed nihil operum eius inuenio præterquam quòd Anglicè scripserit *De fama, Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. Quid aliud in vita gesserit, aut qua tempestate floruerit, mihi planè est incognitum...... 17.

De Roberto Tipetoto.

ROBERTVS Tipetotus illustri prosapia in Anglia natus, & ipse Comes Vvigorniensis. Vir in omnibus liberalibus artibus solicitè educatus, & qui non pœnitendos in omnibus fecit progressus. Teste 1294. 18.

Nicolao Triueto, multa eruditè scripsit, & suam doctrinam egregiè testatam fecit posteritati. Opera tamen eius, nec eorum titulos hactenùs inuenire potui.
Claruit anno redemptionis humanæ 1294, dum in Anglia rerum potiretur Edvvardus huius nominis & Normannici sanguinis primus.

De Roberto Tumbleio.

19. ROBERTVS Tumbleius ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Croilandiensi. Hic ab adolescentia iugum Domini sub obseruantia regulari portare assuetus, vnà cum bonis litteris semper pietatem didicit. Nam extra quotidianum in choro cantandi atque psallendi morem, semper aut studuit, aut docuit, aut scripsit. Sic enim in suis Collectaneis affirmat Lelandus, qui tamen vnicum illius opus producit in medium, videlicet

In Cantica Canticorum, *Librum vnum*. Os sponsi inspiratio Christi est.
De alijs eius scriptis, vel de tempore, quo vixit, nihil.....

De Roberto Turnehamo.

1280. 20. ROBERTVS Turnehamus ordinis S. Francisci Theologus Anglus in Conuentu Londinensi, vbi inter suos Professor sacras litteras docuit. Vir pius, eruditus, & imprimis tum eloquens, tum vehemens concionator. Vndè cum Edvvardus princeps Regis Henrici tertij filius contra Saracenos in Syriam expeditionem pararet, & consultaretur de insigni aliquo oratore, qui militem in hostes animare, & in quamcumque partem dicendi vi flectere posset, & pro arbitrio ducere: Turnehamus ad hoc omnium aptissimus repertus est. Itaque cum exercitu profectus adeò strenuè munus iniunctum præstitit, vt de se conceptam expectationem longè superauerit. Diù vixisse, multa egregia scripta concinnasse dicitur, sed ex ijs modò nihil comparet.
Claruit anno reparationis humanæ 1280, regnante in Anglia Edvvardo primo.

De Roberto Veiso.

21. ROBERTVS Veisus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, patria Norvvicensis, in Hulmo non procul à littore maris natus. Vir in artium liberalium studijs optimè educatus, & in Latini sermonis elegantia politissimus. Ad subsidium copiæ verborum, ex selectissimis quibusque auctoribus accurata diligentia collegit dictionarium quoddam, quod inscripsit

Catholicon paruum, *Librum vnum*. Alma, virginem apud Hebræos.
Opus hoc diù seruatum fuit Cantabrigiæ in Collegio Reginæ. Quid aliud scripserit, aut gesserit, aut quandò vixerit, nescio.....

De Roberto Vvanthamo.

22. ROBERTVS Vvanthamus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, in peruetusto & celebri cœnobio Cermeliensi Comitatus Dorcestrensis. Vir humanioris litteraturæ valdè peritus, & elegantiæ Latinæ mirè studiosus. In peruoluendis cultioribus auctoribus multum operæ posuit, potissimùm vt vocabulorum origines, & natiuos sensus exquireret, & cuiuscunque dictionis propriam atque genuinam significationem intelligeret. Hunc igitur in finem longo tempore, & multo labore, ad expertissimorum Grammaticorum incudem vocabula reuocauit, germanos eorum sensus exquisitè discussit, & dictiones sic examinatas ordine disposuit, in vnum volumen coniecit, ad publicam vtilitatem luce donauit, totumque opus Abbati suo Synvvello patrono optimo nuncupauit. Venit posteà nescio quo casu, volumen ad manus Humfredi Ducis Claudiocestrensis, qui donauit illud Oxoniensis Academiæ bibliothecæ publicæ, quod proculdubiò pereunte illa bibliotheca perijt. Inscriptionem, opinor, operi præfixit auctor

Vocabulorum origines, *Librum vnum.*

Hæc pro maiore parte suppeditauit mihi noster Lelandus, qui tamen tempus, quo vixit mecum ignorat.....

De Rogero Iunio.

23. ROGERVS Iunius vel Iongus Mathematicus Anglus & aliarum etiam scientiarum vtcumque peritus. Hic vt eruditione sua non sibi tantum complaceret ad priuatum oblectamentum, sed etiam alijs prodesset ad publicum commodum, patriæ gratus, & posteritati proficuus in lucem emisit opus elegans, & benè elaboratum, vt habet Lelandus in libro quarto de viris illustribus

De computo, *Librum vnum.*

De alijs eius scriptis, aut de tempore quo vixit, nihil habeo comperti....

De Rogero Marshallo.

24. ROGERVS Marshallus, natione Anglus, Academiæ Cantabrigiensis alumnus, nam ibi in Collegio S. Petri melioribus artibus ingenium suum insigniter excoluit. Affatim enim imbibitis humanioribus litteris, scientias Mathematicas, omnemque profanam Philosophiam accuratè didicit, vt ingenio suo nonnihil curioso aliqua ex parte satisfaceret. Hac autem sua curiositate, alioquin superflua, vsus est ad vetustos codices indagandos, vt ex ijs rara, noua, inaudita, si posset, erueret, & partim ad ingenij diligentiæque ostentationem, partim ad aliorum vtilitatem, in vulgus emitteret. Ferunt illum magnum huiusmodi veterum librorum thesaurum coaceruasse, & tandem ad animi grati testificationem bibliothecæ dicti Collegij sui altoris liberaliter do-

nasse. Quod autem ad monimenta lucubrationum eius attinet, scripsit Lelandi testimonio

De figura Cota & apodiatis, *Librum vnum.*

Quid aliud scripserit, vel quandò vixerit, nec scribit Lelandus, nec aliundè mihi constat......

De Rogero Nigello.

1241. 25. ROGERVS Niger vel Nigellus, Anglicè Black, ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Vvestmonasteriensi, suburbij Londinensis, ab alijs tamen dicitur, fuisse canonicus Londinensis ad D. Paulum, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis. Vir pietate & eruditione clarus, & concionandi gratia penè singularis, vt inter alios auctor est Matthæus Paris qui prius ad annum 1228, dixerat eum *virum in litteratura fundi pectoris*. Intuitu virtutum & multiplicis eruditionis factus est Episcopus Londinensis. De quo tamen hactenùs parum admodum scriptum lego, nisi apud Nicolaum Brighamum in suis rerum memorabilium venationibus, qui testatur eum coram regni principibus & proceribus frequentes habuisse sermones, quos tandem edidit Latinè cum hac sequente inscriptione

Sermones solemnes, *Librum vnum.* Sapientia vincit malitiam. Christus. Reliqua eius opera, antiquitas ipsa antiquasse videtur. Obijt anno Domini 1241, regnante in Anglia Henrico tertio. Vide nostrum de Londinensibus Episcopis Catalogum.

De Rogero Rugoso.

26. ROGERVS Rugosus, eundem esse puto quem alij Ruggum vocant, ordinis S. Francisci sacræ Theologiæ Doctor Anglus. De hoc auctore satis parcam inuenio mentionem. Scripsit commentarios

Super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.* Vtrum aliquis in casu possit obligari in præcepto?

De maximo & minimo, *Librum vnum.* Sic Vvillot in suis Franciscanorum Athenis. Porrò Ruggo tribuūt quidam commentarios in libros de anima, & opuscula quædam Theologica, quæ M M. S S. haberi dicuntur Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij & Gonelli. Quando autem hic auctor claruerit, non inuenio......

De Rogero Varrone.

1290. 27. ROGERVS Varro dictus Magister Varro, ordinis S. Francisci sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Huius nomen in ære insculptum est in latere tumbæ Ioannis Scoti Doctoris subtilis Coloniæ Agrippinę in Ecclesia veteri Franciscanorum cum quatuordecim alijs illius ordinis doctissimis viris, sic: *Magister Rogerus Varro.* Multa eruditè scripsisse perhibetur, sed hactenùs operum tituli me fugiunt. Claruit anno gratiæ 1290, sub Angliæ Rege Edvvardo huius appellationis, & Normannici sanguinis primo.

De Rogero Vveshamo.

ROGERVS Vveshamus natione Anglus, cùm ab ipsa penè pueritia bonam indolem ostenderet, à parentibus ad studia bonarum litterarum destinatus est. Cùmque adolescens maiorem adhuc spem daret, Oxonium ad humaniores litteras capessendas missus est. Vbi scientias liberales, Philosophiam etiam, & Theologiam diligenter didicit. Tandem cùm Robertus Capito lectionem quam habuerat Oxonij in conuentu ordinis S. Francisci, relinqueret, hic Rogerus ei surrogatus, ibidem diù docuit, donec indè ab ipso Capitone tunc Episcopo Lincolniensi vocatus, intuitu virtutis & doctrinæ Decanus Lincolniensis fieret: vndè tandem à Rege euectus est ad Episcopatum Couentriensem. Hæc penè omnia ex Lelando. Multa eum scripta egregia exarasse, constans multorum est opinio, sed ego nè in titulos quidem operum hactenùs incidi. 1260. 28.

Claruit anno post aduentum Messiæ salutiferum 1260, dum in Anglia rerum potiretur Henricus tertius. Vide eum quem compilauimus de Couentriensibus Episcopis Catalogum.

De Rorico Vvittono.

RORICVS seu Rodericus Vvittonus ordinis S. Francisci Theologus Anglus, & concionator non vulgaris. Scripsit 29.

Sermones de tempore ab initio Aduentus vsque ad Pascha, *Librum vnum.*

De alijs eius scriptis aut gestis parca apud scriptores mentio, de tempore quo vixit altum silentium......

De Russello.

RVSSELLVS vel Rossellus sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Vir ita solidè doctus, vt eo doctiorem illa ætate non habuerit Anglia: sic enim de eo scribit Thomas Morus in vita Regis Richardi. Erat etiam pius & prudens, atque in rebus gerendis summæ dexteritatis, experientiæ multæ. Vndè factum est vt virtus atque eruditio patefecerint ei aditum ad summos penè honores. Factus est enim Episcopus Lincolniensis, & à regio consilio, & tandem summus Angliæ Cancellarius. De quibus suo loco fusiùs. Hîc ea quæ sunt eruditionis eius, tractemus. In lucem emisisse dicitur 1484. 30.

In Cantica Canticorum, *Librum vnum.*

De potestate Summi Pontificis & Imperatoris, *Librum vnum.* Et alia plura.

Claruisse putatur circa annum Domini 1484, sub Rege Edvvardo quinto. Vide eum quem fecimus de Lincolniensibus Episcopis Catalogum.

De Serlone Presbytero.

1129. 31. SERLO Presbyter Anglus illustri loco natus, Syredi & Leofledæ, teste Lelando filius. Vir qui virtute & eruditione magnum sibi nomen acquisiuit, & paulatim ad congruos honores ascendit. Primùm enim factus est Ecclesiæ Sarisburiensis Decanus, deindè Abbas Coriniensis, id est, Excestrensis Monasterij. Hunc virum generis sui splendorem bonis litteris auxisse, vel certè ornasse, & opera varia scripsisse, ex Ioanne Lelando, & Syluestro Gyraldo colligi potest, sed librorum nomina nobis nequaquam innotescunt. Vixit anno à Christi Natiuitate 1129, sub Angliæ Rege Henrico secundo.

De Shirburno.

32. SHIRBVRNVS natione Anglus, vir Græcè Latinéque insigniter doctus, & qui sermonis elegantia, mirisque verborum lenocinijs, non solum demulcere potuit aures, sed etiam cõsueuit mouere affectus. Hinc beneuolentiam conciliabat, & ad se attrahebat hominum animos. Prætereà suppetebat ei rerum tum naturalium, tum diuinarum exquisita scientia, vt nihil reliquum fecerit ad Doctorem omnibus suis numeris absolutum. Ad tuendam auctoritatem grauis, ad rectè consulendum maturus, ad iudicandum solidus, ad congressum suauis, ad politè loquendum promptus & expeditus, ad res gerendas prudens, ad expediendas dexter, & mirè fœlix. Has virtutes, hanc eruditionem suus honos secutus est. Nam præter honorificas, quas non semel obiuit ad diuersos principes legationes, & magna, quæ gessit in republica, munera, tandem Regis beneficio Cicestrensem accepit Episcopatum. Quædam illum scripsisse Lelandi coniectura est, cui assentior. Sed quænam illa fuerint, vel quando auctor vixerit, adhuc non inueni. Vide eum quem de Cicestrensibus Episcopis composuimus Catalogum......

De Simeone Anglico.

790. 33. SIMEON Anglicus cognomine simùl & natione, Alcuini discipulus, de quo & ipse in epistola ad Carolum testatur, quòd eum nutriuerit, educauerit, & ad virum perfectum perduxerit. Erat enim Simeon morum probitate conspicuus, & tum in sacris, tum in profanis disciplinis eximiè doctus, & Doctoratus insignibus meritò decoratus. Vir etiam planè Apostolicus, vt potè qui fidem infidelibus Germanis strenuè annunciauit. Duce igitur virtute, comite doctrina, Episcopalem honorem acquisiuit. Hæc ex Alcuino & Lelando. Ex quibus colligi potest eum nonnulla scripsisse; quamuis Scriptorum titulos nobis inuiderit vetustas. Nam auctore in exteris regionibus moriente, curam operum quis habuit? Ad hunc Doctorem iam Episcopum factum scripsit epistolam Alcuinus. Eiusdem opinor, officium longo post tempore scripsit Ro-

bertus Balæus iunior, cuius initium sic habet: *Aue Simeon Pater inclyte, & nostra*, &c. Claruit anno salutis restitutæ 790, regnante in Northumbria Osredo. Vide nostrum de Apostolicis Angliæ viris Catalogum.

De Simone Ailvvardo.

SIMON Ailvvardus natione Anglus, Poëta non inelegans, raram huius auctoris inuenio mentionem, nisi quòd scripserit 1456. 34.

Inter alia versu rithmico de ludo scaccorum, Librum vnum.

Ludus scaccorum datur hic correctio morum,
Non tantum morum regimen, sed & officiorum.
Miles regalis, & corrigitur popularis,
Si ludi lusum, morum vertamus in vsum.

De illo nihil aliud hactenùs inuenio. Claruit anno salutis communis 1456, sub Angliæ Rege Henrico sexto.

De Simone Dominicano.

SIMON Dominicanus, id est ordinis Prædicatorum S. Dominici Doctor Anglus. Vir ingenij fœlicis, doctrinæ insignis. Huius maxima laus erat in sacrarum scripturarum eminente peritia. Illas diligenter peruoluit, strenuè didicit, memoria retinuit, dilucidè docuit, fideliter exposuit. Vt abundè testantur erudita eius hoc in genere scripta. Edidit enim doctissimos commentarios, vt scribit in Bibliotheca Sixtus Senensis, 35.

Super Isaiam, Librum vnum.
Super Hieremiam, Librum vnum.
Super Ezechielem, Librum vnum.
Super Danielem, Librum vnum.
Super prouerbia Salomonis, Librum vnum.
Super libros Machabæorum, Librum vnum.
Super præfaciones biblicas Diui Hieronymi, Librum vnum. Et eiusmodi alia.

Tempus quo floruit hic auctor, ignoro......

De Simone Monacho.

SIMON Monachus in cœnobio Vvaldensi, natione Anglus, vir vtriusque Iuris peritissimus, anno Domini 1297, Cantabrigiæ ius Canonicum publicè legere cœpit, docuitque ibi diù magna cum laude. *Putatur super maiorem partem Iuris commentarios scripsisse*. Claruit anno salutis 1297, sub regno Edvvardi primi. 1297. 36.

De Stantono Mathematico.

STANTONVS Mathematicus Anglus, & Philosophus, Lelando teste, insignis. Scripsit *Canones in tabulas Arsachelis*, Librum vnum. 37.

Alia quæ scripsit, vnà cum tempore, quo vixit, me fugiunt......

De Stephano Anglico.

38. STEPHANVS Anglicus Parisijs humaniorem litteraturam & alias liberales artes primùm didicit, deinde docuit. Posteà Theologiam ibidem ex cathedra magistrali publicè professus est. Tandem ad sacrarum Scripturarum studium se contulit: ex ijs vnus erat, qui totam sacram Bibliam moraliter exponere aggressus est. Scholasticè tamen & subtiliter omnia sua scriptis tradidit. Scripsit autem, vti ex Catalogo Henrici de Gandauo accipio, suas subtiles omni commendatione & admiratione dignas Moralitates

In Pentateuchum, *Libros quinque.*
In libros Regum, *Libros quatuor.*
In duodecim Prophetas minores, *Libros duodecim.* Et eiusmodi alia. Tempus autem quo claruit, non inuenio......

De Stephano Brickingtono.

1380. 39. STEPHANVS Brickingtonus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Cantuariensi. Scripsit *De Cantuariensibus Archiepiscopis vsque ad Guilhelmum Curcuaum.* Item scripsit *Episcoporum Eliensium Catalogum.* De hoc auctore nihil prorsus aliud inuenio nisi quòd conijciem eum claruisse circa annum Domini 1380.

De Stephano Iurisperito.

40. STEPHANVS Iurisperitus Anglus, vir eruditus, prudens, dexter, & in administrandis publicis iustitiæ muneribus fidelis & integer. Vtrique iuri, Cæsario scilicet & Pontificio strenuam Oxonij dedit operam. Posteà Londini, vt videtur, municipalibus Angliæ legibus pari diligentia studuit, vt nihil reliquum fecisse existimetur ad perfectum & omnibus suis numeris absolutum Iurisconsultum. Quem etiam non minùs commendarunt integritas & dexteritas in praxi, quàm scientia in speculatione. Vnicum tamen, quantum scio, scripsit opus, quod in Anglicanis Bibliothecis extitisse patrum memoria ferunt, cui titulum præfixit

Municipalium actionum epitomen, *Librum vnum.* Nec alia scriptores prodiderunt, nec tempus, quo claruit, posuerunt......

De Stephano Messalaho.

41. STEPHANVS Messalahus Mathematicus Anglus, vt ex Lelandi collectaneis colligere est. Philosophus etiam non contemnendus, sed præ cæteris artibus in Astrologia fuit peritissimus: quam artem, vt fertur, publicè docuit, & in illo genere multa scripsit, ex quibus alia MM. SS. reperiuntur in Bibliothecis, alia, vt ex Roberti Constantini Nomenclatore constat, aliquando mandata typis extiterunt. Sed vt res ipsæ loquantur, operum titulos ponamus. Scripsit enim

De compositione Astrolabij, *Librum vnum*.
Flores iudiciorum ex stellis, *Librum vnum*.
De reuolutione annorum mundi, *Librum vnum*.
De ratione circuli & stellarum, *Librum vnum*. Et eiusmodi alia. Sed quo tempore floruerit, me latet......

De Stephano Presbytero.

STEPHANVS Presbyter Anglus, & Historicus in scriptis nimia prolixitate plerumque exuberans. Scripsit verbosissimè longum discursum, quem in compendium redegit Guilhelmus Malmesberiensis. Titulum operi fecit 42.
De S. Vvilfrido, *Librum vnum*. Quid aliud scripserit, vel quo tempore vixerit, non inuenio......

De Stephano Scropo.

STEPHANVS Scropus Historicus Anglus, scripsit quædam de rebus Anglicis circa annum Domini 1399, sed titulos operum non habeo. Claruit anno Domini 1399, sub finem regni Richardi secundi. 1399. 43.

De sancto Suiberto.

SANCTVS Suibertus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus. Vir sanctus, eruditus, & per omnia planè Apostolicus, vti venerabilis & semper veridicus Beda quasi viuis coloribus eum depingit historiæ suæ libro quinto capite duodecimo, sic scribens; *Vir corde mansuetus, in Scripturis sacris, & Ecclesiasticis disciplinis apprimè instructus*. Facilè adducor vt credam hunc Doctorem aliqua litteraria monimenta posteris reliquisse, tum propter Bedæ testimonium, tum propter indefessum Euangelij prædicandi studium. Sed verisimile est, auctore inter homines externos, & adhuc semibarbaros & infideles in Germania diù viuente, tandem inter eos etiam moriente, opera simul cum auctore mortuo perijsse. Tantum itaque Doctorem in Appendice saltem mea ponendum iudicaui, in Catalogum tanquam in locum digniorem transferendum, si de titulis librorum eius vnquam mihi constiterit. Spiritum Deo reddidit anno reparationis humanæ 717, & in Collegiata Ecclesia Cæsaris Insulæ ad Rhenum non longè Dusseldorpio, corpus eius argentea tumba inclusum vsque hodiè magna in veneratione habetur. Vide Catalogum quem scripsi de Apostolicis Anglicanæ nationis viris. 717. 44.

De sancto Suithuno.

SANCTVS Suithunus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in vrbe Vvintoniensi, vbi tandem factus est Episcopus. Illic enim ab annis penè puerilibus sub regulari seu Monastica disciplina pietatem, qua Deo seruiret, & bonas litteras, quibus proximos iuuaret, assiduo cum labore & industria didicit. Matura tandè ætate ad tantam in omni 862. 45.

ſcientiarum genere, & linguarum cognitione perfectionem aſcendit; vt regibus & quibuſque magnis viris de optima nota cognitus eſſet, adeóque fama pietatis & eruditionis eius percrebuit, vt Rex Egbertus Magnus, ille qui apud Anglos primus Monarchiam inchoauit, illi filium ſuum natu minorem Ethelvvolfum bonis litteris & pijs moribus imbuendum traderet. Hæc ferè ex Capgrauio & Lelando. Porrò quomodò tantum apud omnes nomen eruditionis conſecutus eſt Suithunus? quomodò præ cæteris omnibus Regis filium litteris imbuendum, moribus formandum ſibi commiſſum habuit? ſi nullum in vulgus emiſit ingenij doctrinæque monimentum? emiſit igitur, vt exiſtimo, ſed ad poſteros nihil perueniſſe inuenio. Nam veriſimilius eſt eius ſcripta aliquo infortunio perijſſe, quàm illum nunquam aliquid ſcripſiſſe. Obijt ſanctiſſimè diem ſuum anno poſt humani generis reparationem 862, inchoante fœliciter Monarchiam Anglorum Egberto Magno. Vide illum quem collegi de Vvintonienſibus Epiſcopis Catalogum.

T.

De Tatfrido Pharenſi.

680.
46.

TATFRIDVS Pharenſis cœnobij (quod ædificauerat S. Hilda) Monachus Anglus, vnus ex Doctoribus qui, teſte Beda, magno Eccleſiæ naſcentis inter Angloſaxones commodo, illic floruerunt. Hic, vt Bedæ verba immiſceam, *Vir ſtrenuiſſimus atque doctiſſimus, & excellentis ingenij*, ex prædicto Monaſterio electus eſt Epiſcopus Vvigornienſis, ſed morte præuentus, nunquàm fuit conſecratus. In eius laudem multa ſcribit Lelandus in opere ſuo de viris illuſtribus. Ego ſanè mihi perſuadere non poſſum, virum tam laudati ingenij, tam multiplicis doctrinæ, tantæ virtutis, inuidiſſe poſteritati ſua litteraria monimenta. Exiſtimo inuidiſſe potiùs tempus edax rerum, cuius vitio credo factum, vt non ſolum opera quæ ſcripſit, verùm etiam & ipſi librorum (quod non illi ſoli contigit) tituli perierint. Claruit anno gratiæ 680, durante adhuc apud Anglos aliqua Heptarchiæ forma.

De Timotheo Bricthο.

47. TIMOTHEVS Bricthus natione Anglus, medicinæ Doctor Cantabrigienſis. Scripſit

De ſanitate reſtituenda, *Librum vnum*. Extat Francofurti anno 1589. De alijs eius ſcriptis, geſtis, aut de tempore quo vixit, nihil......

De Thoma Alchero.

48. THOMAS Alcherus Theologus Anglus, vir in ſacris Scripturis legendis & explanandis benè verſatus. Scripto poſteris reliquit quaſdam non indoctas poſtillas

In Euangelium S. Marci, Librum vnum. MS. Cantabrigiæ in Aula Pẽbroc.

In

In Euangelium S. Lucæ, *Librum vnum.* MS. ibidem.
In Euangelium S. Ioannis, *Librum vnum.* De alijs eius litterarijs monimentis nihil, de tempore quo vixit tantumdem ......

De Thoma Archidiacono.

THOMAS Archidiaconus Roberti Capitonis Episcopi Lincolniensis, Theologus Anglus. Scripsit 1253. 49.
De Baptismo, *Librum vnum.*
An alia scripserit, nescio. Claruit anno Dominicæ Incarnationis 1253, sub Angliæ Rege Henrico tertio.

De Thoma Brintono.

THOMAS Brintonus vel Brampton ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Norvvicensi. Frequentatis optimis per Angliam scholis, tantos in virtutibus & bonis litteris fecit progressus, vt nominis eius celebritas Angliæ finibus contineri non potuerit. Romam enim honorificè vocatus à summo Pontifice, frequentes coram eo Conciones habuit sermone Latino. Cognita tandem hominis tum eruditione, tum pietate, primùm factus est sedis Apostolicæ pœnitentiarius, deinde Roffensis Episcopus. Qua accepta dignitate, reuersus in patriam, suas lucubrationes ad limam reuocauit, & in lucem emisit 1380. 50.
Sermones coram summo Pontifice, *Librum vnum.* Gaudete in Domino.
Sermones solemnes, *Librum vnum.* Et alia multa. Claruit anno Domini 1380, regnante apud Anglos Richardo secundo. Vide eum quem de Roffensibus Episcopis composuimus Catalogum.

De Thoma Bucchinghamo.

THOMAS Bucchinghamus illustri loco in Anglia natus, sacræ Theologiæ Doctor Oxoniensis, & aliquando Exoniensis Ecclesiæ Cancellarius. Scripsit 51.
Commentarios super Magistrum Sententiarum, *Libros quatuor.*
Quæstiones Theologicas octoginta, *Librum vnū.* MS. Oxonij in Coll. Nouo.
Nec alia eius opera, nec tempus quo claruit, inuenio ......

De Thoma Burcherio.

THOMAS Burcherius natione Anglus, vir optimis quibusque, tum naturæ, tum gratiæ donis ornatus, generis splendore conspicuus, moribus suauis & mansuetus, doctrina multiplici celebris, zelo diuinæ gloriæ semper feruens, omnium denique virtutum cultor eximius. His meritis exigentibus, primùm factus est Episcopus Eliensis, deinde Archiepiscopus Cantuariensis, & demùm S. R. E. Presbyter Cardinalis. Doctrinam hominis ex eo colligimus, quòd examen hæreticorum non semel illi fuerit concreditum, & quòd super his rebus ad summum Pontificem & curiam Romanam suam sententiam in scriptis 1489. 52.

miserit. Item quòd Ioannes Buriensis suum opus contra Reginaldum Pecoccum seu Pauonem, ei nuncupauerit. Cæterùm ex Polydoro Virgilio & Onuphrio Panuinio colligi potest, eum multa scripta edidisse, sed quænam illa fuerint, præter decreta quædam Synodalia,& me latet, & illos. Mortuus & sepultus est Cantuariæ anno natiuitatis Christi 1489. dum in Anglia rerum potiretur Henricus septimus. Vide nostrum de Cantuariensibus Archiepiscopis Catalogum.

De Thoma Cantio.

1470. 53. THOMAS Cātius seu de Kēt, à patria natali sic cognominatus. Oxonij bonis litteris operam dedit in Collegio Mertonensi. Philosophus non contemnendus, Mathematicus insignis, & Astronomiæ potissimùm peritissimus, de qua scientia multa scripsisse fertur, sed nihil eorum hactenùs sub aspectum meum cadere contigit, nec ipsos operum titulos nominatos inuenio. Quæ autem hîc adduco, pleraque ex Lelando desumpsi. Claruit Cantius anno salutis restauratæ 1470, sub regno Edvvardi quarti.

De Thoma Chillendeno.

54. THOMAS Chillendenus Iurisconsultus Anglus, ordinis S. Benedicti Monachus Cantuariensis ad S. Seruatorem. Dum in sæculari statu vixit, tam vtilem operam legibus, tum Cæsarijs, tum Pontificijs impendit, vt supremam in vtroque iure lauream nactus fuerit. Scripsit eruditè auctore Lelando, ad Guilhelmum Vvarhamum

Commentarios in leges antiquas, *Librum vnum.*

Sed quid aliud ediderit, vel quando vixerit, collige......

De Thoma Claxtono.

55. THOMAS Claxtonus ordinis Prædicatorum S. Dominici sacræ Theologiæ Doctor Anglus. Scripsit

Super librum primum Magistri Sententiarum, *Librum vnum.* M S. Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij & Gonelli. Aliud de hoc auctore nihil reperi......

De Thoma Cliffordo.

56. THOMAS Cliffordus Historicus Anglus, scripsit quædam de rebus Anglicis. Sed quæ, vel quando nescio......

De Thoma Dormanno.

1560. 57. THOMAS Dormannus natione Anglus sacræ Theologiæ Baccalaureus. Vir pietate & doctrina insignis. Propter fidem Catholicam in exilium voluntarium profectus, in Belgio diù & laudabiliter vixit. Vnde in Catalogum superiorem merito iure esset referendus: scripsit enim valdè eleganter

Contra Nouëllum Caluinistam Anglum, Librum vnum. Extat Antuerpiæ anno 1565. Vidi in Bibliotheca Benedictinorum Anglorum Delovvariæ in Lotharingia. An aliquid aliud scripserit, nescio. Claruit anno post aduentum Messiæ 1560, Ecclesiam Catholicam in Anglia molestante Regina Elizabetha.

De Thoma Eborallo.

58. THOMAS Eborallus sacræ Theologiæ Doctor Anglus & Professor Oxoniensis. Posteà Cathedralis Ecclesiæ Londinensis, quæ D. Paulo sacra fuit, Canonicus. Vir in omni tum sacra, tum profana disciplina insigniter eruditus, & zelo diuinæ gloriæ secundùm scientiam mirabiliter incensus, omnium virtutum diligens cultor & amator, omnium vitiorum osor & hostis capitalis. Ad regni proceres nonnumquam, ad clerum, præsertim Londinensem frequenter vehementes habuit conciones. Multa in vtroque statu reformari, corrigi, & emendari curauit, & tandem suas conciones luce donauit, & Bibliothecæ Ecclesiæ D. Pauli Londini reliquit

Sermones in Visitatione Cleri Londinensis, Librum vnum. Visita nos in salu. Alia eius scripta, & tempus quo vixit adhuc me latent......

De Thoma Elinhamo.

59. THOMAS Elinhamus historicus Anglus, partim ex antiquis chronologis collegit, partim etiam ipse scripsit

Chronica rerũ Anglicarum, vsque ad Henricũ quintum. Aliud nihil scio.....

De Thoma Holinghamo.

60. THOMAS Holinghamus Anglus scripsit, nescio quæ de rebus Anglicis......

De Thoma Iurisconsulto.

61. THOMAS Iurisconsultus Anglus. Vir ingenij magni, multæ prudentiæ, eruditionis variæ, integerrimæ vitæ. His subsidijs primùm ad Episcopatum Dunelmensem peruenit, deinde successu temporis, à Ioanne Papa huius nominis penultimo, circa annum Domini 1316, vel vt placet Onuphrio Panuinio in opere de gestis Romanorum Pontificum, à Ioanne Papa huius nominis postremo circa annum Domini 1410, vnà cum Roberto Episcopo Sarisburiensi S. R. E. Cardinalis Presbyter creatus est. Ferunt tamen neutrum eorum titulum alicuius Ecclesiæ, vt moris est, Romæ accepisse, quia nunquàm Romæ comparuerunt. Porrò Thomas iste quædam de materia legum scripsisse dicitur, sed vel ipsi tituli mihi sunt incogniti. De tempore quo claruit, dubium relinquo, donec aliquid mihi certius constiterit. Vide nostrum de Dunelmensibus Episcopis Catalogum.

De Thoma Lauinghamo.

62. THOMAS Lauinghamus Philoſophus Anglus. Scripſit *Supplementum quoddam in libros Phyſicorum*, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Archiuis Collegij Caij & Gonelli. De quo hactenùs nihil penitus aliud inuenio......

De Thoma Millingo.

1480. 63. THOMAS Millingus ordinis S. Benedicti Monachus Anglus in cœnobio Vveſtmonaſterienſi iuxta Londinum. Hic tandiù ſtudijs omnium bonarum ſcientiarum in Oxonienſi Academia dedit operam, donec ſupremum in ſacra Theologia gradum ſuo iure ſuſciperet. Ad ſuos deinde reuerſus, magnam inter eos habuit auctoritatem, quam acceſſione virtutis, & contemplatione diuinarum rerum plurimùm in dies auxit, adeò vt tandem vnanimi fratrum conſenſu in Abbatem Vveſtmonaſterienſem eligeretur, & non multo poſt tempore ad Epiſcopatum Herefordenſem eueheretur. Qua etiam ferè tempeſtate Rex Edvvardus quartus eum ſibi fecit à conſiliorum ſecretis, eumque præ cæteris omnibus elegit, vt filium ſuum primogenitum Edvvardum Principem de ſacro fonte ſuſceptor leuaret. Hos eximio viro conciliauit honores virtus eminens cum eruditione pari coniuncta. Ferunt eum fuiſſe Græcæ linguæ peritiſſimum, & in omni melioris doctrinæ genere benè verſatum, multa eleganter ſcripſiſſe, quorum tamen adhuc nihil reperi. Hæc ferè omnia ex Lelando collegi. Claruit anno Domini 1480, ſub Angliæ Rege Edvvardo quarto. Vide illum quem de Epiſcopis Herefordenſibus ſcripſimus Catalogum.

De Thoma Muſſeto.

64. THOMAS Muſſetus Medicinæ Doctor Anglus, ſcripſit dialogum quendam Apologeticum *De iure & præſtantia chimicorum medicamentorum*, *Librum vnum*. Extat Francofordiæ anno Domini 1584. An alia ſcripſerit, & quo tempore vixerit, ignoro......

De Thoma Sarisburienſi.

65. THOMAS Sariſburienſis Theologus Anglus ſcripſit quoddã opus *De arte prædicandi*, *Librum vnum*. M S. Cantabrigiæ in Collegio S. Benedicti. De alijs eius ſcriptis, & de tempore, quo vixit, nihil......

De Thoma Vvalheralt.

66. THOMAS Vvalheralt Hiſtoricus Anglus, ſcripſit quædam de rebus Anglicis, ſed quæ, vel quo tempore, planè neſcio......

De Thoma Virleio.

67. THOMAS Virleius inter Theologos Anglos omnino dignus qui locum honoratum obtineat, cuius tamen nomen & opera à nullo ſcri-

ptore celebrata hactenùs reperio, præterquàm à nostro Ioanne Lelando, qui eum non pauca eruditè scripsisse testatur, nullam tamen eius lucubrationem, quantum inuenio, suis insigniuit titulis, præter

Commentarios in omnes D. Pauli epistolas, *Libros quatuordecim.*

Aliud prorsus nihil de illo proferre possum......

De Thoma Vvicket.

THOMAS Vvicket Historicus Anglus scripsit *Quædam Chronica de rebus Anglicis*. Sed quæ vel quando, ignoro...... 68.

De Thoma Vvinchecumbo.

THOMAS Vvinchecumbus natione Anglus, patria Vvigorniensis, ordinis S. Benedicti Monachus Eueshamensis. Vir ad bonas litteras capessendas à natura factus & formatus. Ardens amore studiorum, Oxonium petijt, ingenium omnibus melioribus scientijs excoluit, & in virum solidè eruditum euasit. Peracto studiorum curriculo, iam multò sibi maiorem gloriam acquisiuit benè docendo, eruditè scribendo; quàm priùs habuerat diligenter studendo, industriè discendo, subtiliter disputando. Tandem legendis historiis, & indagandis antiquitatibus se dedidit, & teste Guilhelmo Buttonero in suis Anglicis antiquitatibus, scripsit 69.

Chronica sui cœnobij, Libros plures. De alijs eius scriptis, & de tempore quo vixit nihil mihi constat.....

De Thoma Vvodbrigio.

THOMAS Vvodbrigius Historicus Anglus, vt ex Ioanne Stoo colligo, scripsit *Quædam Chronica de rebus Anglicis* Sed quænam illa fuerint, vel quando auctor vixerit, ignoro...... 70.

De Thoraldo.

THORALDVS, non desunt qui Thoratum appellent, Cisterciensis ordinis Monachus Anglus in cœnobio Rieuallensi. Vir omni politiore doctrina apprimè eruditus, in ijs quæ ad Deũ sunt, pius, in ijs quæ ad sæculũ cautus, prudens in cõsultandis, fœlix in gerẽdis, dexter in expediendis difficilioribus quibusq; negotijs. Hinc factũ est, vt Mauritius Abbas Fontanensis, vir similis eruditionis & ingenij, huic *Thoraldo homini*, inquit Hugo Kirchostallensis, *in Scripturis non mediocriter edocto, & in liberalibus artibus apprimè erudito*, dignitatem, officium, curam resignarit. Quæ autem scripserit non inuenio, multa tamen eum scripsisse testatur Lelandus, ex quo hæc pleraque sumpsi. 1216. 71.

Clàruit anno Domini 1216, dum in Anglia rerum potiretur Ioannes.

V.

De Vate Britanno.

VATES quidam Britannus, cuius nomen nescitur, vt auctor est Radulphus Niger in suo chronico, scripsit 180. 72.

Ad Lucium Britannorum Regem Christianum, Epistolam vnam. De hoc vate nihil aliud habeo, nisi quòd floruerit anno gratiæ 180, sub præfato Rege Lucio.

De Vvervvolfo.

VVERVVOLFVS Doctor Anglus, vnus ex ijs, teste Lelando, quos ad se vocauit, & benignè habuit doctissimus Rex Alfredus, quamuis inter eos quos nominat Guilhelmus Malmesberiensis, minimè inueniatur. Erat proculdubiò vir multiplici eruditione instructissimus. Nam huius & quorumdam aliorum doctorũ consilio Rex se patiebatur in omnibus duci, maximè circa rem litterariam. Vndè verisimile est eum aliqua suæ doctrinæ monimenta posteris reliquisse, quæ forsan omnia, in illis, qui tum Musas in Anglia perturbabant, furoribus Danicis, miserè perierunt.

920. 73.

Claruit anno à Christi Natiuitate 920, sub præfato Rege Alfredo.

De Vvighardo Cantiano.

VVIGHARDVS Cantianus Presbyter, & quidem in Ecclesiasticis disciplinis doctissimus, de genere Anglorum, vt loquitur Beda initio libri quarti historiæ. Diù Cantuariæ vixit, quæ ciuitas propter frequentiam doctorum hominum, inter quos, quasi luminare maius emicuit Vvighardus, fuit instar florentis Academiæ. In Cantia per hæc tempora regnabat Egbertus, & hospitabatur Northumbrigiæ Rex Osvvinus, & viam vniuersæ carnis iam ingressus fuerat Theodatus ibidem olim Archiepiscopus. Itaque inter sese consultarunt duo Reges de euehendo aliquo Anglo ad Sedem Cantuariensem. Cumque præ ceteris perspecta esset Vvighardi tum morum probitas, tum litterarum scientia: eum Romam miserunt summoperè commendatum, ad hanc dignitatem suscipiendam. Sed Romæ peste correptus, & morte præuentus, consecrationem Archiepiscopalem nunquam suscepit. Et hæc penè omnia ex Beda & Lelando. Dicitur porrò multa eruditè composuisse, quorum vel ipsi tituli cum auctore perierunt. Romæ sanctissimè diem suum obijt, & sepulturam accepit anno post aduentum Messiæ 664, regnante in Cantia Egberto.

664. 74.

De Vvigmoro Homiliario.

75. VVIGMORVS Homiliarius à frequentibus & eruditis homilijs sic cognominatus, natione Anglus, vir doctus & eloquens, & in sacris Scripturis legendis ac meditandis multo cum labore, & pari cum fructu versatus. Conciones eius ferunt aliquando Londini typis mandatas à Richardo Graftono Typographo regio. Constat eum saltem scripsisse

Sermones per Aduentum, *Librum vnum.* Ecce Rex tuus venit tibi.
Sermones de tempore per totum annum, Librum. Quæ alia scripserit, vel quando vixerit, non inuenio.

De Vvignaloco.

VVIGNALOCVS Cambrobritannus, vir qui ferè per omnem suam ætatem vtilem operam bonis litteris nauauit, & magnos in optimis quibusque scientijs fecit progressus, fuitque Antonino teste, scriptis suo tempore præclarus. Sed vel bellici tumultus, vel aliæ temporum iniquitates, vel forsan cum humana incuria ipsa antiquitas omnes huius Doctoris libros posteris inuiderunt. 160. 76.

Claruit anno Domini 160, sub Rege Britonum Malgocuno.

De S. Vvillehado.

S. VVILLEHADVS honestis in Anglia natus parentibus, & ibidem vsque ad virilem, & maturam ætatem in omni virtutis & melioris eruditionis studio diligenter educatus, insignis euasit Doctor. His itaque instructus armis, non in otio sibi deinceps viuendum existimauit, sed æmulari cupiens charismata meliora, vitam instituit degere Apostolicam. Exemplum secutus aliorum suæ gentis insignium virorum, ad prædicandum Germanis infidelibus fidem Christianam profectus est in veterem Saxoniam. Neque enim vtiliùs talentum suum impendere se posse iudicabat, quam in eos, qui maximè opus habebant. Ad Saxones igitur & Phrisones perueniens, quotidianas habuit exhortationes: & quoniam inuenit fuisse gentem duræ ceruicis, nec libenter audire verbum Dei, magnatum & ditiorum ciuium filios bonas litteras vnà cum fide Christiana docere cœpit. Vt partim prædicãdo apud prouectiores, partim erudiendo flexibiles tenerioris animos ætatis, maiorem in agro Dominico messem faceret. Tandem intuitu zeli, laboris, virtutis, & eruditionis, ordinatus est primus Episcopus Bremensis. Multi mecum existimant eum suas lucubrationes posteritati non inuidisse, inuidisse tamen temporum iniquitatem. 791. 77.

Obijt anno post Christum natum 791, dum Osredus in Northumbria regnaret. Vide eum quem de Apostolicis Angliæ viris scripsimus Catalogum.

De Vvindignoto.

VVINDIGNOTVS Historicus Anglus, vt ex Guilhelmo Hormanno colligitur, ad sui nominis memoriam, & posterorum vsum scripsit 78.

Saxonum historiam, Librum vnum. Quod opud nostra ferè memoria dicitur fuisse Vvindeshoræ in bibliotheca dicti Hormanni. Non assentior illis qui dicunt hunc eundem fuisse, quem alij Vvindechinum vocant. Vvindechinus autem fuit Saxo, & Monachus Corbeiensis. De tempore quo claruit Vvindignotus, nihil habeo explorati......

Appendicis illustrium Angliæ Scriptorum
FINIS.

INDEX ALPHABETICVS QVORVNDAM LIBRORVM AB ANGLIS EDITORVM, QVORVM auctores plerique non cognoscuntur.

Liber

Liber Kenshamensis.
Liber Lichefeldensis.
Liber Richemundensis.
Liber Roffensis.
Liber S. Mariæ de Oueris.
Liber S. Albani.
Liber Teuxberrensis.
Liber Trinitatis Londini.
Liber Trinitatis Norvvici.
Liber Tutsberiensis.
Memoriæ Cantuariensis Ecclesiæ.
Monimenta Colcestriæ.
Registrum Buriense.
Registrum Cantuariense.
Registrum Carthusianorum Londini.
Registrum Claucestrense.
Registrum Dunelmense.
Registrum fratrum Minorum.
Registrum Hidæ.
Registrum Norvvicense.
Registrum S. Albani.
Saxonicæ Leges.
Scala Chronicorum.
Speculum historiarum.
Rotula Vvintoniensis.
Tabula de Olney.

Huiusmodi etiam alij plurimi libri præsertim historici inueniuntur in Angliæ bibliothecis, licet paucæ iam supersint in Anglia bibliothecæ, quorum librorum auctores sunt incogniti.

Præter illos autem Scriptores quos partim Catalogo, partim Appendice dignos iudicauimus, tertia Classis posset adiungi, quæ sine dubio multitudine duas priores longè superaret. Eorum videlicet qui Virgilium, Ouidium, Horatium, Senecam, aut similes poëtas transtulerunt, & lingua tantum Anglica, vel de rebus solummodò leuioribus, aut etiam nugatorijs libros scripserunt. Horum enim nec versus rithmicos, nec cantiunculas amatorias, nec discursus ludicros, nec fictiones Poëticas pro scriptis Illustribus habeo, nec talium auctores inter Illustres Scriptores numerandos existimo. Quamuis & inter istos, ij qui nihil habent contra Catholicæ fidei sinceritatem, nec contra bonorum morum honestatem, sua non careant laude & loco. Et licet nec primas consequantur, nec secundas, in tertijs tamen honestè consistere possunt, & si quis eos posuerit, per me consistant. Ex aliquot millibus exempli causa tres aut quatuor hîc tales subiungam Scriptores.

Circa annum Domini 1480, vixit quidam Ioannes Scogganus An-

glus, vir acuti ingenij, totus ad sales atque lepores factus & formatus, qui ab ipsa penè pueritia, naturali quadam ad iocos propensione, vel seria vertebat in risum. Postquam politiorem litteraturam, & Latini sermonis elegantiam didicisset, Oxoniam petijt ad maiora studia, donec ibi liberalium artiũ & Philosophiæ Magister crearetur. Sed nec gradus grauem hominem reddidit, nec potuit Æthiops mutare pellem suã. Nihil in spinis Logicis, tam rigidum aut tetricum, & quodammodò liberis ingenijs ingratum, quod ille non mutauerit in facetias, & quasi per iocum didicerit & disputauerit. Nihil in reliqua Philosophia tam graue, quod hic suis salibus condîtum non induerit specie ridiculi, decem puto, Heraclitos, ad risum prouocasset hic vnus Democritus: fama tandem lepidi capitis peruenit ad aures Regis. Is hominem ad Aulam vocari fecit, vt (quod assolent principes) animum nonnunquã serijs negotijs fatigatum, nugatorijs iocis recrearet. Venit ille, & probè sciens illius Horatiani veritatem, *Principibus placuisse viris, non vltima laus est:* Regi complacuit & plerisque proceribus aulicis, & stultitiam simulando, rem suam seriò nec imprudẽter egit, quantũuis verbis iocosis. Magnas enim accumulauit diuitias, & Regis gratia fretus, etiam inter nugas honorem suum egregiè tuebatur. Quod autem ad doctrinam attinet, non indoctas ineptias edidit, *videlicet ad curiæ proceres librum*, cuius initium est, Illustres Filij & Domini cha. *Comediarum etiam librum.* Et alia. Ad iocum omnia. Vixit autem sub Rege Edvvardo nominis illius quarto.

Circa annum Domini 1520, floruit in Anglia Thomas Vviattus Equestris ordinis sæculo ante illum Hæreticum qui tulit arma contra Reginam Mariam vir in studijs Cantabrigiæ nutritus, qui in patrio sermone poliendo egregiam nauauit operam, & plurimos tum exemplo, tum etiam hortatu ad idem faciendum incitauit. Rithmicos versus Anglicè nitidos, tersos, elegantes composuit, tanta varietate, vt legentium animos mirificè oblectaret; tanta fœlicitate, vt omnes traheret in sui admirationem; tanta facilitate, vt vel ipsos penè pueros animaret ad imitationem. De quo in suis nænijs sic scribit noster Ioannes Lelandus.

Bella suum meritò iactet Florentia Dantem,
Regia Petrarchæ carmina Roma probet.
His non inferior patrio sermone Viattus,
Eloquij secum qui decus omne tulit.
Transtulit in nostram Dauidis carmina linguam,
Et numeros magna reddidit arte pares.
Non morietur opus tersum, spectabile, sacrum,
Clarior hac fama parte Viattus erit.
Vna dies geminos Phœnices non dedit orbi,
Mors erit vnius vita sed alterius.
Rara auis in terris confectus morte Viattus,
Houerdum hæredem scripserat antè suum.

Dicere nemo potest rectè periisse Viattum,
Ingenij cuius tot monimenta vigent.

Henricus Houerdus Suriæ Comes Thomæ Illustrissimi Ducis Norfolciæ filius, Hæres Viatti conscriptus, (elegantis ingenij, politæque doctrinæ hæredem intellige) Multos libros scripsit, multos tum sacros tum profanos, tum Latinos tum Italicos in versus Anglicos transtulit. De quo idem etiam Lelandus.

Accipe regnorum Comes Illustrissime carmen,
Quo mea Musa tuum laudauit mæsta Viattum. Et infrà.
Perge Houerde tuum virtute referre Viattum,
Dicerisque tua clarissima gloria stirpis.

Similium Scriptorum in Anglia numerus inuenitur propemodum innumerabilis, & si hunc Oceanum intrarem, nunquam viuus enauigarem, sed immorans immorerer, de Scriptoribus scribens, nec de omnibus tamen scriberem; propterea vela contraham, & Catalogo cum Appendice contentus concludam. Alioquin profectò

Plura voluminibus iungenda volumina nostris,
Nec mihi scribendi terminus vllus erit.

Tertiæ Partis huius Operis finis.

INCIPIT IOANNIS PITSII SACRÆ THEOLOGIÆ DOCTORIS

Tomi Primi Relationum Historicarum de rebus Anglicis pars quarta & vltima, complectens quasi quandam epitomen memorabilium huius Tomi, per quindecim Indices alphabeticos, quorum primus erit Vniuersalis.

IN præcedente Catalogo continētur Scriptores illustres circiter 1075. in Appendice ferè quingenti. Qui sunt in vniuersum plus minus 1570, quorum nomina & cognomina, adiecto plerunque anno Domini, quo quisque floruit, ordine Alphabeto hîc sequuntur. Præmisso tamen paucorum Indice, qui ante Natiuitatem Christi in Britannia scripserunt, cum anno mundi circiter, quo illorum quilibet vixit & scripsit, vt sequitur.

Androgius claruit circa annum mundi 3980.
Aquila Sceptonius circa annum mundi 3070.
Bladudus Magus circa annum mundi 3074.
Blegabridus circa annum mundi 3880.
Britus primus Britonum Rex circa annum mundi 2879.

Cambra Formosa circa annum mundi 3590.
Casuellanus Rex circa annum mundi 3980.
Donvvallo Molmutius circa annum mundi 3540.
Gerion Augur circa annum mundi 2880.
Martia Proba circa annum mundi 3630.
Mennius circa annum mundi 3980.
Oronius Modestus circa annum mundi 3784.
Perdix præsagus circa annum mundi 3220.
Plenidius circa annum mundi 3720.

INDEX VNIVERSALIS CVM ANNO DOMINI ADIECTO, QVO QVISQVE CLARVIT.

A.

Thomas

V.

VV.

Vniuersalis Indicis finis.

CCcccc

Ex prędictis Illustribus Angliæ Scriptoribus numero mille quingentis quinquagintaocto, qui Indice Vniuersali continẽtur, fuerũt,

Vnus tantummodò Pontifex Romanus.
Ex ordine Cardinalitio, viginti nouem.
Ex ordine Archiepiscopali & Episcopali, ducenti viginti duo.
Doctores Scholastici qui Magistrum Sententiarum vel integrum, vel maiore ex parte commentarijs illustrarunt, centum sexaginta, vel circiter.
Ex Academia Oxoniensi, trecenti circiter & octoginta.
Ex Academia Cantabrigiensi, centum circiter & decem.
Ex Academia Parisiensi ad quadraginta quinque.
Ex ordine S. Benedicti, Ducenti circiter & quinquaginta.
Ex ordine Cistercienst, circiter quadraginta.
Ex ordine Carthusiano, quantum adhuc inuenio, tantùm vndecim.
Ex ordine S. Augustini, circiter septuaginta.
Ex ordine Carmelitano, centum circiter & quadraginta.
Ex ordine S. Dominici, saltem octoginta.
Ex ordine S. Francisci, centum & decem.
Ex Societate Iesu, hactenùs tantùm decem.
Quidam, quibus aut in vita, aut in morte contigit aliquid singulare.

Monendus est lector, in sequentibus Indicibus eandem personam non semel solùm, sed etiam aliquandò bis, ter, quater, quinquies, vel sæpiùs nominarĩ, prout plures habere contigerit plurium indicum conditiones. Exempli gratia, Nicolaum Hastifragum ter nominatum inueniet. Nam semel vt summus Pontifex, iterum vt Cardinalis, tertiò ponitur vt Episcopus. Item Robertus Kilvvarbius quinquies reperietur, quoniam ad totidem spectat Indices. Nam vt Cardinalis inter Cardinales; vt Archiepiscopus inter Archiepiscopos; vt Doctor Oxoniensis, inter alumnos illius Academiæ; vt commentator Magistri Sententiarum, inter Scholasticos Doctores, denique vt Dominicanus, inter illius familiæ fratres ponitur. Eodem modo de alijs fiet.

Ex Illustribus Angliæ Scriptoribus vnicus tantùm fuit Pontifex Romanus, videlicet

Nicolaus Hastifragus, Anglicè Breakspere, dictus Papa Adrianus quartus, qui prius erat Monachus siue Benedictinus, siue Augustinianus, posteà S. R. E. Cardinalis, Episcopus Albanus, & tandem Papa. In Catalogo Scriptorum anno Domini 1159.

De ordine Cardinalitio.

ORDO Cardinalitius cum exordijs florentis Ecclesiæ Catholicæ suum habuit exordium sub Papa Syluestro primo, & Cæsare Constantino Magno, circa annum Christi 320, vt colligitur ex Concilio Romano sub eodem Syluestro, Canone sexto, vbi septem Cardinalium Diaconorum Ecclesiæ Romanæ fit mentio. Nomen autem Cardinalis à locis ad personas translatum videtur. Erant enim in multis vrbibus, & potissimùm Romæ quædam principales Ecclesiæ, in quibus sa-

cra Christiana solemniùs peragebantur, & Sacramenta administrabantur, quæ dicebantur Ecclesiæ vel tituli Cardinales. Iam verò qui Romæ locis illis immediatè post Papam præfuerunt; si Presbyteri, Presbyteri Cardinales; si Diaconi, Diaconi Cardinales dicebantur. Temporis etiam successu sex Episcopi penes quos erat summi Pontificis electio, vocabantur Episcopi Cardinales. Cardinales igitur sunt quidam principales Ecclesiastici Prælati, qui proximè summo Pontifici, tanquàm totius Ecclesiæ supremo cardini, in eiusdem Ecclesiæ, populique Christiani regimine assistunt. Posteà numerus horum creuit, auctus est splendor, & potestas eadem, vel etiam maior, summum obtinet in Ecclesia, post Papam, fastigium. Iam etiam à longo tempore hi omnes & soli suffragium habent, tum actiuum, vt summum Pontificem eligant, tum passiuum, vt eligi possint. Porrò pileis rubeis omnium primus hos insigniri fecit Innocentius Papa quartus, circa annum Christi 1252, vti in Innocentio quarto auctores sunt Onuphrius & Platina, & ad dictum annum Matthæus Vvestmonasteriensis. Sed hæc obiter & breuiter præter intentum, & quasi parerga, ferè omninò extra meum propositum.

EX ORDINE CARDINALITIO
FVERVNT ILLVSTRES ANGLIÆ
SCRIPTORES VIGINTI NOVEM.

ADAMVS Estonus S.R.E. Cardinalis Episcopus Herefordensis, Benedictinus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno Domini 1390

Boso Adriani Papæ quarti nepos S. R. E. Cardinalis, Benedictinus in Appendice.

Christophorus Vrsvviccus, qui & Bambrigius, S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Eboracensis in Appendice.

Galfredus Arthurius S. R. E. Cardinalis, Episcopus Assaphensis. In Catalogo Scriptorum anno Domini 1152

Gualterus Vvinterburnus S. R. E. Cardinalis, ordinis S. Dominici, Scholasticus. In Catalogo Scriptorum anno 1305

Guilhelmus Alanus S. R. E. Cardinalis, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum an. 1594

Guilhelmus Anglicus S. R. E. Cardinalis Dominicanus. In Catalogo Script. anno 1393

Henricus Chicheleius S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Cantuariensis. In Catalogo Scriptorum anno 1445

Herebertus Boshamus S. R. E. Cardinalis Archiepiscopus Beneuentanus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1181

Hugo Attratus S. R. E. Cardinalis. In Catalogo Scriptorum anno Domini 1287

Ioannes de Toleto S. R. E. Cardinalis, Episcopus Portuensis, ordinis Cisterciensis in Appendice.

Ioannes Fisherus S. R. E. Cardinalis renunciatus Episcopus Roffensis, Cantabrigiensis. In Catalogo Scriptorum anno 1535

Ioannes Kempus S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus primùm Eboracensis, deindè Cantuariensis in Appendice.

Ioannes Mortonus S. R. E. Cardinalis, Episcopus primùm Eliensis, tum Archiepiscopus Cantuariensis in Appendice.

Ioannes Thoresbius S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Eboracensis, Oxoniensis.

Indicis Cardinalium Anglorum, qui fuerunt illustres Scriptores, finis.

INDEX ARCHIEPISCOPORVM ET EPISCOPORVM QVI IN CATALOGO ET APPENDICE ILLVSTRIVM ANGLIÆ Scriptorum continentur, & sunt numero 220 circiter.

S. Assaphus Episcopus Elguensis. In Catalogo Scriptorum anno 590

Baldvvinus Deuonius Archiepiscopus Cätuariensis, priùs Episcopus Vvigorniensis, Monachus Cistercienses. In Catalogo Scriptorum anno 1193

Bartholomæus Iscanus Episcopus Exoniensis, Scholasticus. In Catal. Script. 1184

Bedvvinus Orientalium Anglorum Episcopus, & primus Helinhamensis proprius in Appendice Scriptorum.

Benedictus Icenus Episcopus Cardicensis, Augustinianus. In Catalogo Scriptorum 1340

S. Boisilus Episcopus Vvigorniensis. In Catalogo Scriptorum anno 702

S. Bonifacius Archiepiscopus primus Maguntinus, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum 755

S. Brithvvaldus Archiepiscopus Cantuariensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 731

S. Burchardus Episcopus Vvirceburgensis seu Herbipolensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 791

Caducanus Britannus Episcopus Banchorensis, ordinis Cisterciensis. In Catalogo Scriptorum anno 1225

Christophorus Vrsvviccus, qui & Bambrigius, Archiepiscopus Eboracensis, S.R.E. Cardinalis in Appendice Scriptorum.

Cimbertus Episcopus Dorcestrensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno Domini 730

S. Cudbertus Episcopus Lindisfarnensis. In Catalogo Scriptorum anno 688.

Cudbertus Magesetus Archiepiscopus Cantuariensis. In Catalogo Scriptorum anno 760

Cutbertus Tonstallus Episcopus Dunelmensis, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1559

S. Daniel Episcopus Banchorensis. In Catalogo Scriptorum anno 563

S. Dauid Archiepiscopus Meneuensis. In Catalogo Scriptorum anno 544

Dauid Chirburius Episcopus Dormorensis in Hibernia, Carmelitanus in Appendice Scriptorum.

S. Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 988

Eadbertus Episcopus Lindisfarnensis in Appendice Scriptorum.

Eadmerus Episcopus S. Andreæ in Scotia, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno Domini 1121

Eambaldus Senior Archiepiscopus Eboracensis in Appendice.

Eambaldus Iunior Archiepiscopus Eboracensis. In Catalogo Scriptorum anno 800

Eata Episcopus Hagustaldensis, Benedictinus in Appendice.

Edmundus Bronfeldus Episcopus Landauensis, Benedictinus in Appendice.

S. Edmundus Richius Archiepiscopus Cantuariensis, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1240

Edvvardus Foxius Episcopus Herefordensis, Cantabrigiensis. In Catalogo Scriptorum anno Domini 1530

Edvvardus Leius Archiepiscopus Eboracensis. In Catalogo Scriptorum 1544

Egbertus Archiepiscopus Eboracensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum 766

Egbertus Episcopus Lindisfarnensis. In Catalogo Scriptorum anno Domini 730

S. Egvvinus Episcopus Vvigorniensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum 716

Elbodus Archiepiscopus Venedotarum. In Catalogo Scriptorum anno 610

Eldadus Episcopus Claudiocestrensis. In Catalogo Scriptorum anno 490

Eluanus Aualonius Archiepiscopus Londinensis secundus. In Catal. Script. an. 180

S. Ethelvvaldus Episcopus Vvintoniensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 984

Fastidius Priscus Archiepiscopus Londinensis. In Catalogo Scriptorum anno 420

Fortherus Episcopus Schirburnensis in Appendice Scriptorum.

Hubertus Gualterus Episcopus primùm Sarisburiensis, deindè Cantuariensis Archiepiscopus. In Catalogo Scriptorum anno 1205

Hugo Readingensis Archiepiscopus Rotomagensis, Benedictinus, Scholasticus. In Catalogo Scriptorum anno 1181

Iacobus Brochus Episcopus Bristoliensis, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1556

Iltutus Archiepiscopus Londinensis octauus. In Catalogo Scriptorum anno 520

Ioannes Alcoctus Episcopus Eliensis, Cantabrigiensis. In Catalogo Scriptorum anno 1498

Ioannes Aldrisius Episcopus Carleolensis, Cantabrigiensis. In Catalogo Scriptorum anno 1530

Ioannes Asserius Episcopus Schirburnensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 909

Ioannes Batterleius Archiepiscopus Tuamensis in Hibernia, Dominicanus in Appendice Scriptorum.

Ioannes Bectonus Episcopus Herefordensis. In Catalogo Scriptorum anno 1275

Ioannes Belmeis primùm Episcopus Pictauiensis, deindè Archiepiscopus Narbonensis, & tandem Lugdunensis. In Catalogo Scriptorum anno 1194

S. Ioannes Beuerlacius Archiepiscopus Eboracensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 721

Ioannes Bockingamus Episcopus Lincolniensis, Scholasticus Oxoniensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum 1398

Ioannes Botleshamensis Episcopus Roffensis, Cantabrigiensis, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1388

Ioannes Christophorsonus Episcopus Cicestriensis, Cantabrigiensis. In Catalogo Scriptorum anno 1558

Ioannes Clericus Episcopus Bathoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1535

Ioannes Coltonus Archiepiscopus Armachanus in Hibernia. In Catalogo Scriptorum anno 1410

Ioannes Derlingtonus Archiepiscopus Dubliniensis in Hibernia, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1280

Ioannes de Toleto Episcopus Portuensis, S.R.E. Cardinalis, Monachus Cisterciensis in Appendice Scriptorum.

Ioannes Fisherus Episcopus Roffensis, S. R. E. Cardinalis, Cantabrigiensis. In Catalogo Scriptorum anno 1535

Ioannes Geessus Episcopus Lesmorensis & Vvaterfordensis in Hibernia, Carmelita, Oxoniensis in Appendice.

Ioannes Graius Episcopus Norvvicensis. In Catalogo Scriptorum anno 1217

Ioannes Grandisonus Episcopus Exoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1369

Ioannes Holimannus Episcopus Bristoliensis. In Catalogo Scriptorum anno 1535

Ioannes Kempus Archiepiscopus primùm Eboracensis, deindè Cantuariensis, S.R.E. Cardinalis in Appendice.

Ioannes Langdenus Episcopus Roffensis, Oxoniensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 1420

Ioannes Langtonus Episcopus Roffensis, Oxoniensis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1434

Ioannes Longlandus Episcopus Lincolniensis, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1530

Ioannes Louus Episcopus Roffensis, Augustinianus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum 1467

Ioannes Mortonus primùm Episcopus Eliensis, deindè Archiepiscopus Cantuariensis, S. R. E. Cardinalis in Appendice.

Ioannes Mouem Episcopus Londinensis in Appendice.

Ioannes Oxfordius Episcopus primùm Cicestriensis, deindè Norvvicensis. In

nus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1410
Radulphus Baldocus Episcopus Londinensis. In catalogo scriptorum anno 1313
Radulphus Kelleius Archiepiscopus Cassalensis in Hibernia. In catalogo scriptorum anno 1347
Reginaldus Polus Archiepiscopus Cantuariensis, S. R. E. Cardinalis Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1558
Reuchidus Cambrius Episcopus ..... in Appendice.
Richardus Aungeruillus Episcopus Dunelmensis, Benedictinus, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1350
Richardus Cantuariensis Archiepiscopus, Benedictinus. In catalogo scriptorum anno 1184
Richardus Fiziames Episcopus Londinensis in Appendice.
Richardus Flemingus Episcopus Lincolniensis, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1430
Richardus Magnus Archiepiscopus Cantuariensis. In catalogo scriptorum ann. 1231
Richardus Mesinus Episcopus Dormorensis in Hibernia, Carmelita in Appendice.
Richardus Northallus Archiepiscopus Dubliniensis in Hibernia, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1397
Richardus Samsonus Episcopus Lichefeldensis. In catalogo scriptorum anno 1555
Richardus Scropus Archiepiscopus Eboracensis, Cantabrigiensis. In catalogo scriptorum anno 1405
Richardus Siracusanus Episcopus. In catalogo scriptorum anno 1181
Richardus Vvichius Episcopus Cicestriensis, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1252
Robertus Capito Episcopus Lincolniensis, Oxoniensis, Scholasticus. In catalogo scriptorum anno 1253
Robertus Eliphatus Archiepiscopus Armachanus in Hibernia, Augustinianus, alijs Franciscanus, Oxoniensis, Scholasticus. In catalogo scriptorum anno 1340
Robertus Foliothus Episcopus Herefordensis. In catalogo scriptorum anno 1170
Robertus Kilvvarbius Archiepiscopus Cantuariensis, S. R. E. Cardinalis Dominicanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1280
Robertus Mascallus Episcopus Herefordensis, Oxoniensis, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1417
Robertus Sarisburiensis Episcopus, S. R. E. Cardinalis. In catalogo scriptorum anno 1410
Robertus Vvaldebius Archiepiscopus Eboracensis, Augustinianus, Scholasticus. In catalogo scriptorum anno 1399
Robertus Vvinchelseius Archiepiscopus Cantuariensis, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1313
Robertus Vvorsopus Episcopus ..... Augustinianus, Scholasticus. In catalogo Scriptorum anno 1350
Rogerus Vveshamus Episcopus Couentriensis, Oxoniensis in Appendice.
..... Russellus Episcopus Lincolniensis in Appendice.
Samson Cambrobritannus Archiepiscopus primùm Meneuensis, deinde Dolensis in Armorica Britannia. In catalogo scriptorum anno 567
Serlo Cornubiensis Episcopus, Benedictinus. In catalogo scriptorum anno 960
Sertorius Gualensis Archiepiscopus Rauennensis, S. R. E. Cardinalis Franciscanus. In catalogo scriptorum anno 1362
Seualus Archiepiscopus Eboracensis, Oxoniensis. In catalogo scriptorum an. 1258
Shirburnus Episcopus Cicestriensis in Appendice.
Siluester Giraldus Episcopus Meneuensis, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1210
Simon Gandauensis Episcopus Sarisburiensis. In catalogo scriptorum anno 1298

Turgotus Archiepiſcopus S. Andreæ in Scotia, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 1115
Vvaldevvinus Epiſcopus Vvigorniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1200
Vvereſtidus Epiſcopus Vvigorniensis. In Catalogo Scriptorum anno 901
S. Vvilfridus Archiepiſcopus Eboracenſis. In Catalogo Scriptorum anno 710
S. Vvillibaldus primus Epiſcopus Eichſtatenſis. In Catalogo Scriptorum 781
S. Vvillibrordus primus Archiepiſcopus Vltraiectenſis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 736
S. Vvillihadus primus Epiſcopus Bremenſis in Appendice.
S. Vvolſtanus Epiſcopus Vvigorniensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 1095

Indicis Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Anglorum, qui fuerunt illuſtres Scriptores, finis.

MAGISTER SENTENTIARVM PETRVS LVMBARDVS FLORVIT ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS 1160. QVO VIDELICET TEMPORE ASSVMPTVS FVIT AD EPIſcopatum Pariſienſem. Eius Sententias, ſeu Summam Theologicam commentarijs illuſtrarunt ex Angliæ Scriptoribus hi ſequentes, numero videlicet centum ſexaginta.

ADAMVS Anglicus Scholaſticus, Dominianus in Appendice.
Adamus de Mariſco Scholaſticus, Oxonienſis, Franciſcanus. In Catalogo Scriptorum anno 1257
Adamus Goddamus Scholaſticus, Oxonienſis, Franciſcanus. In Catalogo Scriptorum anno 1320
Adamus Vvodehamenſis Scholaſticus, Oxonienſis, Franciſcanus. In Catalogo Scriptorum anno 1338
Alexander Halenſis Scholaſticus, Franciſcanus. In Catalogo Scriptorum anno 1245
Bartholomæus Iſcanus Scholaſticus, Epiſcopus Exonienſis. In Catalogo Scriptorum anno 1184
Blancothus Scholaſticus, Oxonienſis in Appendice.
Godefridus Cornubienſis Scholaſticus, Oxonienſis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1320
Griffinus Cambrius Scholaſticus, Dominicanus in Appendice.
Gualterus Bederichvvorthus Scholaſticus, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 1350
Gualterus Brinklæus Scholaſticus, Oxonienſis Franciſcanus. In Catalogo Scriptorum anno 1310
Gualterus Burlæus Scholaſticus, Oxonienſis. In Catalogo Scriptorum anno 1337
Gualterus Cattonus Scholaſticus, Franciſcanus. In Catalogo Scriptorum anno 1343
Gualterus Ceptonus Scholaſticus Franciſcanus in Appendice.
Gualterus Diſſæus Scholaſticus, Cantabrigienſis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1404
Gualterus Huntus Scholaſticus, Oxonienſis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1478
Gualterus Ioiſius Scholaſticus, Dominicanus, Archiepiſcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1310

Hugo Redingensis Scholasticus, Benedictinus, Archiepiscopus. In catalogo scriptorum anno 1181
Humfredus Nectonus Scholasticus, Carmelita, Cantabrigiensis. In catalogo scriptorum anno 1303
Iacobus Anglicus Scholasticus. In catalogo scriptorum anno 1270
Ioannes Ægidius Scholasticus. In catalogo scriptorum anno 1253
Ioannes Anglicus Scholasticus, Franciscanus in Appendice.
Ioannes Bacondorpius Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1346
Ioannes Barninghamus Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1448
Ioannes Barvvicanus Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In catalogo scriptorum anno 1340
Ioannes Bernegamus Scholasticus, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1430
Ioannes Beuerlaius Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1390
Ioannes Blondus Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1248
Ioannes Bloxamus Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1334
Ioannes Bockgamus Scholasticus, Episcopus Lincolniensis, Oxoniensis, Benedictinus. In catalogo scriptorum 1398
Ioannes Canonicus Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In catalogo scriptorum anno 1320
Ioannes Capgrauius Scholasticus, Oxoniensis, Augustinianus. In catalogo scriptorum anno 1484
Ioannes Chelmestonus Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1290
Ioannes Clipstonus Scholasticus, Cantabrigiensis, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1378
Ioannes Cornubiensis Scholasticus, Petri Lumbardi coætaneus. In catalogo scriptorum anno 1170
Ioannes de Vltricuria Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1392
Ioannes Dritonus Scholasticus. In catalogo scriptorum anno 1260
Ioannes Dumbletonus Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo scriptor. anno 1320
Ioannes Edæus Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In catalogo scriptorum anno 1406
Ioannes Goldestonus Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1310
Ioannes Guallensis Senior Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In catalogo scriptorum anno 1260
Ioannes Guallensis Iunior Scholasticus. In catalogo scriptorum anno 1346
Ioannes Guentus Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In catalogo scriptorum anno 1348
Ioannes Harlæus Scholasticus, Dominicanus. In catalogo scriptorum anno 1514
Ioannes Kininghamus Scholasticus Oxoniensis, Carmelita In catal. scrip. anno 1399
Ioannes Lutterellus Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1340
Ioannes Marro Scholasticus, Oxoniensis. Carmelita. In catalogo script. anno 1407
Ioannes Mearus Scholasticus, Oxoniensis, Benedictinus in Appendice.
Ioannes Peccamus Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus, Archiepiscopus. In catalogo scriptorum anno 1292
Ioannes Polestedus Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1341

Ranulphus Lokesleius Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1310
Reginaldus Langhamus Scholasticus, Cantabrigiensis, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1410
Richardus Belgrauius Scholasticus, Cantabrigiensis. In Catalogo Script. an. 1320
Richardus Blitonius Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1334
Richardus Castriconensis Scholasticus, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1270
Richardus Clapoellus Scholasticus, Dominicanus. In Catalogo Script. anno 1290
Richardus Coningtonus Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1330
Richardus Cornubiensis Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus in Appendice.
Richardus Fizacrius Senior Scholasticus, Oxoniensis, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1248
Richardus Fizacrius Iunior Scholasticus, Oxoniensis, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1330
Richardus Hampolus Scholasticus. In Catalogo Scriptorum anno 1349
Richardus Lauinghamus Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1381
Richardus Maidstonus Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1396
Richardus Midletonus Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1300
Richardus Nottinghamus Scholasticus, Oxoniensis. In Catalogo Script. anno 1320
Richardus Phisaia Scholasticus, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1270
Richardus Rufus Scholasticus, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1270
Richardus Ruys Scholasticus, Franciscanus in Appendice
Richardus Vvicchinghamus Scholasticus, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1381
Robertus Capito Scholasticus Oxoniensis, Episcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1253
Robertus Ceruinus Scholasticus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1326
Robertus Coutonus Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus In Catalogo Scriptorum anno 1340
Robertus Crucius Scholasticus, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1300
Robertus Cursonus Scholasticus, Oxoniensis, S. R. E. Cardinalis. In Catalogo Scriptorum anno 1218
Robertus Eliphatus Scholaticus, Oxoniensis, Archiepiscopus, Augustinianus, vel Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1340
Robertus Holcothus Scholasticus, Oxoniensis, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1349
Robertus Humbletonus Scholasticus, Oxoniensis, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1390
Robertus Kilvvarbius Scholasticus, Archiepiscopus, Oxoniensis, Dominicanus, S. R. E. Cardinalis. In Catalogo Scriptorum anno 1280
Robertus Leicestrius Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1348
Robertus Vvaldebius Scholasticus, Archiepiscopus, Augustinianus. In Catalogo Scriptorum anno 1399
Robertus Vvalsinghamus Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1310
Robertus Vvorsopus Scholasticus, Augustinianus, Episcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1350

Rogerus Bacconus Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1284
Rogerus Convvaius Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1360
Rogerus Rugosus Scholasticus, Franciscanus in Appendice.
Rogerus Suisetus Scholasticus, Oxoniensis, Cisterciensis. In Catalogo Scriptorum anno 1350
Simon Alcoccus Scholasticus. In Catalogo Scriptorum anno 1380
Stephanus Patringtonus Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita, Episcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1417
Thomas Borstallus Scholasticus, Augustinianus. In Catalogo Scriptorum an. 1290
Thomas Brauardinus Scholasticus, Oxoniensis, Archiepiscopus. In Catalogo Scriptorum anno 1350
Thomas Buckinghamus Scholasticus, Oxoniensis in Appendice.
Thomas Bungeius Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1290
Thomas Dockingus Scholasticus, Oxoniensis, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1270
Thomas Iorsius Scholasticus, S.R.E. Cardinalis, Oxoniensis, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1311
Thomas Lumbæus Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1390
Thomas Maldonus Scholasticus, Cantabrigiensis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1404
Thomas Norvvodus Scholasticus, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum an. 1320
Thomas Penchettus Scholasticus, Oxoniensis, Augustinianus. In Catalogo Scriptorum anno 1487
Thomas Radcliffus Scholasticus, Episcopus, Augustinianus. In Catalogo Scriptorum anno 1370
Thomas Ringstedus Senior, Scholasticus, Oxoniensis, Dominicanus, Episcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1370
Thomas Suttonus Scholasticus, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1290
Thomas Vvaldensis Scholasticus, Oxoniensis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1430
Thomas Vvalleis Scholasticus, Oxoniensis, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1333

Illustrium Angliæ Scriptorum, qui fuerunt Scholastici, finis.

EX ILLVSTRIBVS ANGLIÆ SCRIPTORIBVS IN VNIVERSALI INDICE CONTENTIS, ALVMNI FVERVNT Oxoniensis Academiæ hi sequentes numero videlicet trecenti & octoginta.

ADAMVS Barkingensis Oxoniensis, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 1217
Adamus Cisterciensis Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1368

Adamus

Adamus de Mariſco Oxonienſis, Scholaſticus, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1257
Adamus Eſtonus Oxonienſis, S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus, Benedictinus. In catalogo ſcriptorum anno 1390
Adamus Goddamus Oxonienſis, Scholaſticus, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1310
Adamus Henlingtonus Oxonienſis, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1420
Adamus Nizardus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1340
Adamus Vvodehamenſis Oxonienſis, Scholaſticus, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1358
Ægidius de Fœno Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1350
Alanus Abbas Oxonienſis, Benedictinus. In catalogo ſcriptorum anno 1201
Alanus Beaucliffus Oxonienſis in Appendice.
Anonymus Oxonienſis in Appendice.
Anonymus Oxonienſis alter in Appendice.
Aſſerius Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 890
Banchinus Oxonienſis, Auguſtinianus. In catalogo ſcriptorum anno 1382
Bartholomæus Culeius Oxonienſis in Appendice.
Bartholomæus Glaunuillus Oxonienſis, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1360
Benedictinus Oxonienſis, Benedictinus in Appendice.
Bertramus Fizalanus Oxonienſis, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1424
Blaincothus Oxonienſis, Scholaſticus in Appendice.
Bricmorus Oxonienſis in Appendice.
Cutbertus Tonſtallus Oxonienſis, Epiſcopus. In catalogo ſcriptorum anno 1559
Daniel Morleius Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1190
Dauid Boys Oxonienſis, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1450
Edmundus Campianus Oxonienſis, Societatis Ieſu. In catalogo ſcript. anno 1581
S. Edmundus Richius Oxonienſis, Archiepiſcopus. In catalogo ſcript. anno 1240
Edvvardus Riſtonus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1585
Edvvardus Vveſtonus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1612
Edvvardus Vvottonus Oxonienſis in Appendice.
Elandus Dialecticus Oxonienſis in Appendice.
Ethelvvardus Iunior Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 925
Euſtachius Normauillus Oxonienſis, Franciſcanus in Appendice.
Galfredus Alieuantus Oxonienſis, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1340
Galfredus Aſpaldus Oxonienſis in Appendice.
Galfredus Chaucerus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1400
Galfredus Hardebius Oxonienſis, Auguſtinianus. In catalogo ſcript. anno 1360
Galfredus Kilmingtonus Oxonienſis in Appendice.
Georgius Chadlæus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1366
Georgius Coriatus Oxonienſis in Appendice.
Georgius Etherigius Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1582
Geruaſius de Melcheleia Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1219
Gilbertus Segrauius Oxonienſis, Epiſcopus Londinenſis. In catalogo ſcriptorum anno 1316
Godefridus Cornubienſis Oxonienſis, Scholaſticus, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1320
Gregorius Martinus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1582
Gualterus Bakerus Oxonienſis Auguſtinianus in Appendice.
Gualterus Brinkleus Oxonienſis, Scholaſticus, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1340
Gualterus Brithus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1390
Gualterus Bucdenus Oxonienſis, Dominicanus in Appendice.

Guilhelmus Miluerlæus Oxonienſis, in Catalogo Scriptorum anno 1350
Guilhelmus Nottinghamus Oxonienſis, Scholaſticus, Franciſcanus, in Catalogo Scriptorum anno 1336
Guilhelmus Paghamus Oxonienſis, Epiſcopus, Carmelita, in Catalogo Scriptorum anno 1180
Guilhelmus Radingius Oxonienſis, Carmelita, in Catalogo Scriptorum anno 1312
Guilhelmus Read Oxonienſis, Epiſcopus in Appendice.
Guilhelmus Reginaldus Oxonienſis, in Catalogo Scriptorum anno 1594
Guilhelmus Remingtonus Oxonienſis, Ciſtercienſis, in Catalogo Scriptorum anno 1390
Guilhelmus Seitonus Oxonienſis in Appendice.
Guilhelmus Sheptæus Oxonienſis in Appendice.
Guilhelmus Schirvvodus Oxonienſis, Scholaſticus, in Catalogo Scriptorum anno 1249
Guilhelmus Stophilhartus Oxonienſis, Carmelita, in Catalogo Script. anno 1456
Guilhelmus Starnefeldus Oxonienſis, Carmelita, in Catalogo Scriptorum anno 1390
Guilhelmus Vvarfordus Oxonienſis, Societatis Ieſu in Appendice.
Guilhelmus Vvhetleius Oxonienſis, in Catalogo Scriptorum anno 1310
Guilhelmus Vviltonus Oxonienſis in Appendice.
Guilhelmus Vvodfordus Oxonienſis, Franciſcanus, in Catalogo Scriptorum anno 1397
Guilhelmus Vvarhamus Oxonienſis, Archiepiſcopus Cantuarienſis in Appendice.
Helias Trichinghamus Oxonienſis, Benedictinus, in Catalogo Script. anno 1270
Henricus Bractonus Oxonienſis, in Catalogo Scriptorum anno 1240
Henricus Briſinghamus Oxonienſis Franciſcanus in Appendice.
Henricus Chicheleius Oxonienſis, Cardinalis, Archiepiſcopus Cantuarienſis, in Catalogo Scriptorum anno 1445
Henricus Coſſeius Oxonienſis, Scholaſticus, Franciſcanus, in Catalogo Scriptorum anno 1336
Henricus de la Vile Oxonienſis in Appendice.
Henricus Eſſeburnus Oxonienſis, Dominicanus, in Catalogo Script. anno 1280
Henricus Harclaius Oxonienſis, Scholaſticus, in Catalogo Scriptorum anno 1396
Henricus Vvichinghamus Oxonienſis, Carmelita, in Catalogo Script. anno 1447
Herebertus Boshamus Oxonienſis, Cardinalis, Archiepiſcopus, in Catalogo Scriptorum anno 1181
Hieronymus de S. Marco Oxonienſis, Franciſcanus in Appendice.
Hugo de Dittona Oxonienſis, Scholaſticus, Dominicanus, in Catalogo Scriptorum anno 1340
Hugo Legattus Oxonienſis, Benedictinus, in Catalogo Scriptorum anno 1400
Hugo Suethus Oxonienſis, Dominicanus in Appendice.
Humfredus Elius Oxonienſis, in Catalogo Scriptorum anno 1604
Humfredus Glauceſtrius Oxonienſis, in Catalogo Scriptorum anno 1445
Iacobus Broccus Oxonienſis, Epiſcopus, in Catalogo Scriptorum anno 1556
Ingulphus Oxonienſis, Benedictinus, in Catalogo Scriptorum anno 1109
Ioannes Actonus Oxonienſis, in Catalogo Scriptorum anno 1290
Ioannes Ægidius Oxonienſis, Dominicanus, in Catalogo Scriptorum anno 1253
Ioannes Amundishamus Oxonienſis, Benedictinus, in Catalogo Script. anno 1450
Ioannes Audeuer Oxonienſis in Appendice.
Ioannes Baccondorpius Oxonienſis, Scholaſticus, Carmelita, in Catalogo Scriptorum anno 1344
Ioannes Barninghamus Oxonienſis, Scholaſticus, Carmelita, in Catalogo Scriptorum anno 1448
Ioannes Baſingſtochius Oxonienſis, in Catalogo Scriptorum anno 1252

Ioannes Goldeſtonus Oxonienſis, Scholaſticus, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1320
Ioannes Grammaticus Oxonienſis In catalogo ſcriptorum anno 1270
Ioannes Guallenſis Oxonienſis, Scholaſticus, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1260
Ioannes Guentus Oxonienſis, Scholaſticus, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1348
Ioannes Gumdorpius Oxonienſis, & Cantabrigienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1470
Ioannes Haintonus Oxonienſis, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1418
Ioannes Hantiuillenſis Oxonienſis, Benedictinus. In catalogo ſcriptorum anno 1200
Ioannes Hiltonus Oxonienſis, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1376
Ioannes Houkerus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1541
Ioannes Keningalus Oxonienſis, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1451
Ioannes Kininghamus Oxonienſis, Scholaſticus, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1399
Ioannes Langdenus Oxonienſis, Epiſcopus, Benedictinus. In catalogo ſcriptorum anno 1420
Ioannes Langtonus Oxonienſis, Epiſcopus, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1434
Ioannes Latberius Oxonienſis, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1406
Ioannes Lelandus Senior Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1428
Ioannes Londinenſis Oxonienſis, Franciſcanus in Appendice.
Ioannes Loneius Oxonienſis, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1390
Ioannes Longlandus Oxonienſis, Epiſcopus. In catalogo ſcriptorum anno 1530
Ioannes Louus Oxonienſis, Epiſcopus, Auguſtinianus. In catalogo ſcriptorum anno 1467
Ioannes Luceus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1420
Ioannes Lutterellus Oxonienſis, Scholaſticus. In catalogo ſcriptorum anno 1340
Ioannes Maluernæus Oxonienſis, Benedictinus in Appendice.
Ioannes Mandevvithus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1346
Ioannes Marro Oxonienſis, Scholaſticus, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1407
Ioannes Marchallus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1597
Ioannes Mearus Oxonienſis, Scholaſticus, Benedictinus in Appendice.
Ioannes Milo Oxonienſis in Appendice
Ioannes Miluertonus Oxonienſis, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1486
Ioannes Ouinhellus Oxonienſis, Carmelita In catalogo ſcriptorum anno 1438
Ioannes Oxraccus Oxonienſis in Appendice
Ioannes Peccamus Oxonienſis, Archiepiſcopus, Scholaſticus, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1292
Ioannes Pitſus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1615
Ioannes Poleſtedus Oxonienſis, Scholaſticus, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1341
Ioannes Rideuallus Oxonienſis, Auguſtinianus. In catalogo ſcriptorum anno 1330
Ioannes Rodingtonus Oxonienſis, Scholaſticus, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1348
Ioannes Roſſus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1491
Ioannes Setonus Oxonienſis in Appendice.
Ioannes Seuerlæus Oxonienſis in Appendice.
Ioannes Sheppæus Oxonienſis in Appendice.
Ioannes Sheppræus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1541
Ioannes Somerius Oxonienſis, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1370

Ioannes Spinæus Oxoniensis, Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1484
Ioannes Stamberius Oxoniensis, Episcopus, Scholasticus, Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1474
Ioannes Stambrigius Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1510
Ioannes Stoüs Oxoniensis, Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1440
Ioannes Stuckeius Oxoniensis, Scholasticus, Benedictinus in Appendice.
Ioannes Suttonus Oxoniensis, Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1473
Ioannes Tacesphalus Oxoniensis, Scholasticus, Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1420
Ioannes Talangerus Oxoniensis, Scholasticus, Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1448
Ioannes Tartaius Oxoniensis in Appendice.
Ioannes Teuxberiensis Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1350
Ioannes Thoresbius Oxoniensis, Cardinalis, Archiepiscopus, in catalogo scriptorum anno 1374
Ioannes Tilberius Oxoniensis, Episcopus, in catalogo scriptorum anno 1100
Ioannes Tipetotus Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1471
Ioannes Tissingtonus Oxoniensis, Franciscanus, in catalogo scriptorum anno 1395
Ioannes Titleshalus Oxoniensis, Scholasticus, Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1354
Ioannes Tomsonus Oxoniensis, Scholasticus, Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1376
Ioannes Virlæus Oxoniensis, Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1344
Ioannes Vitus Oxoniensis, Episcopus, in catalogo scriptorum anno 1563
Ioannes Vptonus Oxoniensis, Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1442
Ioannes Vvaldebius Oxoniensis, Archiepiscopus, Scholasticus, Augustinianus, in catalogo scriptorum anno 1393
Ioannes Vvalsinghamus Oxoniensis, Scholasticus, Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1330
Ioannes Vvalterus Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1412
Ioannes Vvellis Oxoniensis, Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1382
Ioannes Vviccamus Oxoniensis in Appendice.
Ioannes Vviltonus Oxoniensis, Scholasticus, Augustinianus, in catalogo scriptorum anno 1310
Ioannes Vvinchelsæus Oxoniensis, Scholasticus, Franciscanus, in catalogo scriptorum anno 1326
Ioannes Vvrothamus Oxoniensis, Scholasticus, Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1407
Laurentius Vansæus Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1570
Lucas Bosdenus xoniensis, Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1340
Ludouicus de Caerlion Oxoniensis & Cantabrigiensis, Episcopus, Scholasticus, in catalogo scriptorum anno 1369
Martinus Aluevvicus Oxoniensis, Scholasticus, Franciscanus, in catalogo scriptorum anno 1336
Mauricius Morganus Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1210
Mauricius Somersetus Oxoniensis, Cisterciensis, in catalogo scriptorum anno 1193
Michaël Braunpainus Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1250
Michaël Mathematicus Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1290
Michaël Tregorius Oxoniensis, Archiepiscopus, Scholasticus, in catalogo scriptorum anno 1471
S. Neotus Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 883
Nicolaus Astonus Oxoniensis, Scholasticus in Appendice.

Nicolaus Baiardus Oxoniensis, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1410
Nicolaus Bollar Oxoniensis in Appendice.
Nicolaus Durhamus Oxoniensis, Scholasticus, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1370
Nicolaus Fachinhamus Oxoniensis, Franciscanns. In Catalogo Scriptorum an. 1407
Nicolaus Fernehem Oxoniensis, Episcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1241
Nicolaus Fizherbertus Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1612
Nicolaus Gorhamus Oxoniensis, Scholasticus, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1400
Nicolaus Harpesfeldus Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1582
Nicolaus Occamus Oxoniensis, Scholasticus, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1320
Nicolaus Pontius Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1410
Nicolaus Sanderus Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1580
Nicolaus Triuethus Oxoniensis, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum an. 1328
Pembogul Oxoniensis in Appendice.
Petrus Keningalus Oxoniensis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1494
Petrus Moruingus Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1558
Petrus Pateshullus Oxoniensis, Scholasticus, Augustinianus. In Catalogo Scriptorum anno 1390
Petrus Russellus Oxoniensis, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1410
Petrus Stoccus Oxoniensis, Scholasticus, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1399
Petrus Suaningtonus Oxoniensis, Scholasticus, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1270
Philippus Aubinus Oxoniensis in Appendice.
Philippus Beuerlaius Oxoniensis in Appendice.
Philippus Bostonus Oxoniensis, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1320
Philippus Repingalus Oxoniensis, Cardinalis, Episcopus, Augustinianus. In Catalogo Scriptorum anno 1410
Pubvvellus Oxoniensis in Appendice.
Radulphus Atous Oxoniensis, Scholasticus. In Catalogo Scriptorum anno 1320
Radulphus Coleburgus Oxoniensis, Franciscanus in Appendice.
Radulphus Radiptorius Oxoniensis, Scholasticus, Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1350
Radulphus Schirvvinus Oxoniensis in Appendice.
Radulphus Strodus Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1370
Rainhamus Oxoniensis in Appendice.
Ranulphus Lokesleius Oxoniensis, Scholasticus, Franciscanus. In catalogo scriptorum anno 1310
Reginaldus Polus Oxoniensis, Cardinalis, Archiepiscopus. In Catalogo Scriptorum anno 1558
Richardus Anglicus Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1230
Richardus Aungeruillus Oxoniensis, Episcopus, Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 1350
Richardus Bilinghamus Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1360
Richardus Blitonius Oxoniensis, Scholasticus, Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1334
Richardus Bristolius Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1582
Richardus Chillingtonus Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1360
Richardus Coningtonus Oxoniensis, Scholasticus, Franciscanus, In Catalogo Scriptorum anno 1330
Richardus Cornubiensis Oxoniensis, Scholasticus, Franciscanus in Appendice.

Robertus Vvalſinghamus Oxonienſis, Scholaſticus , Carmelita. In Catalogo Scriptorum anno 1310
Robertus Vvinchelſeius Oxonienſis, Archiepiſcopus. In Catalogo Script. anno 1313
Rogerus Baconus Oxonienſis, Scholaſticus , Franciſcanus. In Catalogo Scriptorum anno 1284
Rogerus Convvaius Oxonienſis, Scholaſticus , Franciſcanus. In Catalogo Scriptorum anno 1360
Rogerus Dimoccus Oxonienſis, Dominicanus. In Catalogo Scriptorum anno 1390
Rogerus Nigellus Oxonienſis , Benedictinus in Appendice.
Rogerus Suiſetus Oxonienſis, Scholaſticus, Ciſtercienſis. In Catalogo Scriptorum anno 1350
Rogerus Vvelpedalus Oxonienſis. In Catalogo Scriptorum anno 1368
Rogerus Vveshamus Oxonienſis, Epiſcopus in Appendice.
Seualus Oxonienſis, Archiepiſcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1258
Simeon Dunelmenſis Oxonienſis, Benedictinus. In catalogo ſcriptorum anno 1164
Simon Bredonus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1386.
Simon Feuershamenſis Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1370
Simon Iſlepus Oxonienſis , Archiepiſcopus. In catalogo ſcriptorum anno 1366
Simon Southraius Oxonienſis, Auguſtinianus. In catalogo ſcriptorum anno 1382
Simon Stockius Oxonienſis, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1265
Simon Thornaius Oxonienſis , Benedictinus. In catalogo ſcriptorum anno 1201
Stephanus Iuriſperitus Oxonienſis in Appendice.
Stephanus Patringtonus Oxonienſis, Epiſcopus, Scholaſticus, Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1410
Syluester Giraldus Oxonienſis , Epiſcopus. In catalogo ſcriptorum anno 1210
Thomas Asheburnus Oxonienſis, Auguſtinianus. In catalogo ſcriptorum anno 1382
Thomas Becchingtonus Oxonienſis, Epiſcopus. In catalogo ſcriptorum anno 1464
Thomas Brauardinus Oxonienſis , Archiepiſcopus, Scholaſticus. In catalogo ſcriptorum anno 1350
Thomas Bucchinghamus Oxonienſis , Scholaſticus in Appendice.
Thomas Bungeius Oxonienſis , Scholaſticus , Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1290
Thomas Cantius Oxonienſis in Appendice.
Thomas Colbius Oxonienſis nè an Cantabrigienſis, neſcio, Epiſcopus Carmelita In catalogo ſriptorum anno 1406
Thomas Dockingus Oxonienſis, Scholaſticus , Franciſcanus. In catalogo ſcript. anno 1270
Thomas Eboracenſis Oxonienſis , Franciſcanus. In Catalogo Scriptorum an. 1260
Thomas Eborallus Oxonienſis in Appendice.
Thomas Eclestonus Oxonienſis, Franciſcanus. In catalogo ſcriptorum anno 1340
Thomas Edvvardſtonus Oxonienſis, Archiepiſcopus, Auguſtinianus. In catalogo ſcriptorum anno 1396
Thomas Gaſcoinus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1460
Thomas Hardingus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1572
Thomas Hidus Oxonienſis, In catalogo ſcriptorum anno 1597
Thomas Iorſius Oxonienſis, Cardinalis, Scholaſticus, Dominicanus. In catalogo ſcriptorum anno 1311
Thomas Lumbæus Oxonienſis , Scholaſticus , Carmelita. In catalogo ſcriptorum anno 1390
Thomas Lupſetus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1535
Thomas Millingus Oxonienſis, Epiſcopus , Benedictinus in Appendice.
Thomas Morus Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum anno 1535
Thomas Penchettus Oxonienſis, Scholaſticus, Auguſtinianus. In catalogo ſcriptorum anno 1487

EX ILLVSTRIBVS ANGLIÆ SCRIPTORIBVS IN VNIVERSALI INDICE CONTENTIS, ALVMNI FVERVNT Academiæ Cantabrigiensis hi sequentes numero videlicet plus minùs centum & decem.

Guilhelmus Foluillus Cantabrigienſis , Franciſcanus. In catalogo Scriptorum anno 1384.
Guilhelmus Gonellus Cantabrigienſis in Appendice.
Guilhelmus Grenæus Cantabrigienſis,Carmelita.In catalogo Scriptorum anno 1470
Guilhelmus Harſiccus Cantabrigienſis,Carmelita. In catalogo Scriptorum an. 1413
Guilhelmus Hormannus Cantabrigienſis,in catalogo Scriptorum anno 1535
Guilhelmus Kingeſhamenſis Cantabrigienſis , Scholaſticus , Dominicanus, in catalogo Scriptorum anno 1262
Guilhelmus Lincolnius Cantabrigienſis, Scholaſticus , Carmelita , in catalogo Scriptorum anno 1360
Guilhelmus Surfletus Cantabrigienſis , Carmelita , in catalogo Script. anno 1466
Guilhelmus Suttonus Cantabrigienſis, in Catalogo Scriptorum anno 1450
Guilhelmus Vvels Cantabrigienſis, Auguſtinianus,in catalogo Scriptorum an. 1421
Guilhelmus Zoonus Cantabrigienſis , in catalogo Scriptorum anno 1572
Helias Rubeus Cantabrigienſis , in catalogo Scriptorum anno 1280
Henricus Belloclericus Cantabrigienſis, in catalogo Scriptorum anno 1135
Henricus Bullocus Cantabrigienſis , in catalogo Scriptorum anno 1530
Henricus Hornebius Cantabrigienſis , in catalogo Scriptorum anno 1510
Henricus Parcherius Cantabrigienſis , Carmelita , in catalogo Scriptorum anno 1470
Hugo de S. Neoto Cantabrigienſis, Carmelita , in catalogo Scriptorum anno 1340
Humfredus Nectonus Cantabrigienſis, Scholaſticus, Carmelita , in catalogo Scriptorum anno 1303
Ioannes Alcoccus Cantabrigienſis, Epiſcopus , in catalogo ſcriptorum anno 1498
Ioannes Aldriſius Cantabrigienſis, Epiſcopus , in catalogo ſcriptorum anno 1530
Ioannes Bamptonus Cantabrigienſis , Carmelita, in catalogo ſcriptorum anno 1341
Ioannes Barettus Cantabrigienſis, Carmelita, in catalogo ſcriptorum anno 1556
Ioannes Beſtonus Cantabrigienſis , Carmelita , in catalogo ſcriptorum anno 1418
Ioannes Botleshamenſis Cantabrigienſis , Epiſcopus , Dominicanus , in catalogo ſcriptorum anno 1388
Ioannes Bromiardus Cantabrigienſis Oxonienſis, , Dominicanus,in catalogo ſcriptorum anno 1390
Ioannes Burgenſis Cantabrigienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1386
Ioannes Burienſis, Cantabrigienſis, Auguſtinianus, in catalogo ſcriptorum an. 1460
Ioannes Caius Cantabrigienſis (vt puto), in catalogo ſcriptorum anno 1558
Ioannes Chriſtophorſonus Cantabrigienſis , Epiſcopus , in catalogo ſcriptorum anno 1558
Ioannes Clipſtonus Cantabrigienſis, Scholaſticus , Carmelita,in catalogo ſcriptorum anno 1378
Ioannes de S. Omero Cantabrigienſis in Appendice.
Ioannes Elinus Cantabrigienſis, Carmelita , in catalogo ſcriptorum anno 1379
Ioannes Fisherus Cantabrigienſis, Cardinalis , Epiſcopus , in catalogo ſcriptorum anno 1535
Ioannes Folshamus Cantabrigienſis , Carmelita, in catalogo ſcriptorum anno 1348
Ioannes Giouanus Cantabrigienſis , in catalogo ſcriptorum anno 1559
Ioannes Godvvicus Cantabrigienſis & Oxonienſis, Auguſtinianus , in catalogo ſcriptorum anno 1350
Ioannes Gundorpius Cantabrigienſis & Oxonienſis,in catalogo ſcriptorum an. 1470
Ioannes Hornebius Cantabrigienſis , Carmelita, in catalogo ſcriptorum anno 1374
Ioannes Houghtonus Cantabrigienſis , Carthuſianus, in catalogo ſcript. anno 1535
Ioannes Kentus Cantabrigienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1482
Ioannes Langhamus Cantabrigienſis , Auguſtinianus in Appendice.
Ioannes Paſcallus Cantabrigienſis , Epiſcopus, Carmelita, in catalogo ſcriptorum anno 1361

Thomas de Nouo Mercatu Cantabrigiensis, Episcopus. In catalogo scriptorum anno 1410
Thomas Hilleiensis Cantabrigiensis, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1290
Thomas Languefordus Cantabrigiensis, Dominicanus. In catalogo scriptorum anno 1320
Thomas Maldonus Cantabrigiensis, Scholasticus, Carmelita. In catalogo scriptorum anno 1404
Thomas Vvatsonus Cantabrigiensis, Episcopus. In catalogo scriptorum anno 1583
Timotheus Bricthus Cantabrigiensis in Appendice.
Vincentius Couentriensis Cantabrigiensis, Franciscanus. In catalogo scriptorum anno 1251

EX ILLVSTRIBVS ANGLIÆ SCRIPTORIBVS ALVMNI FVERVNT ACADEMIÆ PARISIENSIS HI SEQVENTES numero ad Quadraginta nouem.

DE ILLVSTRIBVS ANGLIÆ SCRIPTORIBVS QVI FVERVNT ORDINIS S. BENEDICTI.

SANCTVS Benedictus natus fuisse traditur anno Dominicæ Incarnationis 480, illius ordo religiosus incepisse dicitur circa annum Domini quingentesimum. Et post annos circiter nonaginta S. Gregorius Magnus, huius nominis Papa primus misit S. Augustinum, & alios eiusdem ordinis S Benedicti Monachos in Britanniam, vt Anglos tum adhuc Paganos ad fidem Christi conuerterent, vti fecerunt. Quæ D. Benedicti benedictio, maximè per Monachos Benedictinos mansit in Anglia, vsque ad fidem Catholicam ibi suppressam sub Rege Henrico octauo, mille videlicet & triginta circiter annis.

De illustribus autem Scriptoribus huius ordinis scripsit inter alios Guilhelmus Gillinghamus circa annum Domini 1390.

Porrò in catalogo nostro Vniuersali continentur illustres Angliæ scriptores Benedictini hi sequentes, numero videlicet ducenti circiter & quinquaginta.

Bernardus Morlanensis Benedictinus, in catalogo scrptorum anno 1140
S. Bonifacius Benedictinus, Archiepiscopus, in catalogo scriptorum anno 755
Boso Benedictinus, Cardinalis in Appendice.
Bostonus Buriensis Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1410
Bridferthus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 980
Bristanus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 870
S. Brithvvaldus Benedictinus, Archiepiscopus, in catalogo scriptorum anno 731
S Burchardus Benedictinus, Episcopus, in catalogo scriptorum anno 791
Burchardus Dorcestrius Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 870
Castertonus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1382
Ceolfridus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 724
Ceolulfus Rex Benedictinus in Appendice.
Cimbertus Benedictinus, Episcopus, in catalogo scriptorum anno 730
Continuator Bedæ Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1070
Continuator Florentij Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1163
Cuthbertus Giruicensis Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 740
Damportus Benedictinus in Appendice.
S. Dumstanus Benedictinus, Archiepiscopus, in catalogo scriptorum anno 988
Eadmerus Benedictinus, Episcopus, in catalogo scriptorum anno 1121
Eatta Benedictinus, Episcopus in Appendice.
Edmundus Brumfeldus Benedictinus, Episcopus in Appendice.
Edmundus Monachus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1120
Edmundus Stourtonus Benedictinus in Appendice.
Edvvardus Cantuariensis Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1171
Edvvardus Maihüus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1612
Egbertus Archiepiscopus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 766
Egbertus alter Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 729
Egelricus Benedictinus in Appendice.
S. Egvvinus Benedictinus, Episcopus, in catalogo scriptorum anno 716
Ercombertus Grammaticus Benedictinus in Appendice.
Ethelvvoldus Benedictinus in Appendice.
S Ethelvvoldus alter Benedictinus, Episcopus, in catalogo scriptorum anno 984
Ethelvvolfus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 750
Eustachius Abbas Benedictinus, in Appendice.
Felix Croulandensis Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 730
Florentins Vvigorniensis Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1119
Folcardus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1066
Fridegodus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 959
Frithona, qui & Deusdedit, Benedictinus, Archiepiscopus in Appendice.
Fuldebertus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 980
Galfredus Burtonensis Benedictinus in Appendice.
Galfredus Henlingtonus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1150
Galfredus Marchallus Benedictinus in Appendice.
Galfredus Vvatertonus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1350
Gerimus Benedictinus in Appendice.
Geruasius de Parco Benedictinus, & posteà Cisterciensis, in catalogo scriptorum anno 1150
Geruasius Dorobornensis Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1200
Gilbertus de Sempringham Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1189
Gilbertus Vvestmonasteriensis Benedictinus, Episcopus, in catalogo scriptorum anno 1117
Gildas quartus Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 860
Godfridus Vvintoniensis Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1107
Gregorius de Vvintonia Benedictinus, in catalogo scriptorum anno 1290

Ioannes de Hida Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1284
Ioannes Erigena Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 884
Ioannes Euerisdemus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1336
Ioannes Feckenhamus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1585
Ioannes Fletus Benedictinus, in Appendice.
Ioannes Hagustaldenſis Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1190
Ioannes Hantiuillenſis Benedictinus, Oxonienſis, in catalogo ſcript. anno 1200
Ioannes Iongus Benedictinus in Appendice.
Ioannes Langdenus Benedictinus, Epiſcopus, Oxonienſis, in catal. ſcript. an. 1420
Ioannes Lidgatus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1440
Ioannes Maluernæus Benedictinus, Oxonienſis in Appendice.
Ioannes Mearus Benedictinus, Scholaſticus, Oxonienſis in Appendice
Ioannes Stouus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1466
Ioannes Stous Benedictinus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1440
Ioannes Stuccheius Benedictinus, Scholaſticus, Oxonienſis in Appendice.
Ioannes Talangerus Benedictinus, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1448
Ioannes Thanatenſis Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1330
Ioannes Tinmouthenſis Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1366
Ioannes Vtonus Benedictinus in Appendice.
Ioannes Vvellis Benedictinus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1382
Ioannes Vvethanſtedus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1440
Ioannes Vviltonus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1360
Ioannes Vvinchelenſis Benedictinus, Epiſcopus in Appendice.
Iocelinus Braclandus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1214
Kenulphus Abbas Benedictinus in Appendice.
Lamfridus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 980
Laurentius Abbas Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1160
Laurentius Holbeccus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1410
Laurentius Vvadus Benedictinus, in Appendice.
S. Lebuinus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 740
S. Lullus Benedictinus, Epiſcopus, in catalogo ſcriptorum anno 787
Marbodus Benedictinus, Epiſcopus, in catalogo ſcriptorum anno 1050
S. Marcellinus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 761
Martinus Cliuius Benedictinus in Appendice.
Matthæus Paris Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1259
Matthæus Vveſtmonaſterienſis Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1377
S. Neotus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 883
Nicolaus Albanus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1140
Nicolaus Dunelmenſis Benedictinus, Oxonienſis, in catalogo ſcript. anno 1169
Nicolaus Haſtifragus Benedictinus, Cardinalis, Papa, in catalogo ſcriptorum anno 1159
Nicolaus Radcliffus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1388
Nigellus Vvirikerus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1200
Nothelmus Benedictinus, Archiepiſcopus, in catalogo ſcriptorum anno 739
Odingtonus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1280
Odo Cantianus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1160
Odo Seuerus Benedictinus, Archiepiſcopus, in catalogo ſcriptorum anno 959
Oliuerius Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1060
Osbernus Claudianus Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1140
Osbernus alter Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1074
Osbertus Clarentius Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1136
Oſvvaldus Benedictinus, Archiepiſcopus, in catalogo ſcriptorum anno 992
Oſvvaldus alter Benedictinus, in catalogo ſcriptorum anno 1010

Thomas Pontius Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 1332
Thomas Radburnus Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 1480
Thomas Sprottus Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 1274
Thomas Vvalſinghamus Benedictinus, Oxonienſis. In catalogo ſcriptorum an. 1440
Thomas Vvinchecumbus Benedictinus, Oxonienſis in Appendice.
Tobias Benedictinus, Epiſcopus. In catalogo ſcriptorum anno 726
Turgotus Benedictinus, Archiepiſcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1115
Vvredus Boltonus Benedictinus, Oxonienſis. In Catalogo Scriptorum anno 1380
Vvarnerus Homiliarius Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 1092
Vvibertus Benedictinus in Appendice.
S. Vvicbertus Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 730
S. Vvillibrordus Benedictinus, Archiepiſcopus. In Catalogo Scriptorum anno 736
S. Vvolſtanus Benedictinus, Epiſcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1095
Vvolſtanus alter Benedictinus. In Catalogo Scriptorum anno 1000

Jndicis Illuſtrium Angliæ Scriptorum, qui fuerunt ordinis S. Benedicti, finis.

INDEX ILLVSTRIVM ANGLIÆ SCRIPTORVM QVI FVERVNT Ordinis Ciſtercienſis.

ORDO Ciſtertienſis eſt quædam ex ordine S. Benedicti reformatio. Quæ cœpta fuit à Stephano Hardingo Anglo Benedictino, qui zelo vitæ perfectioris incenſus, Romam peregrinatus eſt, & perſolutis votis, indè rediens, & in Burgurdiam diuertens, ex magno illo Moliſmenſi Monaſterio Lingonenſis agri, octodecim Monachos in ſuam ſententiam perduxit, & cum ijs in locum valdè ſolitarium exiuit manſionem oportunã quærens. Et dum ita quæreret, vox deſuper audita eſt *Ci eſt à vous*, id eſt, hic veſter locus eſt: Ibi igitur omnes illi ſubſtiterũt, Eccleſiæ & habitaculorum fundaméta poſuerunt, & hunc ordinem primo inchoarunt. Anno Domini 1098, quem ordinem ad eiuſdem Stephani inſtantiam confirmauit Vrbanus Papa II. anno Incarnationis Dominicæ 1107. Vide Matthæum Vveſtmonaſterienſem ad annum 1098. Huius ordinis Monachi rogatu Truſtini Archiepiſcopi Eboracenſis, primùm in Angliam miſſi ſunt à D. Bernardo Abbate anno gratiæ 1132. Tum enim dictus Archiepiſcopus eis locum habitãdi donauit, nec multo poſt tempore apud oppidum Rippon Monaſterium, quod de fontibus vocauit, illis conſtruxit. Hic ordo noſtris partim Catalogo, partim Appendici ſuppeditauit Scriptores circiter quadraginta, quorum nomina, & cognomina hic ordine Alphabetico ſequuntur.

ADAMVS Ciſtercienſis, Oxonienſis. In Catalogo Scriptorum anno 1368
Adamus Dorenſis Ciſtercienſis. In Catalogo Scriptorum anno 1200
Adamus Muremuthenſis Ciſtercienſis In Catalogo Scriptorum anno 1380
Baldvvinus Deuonius Ciſtercienſis, Archiepiſcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1193
Caducanus Britannus Ciſtercienſis, Epiſcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1125

Indicis illustrium Angliæ Scriptorum, qui fuerunt ordinis Cisterciensis, finis.

INDEX ILLVSTRIVM ANGLIÆ SCRIPTORVM QVI FVERVNT CARTHVSIANI.

ORDO Carthusianorum incepit circa annum Domini, puto, 1080. venerunt Carthusiani in Angliam, vt auctor est Scropus, anno Domini 1180, & apud Vvithamum in Bathonensi Diœcesi primum Monasterium habuerunt. Et ex hoc ordine hactenùs vndecim tantùm

Anglos Scriptores inuenio. Quorum nomina & cognomina ordine Alphabetico hîc ponuntur.

ADAMVS Carthusianus. In Catalogo Scriptorum anno 1340
Gualterus Hiltonus Carthusianus. In Catalogo Scriptorum anno 1433
Ioannes Batmansonus Carthusianus. In Catalogo Scriptorum anno 1531
Ioannes Honghtonus Carthusianus, Cantabrigiensis. In Catalogo Scriptorum anno 1535
Ioannes Olueius Carthusianus. In Catalogo Scriptorum anno 1350
Ioannes Parceuallus Carthusianus. In Catalogo Scriptorum anno 1500
Mauritius Chanuæus Carthusianus. In Catalogo Scriptorum anno 1581
Osvvaldus Carthusianus. In catalogo scriptorum anno 1450
Rochus Carthusianus. In catalogo scriptorum anno 1470
Theobaldus Anglicus Carthusianus. In catalogo scriptorum anno 1320
Thomas Spenserus Carthusianus. In catalogo scriptorum anno 1529

Indicis illustrium Angliæ Scriptorum, qui fuerunt Carthusiani, finis.

INDEX ILLVSTRIVM ANGLIÆ SCRIPTORVM QVI FVERVNT ORDINIS S. AVGVSTINI.

AVGVSTINIANOS à S. Augustino Afro Episcopo Hipponensi, & insigni Ecclesiæ Doctore suum initium habuisse puto circa annum Incarnationis Dominicæ 390, hoc eò faciliùs adducor vt credam, quoniam ipse D. Augustinus in epistola octogesima nona & se Monachum fuisse, & alios, vt Monachi fierent, induxisse profitetur. Verba eius hîc ponam: *Ego, qui hæc scribo, perfectionem de qua Dominus locutus est, quando ait diuiti adolescenti: vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me, vehementer adamaui, & non meis viribus, sed gratia ipsius adiuuante, feci. Quantum autem in hac perfectionis via profecerim, magis quidem ego noui, quàm quisquam alius homo, sed magis Deus, quàm ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor, & in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est.* Item libro tertio contra Petilianum capite quadragesimo, Petiliani petulantiam sic arguit: *Perrexit ore maledico Petilianus, in vituperationem Monasteriorum & Monachorum, arguens etiam me, quòd genus huius vitæ à me fuerit institutum: quod genus omninò quale sit, nescit, vel potiùs toto orbi notißimum nescire se fingit.* Hæc ille.

Ego autem Augustinianorũ vocabulo intelligo omnes promiscuè, qui quocunque modo regulam & institutum D. Augustini sequi sese profitentur; siuè illi eremitæ & mẽdicantes, siuè Canonici fuerint regulares, qui possessionibus gaudent, & suis redicibus viuunt.

Hos in Angliam venisse scribunt aliqui, tempore Berini Dorcestrensis Episcopi circa annum Dñi 640: alij volunt præcisè anno Christi 636

Legi alios qui ſcribunt quod Eudo dapifer Regis Henrici primi venire fecerit in Angliam Canonicos regulares S. Auguſtini anno Domini 1105, ijſque Monaſterium primum quod vnquam habuerunt in Anglia, S. Ioanni ſacrum poſuiſſe apud Colceſtriam.

Aliorum autem eſt ſententia quod venerint primùm in Angliam anno Chriſti 1262, miſſi à Lanfranco Mediolanenſi ordinis tum Generali Magiſtro.

Raptim aliquandò legi Ioſephum Pamphilum Auguſtinianum Epiſcopum Seguinum, qui ſcripſit Chronicon Auguſtinianorum, in quo Chronico ſaltem memini eum ſic habere: anno Domini 1059, Londini in Anglia fundatum fuiſſe Auguſtinianis cœnobium totius ordinis celeberrimum. In tanta ſententiarum varietate veritatem inuenire nec facilè eſt, nec multum refert. Ibi longo tempore floruiſſe in confeſſo eſt. Nam inter illuſtres Angliæ Scriptores Auguſtiniani fuerunt hi ſequentes numero videlicet circiter ſeptuaginta.

ACHARDVS Auguſtinianus Epiſcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1162
Albericus Veerus ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis. In Catalogo Scriptorum anno 1250
Alexander Eſſebienſis, ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis. In Catalogo Scriptorum anno 1220
Alexander Nekam ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis. In Catalogo Scriptorum anno 1227
Andahas Victorius ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis. In Catalogo Scriptorum anno 1150
Banchinus Auguſtinianus, Oxonienſis. In Catalogo Scriptorum anno 1382
Benedictus Icenus Auguſtinianus, Epiſcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1340
Clemens Langthomenſis Ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis. In Catalogo Scriptorum anno 1.70
Galfredus Grandfeldus Auguſtinianus, Epiſcopus, Cantabrigienſis. In Catalogo Scriptorum anno 1340
Galfredus Hardibius Auguſtinianus, Oxonienſis. In Catalogo Script. anno 1360
Georgius Riplaius Auguſtinianus. In Catalogo Scriptorum anno 1490
Gilbertus Foliothus ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis, Epiſcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1187
Gregorius Bridlingtonus Auguſtinianus in Appendice.
Gualterus Bakerus Auguſtinianus, Oxonienſis in Appendice.
Gualterus Hemingfordus Auguſtinianus. In Catalogo Scriptorum anno 1347
Gualterus Recluſus ordinis S. Auguſtini eremita. In Catalogo Scriptorum anno 1280
Guilhelmus Egmundus Auguſtinianus, Epiſcopus. In Catalogo Scriptorum anno 1390
Guilhelmus Fletæus Auguſtinianus. In Catalogo Scriptorum anno 1380
Guilhelmus Fontanus Auguſtinianus in Appendice.
Guilhelmus Galeon Auguſtinianus, Oxonienſis. In Catalogo Scriptorum anno 1507
Guilhelmus Langthonienſis ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis. In Catalogo Scriptorum anno 1230
Guilhelmus Paruus ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis, In Catalogo Scriptorum anno 1200

Guilhelmus Senghamus Auguſtinianus, in catalogo ſcriptorum anno 1260
Guilhelmus Vvels Auguſtinianus, Cantabrigienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1421
Henricus Bedericus Auguſtinianus, Scholaſticus, in catalogo ſcriptor. anno 1380
Ioannes Bridlingtonus Auguſtinianus, in catalogo ſcriptorum anno 1379
Ioannes Bromius Auguſtinianus, in catalogo ſcriptorum anno 1449
Ioannes Burienſis Auguſtinianus, Cantabrigienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1460
Ioannes Capgrauius Auguſtinianus, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1484
Ioannes Canonicus ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis, in catalogo ſcriptorum anno 1250
Ioannes Erghomus Auguſtinianus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1490
Ioannes Godvvicus Auguſtinianus, Oxonienſis & Cantabrigienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1360
Ioannes Hickeleius Auguſtinianus, in catalogo ſcriptorum anno 1381
Ioannes Langhamus Auguſtinianus, Cantabrigienſis in Appendice.
Ioannes Louus Auguſtinianus, Epiſcopus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1467
Ioannes Rideuallus Auguſtinianus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1330
Ioannes Sloleius Auguſtinianus, Cantabrigienſis, in catalogo ſcript. anno 1477
Ioannes Tonneius Auguſtinianus, Cantabrigienſis, in catalogo ſcript. anno 1490
Ioannes Vvaldebius Auguſtinianus, Archiepiſcopus, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1393
Ioannes Vviltonus Auguſtinianus, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1310
Lethbertus ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis, in catalogo ſcriptorum anno 1210
Petrus Longatoſta ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis, in Appendice.
Petrus Pateshullus Auguſtinianus, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1390
Philippus Repingtonus Auguſtinianus, Cardinalis, Epiſcopus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1410
Radulphus Marchamus Auguſtinianus, Cantabrigienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1380
Richardus Chefferus Auguſtinianus, Cantabrigienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1354
Richardus Grecoladenſis Auguſtinianus, in catalogo ſcriptorum anno 1310
Richardus Londinenſis ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis, in catalogo ſcriptorum anno 1200
Richardus Victorius ordinis S. Auguſtini Canonicus regularis, in catalogo ſcriptorum anno 1240
Robertus Canutus Auguſtinianus, in catalogo ſcriptorum anno 1170
Robertus Eliphatus Auguſtinianus, alijs Franciſcanus, Archiepiſcopus, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1350
Robertus Plintonus Auguſtinianus, in catalogo ſcriptorum anno 1320
Robertus Scriba Auguſtinianus, in catalogo ſcriptorum anno 1180
Robertus Vvaldebius Auguſtinianus, Archiepiſcopus, Scholaſticus, in catalogo ſcriptorum anno 1399
Robertus Vvorſopus Auguſtinianus, Epiſcopus, Scholaſticus, in catalogo ſcriptorum anno 1350
Rogerus Glactonus Auguſtinianus, Cantabrigienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1340
Rogerus Tvvifordus ordinis S. Auguſtini Eremita, in catalogo ſcript. anno 1390

Indicis illustrium Angliæ Scriptorum, qui fuerunt Augustiniani, Finis.

INDEX ILLVSTRIVM ANGLIÆ SCRIPTORVM, QVI FVERVNT CARMELITÆ.

ORDO Carmelitarum exordium sumpsisse dicitur ab Helia & filijs Prophetarum in monte Carmelo. Super qua re scripserunt multi Carmelitæ, præsertim Angli. Ioannes de Baccone circa annum Domini 1345, Robertus Ormeskircus circa annum Domini 1381. Thomas Scropus circa annum Domini 1490. & alij. Qui probant hunc ordinem ad imitationem Heliæ, & ad normam quodammodò filiorum Prophetarum institutum fuisse, illis quid simile habere, & nomen à loco, vbi cæperunt, cepisse. Feruntque quendam virum sanctissimum Ioannem huius ordinis aliquando Monachum, posteà præfectum & Rectorem, & demum Patriarcham Ierosolymitanum, circa annum Christi quadringentesimum regulam huic ordini condidisse.

Thomas Vvaldensis etiam Anglus Carmelita in opere quod de Sacramentis scripsit titulo nono capite octogesimo quarto vult hunc ordinem incepisse à temporibus Apostolorum in monte Carmelo, & quidem in Ecclesia quæ omnium prima in toto terrarum orbe dedicata fuit beatæ Mariæ semper virgini. Vnde, vt ego conijcio, singulari quodam priuilegio, huius ordinis religiosi vocantur fratres beatæ Mariæ semper virginis de monte Carmeli. Porrò ex his initijs & bonis auspicijs creuit ordo, & per totam penè Palæstinam dilatatus floruit, donec irruentibus Sarracenis dispersus, & ferè deletus est. Sed hostibus illis eiectis, ante annum Domini 1100, ordo denuò refloruit. Tunc enim Albertus Patriarcha Hierosolymitanus regulam, quam suus prædecessor præfatus

Ioannes

Ioannes dederat, renouauit & auxit, eamque post centum circiter annos approbauit & confirmauit Honorius Papa tertius, nec multò pòst tempore Innocentius Papa quartus, cùm iam primùm in Europam homines illius ordinis venire cæperunt. Ex Palæstina autem, vt mihi videtur, primùm venerunt in Angliam, & ex Anglia in alias Europæ prouincias traducti sunt.

De horum aduentu in Angliam scripsit librum Guilhelmus Couentriensis Anglus Carmelita, qui vixit circa annum Domini 1360, venerunt autem ex Palæstina in Angliam paulò ante annum Christi 1240, conducti à viro nobili Anglo Radulpho Fresburgo, qui in Orientem profectus ad bellum sacrum, in monte Carmeli hanc regulam amplexus, multos suos confratres secum in Angliam duxit, quos ad annos quatuordecim rexit, suisque bonis aluit, ædificatis multis Monasterijs, in locis præsertim desertis, & vastis solitudinibus. In Holnensi sylua in Northumbria non longè ab Aluevvico. In Ailesfordensi sylua in Cantia. Item Burnhamiæ, Nevvendemiæ, & alibi. Denique in Anglia splendidiùs, quàm in quacumque alia Europæ parte hunc ordinem floruisse constat, magisque abundasse & numero Monasteriorum, & doctorum virorum copia.

Porrò hic ordo dedit nostris Catalogo & Appendici scriptores illustres centum circiter & quadraginta, quorum nomina & cognomina hic ordine Alphabetico sequuntur.

ADAMVS Henlingtonus Carmelita, Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1420
Adamus Saxlinghamus Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1350
Alanus de Linna Carmelita, Cantabrigiensis, in catalogo scriptorum anno 1420
Benedictus de S. Fide Carmelita in Appendice.
Bertramus Fizalanus Carmelita, Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1424
Dauid Bois Carmelita, Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1450
Dauid Chirburius Carmelita, Episcopus in Appendice.
Dionysius Holcanus Carmelita, Cantabrigiensis, in catalogo scriptorũ anno 1466
Edvvardus Dinlæus Carmelita, in catalogo scriptorum anno 1450
Galfredus Alieuantus Carmelita, Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1340
Godfridus Cornubiensis Carmelita, Scholasticus, Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1320
Gualterus Dissæus Carmelita, Scholasticus, Cantabrigiensis, in catalogo scriptorum anno 1404
Gualterus Hestonus Carmelita, Cantabrigiensis, in catalogo scriptorum ann. 1350
Gualterus Huntus Carmelita, Scholasticus, Oxoniensis, in catalogo Scriptorum anno 1478
Gualterus Kellanus Carmelita, Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1367
Guilhelmus Badbius Carmelita, Episcopus, Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1380
Guilhelmus Beccleius Carmelita, Cantabrigiensis, in catalogo scriptorũ anno 1438
Guilhelmus Bensu Carmelita, Oxoniensis, in catalogo scriptorum anno 1390
Guilhelmus Bintræus Carmelita, Cantabrigiensis, in catalogo scriptorũ anno 1493
Guilhelmus Blacueius Carmelita, Cantabrigiensis, in catalogo scriptorũ anno 1490
Guilhelmus Califordus Carmelita, Cantabrigiensis in Appendice.

Ioannes Goldeſtonus Carmelita, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcripto-
rum anno 1320

Ioannes Haintonus Carmelita, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1428

Ioannes Hornebius Carmelita, Cantabrigienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1374

Ioannes Iorcus Carmelita in Appendice.

Ioannes Keningalus Carmelita, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1451

Ioannes Kininghamus Carmelita, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcri-
ptorum anno 1399

Ioannes Langtonus Carmelita, Epiſcopus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum
anno 1434

Ioannes Loneius Carmelita, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1390

Ioannes Marro Carmelita, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcript. anno 1407

Ioannes Miluertonus Carmelita, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1486

Ioannes Multonus Carmelita. in catalogo ſcriptorum anno 1400

Ioannes Ouinhellus Carmelita, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1438

Ioannes Paſcallus Carmelita, Epiſcopus, Cantabrigienſis, in catalogo ſcripto-
rum anno 1361

Ioannes Poleſtedus Carmelita, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum
anno 1341

Ioannes Repingalus Carmelita, Scholaſticus, Cantabrigienſis, in catalogo ſcri-
ptorum anno 1350

Ioannes Soulæus Carmelita, in catalogo ſcriptorum anno 1508

Ioannes Spinæus Carmelita, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1484

Ioannes Stanberius Carmelita, Epiſcopus, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo
ſcriptorum anno 1474

Ioannes Suaffamus Carmelita, Epiſcopus, Cantabrigienſis, in catalogo ſcripto-
rum anno 1394

Ioannes Suttonus Carmelita, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1473

Ioannes Taceſphalus Carmelita, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcripto-
rum anno 1420

Ioannes Thorpus Carmelita, Cantabrigienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1440

Ioannes Tilneius Carmelita, Cantabrigienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1430

Ioannes Titleshalus Carmelita, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum
anno 1354

Ioannes Tomſonus Carmelita, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum
anno 1380

Ioannes Vvalſinghamus Carmelita, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcripto-
rum anno 1330

Ioannes Vvainfletus Carmelita, Cantabrigienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1418

Ioannes Vptonus Carmelita, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1442

Ioannes Vvrothamus Carmelita, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcripto-
rum anno 1407

Lucas Boſdenus Carmelita, Oxonienſis, in catalogo ſcriptorum anno 1340

Martinus Sculthropius Carmelita, Cantabrig. in catalogo ſcriptorum anno 1430

Nicolaus Botleshamus Carmelita, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcripto-
rum anno 1435

Nicolaus Cantilepus Carmelita, Cantabrig. in catalogo ſcriptorum anno 1441

Nicolaus Durhamus Carmelita, Scholaſticus, Oxonienſis, in catalogo ſcripto-
rum anno 1370

Nicolaus Kentonus Carmelita, Cantabrig. in catalogo ſcriptorum anno 1468

Nicolaus Linienſis Carmelita, in catalogo ſcriptorum anno 1370

Nicolaus Suaffamus Carmelita, Cantabrig. in catalogo ſcriptorum anno 1449

Osbertus Pickenghamus Carmelita, Scholaſticus, in catalogo ſcriptorum anno
1330

Indicis illustrium Angliæ Scriptorum, qui fuerunt Carmelitæ, Finis.

INDEX ILLVSTRIVM ANGLIÆ SCRIPTORVM QVI FVERVNT ORDINIS S. DOMINICI.

ORDO S. Dominici, qui & dicitur ordo Prædicatorum, incepit anno Domini 1204, sub Innocentio Papa tertio, tempore Lateranensis Concilij, qui etiam Pontifex post octo circiter annos Ordinis regulam approbauit & confirmauit.

Homines huius Ordinis venerunt in Angliam anno Domini 1224. Nam tunc temporis, vt scribit in chronico Fratrum Prædicatorum Antonius Senensis, S. Dominicus adhuc in viuis existens, misit in Angliam fratrem Gisilbertum virum pium & grauem, cum alijs duodecim fratribus. Aliqui alij parum differenter scribunt anno 1230, Gilbertum de Fraxineto Priorem cum quibusdam fratribus ordinis S. Dominici in Angliam missum ex Italia. Manserunt in Anglia Dominicani annis trecentis & ampliùs, videlicet vsque ad defectionem Henrici Regis octaui. Tum enim cum religione & alijs religiosis ordinibus expulsi sunt.

Ex hoc ordine ad locupletandos nostros Catalogum & Appendicem prodierunt illustres nostræ nationis Scriptores saltem octoginta, quorum nomina, & plerumque cognomina hîc Alphabetico ordine subnectuntur.

Indicis Illustrium Angliæ Scriptorum, qui fuerunt Dominicani, finis.

INDEX ILLVSTRIVM ANGLIÆ SCRIPTORVM QVI FVERVNT Ordinis S. Francisci.

ORDO S. Francisci incepisse dicitur anno Domini 1207, & sexto circiter pòst anno regula illis data, ab Innocentio Papa tertio confirmata est.

Homines huius Ordinis primùm in Angliam venerunt anno Domini 1224, vel potius 1226, primum monasterium habuisse dicuntur Cantuariæ, secundum apud Cornhil Londini. Et hæc pleraque colligo ex Thoma Ecclestono in opere quod scripsit de aduentu Minorum in Angliam. Porrò manserunt in eo regno trecentis annis & ampliùs, videlicet vsque ad defectionem Regis Henrici octaui.

Atque hic ordo partim nostrum Catalogum, partim Appendicem ornauit illustribus Scriptoribus centum & decem, quorum nomina & cognomina hîc ordine Alphabetico sequuntur.

Ioannes Barvvicanus Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo Scriptorum anno 1340
Ioannes Canonicus, Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo Scriptorum anno 1320
Ioannes Cantianus Franciscanus. In catalogo scriptorum anno 1248
Ioannes Caxton Franciscanus in Appendice.
Ioannes Colmannus Franciscanus, Oxoniensis. In catalogo Scriptorum anno 1418
Ioannes Duns Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo script. anno 1308
Ioannes Edæus Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo script. anno 1406
Ioannes Forestus Franciscanus. In catalogo scriptorum anno 1538
Ioannes Guallensis Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo Scriptorum anno 1260
Ioannes Guentus Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1348
Ioannes Hiltonus Franciscanus, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1376
Ioannes Lathberius Franciscanus, Oxoniensis. In catalogo Scriptorum anno 1406
Ioannes Londinensis Franciscanus, Oxoniensis in Appendice.
Ioannes Marcheleius Franciscanus. In catalogo Scriptorum anno 1376
Ioannes Peccamus Franciscanus, Archiepiscopus, Scholasticus, Oxoniensis, in catalogo Scriptorum anno 1292
Ioannes Rodingtonus Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo Scriptorum anno 1348
Ioannes Somerius Franciscanus, Oxoniensis. In catalogo Scriptorum anno 1390
Ioannes Staforrus Franciscanus. In catalogo Scriptorum anno 1380
Ioannes Standicius Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1556
Ioannes Tislingtonus Franciscanus, Oxoniensis. In catalogo Scriptorum anno 1395
Ioannes Vvichinhamus Franciscanus, Cantabrigiensis. In Catalogo Script. an. 1362
Ioannes Vvinchelsæus Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1326
Nicolaus Anglicus Franciscanus, Episcopus in Appendice.
Nicolaus Fechinhamus Franciscanus, Oxoniensis. In Catalogo Script. anno 1407
Nicolaus Occamus Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1320
Petrus Russellus Franciscanus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1410
Petrus Quesnellus Franciscanus in Appendice.
Philippus Gualensis Franciscanus, in Appendice.
Radulphus Coliburgus Franciscanus, Oxoniensis in Appendice.
Radulphus Radiptorius Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1350
Ranulphus Lokesleius Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo Scriptorum anno 1310
Reginaldus Langhamus Franciscanus, Scholasticus, Cantabrigiensis. In Catalogo Scriptorum anno 1410
Richardus Coningtonus Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1330
Richardus Cornubiensis Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis in Appendice.
Richardus Kinsdorp Franciscanus in Appendice.
Richardus Midletonus Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In Catalogo Scritorum anno 1300
Richardus Porlondus Franciscanus in Appendice.
Richardus Rufus Franciscanus, Scholasticus. In catalogo Scriptorum anno 1270
Richardus Ruis Franciscanus, Scholasticus, in Appendice.
Robertus Contonus Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1340

Robertus Crutius Franciscanus, Scholasticus. In Catalogo Scriptorum anno 1300
Robertus Eliphatus Franciscanus vel forsan Augustinianus, Archiepiscopus, Scholasticus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1340
Robertus Fininghamus Franciscanus. In Catalogo Scriptorum anno 1460
Robertus Leicestrius Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1348
Robertus Turnehamus Franciscanus in Appendice.
Rogerus Baconus Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1284
Rogerus Convvaius Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1360
Rogerus Rugosus Franciscanus, Scholasticus in Appendice.
Rogerus Varro Franciscanus in Appendice.
Roricus, meliùs fortè Rogerus Vvirtonus Francisanus in Appendice.
Sertorius Gualensis Franciscanus, Cardinalis, Archiepiscopus. In Catalogo Scriptorum anno 1362
Simon Tunstedus Franciscanus. In catalogo Scriptorum anno 1368
Stephanus Baronis Franciscanus, Cantabrigiensis. In catalogo Scriptorum an. 1520
Thomas Bungeius Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1290
Thomas Burcherius Franciscanus. In catalogo Scriptorum anno 1586
Thomas Dockingus Franciscanus, Scholasticus, Oxoniensis. In catalogo Scriptorum anno 1270
Thomas Eboracensis Franciscanus, Oxoniensis. In Catalogo Scriptorum anno 1260
Thomas Eclestonus Franciscanus, Oxoniensis. In catalogo Scriptorum anno 1340
Thomas Halensis Franciscanus In catalogo Scriptorum anno 1340
Thomas Otterburnus Franciscanus. In catalogo Scriptorum anno 1411
Thomas Straueshauus Franciscanus, Oxoniensis. In catalogo Scriptorum anno 1346
Vincentius Couentriensis, Franciscanus, Cantabrigiensis, in catalogo Scriptorum anno 1251

Indicis illustrium Angliæ Scriptorum, qui fuerunt Franciscani, finis.

INDEX ILLVSTRIVM ANGLIÆ SCRIPTORVM, QVI FVERVNT SOCIETATIS IESV.

ORDO Societatis Iesu incepit, vel saltem approbatus & confirmatus fuit à Paulo Papa tertio anno Domini 1540. Et deindè absolutiùs anno Domini 1550, à Iulio Papa tertio. Homines huius ordinis intrarunt primùm in messem Anglicanam an. 1580. In quo conatu primi fuerunt Edmundus Campianus & Robertus Personius. Ex hoc ordine prodierunt ad locupletandum nostrum Catalogum & Appendicem Scriptores, quantum hactenùs inuenire potui, tantummodò nouem. Quorum nomina & cognomina hîc ordine Alphabetico subnectũtur.

EDMVNDVS Campianus Societati Iesu, Oxoniensis. In catalogo scriptorum anno 1581
Guilhelmus Vvarfordus Societatis Iesu, Oxoniensis in Appendice.

Ioannes Gibbonus Societatis Iesu. In catalogo Scriptorum anno 1589
Iosephus Cresvvellus Societatis Iesu. In catalogo Scriptorum anno 1611
Laurentius Arthurus Societatis Iesu. In catalogo Scriptorum anno 1591
Richardus Gibbonus Societatis Iesu in Appendice.
Richardus Vvalpolus Societatis Iesu in Appendice.
Robertus Personius Societatis Iesu, Oxoniensis. In Catalogo Script. anno 1610
Robertus Southvvellus Societatis Iesu. In Catalogo Scriptorum anno 1595

Indicis illustrium Angliæ Scriptorum, qui fuerunt Societatis Iesu, finis.

INDEX BREVIS QVORVMDAM SCRIPTORVM BRITONVM ET ANGLORVM QVI ALIQVID IN SCRIPTIS AVT FACTIS MEMORABILE, VEL QVOQVO MODO singulare præstiterunt, ordine nominum Alphabetico. Adiecto tempore quo quisque floruit.

AChelmotus vel Egelmotus Anglus Archiepiscopus Cantuariensis Canutum Danum Angliæ Regem hominem ferum, sua mansuetudine ex barbaro reddidit ciuilem & mitem, & leniter traduxit ad miram vrbanitatem. Liberalis in pauperes Romam profectus, ibi Pallium Archiepiscopale accepit, & domum rediens, apud Papiam ad Ticinum, vno auri, & centum argenti talentis datis, accepit brachium S. Augustini Ecclesiæ Doctoriss, & Hipponensis Episcopi, quod secum in Angliam detulit. Claruit circa annum Christi 1038 — 1038

Alcuinus Anglus & Anglorum omnium post S. Aldhelmum & Bedam, doctissimus. Dictus est omniscius, & Hippiæ similis. Caroli Magni deliciosus (vti Carolus dicere consueuit) præceptor. Auctor fuit Carolo, vt erigeret de nouo Academias, in Gallia Parisiensem, in Italia Pauiensem seu Ticinensem. Composuit omnes Missas votiuas, & multa alia Ecclesiastica Officia renouauit. Quæ omnia Catholica Ecclesia recepit, approbauit, & adhuc in vsu pleraque habet. Claruit anno Dominicæ Incarnationis 790 — 790.

S. Aldhelmus Episcopus Anglus, & omnium Anglorum post Venerabilem Bedam doctissimus. Fuit primus fundator Monasterij Malmesberiensis. Claruit anno Domini 709 — 709.

Alfredus Magnus Anglus & Anglorũ Rex optimus Academiam Oxoniensem bellicis furoribus penè deletam restituit. Pro more habuit, vt octo horas quotidiè legendo, scribendo, & orando consumeret. Omnia sua prudenter gessit, adhibito semper Episcoporum & doctorum hominum consilio. Claruit anno post Christum natum 901 — 901.

Ambrosius Merlinus Britannus primus fundator cuiusdam oppidi Comitatus Vviltunensis, quod vsque hodiè vocatur ab eius nomine Merlinburg. Claruit anno Christi 480 — 480.

Aruiragus Britonum Rex benignè suscepit S. Iosephum Arimathensem ad prædicandum Christum in Britanniam missum. Nam liberam ei prædicandi facultatem dedit, habitandi locum illi & socijs concessit, & secundum quosdam, ex Britannis regibus fuit primus Christianus. Claruit anno Domini 70 — 70.

S. Asaphus Britannus primus Episcopus Elguensis, qui locus post illum, & ab illo semper deniceps vsque in hodiernum diem vocatus est S. Asaphi ciuitas. Claruit anno gratiæ 590 — 590.

Beda cognominatus Venerabilis, omnium quos vnquàm peperit Anglia, doctissimus. Duplices super vniuersam sacram Scripturam scripsit commentarios. Tanti — 734.

nominis vt adhuc eo viuente, eius homiliæ in Ecclesiasticis ponerentur officijs, & in horis matutinis solemniter cantarentur. Claruit anno gratiæ 734

703. S. Benedictus Biscopius ordinis S. Benedicti Abbas Anglus. Primus auctor & institutor Congregationis Giribennæ seu Ingiruianæ in Anglia. Quinquies ex Anglia profectus est Romam. Ex Italia & Gallia vocauit in Angliam peritissimos omnis generis, maximè ad ornandas Ecclesias, operarios. Coëmit etiam in exteris nationibus selectissimos libros non paucos, & secum in Angliam asportauit, insignemque bibliothecam suis Monachis erexit. Claruit anno Domini 703

Anno mundi. 3074. Bladudus Magus Britonum Rex. Aliquando studuit Athenis. Vndè reuersus, Græcos Philosophos secum duxit in Britanniam. Stanfordiæ Scholas illis erexit. Volare tentans, volando euolauit è vita fractis ceruicibus. Circa annum mundi 3074

755. S. Bonifacius quasi benefaciens, vulgò Vvinfridus, natione Anglus, Apostolus Germaniæ, & Primas primusque Archiepiscopus Maguntinus. Postquàm centum millia Germanorum ab idolorum cultu ad fidem Christi conuertisset, tandem cum alijs quinquaginta apud Doccũ in Frisia Martyrio coronatus est an. gratiæ 755

570. Caradocus Britannus Lancaruanensis Monasterij fundator. Quod Monasterium nomen accepisse dicitur ab obsequio Ceruorum, qui ad construendum illum ædificium non sine miraculo ministrarunt. Claruit autem Carodocus anno à Christi Natiuitate 570

Anno mundi. 980. Cassibilanus tum Britonum Rex, quandò Iulius Cæsar cum exercitu Romano Britanniam adorsus est. Circa annum mundi 3980, quinquagesimo plus minus anno ante Natiuitatem Christi.

676. Cedmonus Simplex ordinis S. Benedicti Monachus Anglus, humanitùs indoctus, cœlitùs doctus in Hymnis & canticis spiritualibus. Circa annum gratiæ 676

110. Claudia rufina nobilis fœmina Britanna Christiana, de qua scribit D. Paulus in calce secundæ ad Timotheum epistolæ. Vixit circa annum Christi 110

530. Congellus Britannus & vnus ex primis in Britannia Monachorum patribus. Primus Abbas Banchorensis. Circa annum Christi 530

339. Constantinus Magnus Britannus, & primus per omnia Christianus Imperator Claruit anno Domini 339

603. Dionotus Monachus Britannus, & tandem Banchorensis Abbas, vel, vt ità dicam, Archicœnobiarcha, in suo Monasterio bis mille & centum Monachos habuit. Eratque ibi Abbas quando S. Augustinus Monachus Benedictinus, & Apostolus noster venit in Angliam: affuitque cum septem Britonum Episcopis, & multis suis Doctoribus illi Synodo Vigorniensi, in qua disputatum est de Scotorum & Britonum erroribus. Claruit circa annum Domini 603

Anno mundi. 3556. Donvvallo Molmutius primus Britonum Legislator, cuius leges vocantur Molmutinæ. Claruit circa annum mundi 3556

975. Edgatus Anglorum Rex florentissimus olim multos Reges habuit sibi subditos. In naui aliquando clauum tenuit, solis regibus remigantibus. Mirificè coluit viros pios & doctos. Singulis, quam diù regnauit, annis Monasterium aliquod, aut de nouo fundauit, aut collapsum reparauit. Huic Regi acceptum habemus quòd vsque hodiè lupos Anglia non habeat. Claruit anno salutis 766

1581. Edmundus Campianus primus è Societate Iesu ex Anglis in Angliam ad lucrum animarum missus, vbi fidem Catholicam, quam annuntiauit effusione sanguinis sui confirmauit anno Domini 1581

766. Egbertus Anglus Archiepiscopus Eboracensis, Eboraci nobilissimam bibliothecam extruxit, & optimis libris instruxit. Omnium liberalium artium armarium vocari consueuit. Claruit anno Christi 766

180. Eluanus Aualonius primus Britonum Episcopus. Circa annum Dominicæ Incarnationis 180

616. Ethelbertus Anglus Cantiæ Rex, & omnium Anglorum primus Rex Christianus. Ædificari fecit Londini Cathedralem Ecclesiam D. Paulo Apostolo sacram. Regnauit circa annum Christi 616

Ethelulfus Anglus & Anglorum Rex atque Monarcha secundus, Romam peregrinatus Scholam Anglorum in cineres redactam reædificauit, & insignibus donarijs auxit. Magnam regni sui partem Apostolicæ Sedi tributariam reddidit, lata super hoc lege. Claruit anno 857 — 857

Gildas Cambrius Poëta Britannus contemporaneus Horatij, Iuuenalis, Martialis, & illis elegantia conferendus. Vixit anno Christi 70 — 70

Gualterus Reginaldus Hebraicæ lectionis Oxonij fundator. Archiepiscopus Cantuariensis In catalogo scriptorum anno 1327 — 1327

Gualterus Grisauntus Anglus medicinæ Doctor Oxoniensis, filium habuit extra Angliam natum, qui tandem factus est Vrbanus Papa quintus, in catalogo scriptorum anno 1350 — 1350

Haymo de Feuersham Anglus Generalis ordinis S. Francisci iussu summi Pontificis Breuiarij Romani mendas correxit, illudque Rubricis illustrauit. Vide in catalogo scriptorum anno Domini 1260 — 1260

Inas Angliæ Rex Romam peregrinatus, ibi Scholam Anglorum posuit primus. Regno se abdicauit, & factus est Monachus. Primus Angliæ regnum Romanis Pontificibus tributarium esse voluit. Regnauit circa annum Christi 728 — 728

Kentigernus Britannus primus fundator Elguensis manasterij, templi, Episcopatus. Vbi præfuit trecentis, & sexaginta Monachis doctis, & totidem indoctis seu conuersis. Vixit anno reparationis humanæ 566 — 566

Kenulphus Anglus & in Anglia Merciorum Rex, scriptis litteris, & missis nuncijs ad Leonem Papam tertium effecit vt Archiepiscopatus Cantuariensis ab Offa Merciorum Rege sua iurisdictione grauiter mutilatus, pristinæ restitueretur dignitati. Regnauit in Mercia anno Domini 830 — 830

Luanus Monachus Britannus solus centum Monasteriorum fundator. Vixit anno gratiæ 550 — 550

Lucius Pius Britannorum, imò omnium sub sole Regum primus Christianus. Academiam Banchorensem fundauit. Regnauit anno Christi 180 — 180

Medvvinus Belgius primus Britannorum Doctor Christianus. Vixit anno post aduentum Messiæ 180 — 180

Melchinus Aualonius vates Britannus, cuius prophetiis credunt Vvalli nostri vsque hodie de recuperando regno suo. Claruit anno Christi 560 — 560

Merlinus Caledonius Britannus vates, viso in aëre prodigioso signo, fit deinceps Eremita. Multa ænigmata exposuit; de arboribus Londini ardentibus. De insolito Tamisis furore. De infante in vtero matris ridente. Sepultus est in insula Bridseia vel Ehuly cum aliis viginti millibus viris sanctis, circa annum Domini 570 — 570

S. Neotus auctor fuit Alfredo Regi, vt Oxoniensem Academiam restitueret, ædificatis tribus Collegiis. Et à Martino Papa secundo confirmationem dictæ Academiæ, petiit & obtinuit, circa annum Verbi incarnati 883 — 883

Nicolaus Albanus, id est, ad S. Albanum Benedictinus Monachus, à musca suffocatus interiit, circa annum Christi 1140 — 1140

S. Ninianus Britannus primus Pictos & Scotos ad fidem Christi conuertit, & factus est primus eorum Episcopus ad Candidam Casam Vixit anno gratiæ 432 — 432

Oliuerius Anglus Monachus Malmesberiensis. Vir curiosus & temerarius. Volare voluit, sed non valuit, & suo volatu è vita euolauit, circa annum Domini 1060 — 1060

S. Patricius Succetus Britannus, Apostolus Hiberniæ. Vixit centum viginti duos annos. Obiit circa annum Messiæ 490 — 490

S. Petrocus Britannus à quo oppidum Petrostoco in Cornubia, nunc correptius imò corruptiùs Padstovv, nomen accepit. Vixit anno Domini 564 — 564

Radulphus Fresbureus Anglus in monte Carmelo Carmelita factus, ex Europæis, puto, primus, Carmelitas inde primus traduxit in Angliam, cum prius in Europa non fuissent. Hos in Anglia quatuordecim annis rexit, & suis bonis aluit, ædificatis multis Monasteriis. Claruit anno Domini 1274 — 1274

550 Restitutus Archiepiscopus Londinensis, amicus S. Hilarij. Interfuit secundo Concilio Arelatensi, circa annum Christi 350

1350 Richardus Aungeruillus cognomento Philobiblos, Oxoniensem Bibliothecam publicam primus fundauit. Claruit circa annum reparatæ salutis 1350

1227 Richardus Kinsdorpius Anglus primus Cisalpinus, qui fuit ex ordine S. Francisci. Receptus in Gallia cum Guilhelmo Etono Anglo, cum eodem & quibusdam alijs paulò pòst venit in Angliam. Vide nostram Appendicem. Claruit anno Incarnationis Dominicæ 1227

1326 Richardus Vvallingfordus auctor admirabilis horologij ad S. Albanum. Claruit anno gratiæ 1326

1143 Robertus Ketenensis Anglus Archidiaconus Papilonensis, penè totum orbem terrarum peregrauit. Omnes linguas didicit. Alcoranum ex Arabica in Latinam linguam vertit. Vixit circa annum Christi incarnati 1143

1146 Robertus Pulleinius Anglus Cardinalis Oxoniensem Academiam bellis ciuilibus valdè deformatam restituit, circa annum Domini 1146.

414 Samson Britannus Episcopus fugiens in Armoricam propter persecutiones paganorum, multos antiquos libros secum extulit, qui nunquam fuerunt reportati. Obijt Dolæ circa annum Domini 567

652 Sigibertus Pius Orientalium Anglorum Rex. Primus Anglorum Solon dicam? an Licurgus? id est Legislator. Fundator Scholæ Cantabrigiensis. Occisus in prælio à Penda Merciorum Rege circa annum Domini 652

1133 Stephanus Hardingus Anglus, primus auctor & fundator ordinis Cisterciensis, circa annum Domini 1133

1228 Stephanus Langtonus sacra Biblia in capitula primus distribuit, vti nunc habemus 1228

410 Syluius Bonus Britannus Maximo, maximo fuit in precio, quocum traiecit in Armoricam. In causa Maximi graues suscepit inimicitias cum Ausonio Burdegalensi. Claruit anno Verbi incarnati 410

664 Theodatus Frithona Anglus & ex Anglis primus Archiepiscopus Cantuariensis, circa annum gratiæ 664


1140 Trustinus Anglus Archiepiscopus Eboracensis effecit vt D. Bernardus mitteret, primùm in Angliam Monachos Cistercienses, & ijs iuxta Rippon oppidum, primum in Anglia Monasterium extrui fecit, quod ad Fontes vocauit. Claruit anno Domini 1140


1251 Vincentius Couentriensis Ordinis S. Francisci Doctor Anglus, & ex Franciscana familia primus qui Cantabrigiæ cathedram Theologalem obtinuit, & publicè docuit. Secundus autem fuit Ioannes Vvestonus. Claruit anno Domini 1251


680 Vvorgresius Britannus cœnobij Glasconiensis Abbas & Monasterij reparator, Ædificauit Ecclesiam in qua S. Iosephi de Arimathia & Regis Arthuri corpora reposita fuerunt. Claruit anno Redemptoris nostri 680

Huic operi finem imposui mense Septembri, Anno Domini 1613. Ioannes Pitsius.


TOMI PRIMI FINIS.











005645102

